St. sacra,
Ord. Monastic.

Storia

Digitized by Google

C. 6 p. a.

Digitized by Google

Digitized by Goog

THEOLOGIA
CARMELITANA

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA CARMELITANA,

SIVE

APOLOGIA SCHOLASTICA

RELIGIONIS CARMELITANAE

Pro tuenda ſuæ nobilitatis antiquitate.

In qua eius fundatio ab ELIA Propheta Sanctiſſimo, & continuata ſucceſſio hæreditaria demonſtrantur.

Ac multa circa Fundatorem, & Inclytos quàm plures Alumnos: Circa Regulam, Nomen, Priuilegia, & regulares obſeruantias propoſita dubia reſoluuntur.

AVTHORE

REVERENDISS. P. PHILIPPO A SANCTISS. TRINITATE

Carmelitarum Diſcalceatorum Prępoſito Generali, Priore S. Montis Carmeli, & S. Congreg. Indicis Conſultore.



ROMAE M. DC. LXV.

Sumptibus Philippi M. Mancini Typographi iuxta SS. Trinitatem Peregrin.

SVPERIORVM LICENTIA.

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA

Conuentus S. Mariæ de Scala Vrbis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. MARTIO

S. R. E. CARD. GINETTO

SANCTISS. D. N. VICARIO,

ET TOTIVS CARMELITANI ORDINIS

Vigilantiſſimo Protectori.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRODITVRA in lucem, & in publicum certamen PRINCEPS EMINENTISSIME, noſtra Theologia Carmelitana, Te in ſuum eligit protectorem pluribus inducta motiuis. Cum ſit partus Carmelitanæ Religionis; Te communem illius Protectorem, vo-

luit

Digitized by Google

luit ſibi velut ſingularem appropriare. Cum exurgat aduerſus Carmeli Religioſi impugnatores, Te agnoſcens ipſius beneuolum propugnatorem, ſub tua protectione militare decreuit. Et tandem cum plures experiatur æmulos, qui vijs omnibus Elianæ in Carmelo Familiæ antiquam nobilitatem obſcurare præſumunt, ad tua recurrit auxilia, vt probato iure ſuo, victoriam authoritate tua reportet. Hæc ſunt motiua indigentiæ Religionis noſtræ: Sed maiora nimis apparent Eminentiæ Tuæ, quæ me ad hoc gratitudinis, iuſtitiæ, & venerationis tributum tandem ſoluendum compellunt. Gratitudinis quidem, non ſolum pro communibus beneficijs toti noſtræ Religioni, ſed etiam pro particularibus ijſque maximis mihi collatis, qui & particularem Carmelitæ perſonam, & Generalis dignitatem repræſento: propter hæc beneficia PRINCEPS EMINENTISSIME memoria tui eſt apud noſtros Carmelitas in benedictionibus, qui fauſtam tibi perennitatem iugiter deprecantur. Iuſtitiæ verò, quia amor amore compenſatur: Vndè iuſtum eſt vt Carmelitæ Diſcalceati, qui paterno tuo fruuntur amore, filiali quoque amore Te

proſe-

Digitized by Google

proſequantur, & ego nomine omnium hunc iuſtitiæ titulum; in huius operis dedicatione toti Mundo manifeſtem. Venerationis tandem, quia tam donis naturæ, & gratiæ, quam acquiſitis meritò dignitatibus te cunctis venerabilem, ſinguliſque amabilem reddidiſti. Quis in proprijs naturæ donis non miretur tuam in peragendis difficilioribus negocijs dexteritatem, & prudentiam raram cum graui maieſtate affabilitatem. Quis inter alia gratiæ dona non veneretur fulgentiſsimum ſingularum virtutum tuarum decus? Quis te alijs dignitatibus acquiſitis quaſi minoribus iam illuſtriſsimum, non reuereatur Eminentiſsimum inter purpuratos Patres meritò aſſumptum, & ad Comitia pro pace vniuerſali Legatum à latere miſſum, ac pro heroicis geſtis ſupremæ dignitatis meritiſsimum, cuius à tot annis vigilantiſsimus exiſtis Vicarius. Hæc breuiter indicaſſe ſufficiet, maiorem enim encomiorum tuorum expenſionem innata tibi modeſtia non pateretur. Prædictis igitur allectus motiuis PRINCEPS EMINENTISSIME ſupplex ad te venio, vt hoc munuſculum ſol-

uendi

uendi titulo tributi præſentem, & meo, & totius noſtræ Religionis nomine, dum aliàs vtramque ſalutem cum abundantia Diuinæ benedictionis, Tibi tuiſque deſsidero.

Tuæ Eminentiæ

Humillimus Seruus & Subditus

Fr. Philippus à Sanctiſsima Trinitate
Præpoſitus Generalis Carmelitarum
Diſcalceatorum.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGVS

NOSTRA Religio Carmelitana ſemper aduerſarios, & forſan ęmulos antiquitatis ſuæ nobilitatis paſſa fuit, & in dies patitur, quoſdam quidem ex ignorantia noſtrarum traditionum & fideliſſimarum relationum; alios autem ex æmulatione affectata, vt conſtat, nam ſeipſos ore ſuo produnt: Si primi non ſunt excuſabiles, quia proferunt quod neſciunt, abſque præuia veritatis indagatione, quam facilè poſſent inuenire, ſi noſtrę religionis monumenta quærerent apud noſtros Authores, vel etiam apud exteros in eorum lectione peritos: Secundi ſunt prorsùs damnabiles, qui veritatem agnitam impugnant, vt non ęquo ſatiſfaciant deſiderio; libenter tamen his & illis parcimus, Vtinam parcat & Dominus; ſed ſciant vltimi veritatem agnitam impugnantes, & fraternę charitati ſimul inuidentes, ſe peccare in Spiritum Sanctum huiuſmodi verò peccata ex dicto Chriſti Domini, non remittuntur in hoc ſæculo nec in futuro, id eſt difficulter remittuntur.

Decreui in hoc operę noſtras traditiones antiquas: Tum certis authoritatibus Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, & Doctorum Illuſtrium, præſertim exterorum ſtabilire, quamuis noſtri deberent ſufficere in propria cauſa peritiores, & vt tales admittantur in alijs ordinibus religioſis, ad omnem tamen ſuſpicionem tollendam ipſis ſolis non innitemur: Tum euidentibus & efficaciſſimis rationibus firmare, ita vt omnes veritatis amatores facilè iudicent eas eſſe ſatis credibiles, & non ſolùm probabiles omnes, ſed etiam plures certiſſimas. Aduerſariorum fundamentis reſpondebo maiori modeſtia, quàm plures ex ipſis aduerſus nos in ſuis impugnationibus procedant. Quamuis autem in meo tractatu Theologico de Religione in Secunda Secundę D. Thomę plura de hac materia Scholaſtico more diſcuſſerim, ſicut & in meo Hiſtoriæ Carmelitani Ordinis compendio; Hic tamen completum opus aggredior, propter nouas ęmulorum perſecutiones, de quibus nos ex parte liberauit, & liberabit Deus, & Deipara Virgo Carmeli Mater & Regina, ſicut & Elias noſter Patriarcha, qui humanis deficientibus auxilijs, aliàs miraculoſis æmulorum ſupplicijs opportunè ſuccurrerunt.

Omnia proponam, iuxta exigentiam tituli huius operis dubia, quæ hactenus fuiſſe propoſita reperi: Quàm plura etiam de nouo proponam, quæ excogitaui, vbi vel minimam dubitandi rationem ap-

ſſ prehen-

Digitized by Google

prehendi. Quatuor autem dubia ſunt præcipua, quibus velut firmis fundamentis innituntur cætera,& velut firmis cardinibus voluuntur: Primum ſcilicet, Vtrum Elias Propheta fuerit primus religioſi ſtatus Patriarcha,ita vt veram Religionem fundauerit, cum obſeruantia trium votorum eſſentialium,obedientiæ,caſtitatis & paupertatis,quę tunc religioſi Deo promittebāt aut iurabant,ſaltem implicitè:Secundum,Vtrum hæc religio toto tempore legis ſcriptæ perdurauerit, in Filijs Prophetarum,Rechabitis,Eſſenis,Aſſidæis, & Nazaręis perpetuis: Tertium, Vtrum eadem religio de lege ſcripta tranſiens ad legem gratiæ,inchoatiuè ſub Chriſto Domino qui ſtatum religioſum perfecit, & cōpletè ſub Apoſtolis perſeuerauerit quatuor primis Eccleſię ſæculis indiuiſa in monachis prædictorum ſucceſſoribus: Quartum,Vtrum multiplicatis poſtea vitę religioſæ fundatoribus ab ea deriuatis,ipſamet firma manſerit in monte Carmelo natali ſolo & alibi vſque modo,ſub ſuo Patriarcha & capite Elia, & perſeuerabit vſque in finem Mundi, vt tunc fidem Chriſti cum Elia ſuo patre defendat aduerſus Antichriſtum,ſicut eam in principio Eccleſiæ prædicauit, facta coadiutrix Apoſtolorum fideliſſima.

Carmelitana igitur religio nunc ſubſtantialiter in Carmelitis perſeuerans,aliàs ſub vnico Generali,nunc ſub triplici floret. Primus eſt Superior omnium Carmelitarum ſub regula mitigata viuentium, etſi plures ſint eorum congregationes: Alij duo ſunt Superiores Carmelitarum Diſcalceatorum ſub primitiua regula; quorum vnus Hiſpanicæ Congregationi præeſt,alter verò Italicæ. In præſenti loquimur de tota Religione Carmelitana,quæ nunc ſub indicata Generalium pluralitate,fundatoris vnius ſingularitatem agnoſcit. Hoc quidem opus aggredior,vt eam exaltem,non tamen aliàs Religiones deprimendo,quas omnes veneror propter eximia ſingularum merita & talenta,in quibus plures ipſarum non ſolùm æquales noſtræ, ſed etiā in aliquibus fateor ſuperiores: ita ſincerè loquor, vt conſtet Lector tibi,quo procedam animo,qui non eſt æmulationis,ſed propriæ defenſionis: imodum noſtra dico,cæterarum Religionum hortor alumnos, vt ſimiliter ſua producant.

Nullum lędam, quantum in me erit,cum non aduerſarios,ſed tātùm aduerſas nobis opiniones impugnare velim;nec procedam iniurijs aut inuectiuis,ſed ſolis rationibus, authoritatibus ac traditionibus bene fundatis: In præſenti tamen dico,quod non poſſum ſatis mirari aliquos ex noſtris æmulis , qui poſt authoritatem expreſſam tot Summorum Pontificum,& tot Illuſtrium Doctorum,tam Regularium quàm ſæcularium pro iure noſtro militātium, traditiones noſtras anti-

Digitized by Google

antiquiſſimas impugnant, & velut errores accuſando ſimulque damnando, negant eſſe probabiles; cum ipſimet fortè ſuas inducendo nouas opiniones, aſſerant duos authores ad aſtruendam earum probabilitatem ſufficere: ſed aduertant, quod plus valet authoritas vnius Summi Pontificis, etiam vt particularis Doctoris, quàm plurium aliorum; nam ſic maturè res magni momenti, qualis eſt illa quam hic pertractamus de fundatione & continuata ſucceſſione Religionis noſtræ, ponderant Pontifices in iudicio contradictorio priuſquam aliquid pronuntient, inſtitutis doctiſſimorum virorum congregationibus, vt qui ſciunt mirentur, eorumque decreta poſtmodum venerentur vt oracula.

Poteſt quidem Sol offuſis nubibus aut nubeculis ad tempus contegi, nunquam tamen obſcurari: Sic veritas poteſt ad tempus varijs artificijs abſcondi, nunquam tamen deſtrui; ſed ſicut Sol, nubes & nubeculas ſuo calore tandem diſſoluens, illuſtrior apparet, ſic veritas de cunctis impugnantium artificijs triumphans, irradiat glorioſior. Nihil hic propono, niſi ſatis probabile, multa verò vt nimis credibilia, & moraliter certa, quędam etiam vt certiſſima fide Diuina, vel demonſtratione phyſica; non enim omnia poſſunt eadem euidentia probari, cum plura ſint antiquiſſima, ac proinde difficilioris probationis; nec *velint aduerſarij* maiorem horum probationem à nobis exigere, quàm permittant nobis ſuorum etiam recentiſſimorum inquirere, ſed ſicut volunt nos ſimplicibus ipſorum relationibus fidem præbere, ſic præbeant ipſi benè fundatis & venerabilibus noſtris traditionibus.

Liber hic ſub titulo Theologiæ Carmelitanę procedit, quia ſub generali Theologia Scholaſtica, vt pertinens ad tractatum de Religione, comprehenditur; Vnde eſt pars obiectiua ipſius, & obiectum eius antiquitas nobilitatis exprimitur in eodem titulo, vbi dicitur Apologia Scholaſtica Religionis Carmelitanæ, pro tuenda ſuæ nobilitatis antiquitate &c. Procedam igitur in toto rigore Scholaſtico, iuxta methodum D. Thomę, diuidens opus in multas quęſtiones, & quęſtiones in articulos, eodem Angelici Doctoris modo procedendi; Vt primò ponantur rationes aut apparentiæ probabiles opinionis cõtrarię; Secundò, vt ponatur noſtra ſententia, indicatis authoribus eam propugnantibus; Tertiò, diſtincta concluſio; Quartò, fundamenta ad eius intelligentiam neceſſariò premittenda; Quintò variæ probationes concluſionis ſeu veritatis ſtabilitæ, tum ex authoritate, tum ex ratione; Sextò, ſolutiones rationum opinionis contrariæ. Hic modus procedendi D. Thomæ mihi facillimus & clariſſimus ſemper apparuit,

ruit, ac naturali modo intellectualis operationis omninò conformis. Intellectus enim noſter diſcurſiuus circa dubium excitatum, hinc inde diſcurrit, rationes vtriuſque partis inquirit; probabiliori adhæret parti, eiuſque fundamenta confirmat, & tandem, vt in reperta veritate quieſcat, contraria ipſi argumenta diſſoluit. Non omnia, quę poſſent adduci, in quolibet adducam articulo, ſed ſolùm ea quę directè & euidenter propoſitam concernent difficultatem: In omnibus maxima cum fidelitate, procedam, & ex puriſſimis monumentorum noſtræ Religionis fontibus veritates deducam.

Ad maiorem firmitatem eorum, quæ in hoc opere dicturi ſumus, notandum eſt communi doctrina Iuriſperitorum. quam demonſtrat Proſper Farinacius de Teſtibus quęſtione 60. tomo ſecundo, quod debent admitti teſtes ex corpore illius communitatis, cuius cauſæ & negotia in iure pertractantur, dum teſtantur in fauorem ſuæ communitatis: Imò hoc decretum eſt in iure canonico ab Eugenio III. Alexandro III. & Vrbano III. Decretum tam Eugenij quàm Alexandri reperitur in Appendice ad Concilium Lateranenſe parte octaua capitulo tertio. Primus ſic ſtatuit in cauſis Religioſorum Sanctiſſimę Trinitatis; Inſuper etiam authoritate noſtra ſtatuimus, vt liceat vobis in cauſis Eccleſię veſtrę teſtimonium ferre, dummodo vnus vel duo ex vobis ad agendum & reſpondendum inſtituantur, quorum teſtimonium in cauſis, in quibus actores vel reſponſales ſunt inſtituti, debet admitti. Secundus ſic ait; Prædicti Canonici non ſunt a ferendo teſtimonio ſuper proprio negotio Eccleſiæ ſuę repellendi. Vrbanus autem in Bulla, quam refert Henriquez pagina 581. idem declarat in fauorem Ordinis Ciſtercienſis dicens: in cauſis autem proprijs, ſiue ciuilem, ſiue criminalem contineant quæſtionem, liceat vobis Fratrum veſtrorum, quos ad hoc idoneos eſſe conſtiterit, teſtimonijs vti, ne ex defectu teſtium ius veſtrum valeat deperire. Ante decreta horum Pontificum Paſchalis II. reprobauit factum Guidonis Archiepiſcopi Viennenſis Legati Apoſtolici, quia noluit acceptare teſtimonium Canonicorum Sancti Stephani in lite, quam habebant aduersùs Canonicos Sancti Ioannis, eo quòd videbantur intereſſe habentes; reprobans enim Pontifex factum illud dicit, quod in cauſis criminalibus domeſtici non debent admitti; ſed ita non eſſe, cum agitur de poſſeſſione, imò veritas non poteſt melius agnoſci quàm ab his qui negotia geſſerunt, cum eorum teſtimonium fundetur in his quę audierunt & viderunt; maximè, quia vt notat Gloſ-

ſa

Digitized by Google

ſa huius decreti, cauſa Eccleſiæ non eſt cauſa particularium. Iuxta hanc doctrinam ait Baronius in Martyrologium Romanum 26. Aprilis; In his quæ ſunt Romanę Eccleſiæ, maior eſt adhibenda fides eius alumnis quam cęteris: Vnde videmus, quòd in cauſis proprijs vnius Ciuitatis admittuntur ciues illius in teſtes, & in religionibus fides adhibetur ijs, quæ ab ipſarum alumnis referuntur; Et meritò, nam ſoli illi procurant propria ſuæ religionis examinare, & referre quæ prudenter examinarunt, aut etiam viderunt; Extranei de his ordinariè non curant: Et ita perirent ſacra religionum monumenta, niſi ſcriptoribus proprijs fides adhiberetur; maximè quando aliàs ſunt viri boni, nec de falſitate vnquam conuicti, debent enim præſumi vt veraces, & cum ſufficienti fundamento loquentes. Hanc doctrinam applicantes ad intentum noſtrum, dicimus quod Authores noſtri Carmelitæ, dum loquuntur de antiquitate religionis noſtrę alijſque annexis, habent pro fundamento traditionem antiquiſſimam & vniuerſalem ipſius, qua ſucceſſiuè deriuata a primis alumnis abſque vlla interruptione peruenit ad ipſos; Et inſuper antiqua religionis monumenta, quę priùs in ipſo monte Carmelo, cęteriſque Conuentibus Orientis fuerunt cuſtodita, & poſtmodum a Beato Alano Britone Armorico in Europam delata, dum *imminente ruina* Terræ Sanctæ per Saracenos, inde receſſit cum multis alijs; dolemus tamen, quod multa ex illis tunc in Oriente, poſtea etiam in Occidente perierunt. Cum igitur noſtri tam antiqua pluſquam ſufficienter probent, debent admitti, cum non maior exigatur probatio de modernis, non obſtante quod tam antiqua ſunt multò difficilioris probationis. Hæc cum ita ſint, & ſufficeret domeſticorum probatio; ad maiorem tamen firmitatem noſtri iuris, extraneos authores adducam, qui ſola veritate compulſi videntur loqui in fauorem noſtrę religionis, & aliquando quaſi in detrimentum ſuæ.

Iudicaui neceſſarium in hoc poſtremo volumine priorum operum meorum catalogum apponere: Tum vt plurium deſiderio ſatisfacerem, qui ſæpiùs illum a me petunt: Tum vt omni tempore conſtet de libris a me editis, ſi fortè ipſius iniuria perirent. Edidi ergo Summam Philoſophicam, vnico volumine in folio. Quatuor tomos Theologiæ Schōlaſticæ, cui nuper inſerendum adiunxi ſuo loco tractatum de Pœnitentia: Summam Theologiæ myſticæ: Hiſtorias Sanctorum ac Illuſtrium Carmelitarum in libro cui titulus, Decor Carmeli religioſi in ſplendoribus Sanctorum & Hanc Theologiam Carmelitanam. Minora verò opera in

Digitized by Google

ra in octauo edita ſunt ſequentia: Itinerarium meum Orientale, Compendium Hſtoriæ Carmelitanæ, Compendium Chronologiæ vniuerſalis: Vita. V.P. N. Dominici,& Commentarius litteralis in Angelicum Oraculum S.N.Cyrilli Conſtantinopolitani; quæ omnia cum alijs iam editis & edendis, in vnum opuſculorum tomum redigere decreui, vt ſic coniuncta faciliùs conſeruentur. Nunc paratum habeo Tractatum de peccato originali & Immmaculata Conceptione Virginis Deiparæ, ſuo loco inſerendum in mea Theologia.

Vale & fruere meo labore.

INDEX

Digitized by Google

INDEX QVAESTIONVM ET ARTICVLORVM HVIVS OPERIS.

QVAESTIO I.

De Votis, & ſtatu Religionis antiquę legis.

Artic. Vtrum in lege ſcripta fuerit votum perpetuum obedientiæ religioſæ. 2.

2. Vtrum in lege ſcripta fuerit votum Virginitatis & caſtitatis perpetuæ. 5.

3. Vtrum in lege ſcripta fuerit votum perpetuum paupertatis religioſæ. 12.

4. Vtrum in lege ſcripta fuerit aliqua vera religio monachalis, cum votis eſſentialibus. 16.

QVAESTIO II.

De fundatione Religionis Carmelitanę. 22.

Artic. Vtrum Elias Propheta fundauerit aliquam Congregationem religioſam. 22.

2. Vtrum Elias Propheta ſit primus Inſtitutor, & Patriarcha ſtatus religioſi. 27.

3. Vtrum Elias Propheta ſuam Congregationem religioſam fundauerit in monte Carmelo. 30.

4. Vtrum in antiqua lege Religio Carmelitana vixerit cum obſeruantia trium votorum eſſentialium. 37.

5. Vtrum Elias Propheta habuerit, & introduxerit in ſua Religione Carmelitana ſpiritum miſſionū. 43.

QVAESTIO III.

De maxima Sanctitate Eliæ Prophetæ. 48.

Artic. Vtrum S. Elias Propheta meritò dicatur ſimilis Chriſto. 48.

2. Vtrum S. Elias Propheta futurus ſit Sanctiſſimus. 51.

3. Vtrum S. Elias Propheta ſit æqualis in Sanctitate Sancto Ioanni Baptiſtæ. 59.

4. Vtrum S. Elias Propheta ſit æqualis in Sanctitate Apoſtolis Chriſti. 62.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO IV.

De dignitatibus & prærogatiuis S. Eliæ Prophetæ. 65.

Artic. VTrum S. Elias Propheta ſit ſtatus religioſi principalis Patriarcha. 65.
2. Vtrum S. Elias ſit præcipuus inter Prophetas. 67.
3. Vtrum S. Elias Propheta ſit futurus Præcurſor ſecundi Aduentus Chriſti. 70.
4. Vtrum S. Elias Propheta ſit futurus verus Chriſti Apoſtolus. 74.
5. Vtrum S. Elias ſit futurus martyr præ alijs glorioſus. 80.
6. Vtrum S. Elias fuerit primus Virgo conſecratus Deo. 82.
7. Vtrum S. Elias ſit futurus Doctor inclytus Eccleſiæ. 85.

QVAESTIO V.

De ſtatu S. Eliæ Prophetæ. 88.

Artic. VTrum S. Elias Propheta raptus fuerit in Paradiſum Terreſtrem. 88.
2. Vtrum Elias Propheta nunc poſſit coli in diuinis officijs. 91.
3. Vtrum S. Elias Propheta poſſit nunc inuocari à fidelibus. 94.
4. Vtrum S. Elias Propheta nunc mereatur. 99.
5. Vtrum S. Elias Propheta ſit habiturus in fine Mundi ſpiritualem aliquam authoritatem extraordinariam. 101

QVAESTIO VI.

De primis S. Eliæ diſcipulis in Religione Carmelitana. 105.

Artic. VTrum Ionas Propheta Niue Apoſtolus fuerit primus diſcipulorum S. Eliæ. 105.
2. Vtrum Sanctus Eliſæus fuerit præcipuus diſcipulorum Sancti Eliæ. 109.
3. Vtrum Michæas Propheta filius Iemla inter Eliæ diſcipulos fuerit Protomartyr. 112.
4. Vtrum Abdias Propheta fuerit religioſus S. Elię diſcipulus. 115.

QVAESTIO VII.

De Sacris Prophetis Carmelitanæ Religionis alumnis. 117

Artic. VTrum Prophetæ Sacri antiquæ legis fuerint alumni religionis Carmelitanæ. 117.
2. Vtrum Iſaias Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. 121.
3. Vtrum Ieremias Propheta fuerit alumnus religionis Carmelitanæ. 124
4. Vtrum Ezechiel Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. 127.
5. Vtrum Daniel Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

QVAE-

Digitized by Google

INDEX.

QVAESTIO VIII.

De Continuatione Religionis Carmelitanæ toto tempore legis antiquæ. 133.

Artic. Vtrum Religio Carmelitana perdurauerit toto tempore legis ſcriptæ. 133.
2. Vtrum Rechabitæ fuerint alumni Religionis Carmelitanæ. 137.
3. Vtrum Eſſeni fuerint alumni religionis Carmelitanæ. 142.
4. Vtrum Aſſidæi fuerint alumni religionisCarmelitanæ. 147.
5. Vtrum Nazaręi perpetui fuerint alumni Religionis Carmelitanæ. 150.
6. Vtrum Druidæ Galli poſſint verè dici Carmelitanæ religionis alumni. 153.

QVAESTIO IX.

De tranſitu Religionis Carmelitanæ ab antiqua lege ad legem Gratiæ. 160.

Artic. Vtrum S. Ioannes Baptiſta Præcurſor Chriſti fuerit alumnus religionis Carmelitanæ. 161.
2. Vtrum diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ fuerint alumni Religionis Carmelitanæ. 165.
3. Vtrum monachi primitiuæ Eccleſię fuerint alumni Religionis Carmelitanæ. 168.
4. Vtrum apud religioſos Carmelitas olim in monte Carmelo fuerit Oraculum Diuinum. 172.
5. Vtrum religioſi Carmelitæ publicum olim habuerint in ipſo monte Carmelo Sapientiæ Collegiū. 175.
6. Vtrum religio Carmelitana de antiqua lege tranſierit ad legem gratiæ. 178.

QVAESTIO X.

De Conuerſione Religionis Carmelitanæ ad fidem Chriſti, ac eius cooperatiome in prædicando Euangelio. 182.

Artic. Vtrum Religio Carmelitana fuerit in die Pentecoſtes ad fidem Chriſti conuerſa. 182.
2. Vtrum religio Carmelitana in prædicanda Chriſti fide fuerit Apoſtolorum coadiutrix fideliſſima. 186.
3. Vtrum S. Andreas Apoſtolus Chriſti fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. 189.
4. Vtrum S. Marcus Euangeliſta fuerit alumnus religionis Carmelitanæ. 191.
5. Vtrum religio Carmelitana ſemper magna fecerit pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ. 194.
6. Vtrum Eſſeni Carmelitanæ Religionis alumni, iam Chriſtiani cõtinuauerint vſque ad tempora Sancti Antonij. 198.

QVAESTIO XI.

De firmitate Religionis Carmelitanæ ſub Patriarchatu S. Eliæ. 202.

Artic. Vtrum multiplicatis ſtatus Religioſi fundatoribus, religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ. 202
2. Vtrum religioſi Carmelitæ ſemper in monte Carmelo ab initio fundationis vſque ad annum Chriſti 1290. manſerint. 204
3. Vtrum Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus fuerit alumnus religionis Carmelitanæ, ſanæ fidei, & author libri de Inſtitutione Mo-

nachorum. 208.
4. Vtrum S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. 214.
5. Vtrum S. Anaſtaſius martyr fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. 218.
6. Vtrum Petrus Eremita fuerit alumnus religionis Carmelitanę. 221

QVAESTIO XII.

De perſeuerantia Religionis Carmelitanæ vſque ad finem mundi. 224.

Artic. Vtrum Religio Carmelitana ſucceſſione hæreditaria nunquam interrupta, nunc etiam ſubſtantialiter perſeueret in Carmelitis. 224.
2. Vtrum Religio Carmelitana ſit antiqua in Europa ſub nomine Carmelitano. 242.
3. Vtrum Religio Carmelitana ſit ſemper perſeueratura vſque in finem mundi. 246.

QVAESTIO XIII.

De Proceſſione cæterarum Religionum à Carmelitana. 254.

Artic. Vtrum Religio Carmelitana ſit radix & origo cæterarum religionum. 255.
2. Vtrum S. Antonius Abbas fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. 260.
3. Vtrum S. Hilarion Abbas fuerit alumnus Carmelitanę Religionis, eiuſque reparator. 263.
4. Vtrum S. Baſilius fuerit alumnus Carmelitanæ religionis. 266.
5. Vtrum S. Pachomius Abbas fuerit alumnus religionis Carmelitanæ. 269.
6. Vtrum S. Simplicianus, magiſter S. Auguſtini, fuerit Carmelitanæ Religionis alumnus. 272.
7. Vtrum S. Romanus monachus, Director S. Benedicti, fuerit Carmelitanæ religionis alumnus. 275.
8. Vtrum V. Frater Gerardus, Inſtitutor Ordinis Hoſpitalariorum S Ioannis Baptiſtæ, fuerit alumnus religionis Carmelitanæ. 277.
9. Vtrum S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor, fuerit Carmelitanæ religionis alumnus. 280.
10. Vtrum S. Honoratus fundator Monaſterij Lirinenſis in Gallo-Prouincia, fuerit alumnus religionis Carmelitanæ. 282.
11. Vtrum Sanctus Caſſianus fundator Monaſterij Maſſilienſis Sancti Victoris, fuerit alumnus Religionis Carmelitanę. 285.

QVAESTIO XIV.

De Apoſtolis in conuerſione Gentium alumnis Carmelitanæ Religionis. 288.

Artic. Vtrum S. Palladius Scotorum Apoſtolus fuerit Carmelitanæ religionis alumnus. 288.
2. Vtrum S. Gerardus Hungarorum Apoſtolus fuerit Carmelitanæ Religionis alumnus. 292.
3. Vtrum S. Gerardus Antiochenus Carmelita ſit iqſemet Hungarorum Apoſtolus. 294.
4. Vtrum S. Cyrillus Conſtantinopolitanus, fuerit Apoſtolus Armenorum. 297.

Digitized by Google

I N D E X

QVAESTIO XV.

De Virginibus Heroinis Carmelitanæ Religionis. 300.

Artic. Vtrum S. Veneranda Virgo & martyr fuerit alumna Religionis Carmelitanæ. 300.

2. Vtrum S. Eugenia Virgo & martyr fuerit alumna Religionis Carmelitanæ. 303.

3. Vtrum S. Euphraſia Virgo fuerit alūna religionis Carmelitanæ. 306.

4. Vtrum S. Euphroſyna Virgo fuerit alumna Religionis Carmelitanæ. 309.

5. Vtrum S. Angela, Regis Bohemię filia fuerit alumna Religionis Carmelitanæ. 311.

QVAESTIO XVI.

De primis Generalibus reſtaurati Carmeli. 317.

Artic. Vtrum S. Bertholdus fuerit Reſtaurator Carmelitanæ Religionis. 318.

2. Vtrum S. Brocardus fuerit Legiſlator Carmelitanę Religionis. pag. 321.

3. Vtrum S. Cyrillus Conſtantinopolitanus fuerit præſcius expulſionis Carmelitanæ religionis de Terra Sancta. 324.

4. Vtrum B. Bertholdus fuerit ampliator religionis Carmelitanæ extra Paleſtinam. 326.

5. Vtrum B. Alanus fuerit propagator religionis Carmelitanæ in Europa. 329.

6. Vtrum S. Simon Stoch fuerit protector Religionis Carmelitanæ contra ęmulos. 332.

7. Vtrum B. Nicolaus Gallicus fuerit zelator primariæ ſolitudinis Carmelitanæ. 335

QVAESTIO XVII.

De Sanctis, & Illuſtribus Viris Carmelitanæ Religionis. 338.

Artic. Vtrum in Religione Carmelitana toto tempore decurſus illius fuerint Sancti, & Sanctæ. 339.

2. Vtrum in Religione Carmelitana fuerint celebres aliqui Doctores. 342.

3. Vtrum S. Angelus Carmelita Ieroſolymitanus ſit verè martyr. pag. 345.

4. Vtrum S. Albertus Carmelita cœlitus fuerit canonizatus. 348.

5. Vtrum S. Petrus Thomas Carmelitanæ Religionis alumnus ſit verè martyr. 351.

6. Vtrum S. Andreas Carmelita fuerit inſtinctu diuino aſſumptus in Epiſcopum Feſulanum. 354.

7. Vtrum conuerſio Beati Franci Carmelitæ fuerit miraculoſa. 356.

QVAESTIO XVIII.

De alumnis Carmelitanæ Religionis Eccleſiæ Prælatis. 359.

Artic. Vtrum Benedictus XII. Pontifex Maximus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. 359.

2. Vtrum ex alumnis Carmelitanæ Religionis aſſumpti fuerint aliqui S.R.E. Cardinales. 363.

3. Vtrum in quatuor Eccleſijs Patriarchalibus fuerint aliqui Præſules ex alumnis Carmelitanæ Religionis. 366.

4. Vtrum ex alumnis Carmelitanæ religionis aſſumpti fuerint plures Archiepiſcopi, & Epiſcopi. 368.

5. Vtrum ex Doctoribus Eccleſie aliqui fuerint alumni Religionis Carmelitanæ. 374

Digitized by Google

QVAESTIO XIX.

De Cæleſtibus priuilegijs Carmelitanę religionis. 376.

Artic. VVtrum Ieſus & Maria acceſſerint aliquando ad montē Carmelum, religioſos Carmelitas inuiſuri. 377.
2. Vtrum Carmelitæ fuerint primi qui conceptionem Immaculatam Beatę Virginis Mariæ celebrauerint, ipſis reuelatam, 380.
3. Vtrum conceſſum fuerit à Beatiſsima Virgine Sacrum Scapulare S. Simoni Stoch, & toti Carmelitano Ordini. 385.
4. Vtrum verè conceſſum fuerit à Beatiſsima Virgine priuilegium Bullæ Sabbatinæ Ordini Carmelitano. 389.

QVAESTIO XX.

De ſingulari cultu Religionis Carmelitanæ erga Beatiſſ. Virginem Mariam. 397.

Artic. VTrum Religio Carmelitana ſpecialitèr inſtituta fuerit ab Elia in obſequium Beatiſsimæ Virginis Mariæ. 397.
2. Vtrum Religioſi Carmelitæ primi omnium B.V. Mariæ iam mortuæ ſacellum dedicauerint. 399.
3. Vtrum religio Carmelitana de iure titulo Beatiſsimæ Virginis Marię de monte Carmelo inſigniatur, velut ipſi ſpecialitèr dicata. 403.
4. Vtrum aliàs Carmelitæ iuſto titulo ſacræ domus Lauretanæ adminiſtrationem obtinuerint. 409.
5. Vtrum Carmelitæ ſpeciali veneratione ſacram Beatiſsimæ Virginis Mariæ familiam ſemper coluerint. 412.

QVAESTIO XXI.

De nominibus Carmelitanæ Religionis. 414.

Artic. VTrum Carmelitæ in antiqua lege meritò fuerint nominati Prophetæ. 414.
2. Vtrum Carmelitæ in antiqua lege meritò fuerint nominati filij Prophetarum. 417.
3. Vtrum Carmelitæ in antiqua lege meritò fuerint nominati Rechabitæ. 415.
4. Vtrum Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati fuerint Eſſeni, & Aſsidæi. 421.
5. Vtrum Carmelitæ poſsint vocari Fratres, Beatiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo. pag. 423.
6. Vtrum Carmelitæ ſub finem legis gratiæ meritò nominati fuerint diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ. 426.
7. Vtrum Carmelitę poſsint meritò ſic a monte Carmelo denominari. gag. 428.

QVAESTIO XXII.

De Habitu Carmelitanæ Religionis. 430.

Artic. VTrum habitus regularis primitiuorum ſit melota fuſci coloris. 430.
2. Vtrum Carmelitæ primitiui fuerint præcincti zona pellicea. 432.
3. Vtrum Carmelitæ primitiui ab initio Scapulare paruum geſtauerint. 435.
4. Vtrum Carmelitæ primitiui fuerint amicti capucio. 437.
5. Vtrum Carmelitæ primitiui fuerint ſuperinduti pallio albo. 439.
6. Vtrum Carmelitæ primitiui ſub

Elia

Digitized by Google

Elia nudis pedibus incederent. pag. 442.
7. Vtrum Carmelitę primitiui, tam in antiqua quàm in noua lege baculum geſtarent. 445.

QVAESTIO XXIII.

De Regula Carmelitanæ Religionis. 447.

Artic. Vtrum Regula primitiua religionis Carmelitanæ ſit ab Elia Propheta eius Patriarcha. pag. 447.
2. Vtrum Regula Carmelitarum primitiua ſit tantùm vna, & ſimplex. 449.
3. Vtrum Regula Carmelitana, prout ab Innocentio IV. confirmata, poſsit dici mitigata. 452.
4. Vtrum Regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. mitigata, multum differat a Regula primitiua. 457.

QVAESTIO XXIV.

De mitigatione Religionis Carmelitanæ. 461.

Artic. Vtrum mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ex generali condtione humana. 462.
2. Vtrum mitigatio relgionis Carmelitanę ſucceſſerit ex relaxatione in paruis. 464.
3. Vtrum mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ex nimia Superiorum tolerantia. 466.
4. Vtrum mitigatio religionis Carmelitanę ſucceſſerit ex nimia occupatione in externis. 469.
5. Vtrum mitigatio religionis Carmelitanę ſucceſſerit ex occaſione ſchiſmatum Eccleſiæ. 471
6. Vtrum mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ob tranſmigrationem ipſius ab Oriente in Occidentem. 474.

QVAESTIO XXV.

Da Reformatione Religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam. 476.

Artic. Vtrum S. Thereſia a Ieſu ſit Reformatrix religionis Carmelitanæ in Diſcalceatis. 476.
2. Vtrum Reformatio Carmelitanę religionis per S. Thereſiam fuerit Diuinitùs pronunciata. 479.
3. Vtrum Reformatio Religionis Carmelitanæ per S. Thereſiam facta ſit expreſſo Dei mandato. 481.
4. Vtrum primitiuæ Carmelitarum regulæ in Diſcalceatorum religione noui rigores fuerint ſuperadditi. 483.

QVAESTIO XXVI.

De inclytis aliquot alumnis Thereſianæ reformationis. 486.

Artic. Vtrum V. P. N. Ioannes a Cruce poſſit dici reformator religionis Carmelitanæ. 486.
2. Vtrum V. M. Catharina de Cardona verè fuerit alumna religionis Carmelitanæ. 489.
3. Vtrum V. P. Dominicus à Ieſu Maria Carmelita Diſcalceatus fuerit Author miraculoſus Victoriæ Pragenſis. 491.
4. Vtrum V. P. Dionyſius a Natiuitate Carmelita Diſcalceatns poſsit declarari martyr. 495.

QVAE-

INDEX

QVAESTIO XXVII.

De miſsionibus Carmelitarum Diſcalceatorum pro conuerſione Hereticorum, & Schiſmaticorum. 498.

Artic. VTrum Carmelitæ Diſcalceati inſtitutionem Sacræ Congregationis de propaganda fide promouerint. 498.

2. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur Græcorum conuerſioni. 500.

3. Vtrũ Carmelitę Diſcalceati cooperentur conuerſioni Armenorũ. pag. 505.

4. Vtrũ Carmelitę Diſcalceati cooperentur conuerſioni Niſtorianorum. 505.

5. Vtrũ Carmelitę Diſcalceati cooperentur conuerſioni Syrorum Iacobitarum. 516.

6. Vtrũ Carmelitæ Diſcalceati cooperati fuerint reductioni Chriſtianorum S. Thomæ. 519.

7. Vtrũ Carmelitę Diſcalceati cooperentur conuerſioni Arianorum. pag. 521

8. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati fuerint omnium primi, qui hoc ſæculo publicam in Hollandia habuerint Eccleſiam. 526.

QVAESTIO XXVIII.

De Miſſionibus Carmelitarum Diſcalceatorum pro conuerſione aliorum Infidelium. 531.

Artic. VTrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Sabeorum ſeu Chriſtianorum Sancti Ioannis. 532.

2. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati fuerint omnium religioſorum primi publica Pontificis Maximi authoritate in Perſidem miſſi. 535.

3. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Mahometanorum. 538.

4. Vtrum Carmelitę Diſcalceati cooperentur conuerſioni Gentilium. 545.

5. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati omnium religioſorum primi fidem Chriſti in Regno Congo prædicauerint. 547.

QVAESTIO XXIX.

De Priuilegijs Carmelitarum Diſcalceatorum. 550.

Artic. VTrum Carmelitę Diſcalceati ſint penitus exempti a iuriſdictione aliorum Carmelitarum. 550.

2. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati gaudeant iiſdem priuilegijs, quibus alij Carmelitæ. 559.

3. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habeant priuilegium non eundi ad publicas proceſſiones. 563.

4. Vtrum Carmelitę Diſcalceati gaudeant eodem antiquitatis ordine, quo alij Carmelitæ. 565.

QVAESTIO XXX.

De alijs priuilegijs & prærogatiuis Carmelitarum Diſcalceatorum. 567

Artic. VTrum Summi Pontifices plura alia priuilegia Religioni Carmelitanæ conceſſerint. 568.

2 Vtrum Summi Pontifices plura conceſſerint priuilegia Carmelitis Diſcalceatis miſſionarijs. 569.

3. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum S. Auguſtini. 572.

4. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati ha-

habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum Sanctiſsimæ Trinitatis Hiſpanicæ Congregationis. 574.

5. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Reformatorum conuentualium Sancti Franciſci. 578.

6. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica directionem Congregationis de Scholis pijs. 579.

7. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authortate Apoſtolica regimen maioris Camaldulæ. 580.

8. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum Sanctiſsimæ Trinitatis, Gallicæ Congregationis Romę exiſtentium. 582.

9. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Congregationis Beatæ Mariæ montis Virginis. 584.

10. Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Religionis Miniſtrantium infirmis. 585.

11. Vtrum Carmelitis Diſcalceatis fuerit aliquando commiſſa Viſitatio Apoſtolica omnium miſſionum in Aſia exiſtentium. 587.

PROTESTATIO AVTHORIS.

VT perfectè Summi Pontificis voluntati ſatisfaciam; declaro me in hoc opere, dum per occaſionem de aliquibus Viris Illuſtribus noſtræ Religionis nondum canonizatis miras res geſtas propono, non intendere vllam ipſorum beatificationi viam ſtruere, aut Prælatorum Sanctæ Eccleſiæ præuenire iudicium; ſed cuncta ſolùm vt Theologus refero, & in publicum edo ad Dei Optimi Maximi glorificationem, ad honorem noſtræ Religionis, & ad religioſarum virtutum æmulationem, ſingula S.R.E. iudicio decretiſque ſubijciens.

Digitized by Google

APPROBATIO HVIVS LIBRI.

TOmum, cui titulus *Theologia Carmelitana &c.* iubente Reuerendiſsimo P.Hyacintho Libelli Sacri Palatij Magiſtro, Vidi, reuidi, legi, perlegi; nec in eo quidquam deprehendi vel ſanæ doctrinę, vel bonis aduerſum moribus; quinimò Authoris zelum non vulgarem in ſcribendo grauitatem & modeſtiam loquitur. Quare cenſeo haud inconſultum iri, ſi in publicam prodeat lucem. Datum Romę in Collegio Sancti Iſidori Fratrum Hibernorum ſtrict. obſcripta die 21. Maij 1665.

Fr. Franciſcus Molloy Lector Iubilatus.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro.

O. A. Patrac. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hiacynthus Libellus Magiſter Sacri Palatij Apoſtolici.

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIA CARMELITANA SIVE APOLOGIA SCHOLASTICA RELIGIONIS CARMELITANAE

Pro tuenda ſuæ nobilitatis antiquitate.

QVAESTIO PRIMA.

De votis, & ſtatu Religionis Antiquę Legis.

HANC præmittimus quæſtionem, quaſi procemialẽ, & fundamentalem huius operis Cũ enim aduerſarij noſtri Carmelitanæ Religionis antiquitatẽ impugnantes, eo principaliter vtãtur fundamento, quòd perfectio ſtatus Religioſi, ſicut & votorum eſſentialium ipſius, non poterat conuenire imperfectioni legis illius; opus fuit, tam poſſibilitatem, quàm exiſtentiam eorum oſtendere ſub illa lege, vt pòſtea facilius noſtræ Religionis Carmelitanæ fundationem, & continuatam per nouem ſæcula ſucceſſionem hæreditariam ſub eadem lege monſtraremus. Circa vota igitur & ſtatum Religionis Antiquæ legis quæruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum in lege ſcripta fuerit votum perpetuum obedientiæ Religioſę.

¶ Secundo, vtrum in lege ſcripta fuerit votum Virginitatis, & Caſtitatis perpetuę.

¶ Tertio, vtrum in lege ſcripta fuerit

A votum

votum perpetuum paupertatis Religioſæ.

¶ Quarto, vtrum in lege ſcripta fuerit aliqua vera Religio monachalis cum votis eſſentialibus.

Articvlvs I.

Vtrum in lege ſcripta fuerit votum perpetuum obedientiæ religioſæ.

AD Primum ſic proceditur: videtur quòd in lege ſcripta non fuerit votum perpetuum obedientiæ religioſæ. Probatur authoritate Sancti Hieronymi dicentis, quòd obedientia voto firmata, qua quis perfectè ſequitur Chriſtum, propria eſt Apoſtolorum atque credentium: Ergo in lege ſcripta ante Chriſtum non fuit votum perpetuum obedientiæ religioſæ.

¶ 2. Præterea: Conſilia Euangelica non fuerunt ante Euangelium; propterea enim dicuntur Euangelica, quia ſimul cum Euangelij prædicatione cœperunt: Sed votum perpetuum obedientiæ religioſæ eſt vnum, & pręcipuum ex conſilijs Euangelicis, nam ponitur primum inter cętera: Ergo in antiqua lege ſcripta, quæ præceſſit Euangelium, non fuit votum perpetuum obedientiæ religioſæ.

¶ 3. Præterea: Antiqua lex ſcripta nihil ap perfectum adduxit, vt ait Apoſtolus ad Hebræos 11. Vnde tempus illius ab eodem Apoſtolo ad Galatas 4. dicitur tempus infantiæ, ſic enim habetur; *Ita & nos cum eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes*: Sed votum obedientiæ religioſæ perpetuum eſt perfectiſſimum, imò aliorum præſtantiſſimum multis titulis: Ergo in antiqua lege ſcripta non fuit votum perpetuum obedientiæ religioſę.

SED CONTRA eſt authoritas omniū illorum, qui in lege ſcripta docent fuiſſe ſtatum religioſum cum fundamento Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum.

Conclvsio.

Cum in lege ſcripta fuerit verus ſtatus religioſus, fuit in ea votum perpetuum obedientiæ religioſæ. Et ſi non ſolemne ſicut in Euangelica.

RESPONDEO dicendum, quòd in lege ſcripta fuit votum perpetuum obedientiæ religioſæ, & ſi non ſolemne ſicut in Euangelica. Ad cuius euidentiā ſciendum eſt, quòd tria ſunt vota, quæ dicuntur eſſentialia ſtatus religioſi propterea quia ſine illis non poteſt ſubſiſtere, ſcilicet vota obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis: Votum obedientiæ eſt inter alia præcipuum, titulis pluribus, ſed duobus maximè; primo quidem, quia per illud primariò, & principaliter ſtabilitur quælibet religioſa congregatio cū ſubordinatione, ac dependentia ſubditorum a ſuperiore proprio, quaſi membrorum a ſuo capite; ſecundo autem, quia per votum obedientiæ datur Deo ipſiuſque miniſtris, quod eſt in homine pretioſius, & carius, tam Deo, quam homini, nempè propria voluntas ſiue libertas: Cū tamen per votum caſtitatis ſolum corporis bonū, & per votū paupertatis externa tantùm bona fortunæ Deo conſecrentur.

Probatur concluſio multiplici authoritate. Numerorum capite 30. dicitur: *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſerit implebit*. Hunc locum ſeptuaginta interpretes ſic habent: *Homo, homo quicumque vouerit votum Domino, aut iurauerit iuramentum, aut diffinierit diffinitione de anima ſua*: Sanctus Auguſtinus tomo 4. q. 56. in Numer. & Origenes homilia 24. in eundem librum intelligunt de voto obedientiæ nazarœorum perpetuorum, qui fuerūt Filij prophetarum: Origenes enim loco citato ſic ait; *Ille verò, qui appellatur Nazaræus ſemetipſum vouet, hoc eſt votum Nazaræi, quod eſt ſuper omne votum, ſemetipſum Deo offerre, nec alieno labore, ſed proprio placere, perfectius eſt cęteris omnibus votis,* quod

Digitized by Google

quod qui facit imitator eſt Chriſti. Noſter Thomas Vualdenſis tomo 1. lib. 3. Doctrin. fidei ar. 2. cap. 23. ſic ait: *Sed vt accedamus proprius ad votum obedientiæ regularium perfectorum, occurrit nobis lex Domini numerorum 30. dicens Si quis virorum &c.* Et ideò notatur ab vtroque Doctore (Auguſtino, & Origene) quòd hæc voti poſſeſſio non in rem vilem contingit, & extrinſecam facultatem, ſed in animam hominis, quæ dicitur homo interior; ita vt nihil reſeruet homo propriç poteſtati, quando etiam animam ſuã, & voluntatis arbitrium per voti poſſeſſionem Domino dedicauit, quod propriũ eſt voti obedientiæ. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus homilia 24. in Matthæũ ait: *Perpende fidem, & obedientiam vocatorum, cuncta illicò relinquentes fecerũt, quod Eliſæus quoque ſub Elia legitur impleſſe: Talem quippe obedientiam a nobis Chriſtus efflagitat*. Dionyſius Carthuſianus in lib. 3. Regum cap. 19. ar. 28. ſic ait de S. Eliſæo Propheta: *Quo facto monſtrauit, ſe nolle ad priſtinum reuerti officium, ſed Eliæ inſeparabiliter adhærere, ſub obedientia tanti vatis viuendo.* Abulenſis in 3. Regum 19. q. 24. ſuper illud Eliſęi, *Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te*, ſic ait: *Putauit quòd non poterat iam aliquid agere contra præceptum Eliæ.* Abraham Bzouius in illud Ieremiæ 35. *non bibemus vinum &c.* ait Theſ. Deip. Sermone 34. *Quod verè præceptum votum fuerit, quo illos ligauerat pater ſuus, apud Patres pluſquam clariſſimum eſt*; quia illa obligatio grandis in dicto loco adducta, vt expendit ibidem Cornelius a Lapide, non poteſt fundari in ſolo præcepto Ionadab, Secluſo voto Diſcipulorum. Ex quo etiam habetur authoritas citata Cornelij a Lapide pro noſtra concluſione. Salianus ad annum mundi 3138. numero 12. ſic S. Eliam noſtrum inducit alloquentem alumnos ſuæ religionis ante raptum: *Habetis Eliſaeum diſciplinae religioſae praepoſitum, ac magiſtrum, cui ſecundum Deum obtemperabitis quicumque in Carmelo, & Bethel, & in Galgalis, & in Ayoth, & ad Iordanem, & in Gabaa, caeteriſque locis diuinae militiae, & religioſç profeſſionis nomen dediſtis; in eius manibus vota veſtra offeretis Deo. Ergo quam cępiſtis caſtè ac religiosè vitam agere, eodem ductore conſtanter ad mortem vſque ducere perſeuerabitis.* Robertus Epiſcopus Arboricẽſis de tuendo ſacro cœlibatu to. 2. ait: *Voti obediẽtiæ antiquiſſimum inſtitutum liquidò demonſtratur; conſtat filios Prophetarum olim appellatos, in quos ipſi prophetæ ius paternũ exercerent eos eruditione inſtituendo & moribus; erat ergo Pater ſpiritualis is, quem hodie Abbatem vocamus: Sicque ab eo tempore in hanc vſque ętatem deducta eſt ſpiritualium filiorum ſelecta, ac verè monaſtica obedientia, cui pręſtandæ obnoxij erant ii, qui filii dicebantur prophetarum; non eſt ergo recens inuentum obedientię monaſtię aut res, aut nomẽ, nã de ea ſpeciatim loquimur.* Noſter Thomas Beauxamis ad caput 3. Matthei tomo 1. ſic ait de Eſſenis: *Hi demum ſe voto alligant Deo, curatori* (ſiue ſuperiori) *& conſortio, & principibus, cętera abiurantes*. Franciſcus Somnius Buſcoducenſis in demonſtratione Euangelica cap. 16. ſic ait: *In hac perfecta obedientia Filij itidem prophetarum illuſtres facti ſunt in ſcripturis, quòd abnegata propria voluntate ſubdiderãt ſe per omnia vnius obedientię, qui in ſpiritu prophetico cęteris clarior erat, idque in admiranda rerum indigentia, & vitę abſtinentia, vt legere eſt 4. Regum: in nouo autem Teſtamento ante omnes claruerunt hac perfecta obedientia fidei noſtrę duces, qui dimiſſis omnibus &c.*

Secundò probatur ratione: In antiqua lege ſcripta fuit aliqua vera religio, vt dicetur articulo 4. huius primę quæſtionis, & alibi: Ergo etiam tunc fuit votum perpetuum obedientię religioſæ, quia ſine voto perpetuo obedientiæ religioſæ non poteſt eſſe religio vera, quæ conſiſtit in ſtabili, & firma ſubordinatione ſubditorum ad ſuum ſuperiorem, ſtabilitas autem, & firmitas non habetur niſi per votum aut iuramentum, quod includit votum. Deinde: In lege ſcripta fue-

Digitized by Google

uetunt. ex vna parte vota perpetua; vt conſtat ex illo Geneſis 28. vbi habetur quòd Iacob vouit votum dicens, *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, quam ego ambulo &c. erit mihi Dominus in Deum*; Item conſtat ex ſcriptura fuiſſe Nazareos perpetuos, qui voto perpetuo, & abſolutò tenebantur ad abſtinentiam vini &c. Ex alia verò parte reperimus in ſacra Scriptura tempore legis ſcriptę viros inſignes, qui perpetuam obſeruarunt obedientiam, quales fuerũt diſcipuli Elię (Et idem dicendum de perpetua caſtitate, ac paupertate) Ergo in lege ſcripta fuit votum perpetuum obedientiæ religioſæ, quia admiſſa poſſibilitate voti perpetui, ſicut & perpetua rerum, ſeu virtutum obſeruantia, neceſſariò neceſſitate morali videntur admittenda vota circa materiam talium virtutum, nam vt ait D. Thomas 2.2. q.186. ar. 6. ad 2. *non aliter homo poteſt totam vitam ſuam Deo exhibere, niſi per voti obligationem*, cuius rationem adducit Suarez tomo 3. de Religione lib. 2. cap. 3. dicens; *Cum hoc ſit de re valde difficili, & de ſe non neceſſaria, ſed voluntaria, niſi aliquo morali vinculo firmata ſit, facile fluctuabit*: Quę ratio alibi amplius expendetur.

Ad Primum ergo dicendum, quòd in lege ſcripta fuit fides in Chriſtum venturum: Vnde aliqui præcipui ex credentibus in ipſum potuerunt habere, & de facto habuerunt obedientiam voto firmatam; Et idem dicendum de alijs conſilijs Euangelicis, vt ampliùs modo declarabitur: In tota tamen ſua perfectione fuit propria Apoſtolorum, atque credentium in lege gratiæ ex S. Hieronymo.

Ad Secundum dicendum, quòd ſicut ad perfectionem completam ſtatus religioſi neceſſarium fuit, vt haberet Chriſtum Dominum, tanquam Principem, ac Ducem, expreſsè, & manifeſtè propoſitum; Sic etiam hoc fuit neceſſarium ad perfectam obſeruantiam conſiliorum Euangelicorum ſtatui religioſo eſſentialium; quę propterea dicuntur Euangelica quantùm ad hanc completam perfectionem, & vniuerſalitatem; quamuis pręceſſerint Euangelium quantùm ad inchoatam, & eſſentialem ſui perfectionem; non enim ante fuerunt communiter promulgata, quàm Chriſtus illa exercuit, & prędicauit.

Ad Tertium dicendum ſimiliter, quòd procedit de completa, & omnimoda perfectione conſiliorum Euangelicorum; quam non concedimus legi ſcriptæ, ſed tantùm inchoatam: Et ſic intelligendus eſt Apoſtolus, ſi in his locis poſſit exponi de operibus fidei; nam ibi videtur eſſe tantùm intelligendus de operibus, & ſacramentis illius legis. Circa dicta, & dicenda in ſequentibus articulis nota, quòd ex Auguſtino tract. 2. in 1. Ioannis firmitas fidei in eo eſt, quia omnia, quæ euenerunt in Chriſto prædicta ſunt; & vt ait in pſalmum 93. *Non ideò fecit Chriſtus, quia Propheta prædixerat; ſed ideò Propheta prædixit, quia ille facturus erat*: vnde non mirum, quòd ex prædictione, ac infallibili præuiſione mouerẽtur Sancti Veteris Teſtamenti ad imitandum exempla virtutum Chriſti venturi, ex qua imitatione ſanctificarentur; vnde S. Ireneus lib. 4. cap. 12. loquens de Abraham ait; *Iuſte derelinquens terrenam cognationem omnem, ſequebatur Verbum Dei, cum Verbo peregrinans, vt cum Verbo moraretur*. S. Gregorius exponens illud Iob 33. *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, viam eius cuſtodiui, & non declinaui ex ea*, ſic ait libro 16. moral. cap. 16. *Cuius nimirum* (ſcilicet Chriſti præuiſi) *vitam dum Beatus Iob ſuperno ſpiritu repletus ſolicita intentione conſpiceret, futuram manſuetudinis illius humilitatem prauidens, quaſi ad exemplum ſibi propoſitum recurrit, vt quicquid in hac vita ageret, ad imitationem illius veſtigia ligaret*. Quod fuit verum, non ſolùm in exercitio præceptorum, ac virtutum communium, quę ſunt via Domini; ſed etiam in obſeruantia conſiliorum Euangelij, quæ ſunt ſemitæ Domini, iuxta illud pſalmi 16. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis*: quod ſic iuxta Gloſſam Interlinearem exponit

Digitized by Google

nit Hugo à S. Victore in Pſal. cap. 20. *Semitæ Dei ſunt ſtrictiora mandata in quibus pauci ambulare poſſunt.* De vtroque ſic ait Beda libro de Templo Salomonis capite 11. dicens: *Fuerunt & in lege, & ante ſcriptam legem plurimi, qui legaliter Domino deſeruirent, non occidentes, non fornicantes, non furtum facientes, non falſum teſtimonium loquentes, honorantes patrem & matrem, & diligentes proximos ſicut ſeipſos; hi ad parietes porticus lapideos pertinebant: Fuerunt alij, qui maiori perfectione relictis mundi negotijs, & aſſumpta cruce ſua ſequebantur Dominum; qui, vt Apoſtolus ait, ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Hi qui ante manifeſtata tempora Euangelij vitam duxere Euangelicam, quid niſi ante ingreſſum Templi tabulata cedrina in porticu fulgebant.* Prophetæ igitur omnia de Chriſto, per Chriſtum cuncta loquuntur, vt ait Tertull. lib. 1. de Carm. cap. 3. iuxta illud Act. 10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent; referentes ſcilicet mirabilem eius vitam, & heroicas virtutes, præſertim Euangelicas:* De eius obedientia habetur pſalmo 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* De eius paupertate habetur Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator; ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſini, &c.* De eius virginea Caſtitate fuit traditio, quę creditur fuiſſe reuelata noſtro Eliæ ſimul cum virginitate Matris ipſum parituræ; qui de his inſtructus mandato Dei collegit diſcipulos, vt Chriſtum in his conſilijs imitarentur: & quia immobilitas ſequelę Chriſti firmatur per votum, ex D. Thoma tria eſſentialia religionis vota ipſe primus opere adimpleuit, & ſuis Diſcipulis adimplenda propoſuit. Vnde noſter Ieroſolymitanus ait de Inſtit. Monachorum cap. 16. *Elias ſtuduit ſecundùm formam per Deum ſibi traditam pellere coram eis frugalitate paupertatis, vti abſtinentia parcimoniæ, domare concupiſcentias carnis, nitere candore caſtitatis, abnegare libertatem voluntatis, vitare tumultum plebis, & ardere feruore Charitatis.* S. Baſilius in Iſaiæ cap. 3. ait: *Nonnulli ſunt pauperes beati dicti, qui ardore tuendæ religioſæ paupertatis omnia contempſerunt; & eiuſmodi erat pauper ille Ioannes, eiuſmodi & Elias.* S. Gregorius Nazianzenus Carm. Iamb. 18. dicit quòd Elias fuit pauperum pauperrimus. S. Ioannes Chryſoſtomus hom. 2. ad populum Antiochenum ait: *Quid Elia pauperius? ſed propterea omnes diuites vincebat, quoniam pauper hic erat; ipſam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit, quoniam enim omnem pecuniarum copiam animi ſui magnitudine eſſe putauit inferiorem, nec Philoſophia ſua dignam; ideò tantam paupertatem amplexatus eſt, quòd ſi magna præſentia putaſſet, non ſolam melotem poſſediſſet.*

Articvlvs II.

Vtrum in lege ſcripta fuerit Votum Virginitatis, & Caſtitatis perpetuæ.

AD Secundum ſic proceditur. Videtur, quòd in antiqua lege non fuerit votum Virginitatis, & Caſtitatis perpetuæ. Ita tenet Suarez tom. 2. de Religione tract. 7. lib. 3. cap. 1. quem alij ſequuntur. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Exodi 23. dicitur; *non erit infæcunda, nec ſterilis in terra tua.* Deuteromij 7. *non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus.* Et cap. 25. vbi habetur; *Sic fiet homini, qui non ædificat domū fratris ſui:* legitur apud S. Auguſtinum, & S. Ioannem Damaſcenum; *maledictus omnis, qui non ſuſcitauerit ſemen in Iſraël.* Ex quibus ſic infert idem Auguſtinus: *Ex quo colligitur, primis temporibus generis humani, maximè propter Dei populum propagandum, per quem, & prophetaretur, & naſceretur Princeps,*

ceps, & Saluator omnium populorum; vti *debuiſſe Sanctos iſto, non propter ſe expetendo, ſed propter aliud, neceſſario bono nuptiarum*. Et D.Thomas 3. p.q. 28.art.4. ait: *Tempore legis oportebat generationi inſiſtere, tàm mulieres quàm viros, quia ſecundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Chriſtus naſceretur*. Subdit quòd Beata Virgo non fecit votum abſolutum Virginitatis antequam nuberet S. Ioſeph. Et ad 1. dicit, quòd fecit illum conditionatum, ſi Deo placeret; quia videbatur lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram. In 4. Sentent. d. 49. q. 3. quæſtiun. 1. ait; *non erat omninò laudabile à commixtione carnis abſtinere*. Vnde concluditur, quòd non erat licitum in antiqua lege ſeruare Caſtitatem, & Virginitatem perpetuam, & multò minus vouere.

¶ 2. Præterea: Sãctiſsima Virgo Maria fuit prima, quæ voto perpetuo Virginitatem Deo vouit, vt cõmuniter docent Sancti Patres, & Doctores: vnde aliqui vocant eam Reginam Virginum, alij Primiceriam, Primipilam, Principem, Magiſtram, Matrem, Primitias, Ducem, Exemplar, Gloriam, Honorem, & Prototypum Virginitatis; alij vocant Virginem virginum, quæ non habuit quem imitaretur in ſuo voto. S. Bernardus citatur in libro de Paſſione Domini capite 31. Et homilia 4. ſuper miſſus eſt, dicens: *Ipſius quoque propoſiti nouitas euidentèr illuſtrat, quòd videlicèt in libertate ſpiritus, legis moſaicæ decreta tranſcendens, illibatam Deo corporis, & ſimul ſpiritus ſanctimoniam vouit*: Ergo in antiqua lege non fuit votum virginitatis, & caſtitatis perpetuæ. Maximè quia Beatiſsima Virgo ſolùm à Patribus exaltatur vt prima in voto virginitatis: ac proinde debet intelligi prima in ordine temporis & exequutionis, & non tantùm in ordine intentionis, ac in genere cauſæ finalis exemplaris, & excellentiæ; poſſet enim hac via dici prima humilis, obediens &c. cum ſit exemplar ſingularum virtutum, & in qualibet excellentiſsima.

3. Præterea: Refertur teſtimonium S. Bartholomæi Apoſtoli in libro Abdiæ Babylonici vnius ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis Chriſti, quem Vuolfangus Lazius in lucem edidit ſub hoc titulo; Hiſtoria certaminis Apoſtolici, in quo ſic ait Apoſtolus de Beatiſsima Virgine Maria: *Hæc autem Virgo cum execraretur omnem virum, & ipſa ſeruandæ virginitatis votum prima Deo Omnipotenti vouit. Primam autem ideò dixi, quia ex quo homo factus eſt ab initio ſæculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc Virgo prima inter fœminas hoc conſtituit in corde ſuo, vt diceret. Domine offero Tibi virginitatem meam, cum hoc à nullo homine, nec verbo didiciſſet, nec exemplo ad imitationem videlicet inuitata conſtituiſſet, vt virgo pro amore Dei ſpecialiter permaneret*. Hoc teſtimonium admittunt abſolutè aliqui authores, & ex parte S. Bonauentura.

SED contra eſt authoritas illorum Patrum, & Doctorum, qui in antiqua lege verum agnoſcunt Monachatum, & traditio noſtræ Religionis Carmelitanæ.

CONCLVSIO.

Cum in antiqua lege verus fuerit Monachatus, in ea fuit votum Virginitatis, & Caſtitatis perpetuæ, licèt non ſolemne quemadmodum nunc.

RESPONDEO dicendum, quòd in antiqua lege fuit votum virginitatis, & caſtitatis perpetuæ in viris, licèt non ſolemne, quemadmodum nunc. 2. Et eſt probabile quòd etiam fuerit in fœminis.

Probatur prima pars concluſionis in Nazaræis authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, & aliorum Doctorum. Numerorum 6. vbi de eorum inſtitutione agitur, ſic habetur; *Vir ſiue mulier, cum fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, &c.* qui locus clarior eſt apud ſeptuaginta iuxta correctionem Sixti V. ſic enim habet; *Vir, aut mulier quicunque magnè vouerit votum purificandi puritatem Domino*. Sic intelligit S. Ioannes Damaſcenus libro

Digitized by Google

libro 4. de fide cap. 25. vbi ait; *An non denique lex, ingens votum caſtitatem nuncupauit*. Et S. Ioannes Chryſoſtomus homilia 4. in Vig. Epiphan. dicens; *Nazaræi ſecundùm legem nuncupabantur, qui caſtitatem Deo inſigni voto mancipabant*: Et ſubdit; *Quia ergo totius Sanctitatis, & pudicitiæ author, & princeps Dominus Chriſtus eſt, non immeritò Nazaræus dictus eſt*. Auguſtinus Eugubinus in recognitione ad hunc locũ num. ait quòd vouere votum purificandi puritatem Domino, idem eſt ac caſtitatem voucrit Domino. Hugo Cardinalis in cap. 6. numerorum ait de Nazaræis, *In voto eorum multi erant articuli Religionis, &c. Amplexibus mulierum non vacabant*. Cornelius à Lapide in cap. 4. Thren. ait; *Nazaræi, ideſt ſeparati, conſecrati, ac coronati erant, qui ſe Deo deuouebant, à vino, & ſicera abſtinendo, comam non tondendo, multi etiam à mulieribus ſe continendo*, vt ait Epiphanius hæreſi 29. & S. Auguſtinus ſerm. 107. Claudius Eſpinerus Theologus Pariſienſis lib. 1. de continentia cap. 1. ſic ait: *In legibus naturæ, & ſcripturę, licet eæ fructificare, & multiplicari iuberent, laudabilem tamen Deoque acceptam, ne dum licitam fuiſſe virginitatem, exemplo fuerunt cælibes, & perpetuò virgines, Melchiſedech (quiſquis is fuerit) Ioſue, Ieptæ filia, Elias, Eliſeus, Hieremias, Daniel cum tribus concaptiuis, Eſdras, Razias, & plerique alij in Iudaiſmo Prophetæ Beatiſſimi, ſpirituales Eunuchi, Nazaræi quoque caſtitatis Deo magno, inſignique voto conſecratæ, ac mancipatæ. Sed notandum ex Abulenſe, Lyrano, Hugone, & alijs in hunc locum, quòd aliqui erant perpetui voto perpetuo conſecrati, alij verò temporales, ſeu ad tempus voto conſecrati*.

Probatur ſecundò de Eunuchis ſpiritualibus, de quibus dicitur libro Sapientiæ cap. 3. *Fœlix, & ſterilis, &c. Spado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit aduerſùs Deum nequiſſima; dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in Templo Dei acceptiſſima*. Et Iſaiæ 56. habetur, *Et non dicat Eunuchus; Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit*. Per hos Eunuchos ſpirituales communiter intelligunt Sancti Patres, & expoſitores eos, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Cœlorum per votum caſtitatis perpetuum tam in antiqua, quàm in noua lege. S. Epiphanius lib. 2. hæreſi 63. ait: *Elias, & Eliſeus, & Ioannes, & omnes, qui per magnam hanc formam imitationis Angelorum, rectè ſecundùm Euangelicam Domini ordinationem ſeipſos propter regnum Dei caſtrauerunt*. Anaſtaſius Sinaita lib. 99. in ſuo titulo q. 66. tit. 6. ait: *Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum, hi ſunt præclari Apoſtoli, atque deinceps fuerunt Virgines, & Monachi: Ioannes quidem, & Iacobus filij Zebedæi, & poſt illos quot millia monaſticam vitam agentia; ſicut Elias, & Daniel in veteri Teſtamento*. De Filijs Prophetarum ait noſter Ioannes 44. libro de Inſtit. cap. 34. *Seipſos Deo per virginitatem perpetuam ſpontè dedicantes, caſtrauerunt prorſùs venereis voluptatibus ſuas mentes*. Idem docet S. Ephrem Syrus, vt refert Salianus tomo 4. Annalium anno 3123. dicens: *Sanctus Ephrem Syrus Eliam, & Eliſeum, & Ioannem, & Apoſtolum Paulum in eorum numero recenſet, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum*. De Eſſenis, qui fuerunt in lege antiqua, & in principio legis gratię, ſic ait Solinus cap. 36. hiſtoriæ: *nullus admittitur, niſi quem caſtitatis fides, & innocentiæ meritum proſequatur; per fidem autem caſtitatis intelligitur votum caſtitatis*, iuxta illud S. Pauli 1. ad Timotheum 5. *Quoniam primam fidem irritam fecerunt*, ideſt promiſſionem, vt communiter intelligunt Expoſitores, & in Iure Canonico fides matrimonij idem eſt ac promiſſio matrimonij: Propterea Robertus Arboricenſis tomo 1. de tuendo Cælibatu in principio notab. 8. ait, *Ante Chriſti Aduentum emerſit certa aliqua profeſſio virorum, qui ſibi quiſque ſuiſque ſucceſſo-*

Digitized by Google

ceſſoribus perpetui cęlibatus legem indicerent atque imponerent: Et tomo 2. ait; *Eſſenorum familiam conſtat inſignis fuiſſe continentię, qualis eſt quę ordini monaſtico congruit, hęc autem eſt voto perpetuo firmata*. Bachonius autem dicit, quòd ducentes vitam ſine vxore perpetuæ ſe continentiæ mancipabant: quod idem eſt ac perpetuam continentiam, aut virginitatem vouere, vt docet Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 6. ſect. 3. Vaſquez ibidem diſp. 124. cap. 5. & Caniſius lib. 1. de Deipara cap. 14. Sed hic expreſſius loquitur numero 60. vbi cum dixiſſet S. Ioſeph perſuaſum a ſua Sponſa Virgine Sacratiſſima vouiſſe virginitatem ait; *Quid ni pręſtaret hoc iuſtus, quod Phariſei ad pręſcriptum tempus, & Eſſeni ea ętate in perpetuum obſeruabant:* Et Dominicus de Soto in 4. diſt. 30. q. 2. ar. 1. ait: *Ioſephus libro 14. Antiquit. & Solinus c. 48. referunt ante aduentum Chriſti Eſſenos Collegium in deſerto Iudeæ habuiſſe, & more noſtrorum Anachoretarum Sanctiſſimam degiſſe vitam ab vxoribus prorſus, & ab omni femineo conſpectu ſemotiſſimam; quorum inſtitutum ſecutus eſt Ioannes Baptiſta:* Conſtat autem, quòd tantus receſſus a mulieribus connotat votum perpetuę caſtitatis. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis libro 2. offic. cap. 18. ait: *Quæ ſit ſacra virginitatis integritas; vel a quo tam ſancti propoſiti ſtudium ſit exortum breuiter intimabo; quantum enim ad vetus attinet, Elias Ieremias, Daniel &c.* Sanctus Aldelmus carmine de Virg. ait; *Elias vates virgo ſacer fuerat, quod Daniel ſemper virgo floreſceret almus, qui nobis normam ſacratæ virginitatis imbuit:* Item ait; *Ieremias ab ipſa rudi cunabulorum teneritudine virginitati conſecratus:* Conſtat autem, quòd hæc tria Virginitas ſacrata, Virgo Sacra, & Virginitati conſecratus important votum perpetuum virginitatis, ipſo namque voto conſecratur, cum ſit actus virtutis religionis: Vnde ait S. Hieronymus ad Demetriadem Virginem, *Ex eo tempore, quo Virginitati perpetua conſecrata es, tua non tua ſunt*. Vualdenſis noſter tom. 3. de Sacram. ait; *Maria prima Virgo fęmina Prophetę Elię in virginitatis perpetuę voto ſucceſſit*. Clitoueus tomo 2. homilia 2. ait; *Virginitatis perpetuę ſeruandę votum ab Elia primo eius inſtitutore in primis actum habet.* Trithemius libro de laudibus Carmelitarum cap. 2. ait; *Fratres autem Carmelitę Sancti Principis Eliae inſtructi exemplo ad perpetuam ſe caſtitatem voto religionis obligant*. Salianus anno 3139. ſic loquentem inducit Eliam noſtrum, ſuis diſcipulis Carmelitis; *In manibus Eliſei vota veſtra offeretis Deo, quam ergo cæpiſtis, caſtè, ac religioſè vitam agere, eodem ductore conſtanter vſque ad mortem ducere perſeuerabitis.* Abulenſis in cap. 30. numer, q. 29. ait; *Dicendum eſt, quòd licet votum de caſtitate, aut virginitate, vel qualiſcumque obſeruatio illius rarò eſſet in veteri Teſtamento; aliquando tamen erat, vt ſupra declaratum eſt*. Ioannes Suarez Epiſcopus Conimbricenſis in Matthæi cap. 2. tit. 1. cum induxiſſet B. Virginem Mariam ſic Angelo reſpondentem; *Etſi ſim deſponſata, votum habeo virginitatis*: ſubdit; *Habebat enim exemplum in Elia, & Eliſeo* Et tit. 2. cap. 9. *licebat igitur, prout ex praecedentibus liquet, vota emittere, & caſtitatem ſeruare, qud ſemper laudabile fuit.* Ferdinandus de Vellufillo Epiſcopus in aduent. Theolo. ad S. Ambroſium q. 3. ait; *Licet aliqui ex Iudaeis vouerant* (ſcilicet caſtitatem) *ad prouidentiam Dei ſpectabat ne linea, per quam deſcendere debebat Chriſtus, deficeret*. AEgidius Camartus Generalis Minimorum in ſuo libro de rebus geſtis Eliæ Prophetæ ait; *Elias continentiæ ſtatum ſibi, & ſuis indixit*, conſtat autem, quòd non eſt ſtatus niſi per votum. Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 24. ſectione 6. & alii docent S. Ioſeph, & S. Ioannem Baptiſtam ante promulgationem legis Euangelicæ per Chriſti prædicationem vouiſſe virginitatem. Pater Valderrama in Theatro religionum ſermone de Sanctiſſimo Propheta Elia ait; *Cum voto tamen ſine dubio, Elias fuit primus, qui virginitatem ſeruauit, & docuit eam ſeruare in veteri Teſtamento ſuis religioſis; ſic docet*

cet

Digitized by Google

tet S. Iſidorus libro 2. de origine offic. cap. 43. S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & Caſſianus lib. 1. de Inſtitutione Monachorum cap. 1. Et quamuis iſti Sancti non dicant quod eam vouerit, habetur tamen pro certo, quod eam vouit, & eam vouerunt eius Religioſi. Ludouicus Tenas Epiſcopus Dertuſanus in ſermone S. M. Thereſiæ excuſſo Matriti anno 1615. ait; *Sacra Religio Carmelitana ſuum habet principiũ in Elia Propheta, qui fuit primus homo, qui caſtitatem vouit, vt inſert S. Hieronymus, & S. Iſidorus.* Petrus de Ribadeneira Auguſtinianus in ſermone S. M. Thereſiæ Matriti anno 1627. ait; *Elias fuit primus mortalium, qui in carne humana ſe Deo ſpontè, ac voluntarie conſecrauit in perpetua virginitate.* Et Honophrius Salt. in vita S. Honophrij Regis Anachoretę c. 18 ait; *Religioſus fuit Elias, & primus qui inter homines fecit votum caſtitatis.* Ex noſtris innumeri poſſent adduci, ſufficiat nunc Muñoz in propugnaculo Elię lib. 2. cap. 2. ar. 5. qui ſic ait: *Iſti igitur Religioſi primaui Eunuchi antiqui ſunt, & veteres Spadones; Rechabitæ, & Nazaræi, Eſſeni, ac Aſſidæi, qui conſiliorum ex voto obſeruationem colebant, ex quo Elias, & Eliſæus caſti, obedientes, & pauperes ex inſtituto voti diſciplinam monaſticam a Deo traditam induxerunt.*

Probatur Tertiò duplici ratione, qua veluti firma in alijs vtuntur aduerſarij noſtri. Prima ſic procedit: Virginitatem coluiſſe etiam perpetuam in antiqua lege plures Sanctos, eſt communis veterum Patrum, conſtanſque ſententia, vt ex ſupra dictis patet; vnde Hieronymus ait epiſtola ad Euſtochium, *Virgo Elias, Virgo Eliſæus, virgines multi filij Prophetarum*, quorum ſucceſſores Eſſeni teſte Ioſepho, & Filone, virginitatem aut caſtitatem perpetuam ſeruauerunt: ergo votum caſtitatis, aut virginitatis ſeruandæ emiſerunt; hac conſequentia quaſi moralitèr infallibili vtitur Suarez, & alij ad probandum quod Apoſtoli emiſerunt vota Religionis, & fundatur in ratione D. Thomę 2. 2. q. 88. art. 11. & q. 186. ar. 6. ad 1. vbi ait; *Hæc autem immobilitas ſequela Chriſti firmatur per votum, & ideò votum requiritur ad perfectionem Religionis.* Secunda ratio ſic proponitur ab Ouando in 4. d. 3. prop. 8. *Notum erat Iudæis tàm ex lege, quàm ex Prophetis, tam exemplo Iacob Geneſ. 28. quàm multorum, quòd vota Deo placebant, & quòd idem opus factum ex voto erat laudabilius, vtpote procedens ex voluntate magis firmata in bono: notum etiam erat eis Deo placere virginitatem, & caſtitatem, alioquin non illam ſeruaſſent, imò ex Iſaiæ 56. habetur laus Eunuchorum ſupra coniugatos, eorum videlicèt, qui ſe caſtrauerunt voluntate ſua propter Regnum Cælorum, non dicat Eunuchus &c. & Sapientiæ 3. Felix Spado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, dabitur enim ei fidei donum, &c. Quarè igitur ante aduentum Meſſiæ non ſe conformarent per votum etiam illis, qui caſtitatem, & virginitatem ſeruaturi erant poſt Meſſiam.* Eundem format diſcurſum P. Coſſerus è Societate, ſed breuius ſic: *Sciebant ex lege vidualem pudicitiam eſſe Deo admodum gratam, intelligebant quoque opus pium ex voto factum longè melius eſſe, Deoque magis placere, quàm ſi illud ſine voto fieret, & hoc ſciebant viduæ veteris teſtamenti, & pudicitiam ſuam vouebant Deo, vt totę illius eſſent.* Tandem Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 24. ſect. 6. eodem modo argumentatur de S. Ioanne Baptiſta dicens: *Ab infantia ſe totum Deo conſecrauit, vitamque cælibem, & ſolitariam perpetuò agere inſtituit; ergo veriſimile eſt hoc ſuum propoſitum voto confirmaſſe, vt & immobilius eſſet, & Deo gratiùs.* Si hic diſcurſus ab his authoribus iudicatur legitimus, cur non poterit formari etiam de Elia noſtro, cum Ioannes ipſi ſit Elias ex dicto Chriſti, & de alijs illuſtribus veteris Teſtamenti ſanctis.

Probatur ſecunda pars concluſionis tùm pluribus authoritatibus in prima parte adductis, tùm etiam duplici ratione pro eadem expenſa, quia in exercitio virtutis non attenditur differentia ſexus, ſed idem gratiæ principium; vnde ait S. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus Oratione 2. tom. 5. par. 3. Bib. magnæ: *Cum natu-*

ra differentiam virtutis curſus neſciat, ſit in fidei certamine fæmineum genus viriliter agere, ſit in pietatis certamine coronam rapere, quorũ enim parem molitus eſt Deus *formationem, ij ſe incurſura relinqui turpe ducunt*; Et S. Ioannes Chryſoſtomus tom. 2. homilia 8. ſuper Mattheum: *Non enim*, ait, *natura corporis, ſed voluntate animi exercentur iſta prælia, propterea ſæpe in huiuſmodi acie fortius viris fæminæ decertarunt*. Et ideò Suarez tom. 4. de Religione titulo 9. lib. 1. de varietate Religionum in gen. cap. 10. num. 11. ait: *Infertur vnum, & idem eſſe iudicium de origine, & antiquitate religionum monialium tàm in generali, quàm in particulari, quod de religionibus virorum proportione ſeruata*. Et Baronius idem concludit dicens anno 301. num. 22. *Quòd ſi virorum aſceteria tunc erant* (tempore ſcilicet Diocletiani, & Maximiani) *multò magis tunc ſacrarum Virginum*. Deinde probatur ſpecialiter authoritate Filonis libro de vita contemplatiua, vbi ait; *Mulieres quoque ſimul auſcultant ex more, duntaxat quæ inſtitutum idem ſectantur*: & paulo poſt; *Anus pleraque, ſed virgines non coactæ caſtitatis, ſicut apud Græcos quędam ſaſacrificulæ, ſed ſpontè continentes præ amore ſapientiæ*: De quibus ſic ait Serarius in Trihær. libro 3. cap. 18. *Virgines hæ vetulę ex earum videntur numero fuiſſe, quæ Eſſenorum practicorum inſtituto veteri &c.* S. Auguſtinus q. 57. in Numer. ad hunc locum, *Mulier ſi quidpiam vouerit, & ſe conſtrinxerit iuramento*, ſic ait; *meritò quæritur in hoc loco etiam de voto virginitatis, mulieres enim etiam virgines in Scriptura ſolent appellari*. Gloſſa, & Rupertus Abbas dictum locum, *Mulier ſi quidpiam vouerit*, explicant ſic, id eſt, *ſi continentiam vouerit*. Lorinus in dictum locum ait; *ſi eſſent ſui iuris ſiuè vir ſiuè fæmina, continentiam vouere potuiſſent, licèt in veteri Teſtamento rarus admodùm huiuſmodi eſſet ſtatus*; Abulenſis q. 22. ſupra dictum locum ait: *Non enim erat aliquid illicitum virginitas in veteri Teſtamento, cum aliqui viri, & feminæ eam obſeruarunt*: vnde concluſerat ſic paulò ante; *Reſpondendum eſt non eſse dubium, quin poſset vouere*, ſcilicet puella illa de quà habetur in textu. Ex quibus hæc ratio deducitur: In Sacra Scriptura eſt lex de puellis, & mulieribus vouentibus caſtitatem, & virginitatem: Ergo plures illam vouerunt, quia vt ait D. Thomas 2. 2. q. 153. ar. 2. ad 3. leges feruntur ſecundùm ea, quę vt in pluribus accidunt; Et hoc votum fuit perpetuum, virginitas namque non poteſt voueri niſi voto perpetuo. Confirmatur hoc exemplo S. Emerentianæ matris S. Annæ, & auiæ Beatiſſimæ Virginis, de qua ſic loquitur N. S. Cyrillus Coſtantinopolitanus; vt creditur; *Cumque illa attigiſſet annos nubiles, parentes voluerunt eam dare cuidam honeſto iuueni in vxorem, illa tamen noluit conſentire eo quòd promiſiſſet Domino ſe ſeruaturam virginitatem, ſi Deo placeret*: ita refert Guillelmus Pipinus Ordinis Prædicatorum ſe accepiſſe ex quodam antiquo libro in Bibliotheca Conuentus Valentini ſui Ordinis: Idem referunt alij. Confirmatur ſecundò exemplo Gentilium, in quibus fuerunt puellæ, quæ virginitatem perpetuam ſeruauerunt, & vouerunt: vnde S. Hieronymus libro 1. contra Iouinianum cap. 26. ait; *Percurram breuiter græcas, & latinas, barbaraſque hiſtorias, & docebo virginitatem ſemper tenuiſſe pudicitiæ principatũ*; Et loquens de Sibillis ait: *Quarum inſigne virginitas eſt, & virginitatis præmium diuinatio*. De Veſtalibus ſubdit, quòd ſi defeciſſent in virginitate, ſepeliebantur viuæ, quod minimè factum fuiſſet, niſi crimen putaretur læſæ virginitatis. De illis ait S. Auguſtinus libro 20. contra Fauſtum, & Abulenſis ad cap. 30. Numer. q. 12. *Erant inter Gentiles virgines, quæ vouebant virginitatem, & compellebantur eã ſeruare, ſcilicet virgines Veſtales*. Ex quo ſequentem deducit conſequentiam Muñoz in ſuo propugnaculo lib. 2. tit. 2. c. 3. art. 1. *Sed quid demirandum, quòd in Iſraelitarum gente, quæ ſanctiori Numini erat dedicata, ſic caſtitas, & eius vota vigerent, quando inter Gentes adeò floruerint, vt Sibillarum virginitas gentilitati dederit verita-*

Digitized by Google

ritatis oracula, & voto Veſtales Numini nuncupatæ gloriam Romanis contulerint, atque famam.

Ad primum ergo dicendum, quòd illud Exodi, & Deuteronomij non eſt præceptiuum, ſed promiſſorium præmij obſeruantibus legem, vt conſtat, nam in eo comprehenduntur etiam iumenta incapacia præcepti, additur enim, tàm in hominibus, quàm in iumentis. Ad aliud Deuteronomij dicendum, quòd illa verba poſita a S. Auguſtino, à S. Ioanne Damaſceno non habentur in Sacro textu; & licet haberentur, ſolùm probant in illo duntaxat caſu coniugium fuiſſe ſub præcepto, quando ſcilicet frater moriebatur ſine prole. Verum quidem eſt, quòd primis temporibus generis humani fuit præceptum de coniugio ad eius multiplicationem: tunc enim, vt ait S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium, *vacuus erat orbis, & ſola erit benedictio liberorum; paulatim verò increſcente ſegete meſſor immiſſus eſt, virgo Elias, virgo Eliſæus, virgines multi filij Prophetarum, Ieremiæ dicitur, & tu ne accipias vxorem: ideoque ditius virginitatis donum fluxit in fæminas, quia cæpit à fæmina* (ſcilicet in lege gratiæ) vnde ſubdit; *ſtatim vt filius Dei ingreſſus eſt ſupra terram, nouam ſibi familiam inſtituit* (nempè virginum.) Ad authoritatem D. Thomę dicendum, quòd debet intelligi iuxta propriam ipſius declarationem: dicit autem in 4. d. 33. q. 3. ar. 2. ad 2. non peccaturum, qui in lege Moyſis ſeruaret virginitatem, poſtquam iam multiplicatum eſt genus humanum. Vnde in primo loco 3. partis ſolum vult, quòd ex aſſignata ab ipſo congruentia oportebat generationi inſiſtere; non autem ex præcepto. In ſecundo loco non dicit, quòd erat lege prohibitum non dare operam generationi: ſed dicit, quòd videbatur lege prohibitum, ſcilicet ſecundùm communem ſenſum illius populi, cui Beata Virgo ſe conformans, non ſtatim fecit votum abſolutum virginitatis, ſed conditionatum ſi Deo placeret. In tertio loco ſolùm dicit, quòd non erat omninò laudabile à commixtione carnis abſtinere, ſicut etiam nunc poteſt dici, quòd alicui in aliqua occaſione boni cōmunis eſt melius nubere, quàm continere: non autem dicit fuiſſe prohibitum a commixtione carnis abſtinere.

Ad ſecundum dicendum, quòd Beatiſſima Virgo Maria eſt prima ordine dignitatis, & cauſalitatis, quæ voto perpetuo vouit virginitatem, non autem prima tempore: primum importat maximam excellentiam, ſecundùm verò nullam ex ſe præciſè. Dicimus igitur, quòd Beata Virgo reuelata, præſertim S. Eliæ noſtro, fuit propoſita velut exemplar virginitatis, & cauſa finalis illius; & ita influxit ad votum virginitatis aliorum per modum regulæ, ac cauſæ formalis extrinſecæ; ſimulque cauſæ finalis, qui modus influxus eſt perfectiſsimus, quia ſe extendit ad omnes non ſolùm poſteriores ipſa, ſed etiam anteriores: & in hoc influendi modo comparatur Chriſto Domino, qui duplici hoc modo influxit in omnes ab initio mundi, quamuis vt caput vniuerſale Eccleſiæ etiam meritoriè influxerit: Et ſicut non obſtat eius dignitati, quòd aliqui ipſum præceſſerint tempore in exercitio caſtitatis, aut virginitatis, cœterarumque virtutum, aliàs nec Beatiſsimæ Virgini tale exercitium deberet concedi in præiudicium dignitatis ipſius Chriſti; ſic nec obſtat dignitati eiuſdem Beatiſsimæ Virginis, quòd ipſam aliqui tempore præceſſerint in voto, & exercitio virginitatis: vndè Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 6. ſectione 3. ait; *Quòd verò ante ipſam* (ſcilicet Deiparam) *nullus hoc fecerit, ad eius commendationem non admodum refert; deinde dici etiam poteſt prima, quæ propoſita eſt dux, & exemplar huiuſmodi voti, & hunc exiſtimo eſſe ſenſum Sanctorum Patrum*; Ecce aduerſarium pro nobis pugnantem: propter hanc dignitatem Beatiſsimę Virginis in genere cauſæ exemplaris, & finalis tot ei dantur tituli honoris in obiectione adducti circa cultum virginitatis. Ad illud quod ſubditur, dicendum quòd Beatiſsima Virgo pari modo poſſet dici prima humilis, prima obediens &c. ſicut, & Chriſtus dici-

Digitized by Google

tur talis ac primogenitus omnis creaturæ; ſed tamen quia ſingulariter fuit reuelata, & propoſita quaſi prima Virginum, ob cuius exemplum, & amorem alij erant futuri virgines, ideò ſpecialiter dicitur prima virgo; maximè quia virginitas non ſemper fuit culta, ſicut cultæ fuerunt ſemper aliæ virtutes, ſed fuit introducta de nouo poſt reuelationem ipſius Eliæ factam: Et inſuper quia virginitas eſt valde difficilis in carne mortali, & in Beatiſſima Virgine fuit puriſſima, & coniuncta fœcuditati, vnde ipſa in hoc ſingularis: nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.

AD Tertium dicendum, quòd illud teſtimonium S. Bartholomæi reijcitur, vt apocryfum a Sixto Senenſe bibli. libro 2. citante condemnationem Pauli IV. ſicut & a Bellarmino ac Baronio: Et quamuis admitteretur, vt legitimum, benè tamen intellectũ probat ſolũ, quòd Beata Virgo fuit prima, quæ inter fœminas vouit virginitatem vt noſtro Ioanni 44. Abulenſi, & aliis concedimus, cuius tamẽ cõtrariũ vt probabile defendimus.

ARTICVLVS III.

Vtrum in lege ſcripta fuerit votum perpetuum paupertatis religioſæ.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd in lege ſcripta non fuerit votum perpetuum paupertatis religioſæ. Ita tenent, qui negant ſub illa lege fuiſſe verum ſtatum religioſum. Probatur adductis rationibus in duobus articulis prȩcedentibus, fundatis in imperfectione illius legis, & in impoſſibilitate conſiliorum Euangelicorũ ante Euangeliũ, quȩ militant æquè de voto perpetuo paupertatis euangelicæ: Ergo tunc nõ fuit.

¶ 2. Præterea: Communiter docent expoſitores, quòd Apoſtoli fuerunt primi, qui Chriſtum Dominum ſecuti ſunt, relinquentes omnia per votum perpetuũ paupertatis religioſæ; quòd probant ex illo Apoſtoli Petri dicto ad ipſummet Chriſtum, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*: Et confirmat S. Hieronymus circa hæc dicens libro 3. in Matthæum cap. 19. *non dixit; Qui reliquiſtis omnia, hoc enim & crates fecit Philoſophus, & multi alij diuitias contempſerunt: ſed qui ſecuti eſtis me, quod propriè Apoſtolorum eſt atque credentium*: Ergo in lege ſcripta non fuit votum perpetuum paupertatis religioſæ.

¶ 3. Præterea: Chriſtus Dominus fuit primus, qui votum paupertatis religioſæ prædicauit, ponens illud quaſi primam inter beatitudines, dicens; *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*: Ergo in lege ſcripta ante prædicationem Chriſti Domini non fuit votum perpetuum paupertatis religioſæ; quod ſi aliqui paupertatem exercuerunt tunc temporis, hoc non fuit ex electione voti, ſed tantùm ex aliqua occaſione.

SED Contra eſt authoritas quàm plurium Sanctorum Patrum, ac Illuſtriũ Doctorum, qui cum fundamento ſacræ ſcripturȩ docent in lege ſcripta fuiſſe verum ſtatum religionis.

CONCLVSIO.

In lege ſcripta fuit votum perpetuum paupertatis religioſæ, non ſolemne tamen, vt in lege gratiæ.

RESPONDEO dicendum, quod in lege ſcripta fuit votum perpetuum paupertatis religioſæ, non ſolemne tamen, vt in lege gratiæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd inter eſſentialia ſtatus religioſi vota tertium eſt votum paupertatis Euangelicȩ, quo quis renuntiat dominium bonorum fortunæ, ita vt nihil ſibi proprium eſſe poſſit dicere: Vnde ſolum poſtea vſum habeat rerum, quæ conceduntur in religione tanquam neceſſariæ, ad victum, ad veſtitum, ad ſtudium, & alias occupationes ſacras, vel honeſtas; Ac proinde ſtatim debet eas in communes officinas referre, cum amplius non indiget: Hoc votum eſt abſolutè neceſſarium ad perfectam Chriſti Domi-

Digitized by Google

Domini imitationem, qui cum diues eſſet pro nobis egenus factus eſt; in ſtatus autem religioſi profeſſione debet eſſe perfecta imitatio Chriſti, quantum poſſibilis eſt.

Probatur concluſio multiplici authoritate: Concilium Senonenſe, Dionyſius Carthuſianus, & noſter Thomas Vualdenſis ex illo Ieremiæ 35. *Pater noſter Rechab &c.* docent Rechabitas feciſſe votum paupertatis: Quod autem Conciliũ intelligat de vero voto, conſtat ex verbis ipſius, ſic enim ait; *Si quis votum aliquod huiuſcemodi vouerit Domino, etiam ſi perpetuum fuerit, non faciet irritum verbum ſuum, ſed Deiparæ Virginis, Annæ Samuelis matris, & Rechabitarum exemplo omne quod promiſerit implebit.* Sanctus Ambroſius libro 1. de officijs capite 30. ſic ait de S. Eliſæo Propheta: *Relictis omnibus, in diſciplinam ſe propheticam dedit*; quibus verbis innuitur votum perpetuũ paupertatis religioſæ, quia tunc diſciplina prophetica erat vita religioſa, vt alibi fusè probatur, etiam ex ipſo Sancto Ambroſio, maximè dum agitur de profeſſione religioſa S. Ioannis Baptiſtę. Sanctus Hieronymus epiſt. 28. ſic ait de S. Eliſæo Propheta; *Boues & iuga prioris operis vertit in vota*: Et epiſtola 4. ad Euſtochium loquens de paupertate filiorum Prophetarum ſic ait; *Filij Prophetarum, quos monachos in veteri Teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas propè fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis polenta, & herbis aggreſtibus victitabant*: Cum ex his S. Hieronymi verbis Filij Prophetarum eſſent in veteri Teſtamento veri monachi, & tam pauperem vitam ducerent, ſine dubio votum perpetuum paupertatis religioſæ emittebant. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis libro 2. de Eccleſiaſticis officijs cap. 16. ait: *Vnde autem ad monachos ſtudium defluxit paupertatis, vel quis huius conuerſationis extitit author, cuius iſti habitum imitantur, quantùm attinet ad authoritatem veterum ſcripturarum, huius propoſiti Princeps Elias, & diſcipupulus eius Eliſæus fuerunt, ſiue Filij Prophetarum*. Caſſianus libro 7. de Spiritu Philargiæ cap. 14. docet Gieſi punitum fuiſſe lepra a S. Eliſæo ob peccatum proprietatis: Cui conſentit Salianus anno 3144. ſicut & Carthagena tomo 3. libro 17. homilia 1. dicens; *Eliſæus ita virtutem coluit, vt famulum ſuum Gieſi diuitiarum Naaman leproſi cupiditate poſſeſſum, propter proprietatis culpam, lepra miraculosè puniuit*. Philo in libro quòd omnis probus ſit liber, ait de Eſſenis; *Hi enim ex omnibus penè hominibus ſoli, abſque omni pecunia omnique poſſeſſione ſunt, & inſtituto magis quàm felicitatis penuria ditiſſimi exiſtimantur*: Et alibi ait; *Eorum nemo ferre poteſt, vt omninò quidquam quod ei proprim ſit habeat, ſed in medium ponentes omnia, communi vtilitate fruuntur*: Item ait; *Quicquid enim lucrantur è quotidianis operæ moribus, non ſibi quiſque ſeruat, ſed in medium conferendo, cuicumque volenti fruendi poteſtatem faciunt*. Ioſephus libro 18. Antiquitatum cap. 2. loquens de Eſſenis Paleſtinis ſub lege ſcripta viuentibus antea, & ſub lege gratiæ perſeuerantibus ait; *Mirabilis apud ipſos bonorum communio eſt, neque poteſt inueniri apud ipſos, vel vnus qui præſtet alijs; lex enim eſt, eos qui ſectam iſtam volunt ingredi, ſuas ipſi ordini facultates, vt omnibus communes ſint, largiri, ita vt inter eos omnes nulla opum præſtantia, ſed omnium bonis, ac poſſeſſionibus commixtis vna omnibus tamquam fratribus ſubſtantia ſit*. Plinius libro 5. capite 17. loquens de ijſdem Eſſenis ſic ait; *Gens ſine pecunia*. Et Solinus libro 2. ait; *Pecuniam neſciunt*. Nicetas Coniates de ijſdem ait; *Eſſeni inſuper amore virtutis a nuptijs, ita vt qui maximè abſtinebant, diuitias pro nihilo ducebant; vna denique veſcebantur, priuata enim publicos in vſus comportabant, turpe rati ſi quis priuatim quid diuitiarum poſſideret*: Et propoſitione 3. numero 22. ait de illis; *Aliquid conſanguineis donare, abſque curatorum facultate, non licet*; quæ duo in eis innuunt votum perpetuum paupertatis religioſæ. Filaſtrius in cathalogo eorum, qui ante Chriſtum &c. numero 9. ait; *Eſſeni ſunt, qui monachorum vitam*

Digitized by Google

tam exercent, non poſſidentes aliquid. Hugo Cardinalis in Lucæ caput 9. de S. Eliſæo Propheta ſic ait; *Eliſæus in aratro coxit carnes, mactauit boues, id eſt religionis votum fecit*. Abulenſis in 3. Regum 19. q. 16. ait de eodem Eliſæo; *Omninò volebat renuntiare ſæculo, ita vt nihil relinqueret in ſæculo quod ad ſe pertineret, ſed totus ipſe tranſiret ad Dominum, non erat amplius rediturus ad ſtatum amicorum; iſtud exemplum ſecutus eſt Beatus Matthæus, qui a Chriſto vocatus reliquit omnia*: Ex quibus debet concludi, quòd S. Eliſæus fecit in lege ſcripta votum perpetuum paupertatis religioſæ; ſicut Suarez concludit ex his verbis S. Petri, *Ecce reliquimus omnia* S. Matthæum (qui ſecutus in hoc dicitur exemplum S. Eliſei) feciſſe votum perpetuum paupertatis religioſæ. Idem Suarez ſic ad intentum noſtrum argumentatur tomo 3. de Religione libro 8. cap. 2. *Ex iiſdem locis & verbis, quibus Chriſtus Dominus paupertatem conſuluit, votum hoc etiam conſuluiſſe colligendum eſt; quia ſi paupertatem conſuluit, ergo & perpetuitatem eius, ergo & immobilitatem ſeu firmitatem, propter quam votum adhibetur*: Quod dictum Suarez probatur authoritate D. Thomæ 2.2. q. 186. ar. 6. ad 1. vbi ait; *Hæc autem immobilitas ſequelæ Chriſti firmatur per votum*. Ibidem Suarez ait; *Hoc requiritur ad perfectam derelictionem* (ſcilicet obligatio, & promiſſio) *nam ſicut ea bona, quæ in præſenti poſſidentur non perfectè derelinquuntur, niſi alienentur, vt ea repetere non liceat; ita bona, quæ in futuro tempore acquiri poſſunt, non perfectè relinquuntur, niſi ita voluntate, & affectu alienentur, vt ea acquirere ac poſſidere non liceat, quod non poteſt fieri niſi interueniente promiſſione*. Baſilius Legionenſis libro 7. de matrimonio cap. 3. hoc habet dictum Rechabitarum ad ſuos; *Nulli licet in Societate noſtra habere aliquid proprium*: Ex quo principio ſic concludit; *Igitur apud illos proprium aliquod poſſidere peccatum erat; ergo adſtringebantur voto, aliàs liceret, peccatumque non eſſet*. Medina 2.2. q. 108. agens de imperfectione legis antiquæ ſic ait; *Sed ex hoc non inferat Theologus, quòd veri iuſti, & Sancti in antiquæ legis ſtatu non haberent ex inſtinctu Spiritus Sancti conſilia a Deo, tum virginitatis, tùm obedientiæ, atque etiam paupertatis, & quæ animo lubenti, & forti amplectebantur*. Salianus anno 3144. Filios Prophetarum vocat religioſos viros, voluntate ac profeſſione pauperes, quippe vt ait Theodoretus q. 19. nullas haberent poſſeſſiones. Ad eundem annum ait; *Acceptum munus Eliſæus in communem impendit vtilitatem, erat enim eis menſa communis vt religioſis viris, nec Eliſæus ſibi proprium habere voluit, paupertatis ſtudio repugnante*. Idem anno 3145. loquens de eiſdem Filijs Prophetarum ſic ait; *Eos ergo monachos agnoſcit, vocatque Hieronymus, ſicut & Ioannes Ieroſolymitanus paſſim*; Abulenſis ait eos quaſi nihil habuiſſe, niſi quæ ſibi a populo dabantur; Theodoretus quoque religioſam eorum celebrat paupertatem, *chorus Prophetarum*, inquit, *extremam amplectebatur paupertatē*; non ait, tolerabant, ſed amplectebantur paupertatem, vtique voluntariam, atque vltrò ſuſceptam. Eodem anno 3145. de illis ait; *Prophetæ qui religioſam profitebantur paupertatem*. Et in epitome eodem anno ait; *Sæuiente egeſtate religioſi ad Eliſæum, tanquam ad communem parentem, vndique conuolabant, vt ab eo, vel diuina ſubſidia per miracula, vel humana per eximiam eius apud omnes gratiam conſequerentur, & promiſſam Deo paupertatem facilius ferrent*. Tandem Muñoz lib. 2. titulo 1. cap. 2. ar. 5. dimiſſis pluribus aliis, tum ex noſtris, quàm extraneis, ſic ait; *Nullum argumentum probat Apoſtolorum paupertatem ex voto, quod iſtorum Prophetarum paupertatis non probet votum*. Quia igitur hæc argumenta præcedentibus articulis expendimus, & in ſequenti fuſius expendemus, ideò hic ampliùs non immoramur.

AD Primum ergo dicendum, ſicut iam dictum eſt, quòd lex ſcripta propter ſuam imperfectionem non potuit qui-

dem

Digitized by Google

dem habere conſummatam perfectionem ſtatus religioſi, & v torum eſſentialium illius; potuit tamen habere perfectionem inchoatam illorum: ſimiliter conſilia Euangelica non potuerunt eſſe ante Euangelium, cum omnimoda perfectione, ac vniuerſalitate; benè tamen cum aliquali perfectione in paucis illuſtribus viris.

AD Secundum dicendum, quòd ſi loquamur de perfecta Chriſti ſequela, verum eſt Apoſtolos fuiſſe primos, qui eum ſecuti ſunt, quia ipſum viderunt, & audierunt tam verbis, quàm exemplis docentem; ſi autem loquamur de aliquali ſequela Chriſti, quæ potuit haberi ex reuelatione Chriſti venturi eiuſque perfectionis eximiæ, ſic potuit eſſe tempore legis ſcriptæ: Et ita debent intelligi expoſitores, ſicut & S. Hieronymus.

AD Tertium dicendum, quòd licet Chriſtus Dominus fuerit primus, qui ſolemniter votum paupertatis religioſæ prædicauerit: In antiquo tamen Teſtamento fit mentio de futura tunc paupertate ipſius Chriſti, *præſertim* apud Prophetas; Vnde aliqui Viri Sancti illius temporis potuerunt illum imitari in hac virtute, vt conſtat ſpecialiter de tota congregatione Rechabitarum in Sacra Scriptura: Et inſuper lumine rationis dignoſcitur perfectio virtutis paupertatis voluntariæ; quam propterea ante Euangelium Diogenes, & Crates, & alii plures Philoſophi amplexati ſunt: Vnde non mirum, quòd eodem lumine ducti fideles indicauerint Chriſtum pauperem voluntariè futurum, & aliqui inter ipſos eximij hanc virtutem paupertatis ex electione voti exercendam aſſumpſerint. Ad perfectam prædictorum in tota hac quæſtione confirmationem dicimus cũ Sanctis Patribus communiter, quòd ante Chriſtum fuerunt reipſa Chriſtiani, & viri Apoſtolici, & Euangelici ante Apoſtolos, & Euangelium. Tertullianus ad Nat. libro 1. cap. 8. aſſerit quòd prima gens ab Adamo fuit Chriſtiana, in qua fundatæ ſunt aliæ: ſic enim ait; *Non vlla gens non Chriſtiana, Itaque quæcumque gens primo, nihilominus Chriſtiana*, S. Ambroſius in Lucæ 1. dicit, quòd lex gratiæ apparuit aliqualiter ante legem ſcriptam, & vtitur ſimilitudine partus Thamar, cuius filius Zara præmiſerat manum ante ortum fratris ſui Phares: Vnde ait: *Gratia Typus manum ante præmiſit, qui fuit in Iob, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, & Iacob, qui per fidem ſine lege viuebant, & Patriarchæ Sancti conſimili modo nobis Euangelij gratia refulſerunt*. S. Auguſtinus libro 1. Retractationum cap. 13. ſic ait; *Res ipſa, quæ nunc Chriſtiana religio nuncupatur, erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani*. Idem libro 15. contra Fauſtum cap. 2. ait; *In illo primo populo Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, qui intelligebant, quod agebant, vel quod per eos agebatur, in nouo Teſtamento habebant iſtam ſpem ſalutis æternæ, ad illud enim pertinebant, quòd intelligebant, & diligebant*. Item libro 3. ad Bonifacium cap. 4. multa dicit ad hoc intentum; ait enim *quod Prophetæ fuerunt veteris Teſtamenti diſpenſatores, & geſtatores, ſed noui hæredes*: Ait etiam; *Moyſes Teſtamenti miniſter veteris, hæres noui*: Et continuat; *Prophetæ poſt eum, & Sancti homines Dei vſque ad Ioannem Baptiſtam filij ſunt promiſſionis, & gratiæ ſecundum Iſaac filium liberæ, non ex lege, ſed ex promiſſione, hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti*: Et infra ſic ait; *Eadem fides, & in illis qui nondum nomine, ſed reipſa fuerant antea Chriſtiani; Et in illis, qui non ſolùm ſunt, verùm etiam vocantur; Et in vtriſque eadem gratia per Spiritum Sanctum*: Et tandem contra Aduerſarium legis & Prophet. lib. 2. cap. 8. ait: *Illi omnes, etſi pro temporis diſpenſatione veteris Teſtamenti miniſtrabant figuris; ad nouum tamen Teſtamentum, quamuis nondum reuelatum per gratiam Dei pertinebant, ad quod pertinebat & Abraham*. De ipſo Abraham ſic ait S. Epiphanius hæreſi 1. *Ad Euangelicam diſciplinam vitæ inſtituto prouectus*. S. Ioannes Chryſoſtomus idem affirmat de ipſo Abraham & Iob: De illo ait; homil 35. in

Geneſ.

Geneſ. *Apoſtolicam legem in hoc etiam implens, quæ dicit, Dignus eſt operarius alimento ſuo*: De iſto autem homilia 3. de Patientia Iob ſic ait: *Apoſtolica vox ante tempora Apoſtolorum virtutis ad profectũ veniens; Nudus exiui de vtero matris meæ, & nudus reuertar*. Ibidem ait de ipſomet; *Euangelium ſeruauit cum cogitationibus certando &c. vidit Euangelium ante datam legem*: Idem in Caten. Græcor. ſic ait; *Iobus Euangelicam perfectionem obſeruabat, quæ enim Chriſtus poſtea veniens præceperat, hæc ille factis ſuis oſtenderat*: Ex qua doctrina ſic de illo concludit homilia 34. in Matthæum; *Si non fuit maior Apoſtolis, certè nec minor, meo iudicio, fuit*. S. Hieronymus Epiſtola ad Demetriadem de eodem Iob ait; *O Virum ante Euangelica Euangelicum, & Apoſtolicum ante Apoſtolica præcepta, Diſcipulum Apoſtolorum*: Et in prooemio in Ieremiam vocat hunc Prophetam virum Euangelicum, quia conſilia Euangelica obſeruauit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in lege ſcripta fuerit aliqua vera Religio monachalis cum votis eſſentialibus.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd in lege ſcripta non fuerit aliqua vera religio monachalis cum votis eſſentialibus. Ita tenet Suarez tomo 2. de Religione tractatu 7. lib. 3. cap. 1. quem alij ſequuntur. Probatur: Ad inſtitutionem veræ religionis requiritur approbatio Eccleſiæ, vt communiter cõceditur, & meritò, quia ſine tali approbatione poſſent errores irrepere in obſeruantijs regularibus. ſed in lege ſcripta non inuenitur approbatio Eccleſiæ circa inſtitutionem alicuius veræ religionis; Et tamen ſi fuiſſet, in illa conſtaret, ſicut in illa conſtat approbatio Nazareatus cum eius regulis; non enim tacuiſſet rem perfectiorem, qualis fuiſſet vera religio; agens de re minùs perfecta qualis eſt Nazareatus: Ergo in lege ſcripra non fuit aliqua vera religio monachalis cum votis eſſentialibus.

¶ 2. Præterea: Ad veram religionẽ neceſſaria eſt poteſtas clauium; quia ſublata illa, tollitur debita ſubordinatio, & dependentia ſubditorum à Superiore, in qua conſiſtit eſſentia ſtatus religioſi; nam ſine illa Superior non poteſt compeſcere ſubditum efficaciter per cenſuras Eccleſiæ; nec poteſt opportunè illi ſubuenire, abſoluens eum ab incurſis huiuſmodi cenſuris: Sed in lege ſcripta non fuit poteſtas clauium, cum primò fuerint a Chriſto Domino datæ Sancto Petro: Ergo in lege ſcripta non fuit aliqua vera religio monachalis cum votis eſſentialibus.

¶ 3. Præterea: Ad eſſentiam religionis requiruntur tria vota, ſcilicet obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, quæ propterea dicuntur eſſentialia, Et hoc docet D. Thomas 2. 2. q. 186. ar. 6. & 7. Inſuper requiritur vt ſint ſolemnia, quia ex parte vouentis debet eſſe traditio ſui, & ex parte religionis debet eſſe acceptatio, ac mutua obligatio religioſi, & religionis: ſed in lege ſcripta non fuerunt vota eſſentialia religionis, ſaltem ſolemnia, quia hæc ſunt multò ſuperiora ad ſtatum illius legis: Ergo in lege ſcripta non fuit aliqua vera religio monachalis cum votis eſſentialibus.

Sed contra eſt authoritas plurium Sanctorum Patrum, ac Illuſtrium Doctorum cum fundamento Sacræ Scripturæ.

CONCLVSIO.

Cum in lege ſcripta fuerit poſſibilitas trium votorum eſſentialium religionis, ac ſimul fuerit obſeruantia continuata virtutum quæ ſub illis cadunt, fuit in tali lege aliqua vera religio quadantenus monachalis cum votis eſſentialibus.

RESPONDEO dicendum, quòd in lege ſcripta fuit aliqua vera religio. 2. qua

quadantenus monachalis cum votis eſſentialibus. 3. licet non fuerit tam perfecta, ac nunc ſunt religiones in lege gratiæ, quia vota non fuerunt cum tanta ſolemnitate, ac nunc ſunt. Ad cuius euidentiam ſciendũ eſt, quòd in omni tempore, & in omni natione fuit aliqua vmbra religioſi ſtatus, vt fuſiùs alibi demonſtrabitur, quia ſemper fuerunt aliqui melioris indolis, & ſingularis deuotionis ſaltèm apparentis erga Deum; vnde tot fuerunt vbique Gentium piæ congregationes, & præſertim in populo fideli Iudæorum; dicimus igitur in preſenti, quòd inter illos fuit aliqua vera religio monachalis cum votis eſſentialibus, cum tamen prædicta modificatione; apud infideles enim non poteſt eſſe vera religio, cum ſine fide ſit impoſsibilis verus, & ſpecialis Dei cultus, quem vera religio profitetur. Ad ſtatum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ ſunt perfectionis, quæ quidem Deo fit per votum; ad perfectionem autẽ chriſtianæ vitæ pertinet Paupertas, Continentia, & Obedientia; & ideò Religionis ſtatus requirit, vt ad hæc tria aliquis voto abligetur: ita D.Thomas ipſiſmet verbis 2.2. q.186. ar.6. & ad 1. Cuius rationem affert opuſc. 18. cap. 11. & breuius 1.2. q.108. ar.4. dicens: *In quibus tribus* (ſcilicet conſilijs euangelicis) *fundatur omnis religio, quæ ſtatum perfectionis profitetur: nam diuitiæ abdicantur per papertatem; delitiæ carnis, per perpetuam caſtitatem; ſuperbia vitæ per obedientiæ ſeruitutem*.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Sanctorum Patrum, & Doctorum illuſtrium, qui vel in genere, vel in ſpecie dicunt in lege ſcripta fuiſſe veram aliquam religionem. Sanctus Hieronymus ſepiſsimè hanc veritatem proponit, & ex profeſſo docet, præſertim in Epiſtola ad Paulinum, & in alia ad Euſtochium: ſed quia huiuſmodi teſtimonia frequenter adducentur inferiùs, ideò in præſenti ſufficiet aliud eius teſtimonium adducere in epiſtola ad Ruſticum, vbi ſic ait; *Filij prophetarum, quos monachos in ueteri teſtamento legimus, &c.* Abbas Macharius a Suarez, & Carthagena relatus ait: *Eliam, & Eliſæum, ac filios Prophetarum, quos conſtat ueraciter monachos fuiſſe, imitari curate*. Ioannes 44. Ieroſolymitanus Patriarcha libro de Inſtitutione monachorum cap. 2. ſic ait; *Elias monachorum princeps primus extitit, ipſe enim obtentu contemplationis, & deſiderio ſublimioris profectus longè ab Vrbibus recedens, & ſeipſum cunctis mundanis exuens religoſam, ac prophetalem uitam primus hominum à propoſito ducere cæpit, quam Sancto mandante, & dictante ſpiritu inſtituit*: Eodem capite ait; *Propheta Dei Elias monachorum princeps primus extitit, quo ſancta eorum primæua inſtitutio ſumpſit exordium*: idem ait; *Propter quod Elias totius religionis per eum inſtitutæ commiſit illi* (ſcilicet Eliſæo) *tunc regimen, ac magiſterium, & in huius rei ſignum tradidit tunc Eliſæo ſuum inſignem religionis habitum, reliquit ei pallium ſuum dum ferebabatur in cælum*: Item ait de S. Elia cap.9. *Monachus enim vere deinceps fuit*: & cap. 29. ait; *Chriſtus ſciens Ioannem expreſſam monaſticæ vitæ prophetæ Eliæ imaginem gerere, dixit de eo turbis, ſi vultis accipere, ipſe eſt Elias*. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus tomo 5. in Dialog. libro 6. de Sacerdotio ait; *Si talem mihi adducas monachum, qualis (vt ſecundùm exaggerationem dicam) Elias fuit, non tamen illi comparandus eſt, qui traditus populis, & multorum peccata ferri compulſus, immobilis perſeuerauit, & fortis*: Quòd dictum exponens de vero monacho per vota D.Thomas 2. 2. q.184. ar.8. ait; *Ad primùm ergò dicendum, quòd non loquitur de Sacerdote Curato minoris Ordinis, ſed de Epiſcopo, qui dicitur ſummus Sacerdos*. Idem D.Thomas 2.2.q. 187. ar. 2. ad 3. ait; *dicendum quòd frequentare palatia Regum propter delitias, vel gloriam, vel cupiditatem non competit religioſis, ſed ea adire propter pias cauſas eis competit, vnde dicitur 4.Regum 4. quòd Eliſæus dixit ad mulierem, nunquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, aut Principi militiæ? ſimiliter conuenit religoſis adire palatia Regum ad eos arguendos, vel dirigendos, ſicut Ioannes*

Baptiſta arguebat Herodem; Cum igitur D.Thomas in illis locis loquatur de veris religioſis, nihil omninò concluderet exemplo Eliſęi, & Ioannis Baptiſtæ, ſi non fuiſſent veri religioſi ex mente ipſius: Et tandem 2.2.q.186. ar.6.quærit,an ſit licitum religioſis ferre habitum differentem à ſæcularibus: & concludit affirmatiuè in argumento ſed contra ex illo Apoſtoli ad Hebræos 11. *Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis*; circa quod Gloſſa ait,*vt Elias, & alij*, conſtat autem, quòd ſi hi non fuiſſent veri religioſi, argumentum non probaret. Rupertus Abbas tomo 1. ad illud Canticor. 4. Sicut grex, &c. ait; *Tunc factum eſt verbum Domini ad* Eliam *dicens, Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith; hac fecit primus ille auctor & inſtitutor eorum, qui dicti ſunt filij* Pro*phetarum, quos fuiſſe monachos in veteri teſtamento conſentit authoritas Patrum venerabilium.* Sanctus Odilo Abbas in vita S.Maioli apud Lipomanum ait, *Tempore Apoſtolorum cæpit Monaſticus ordo pullulare, ſeù, vt melius dicam reuiuiſcere, quem a Beato* Elia, *& Ioanne Baptiſta nouiatus proceſſiſſe*. Sanctus Antoninus 3.p. titulo 16. §.4. ait, *Monachi Cænobitæ, id eſt in congregatione viuentes, videntur exorti ſub* Eliſæo, *qui conſtituit cuneum prophetarum, id eſt Religioſorum ſecundùm Gloſſam, & fuerunt renouati à Chriſto, qui diſcipulos habuit pariter habitantes, & in communi viuentes.* Nicephorus libro 8. cap.39.ait; *Verùm enim verò authorem huius diuinæ Philoſophiæ, quidam laudant* Eliam *illum æmulatorem, quidam verò Ioannem Baptiſtam*. Author hiſtorię tripartitæ cap.11. ait; *Huius monaſticæ antiquiſſimæ profeſſionis princeps in veteri teſtamento fuit* Elias, *in nouo autem Ioannes Baptiſta*. Sanctus Petrus Damianus Cardinalis ait; *Baptiſta quoque Ioannes huius profeſſionis* (ſcilicet religioſæ) *aſſertor non mediocriter extitit*. Nicetas S. Gregorij Nazianzeni Scholiaſtes ait; *Gregorius noſter Recabitas Monachos appellat*. Abulenſis 1. Paralipom.2. q.21. ait; *Rechabitæ erant veri Religioſi in veteri teſtamento, ſicut nunc ſunt Monachi*: & 4. Regum 6. q.1. ait; *Erant filij prophetarum coniuncti conuentualiter, viuentes per diuerſa collegia; & cum iſtis erant aliqui filij prophetarum non religioſi, qui erudiebantur ab eis in doctrina legis, & in rectitudine morum*: cuius dictum fundatur in authoritate Ioſephi de bello Iudaico lib.2.cap.7. dicentis; *Eſſeni genere quidem Iudæi nuptias quidem faſtidiunt, &c. Eſt aliud Eſſenorum Collegium, cibos, & mores, legeſque ſimiles cum prioribus habent, diſtant verò opinione de coniugio*: Hoc ideò dixit Ioſephus, quia authores pro ijſdem ſumunt, Filios Prophatarum Eſſenos, & Rechabitas;& inter hos vltimos nubebant plurimi. Bernardus Caſinenſis in expoſitione Regulæ S. Benedicti ait; *Attende benè, quòd in veteri teſtamento* Elias, *&* Eliſæus *monachorum inuentores extiterunt.* Rupertus lib.4. in Reg.B.Benedicti c.12. ait; Elias *ſacerdos ſimul extitit, & monachus; ſiue(vt* Hieronymus *ait) Anachoretarum monachorum primus*: Eliſæus *verò non ſacerdos, ſed tantùm monachus, Cænobitarum monachorum pater primus, ſub quo tunc temporis monachi filij Prophetarum, & poſt alijs nominibus Aſideį, ſiue Eſſeni dicebantur*. Cardinalis Bellarminus libro 2. de monachis cap. 39. ait; *Veteres Patres* Eliam, *& Ioannem Baptiſtam eremitas, & eremitarum principes faciunt, vt Baſilius in epiſtola ad Chilonem, Nazianzenus in apologia poſtquam è fuga redijt, Chryſoſtomus homilia 96. in Mattheum, Hieronymus epiſtola de Virginitate ad Euſtochium, Iſidorus lib. 2. de officijs cap.15.* Suarez tomo 3. de Religione libro 2. de varietate Religionum cap.10.loquens de noſtra Carmelitana ſic ait;*Eſt autem valdè recepta, & ſatis antiqua traditio, Religionem hanc à temporibus prophetarum, & ſignatim ab* Elię *inſtitutione ſuam ducere originem, & quaſi hæreditariam ſucceſſionem in monte Carmelo, a quo nomen etiam accipit, quam traditionem, vt veram ſuſcipimus.* Idem tomo 4. lib.2. cap.10.ait; *Patres apertè ponunt* Eliam *exemplar monachorum*: docet autem D. Thomas q. 8. de veritate ar.8. & alibi, quòd exemplar debet

Digitized by Google

debet eſſe perfectius, aut æqualis perfectionis cum exemplato. Dominicus Soto in 4. d. 30. ar. 1. ait; *Ioſephus libro 14. Antiquitatum, & Solinus capite 48. referunt ante Aduentum Chriſti Eſſenos collegium in deſerto Iudææ habuiſſe, & more noſtrorum Anachoretarũ Sanctiſſimam degiſſe vitam, ab vxoribus prorſus, & ab omni fæmineo conſpectu ſemotiſſimam, quorum inſtitutum ſequutus eſt Ioannes Baptiſta.* Garthagena tomo 4. lib. 17. homilia 2. obiectione 10. ait; *Sine dubio Ioannes vitam egit in deſertis inter Filios Prophetarum, tunc dictos Eſſenos, qui monaſticam Eliæ diſciplinam profitebantur.* Gaſpar Sanchez libro 1. Relig. cap. 22. ait de Elia in ordine ad Eliſæum; *Dum pallium inijcit, ad ſuum inſtitutum vocat, vnctio igitur fecit prophetam, pallium autem contubernalem, & monachum*: Et lib. 3. Relig. 17. ait; *Ab Elia, opinor, ortum habuerunt antiquum & nobilem, qui noſtro æuo Carmelitæ dicuntur, veræ religionis gloria, & vitæ ſanctitate conſpicui; quod vt credam facit, non ſolùm illius Ordinis, ſed omnium propè Gentium conſtans, & perpetua traditio; Et quidem ſi pro hac mea cogitatione nihil ſtarêt, præter traditionem omni memoria ſuperiorem, ſatis putaretur habere præſidij, quia communis conſpiranſque conſenſio, nullo interrupta tempore eam habet anthoritatem, quam nulla niſi magna fides infirmare poſſit.* Nicolaus Coefectau Dominicanus Epiſcopus Maſſilienſis in ſua monarchia Eccleſiaſtica libro 2. cap. 12. ait; *Elias, Eliſæus, & Ioannes, Licet ad nouum Teſtamentum propriè non pertineant, non dubitant tamen orthodoxi Patres eos facere patres, & Principes Chriſtianorũ monachorum.* Salianus anno 3124. ait de Elia; *Edoctus diuinitùs formam quam ipſe deinde cum pleriſque, quos ipſe Domino aggregaturus erat, perfectioris vitæ ſtudioſis eſſet acturus*: Et anno 3127. ait *Eliam diuino decreto & iuſſu elegiſſe Eliſæum in prophetam, & ſucceſſorem, patrem & præpoſitum diſciplinæ religioſæ, cui ſecundum Deum obedirent*: Et anno 3139. ait de Elia; *Pallium, quo induebatur abiens reliquit diſcipulo ſuo Eliſæo in beneuolentiæ monimentum, & teſtimonium poteſtatis, ac legitimæ iuriſdictionis.* Alcazar in cap. 11. Apocal. verſu 3. ait: *Vitæ Euangelicæ exemplum in nullo alio prophetarum ita extat atque eminet, vt in Elia, cuius vita non tam ex veteri Teſtamento prophetam, quàm ex nouo uirũ planè Apoſtolicũ redolet, quippe non virginalis ſolùm pudicitiæ, ſed vitæ etiam religioſæ fuit patronus atque author.* Ioannes Soreth præfatione ad regulam Carmelitanam ait de Elia; *Ille itaque cæpit facere, & docere regulam huius ſacræ religionis, & quidem perfectè quoad eſſe ſuum ſubſtantiale, diuina reuelatione edoctus, Recede hinc &c.*

Probatur ſecunda pars concluſionis: Et quidem quòd illa religio fuerit monachalis, ex pluribus præadductis in prima parte concluſionis authoritatibus, quæ hoc exprimunt: Quod autem fuerit cum votis eſſentialibus, poſſet multis probari; ſed quia de hoc iterum agendum eſt infra, cum dicetur noſtram Religionem Carmelitanam vixiſſe toto tempore legis ſcriptæ cum obſeruantia votorum eſſentialium, ne eadem repetantur, hic ſufficient authoritates aliquæ dicto loco non referendæ. Incipiendo ab externis, primus ſit Trithemius Abbas Benedictinus de Laudibus Carmelitarum cap. 2. vbi ſic ait; *Fratres Carmelitæ a ſuo Principe Elia inſtructi, ad perpetuam caſtitatem voto Religionis ſe obligant.* AEgydius Camartus Minimorum Generalis libro de geſtis Eliæ cap. 6. ſectione 8. ait; *Quo fit ut Hieronymus, Ioannes Ieroſolymitanus, Caſſianus, & alii quotquot de Monaſticis rebus ſcripſerunt, aſſeruerint Eliam omnium Monachorum parentem fuiſſe, qui tria eſſentialia religionis vota primus ipſe opere adimpleuit.* Valderama Auguſtinianus in Theatro Religionum Sermone de S. Elia ait; *Vnde clarè videtur, quòd curſu à longè ſumpto iuxta Sacram Scripturam, primus inuentor religionum fuit Patriarcha Elias; Et quamuis verum ſit, quòd tempore Samuelis erant filij Prophetarum*

(*res quæ hoc intentum religionum ſapit*) *tamen cum votis vt incepit Elias, ipſe ſine dubio fuit primus; pro certo habetur, quòd vouit virginitatem, & vouerunt eius religioſi, & quòd erat virginitas perpetua; ſuppoſito quòd magnus Elias ſeruauit virginitatem, & eius monachi ſeruauerunt, eſt etiam res indubitata, quòd ſeruauerunt obedientiam, & paupertatem, quod eſt eſſentiale religionum, res ad illa vſque tempora nondum viſa.* Ioſeph de Siguenza Hieroſolymita hiſtoricus ordinis in vita Sãcti Hieronymi folio 110. ait; *Monſtremus igitur breuiter antiquitatem, & originem Religionum, & ſtatus monaſtici; nolo tractare de filijs Prophetarum, qui in ſchola Eliæ, & Eliſęi viuebant ſine mulieribus ac poſſeſſionibus, ex quo tam clarè qualificantur tria vota, de quibus Origenes, & noſter Hieronymus dicunt, quòd ad eorum exemplum multi erant in Eccleſia; ſcribens ad Paulinum vocat eos Sanctus Doctor ſuos Principes, Duces, & Ductores illos, quos nominat.* Onuphrius Salt in vita S. Onuphrij cap. 18. ait; *Filij Prophetarum viuebant in communitate ſub obedientia ſui Prelati, & profitebantur tria eſſentialia vota religionis.* Ex noſtris autem Paleonidorus libro 1. de Origene & cap. 1. ait; *Elias Propheta Sanctiſſimus Sacrum Carmelitarum ordinem in tribus omnibus Religionis ſubſtantialibus punctis, voluntaria paupertate, obedientia, & caſtitate, imò & virginitate ſua, & Eliſęi, aliorumque filiorum Prophetarum inſtituit.* Thomas a Ieſu in Commentario regulæ ait; *Exiſtimo ſcripturę rationique valde conſentaneum eſſe, viros illos diuina luce ductos inſtitutum monaſticum tribus votis firmaſſe:* Item; *Hactenus conſtat, Eliam Prophetam inſtitutorem fuiſſe monaſticę profeſſionis, docuiſſeque trium votorum, ex quibus Religio conſtat, cultum & obſeruantiam.* Petrus Cornelius inter aliàs Theſes anno Domini 1613. in capitulo generali Romæ impreſſas defendit, *quòd monaſticæ diſciplinæ forma ſub obſeruantia trium eſſentialium votorum non eſt nouum inuentum in Eccleſia, ſed ab Elia primordialiter emanauit, & ad hęc vſque tempora perſeuerat.* Thomas Aquinas a S. Ioſeph libro 1. de Patriarchatu Eliæ 3. p. ſect. 1. ait; *Sanctiſſimus Propheta Elias omnia, quæ eſſentiam Religionis conſtituunt, & ad eam omnium aſſenſu & conſenſu pertinent, ſequutus eſt, ita vt voto, & promiſſione obligauerit.* Mũnoz Romæ impreſſus in propugnaculo Eliæ libro 2. titulo 1. cap. 2. ar. 5. ait; *Elias, & Eliſęus caſti, obedientes, & pauperes ex inſtituto voti diſciplinam monaſticam a Deo traditam induxerunt; propter quod monachorum ſub Euangelio viuentium in paupertate, obedientia, & caſtitate, authores Principes, & Patroni a Patribus commendantur.* Hanc veritatem docent etiam ex profeſſo noſter Franciſcus a S. Maria libro 1. Hiſtoriæ Prophet. capit. 4. Lezana capit. 4. apparatus ad primum tomum Annalium &c.

Probatur tertia pars concluſionis ex argumentis in principio propoſitis, quæ hanc partem & non amplius probant; ſufficit autem ad intentum noſtrum probare, quòd in lege ſcripta fuerit aliqua vera religio, quæ cũ votis eſſentialibus, cum adiuncta modificatione ſumptis poteſt conſiſtere; ita vt fuerit, & poſſit eſſe vera, & propria ſubſtantialiter religio, quamuis non omnimodè perfecta, quaſi hæc accidentalis perfectio ſtatus religioſi fuerit reſeruata ad tempora Chriſti. Hoc poteſt declarari exemplo virtutum moralium acquiſitarum, quę ſine charitate ſunt veræ, & propriæ ſubſtantialiter virtutes; non tamen ſunt omninò perfectæ, eis ſiquidem ex coniunctione ad charitatem aduenit quædam accidentalis perfectio, cum charitas ſit forma extrinſeca omnium aliarum virtutum. De hoc iterum redibit ſermo loco citato in ſecunda parte concluſionis.

AD Primum ergo dicendum, quòd ad inſtitutionem veræ religionis per ſe non requiritur approbatio poſitiua Eccleſiæ, ſed ſufficit negatiua; nunc tamen poſt Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. requiritur approbatio poſitiua: In Synagoga autem fuit poteſtas approbandi ſpeculatiuè religiones;

dicit

dicit enim Albertus Magnus in 4. d. 38. ar. 13. *Ab initio fuerunt modi approbati a Synagoga vel Eccleſia, ſicut modus iuris nazaręorum, qui votum vouebant perpetuum, & Rechabitarum, Et huiuſmodi illi modi erant loco regulæ*; Cuius ratio eſt; quia tunc etiam erat ſpecialis aſſiſtentia Spiritus Sancti in determinandis rebus fidei, morum, librorum canonicorum, fuit etiam poteſtas approbandi practicè, quia fuit tunc poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis, licet non ordinis, & clauium.

AD Secundum dicendum, quòd quidem ad perfectionem ſtatus religioſi neceſſaria eſt poteſtas clauium, ob rationem adductam; non autem abſolutè ad eſſentiam illius, vt conſtat in monialibus, & in Fratribus Ioannis Dei, in hac enim Religione Generalis eſt laicus: Dicimus igitur, quòd ad veram Religionem ſufficit poteſtas dominatiua, & oeconomica, quæ vota particularia poteſt irritare, quia voluntas ſubditi eſt Superioris; precepta etiam poteſt imponere, *ſed non cenſuras*, a quibus prouidet aliundè abſolui ſubditos irretitos: Poteſtas autem dominatiua, & oeconomica eſt ſatis efficax ad compeſcendos ſubditos, maximè quia tunc ſuperior poteſt aliunde procurare cenſuras ad efficacius compeſcendum.

AD Tertium dicendum quantùm ad primam partem, quòd in antiqua lege fuerunt vota eſſentialia religionis, vt dictum eſt in ſecunda parte concluſionis. Quantùm ad ſecundam partem dicendũ, quòd ad eſſentiam religionis requiruntur quidem tria vota ex D. Thoma loco citato; non autem requiritur, vt ſint ſolemnia, vt conſtat ſaltem ex nouo iure, in Bulla Gregorij XIII. Aſcendente Domino, de Societate Ieſu, cuius alumni declarantur veri religioſi cum votis adhuc ſimplicibus. Religioſus igitur per vota ſe tradit Deo, & Religioni, vel Deo in Religione, vel iuxta alios Religioni, vt ſeruiat Deo: Hæc traditio debet eſſe voluntaria, ſpiritualis, & perpetua; Et debet acceptari a Deo, & a Religione per Prælatum ipſius, vnde fit in manibus eius, licet alio modo poſſit acceptari vel formaliter, vel virtualiter; Vnde D. Thomas in 4. d. 38. q. 1. ar. 2. quæſtiuncula 3. ait; *Ad Religioſum ſtatum neceſſarium eſt, vt traditio eius* (ſcilicet Religioſi) *fiat in manu eius qui debet recipere, ſeruatis circumſtantijs, quę iura determinant, quia aliàs non fieret ſub eorum poteſtate qui religioni pręſunt*: In hac autem acceptatione traditionis religio ſe obligat ad nutriendum, conſeruandum, & gubernandum Religioſum. Ad omnia autem, quæ poſſunt obijci de imperfectione legis ſcriptæ, præter ea, quæ alibi reſpondentur, nunc breuiter dicendum, Aliud eſſe viuere in lege imperfecta, & aliud viuere ac operari conformiter ad legem imperfectam: Primũ fuit in Sanctis eminentibus legis ſcriptæ, non autem ſecundum; imò per fidẽ eleuabantur ad legem gratiæ, ad quam pertinuiſſe dicuntur a Sanctis Patribus, a quibus etiam dicuntur reipſa Chriſtiani, crucifixi cum Chriſto, Euangelici ante Euangelium, oues Chriſti, quę non aliam quàm eius vocem audierunt: Ita D. Thomas 1. 2. q. 107. ar. 1. ad 2. ſic enim ait; *Fuerunt tamen aliqui in ſtatu veteris Teſtamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter ſpectabant promiſſiones ſpirituales, & æternas; Et ſecundum hoc pertinebant ad legem nouam*. Vnde Suarez, aliàs nobis contrarius, libro 10. de Legibus cap. 2. ad ſecundam difficultatem, & tomo 2. in 3. p. diſp. 6. ſect 3. loquens de voto caſtitatis ait; *Adde hoc non repugnare cum imperfectione ſtatus veteris legis*. Imò ex diſcurſu ipſius Suarez tomo 3. de Religione lib. 8. cap. 7. num. 27. concluditur euidenter in lege ſcripta fuiſſe veram religionem: ſic enim ait; *Nemo autem credo, negabit ſtatum Hieronymi fuiſſe verè ac propriè religioſum, cum ipſe dicat multis alijs locis, præſertim verò epiſtola 13. ad Paulinum, cum inquit; Nos autem habemus propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios &c.* Ex quo ſic arguimus contra ipſum: S. Hieronymus ibidem recurrit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

currit vſque ad Eliam dicens; *Et vt ad ſcripturarum authoritatem redeam, Noſter Princeps* Elias, *noſter* Eliſæus, *noſtri Duces Filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis*: Ergo Suarez ex ſuo diſcurſu debet fateri Eliam, Eliſæum, & Filios Prophetarum non minùs verè, & propriè religioſos monachos, ac Paulum, & Antonium &c. notandum tamen, quòd hæc eximia opera, tam ſingularium perſonarum, quàm ſtatus monaſtici procedebant ex influentia tum meritoria tum exemplari Chriſti per fidem cogniti, quaſi pertinentia ad legem gratię aliqualiter participatam; nunc autem in ſtatu connaturali legis gratiæ, poſt Paſſionem Chriſti, exempla eius practica ſunt plura, & eminentiora, magiſque nota.

QVAESTIO II.

De Fundatione Religionis Carmelitanę.

SVppoſita poſſibilitate & ſimul exiſtentia votorum ac ſtatus religioſi in antiqua lege, ſtatim agimus de fundatione noſtræ religionis Carmelitanæ, quaſi de præcipuo præſentis operis obiecto: Circa quod quæruntur quinque.

¶ Primo, Vtrum Elias Propheta fundauerit aliquam congregationem religioſam.

¶ Secundo, Vtrum Elias Propheta ſit primus Inſtitutor, & Patriarcha ſtatus relihioſi.

¶ Tertio, Vtrum Elias Propheta ſuam congregationem religioſam fundauerit in Monte Carmelo.

¶ Quarto, Vtrum in antiqua lege religio Carmelitana vixerit cum obſeruantia trium votorum eſſentialium.

¶ Quinto, Vtrum Elias Propheta habuerit, & introduxerit in ſua Religione Carmelitana ſpiritum miſſionum.

ARTICVLVS I.

Vtrum Elias Propheta fundauerit aliquam Congregationem Religioſam.

AD Primum ſic proceditur. Videtur, quòd Elias Propheta non fundauerit aliquam Congregationem Religioſam. Ita docet Suarez tomo 2. de Religione tractatu 7. libro 3. cap. 1. negat enim in antiqua lege fuiſſe verã aliquam religionem cum votis eſſentialibus, & aſſerit quòd vera religio cæpit a Chriſto cum Euangelio, & quicquid religionis apparuit in antiqua lege, fuit tantùm vmbra verę religionis futuræ in lege gratiæ. Probatur authoritate Sanctorum Patrum: Bernardus epiſtola ad Fratres de Monte Dei ait de Religione: *Hæc nouitas non eſt nouella vanitas; res enim eſt antiquæ religionis, perfectè fundatæ in Chriſto pietatis, Antiqua hæreditas Eccleſiæ* Dei, *a tempore prophetarum præmonſtrata. iamque nouæ gratiæ* Sole *exorto in Ioanne Baptiſta inſtaurata, & innouata; ab ipſo Domino familiariſſimè celebrata, & ab eius* Diſ*cipulis ipſo præſente concupita*. D. Thomas in caput 11. epiſtolæ ad Hebræos lect. 8. exponens hæc verba Apoſtoli, *Egentes, anguſtiati, afflicti &c.* dicit quòd in primo verbo ſignificatur *ſtatus voluntariæ paupertatis aliquorum veterum Prophetarum*; Et ſubdit, *quòd præfigurabant ſtatum perfectionis noui Teſtamenti*: Ex quibus ſequitur, quòd ſtatus perfectionis religioſæ ſit proprius noui Teſtamenti, & quòd tantùm fuerit præmonſtratus, & præfiguratus in antiqua lege: Ergo Elias non fundauit aliquam congregationem religioſam tempore legis antiquæ.

¶ 2. Pręterea: Perfectio ſtatus religioſi debuit reſeruari Chriſto, vt Inſtitutori; Tum quia ſicut Chriſtus ſtatuit legem gratiæ pro toto Mundo, ſic debuit

buit in Eccleſia inſtituere ſpecialem modum viuendi, quo ad perfectionem vitæ tenderetur; Tum quia ſtatus perfectionis religioſæ conſiſtit in perfecta imitatione Chriſti, quæ prærequirit perfectam eius notitiam, ac proinde exiſtentiam: Ergo Elias propheta non fundauit aliquam congregationem religioſam.

¶ 3. Pręterea: Elias ad ſummum duos habuit diſcipulos, Eliſæum, & Ionam: Dęinde nullam ſuis diſcipulis regulam dedit, nulla quippe fit mentio illius: Denique non introduxit tria vota religionis eſſentialia, ab illis obſeruanda, quia lex antiqua non erat capax tantæ perfectionis: ſed congregatio religioſa eſt plurium ſimul obſequentium Deo; debet habere regulam, velut animam religionis, propterea religioſi vocantur regulares; Et neceſſario fundatur in tribus votis, ſcilicet obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, quæ ideò dicuntur eſſentialia: Ergo Elias Propheta non fundauit aliquam congregationem religioſam.

SED contra eſt authoritas plurium Sanctorum Patrum, Doctorum Illuſtrium, & communis traditio Carmelitarum.

Cum Elias Propheta inſtituerit Cllegia Filiorum Prophetarum ſub votis eſſentialibus religionis, fundauit aliquam Congregationem verè religioſam.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Elias Propheta fundauit aliquam Congregationem. 2: Subſtantialiter quodammodo religioſam. 3. non tamen cum illa perfectione, quam poſtmodum obtinuit in lege gratiæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd quicquid conceditur Eliæ, cæteriſque religionum inſtitutoribus, & Patriarchis, hoc totum eſt dependenter a Chriſto; non ſolùm in quantum ex meritis ipſius ſaltem præuiſis procedit omne bonum, ſed etiam quia ipſe Chriſtus fuit Eliæ pręmonſtratus, & alijs propoſitus vt exemplar vitæ religioſæ, & princeps ac principalis inſtitutor ſtatus religioſi. Sub hac intelligentia ſemper procedimus in hac materia, licet non ſemper exprimatur. Et quia in hoc opere ſępius vtemur pro ratione dictorum antiquiſſima, & vniuerſali traditione religionis noſtræ, neceſſarium iudicaui hic in principio demonſtrare quanta ſit vis & authoritas huiuſmodi traditionis. Dicimus igitur, quòd illa eſt vera vniuerſalis traditio ſimpliciter, & abſolutè, quæ ab omnibus, quæ vbique, quæ ſemper recipitur, vt ait Vincentius Lirinenſis in commonitorio c.3. Eſt autem vniuerſalis in aliquo ordine, quæ eſt communitèr recepta ab omnibus illius ordinis, vbique, & ſemper: vnde Tertullianus de præſcription. c.28. ait; *Quòd apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Traditio his ſignis confirmata, ſi ſit Diuina communiter recepta in Eccleſia, eſt certiſſima fide Diuina; vnde ait Apoſtolus 2. Theſſalonic. 2. *Tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*: ſin autem eſt traditio humana, eſt certiſſima fide humana, cui nō debet contradici; vnde de Eccleſiaſticis ſic ait epiſt.28.ad Lucin. S.Hieronymus; *Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim, quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt a maioribus traditę ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti*; & S.Ioannes Chryſoſtomus ait, *Traditio eſt? nihil quæras*: propterea apud viros doctos, & ſenſatos traditio vniuerſalis ſolet eſſe venerabilis, videatur Baronius ad annum Chriſti 51. qui ex traditione probat S. Barnabam veniſſe Mediolanum. Traditio noſtræ Religionis Carmelitanæ, quòd ſit ab Elia Propheta, eſt vniuerſalis in ipſa, cum ab omnibus eius alumnis ſemper, & vbique fuerit recepta, ſcilicet ab ipſo fundationis principio, tàm in Oriente, quàm in Occidente, vt conſtabit paſſim ex dicendis in hoc opere; quod etiam admittunt Doctores exteri penitùs innumeri, ſed breuitatis

cauſa

Digitized by Google

cauſa duo ſolùm eximij propununtur è Societate Ieſu. Primus eſt Suarez de Relig. tom.4. lib.2.de variet. Relig.c.10. ſic dicens: *Eſt autem valde recepta, & ſatis antiqua traditio, religionem hanc* (loquitur de noſtra Carmelitana) *a temporibus Prophetarum, & ſignatim ab* Eliæ *inſtitutione ſuam ducere originem, & quaſi hæreditariam ſucceſsionem in monte* Carmelo, *a quo nomen etiam accepit; quam traditionem vt veram ſuſcipimus*. Secundus eſt Sanctius in 3. Reg. cap. 17. vbi ſic ait: *Ab* Elia, *opinor, ortum habuerunt antiquum & nobilem, qui noſtro æuo Carmelitæ dicuntur, viri religionis gloria, & vitæ ſanctitate conſpicui: quod vt credam, facit non ſolùm illius ordinis, ſed & omnium penè gentium conſtans, & perpetua traditio; & quidem ſi ab hac mea cogitatione nihil ſtaret præter traditionem, omni memoria ſuperiorem, ſatis putaretur habere præſidij*. Vbi nota, quòd ſi Suarez dicit hanc traditionem valdè receptam, & ſatis antiquam, hic author meritò dicit illam eſſe omnium gentium, & omni memoria ſuperiorem. Tandem in iudicio conradictorio fuiſſe confirmatã in Vniuerſitate Cantabrigenſi Angliæ, conſtat ex ſequenti ſententia: *Nos Ioannes de Donelbyco Cancellarius Vniuerſitatis Cantabrigiæ, auditis rationibus, & allegationibus, viſiſque priuilegijs, lectis & examinatis, vnà cum Chronicis, & Scripturis antiquis, ordinem Fratrum B. Mariæ de monte Carmelo in iure communi, ac ſpeciali confirmatum, tituloque Glorioſo Virginis B. Mariæ Dei Genitricis fore ſpecialiter inſignitum, & Fratres dicti ordinis, prout nobis apparuit per Chronicas, & alias Scripturas antiquas imitatores, & ſucceſsores eſſe Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſæi, pronuntiamus, decernimus, & declaramus*. In hac primaria noſtræ religionis traditione, quaſi in radice fundantur aliæ eiuſdem authoritatis.

Probatur prima pars concluſionis, tanquam certiſsima, quòd ſcilicet Elias fundauerit aliquam congregationem virorum illuſtrium, quos Sacra Scriptura vocat Filios Prophetarum, quæ congregatio ſecundùm omnes Sanctos Patres, & Theologos fuit aliquo modo religioſa, ſeù pia: tum ex dicendis in ſecunda parte, quæ hanc primam demonſtrant: tum ex dicendis in toto hoc opere, quæ fundantur in hac veritate præſuppoſita, tum ex authoritate expreſſa Sacræ Scripturæ. nam libro 4. Regum cap. 2. facit mentionem duorum conuentuum huius congregationis, ſcilicet in Bethel & Iericho: & cap.6. duorum aliorum, nempè in Carmelo, ac in ripa Iordanis; & alij indicanrur, vt in Galgalis, & in Galaad.

Probatur ſecunda pars Concluſionis authoritate Sanctorum Patrum. Et incipiendo a Latinis; S.Hieronymus ſæpe, ſed præcipuè epiſtola ad Paulinum dicit Eliam eſſe ducem, ac principem monachorum, ait enim Sanctus ipſe Monachus; *Vt ad Scripturarum auctoritatem redeam, noſter princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces Filij Prophetarum*. S.Ambroſius epiſtola ad Vercellenſes ait: *Monachi inter condenſa montium pelliceis tunicis induti, Elias, Eliſæus, Daniel, Ananias, Mizaël, Azarias, Ioannes Baptiſta vixerunt, quorum conuerſatione orbis terrarum dignus non erat*. S. Auguſtinus ſermone ad Fratres in eremo ait: *Pax vobis Fratres, electi vt viueretis in hac eremo cum* Elia, *& Ioanne; hæc eſt illa religio, cuius ſanctitas per orbem diuulgatur, quorum vita a cunctis miratur*. S. Iſidorus libro 2. Officiorum cap. 5. ait quòd *ſecundùm Scripturas Elias Propheta fuit author vitæ, regulæ, & habitus monachorum* S.Antoninus 2. p. Summæ titulo 36. c.2. ait: *meritò Doctores Eliam appellauerunt totius vitæ monaſticæ patrem, omnium ordinum exordium, religionum vexilliferum, & anteſignanum*. Rupertus Abbas Tuitienſis Cant. cap. 4. ait: *Elias Theſbites primus author eorum, qui dicti ſunt in Scriptura Filij Prophetarum, quos omnes fuiſse monachos conſentit authoritas Patrum venerabilium*. S. Bernardus Abbas Caſſinates in regula S. Benedicti ait: *Attende benè, quòd in veteri teſtamento Elias, & Eliſæus, tandem tempore Apoſtolorum Paulus, & Antonius horum*

mona-

monachorum inuentores extiterunt. Idem docens S. Bernardus ad Fratres de monte Dei, Petrus Damianus opuſculo 15. cap.2. & alij. Ex Patribus Gręcis Dorotheus in Synopſi Prophetarum ait: *Elias primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cælos ſubminiſtraſtruit, primus ex hominibus vnam Angelorum, & hominum viam oſtendit*. Eandem docent veritatem S. Athanaſius in vita S.Antonij, S.Baſilius in Regulis diffuſis cap.22. S. Gregorius Nazianzenus in carmine vitæ ſuę, S. Chryſoſtomus homilia 69. in Mattheum, S. Gregorius Niſſenus homilia 7.in Cãtica, S.Ephrem in ſermone ad monachum nouitium, Author vitæ S.Onuphrij, Ioannes noſter Hieroſolymitanus, & alij penè innumeri, qui ab alijs citantur, quos refert noſter Franciſcus a S.Maria libro 2. Hiſtoriæ Propheticæ cap.5. Probatur deinde authoritate Doctorum grauium. Ex ordine S. Dominici habetur Bartholomeus Medina 1. 2. q.108. ar.4. Et Dominicus Granina in ſuo libro, cui titulus eſt vox turturis parte 2. cap.5. vbi loquens de Carmelo ſic ait: *Mons verè celeberrimus, in quo fructuoſus ille palmes Elias conuocatus, ſolitariam ab hominum conſortio ſemotam profeſſus eſt vitam, quem primùm colendæ virginitatis authorem Patres, & Doctores appellant, obedientiæ, & paupertatis prototypum, quem principem monachorum Hieronymus vocat cum Eliſęo, cum Filijs Prophetarum, qui habitabant in agris, in ſolitudine, & ędificabant ſibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis*. Ex ordine minorum habetur Carthagena tomo 4. homiliarum libro 17. homilia 2. vbi ſic ait: *Nec mihi vlla ratione perſuadere poſsũ, antiquos illos monachos ab* Elia *inſtitutos tria vota ſubſtantialia religionis non emiſiſse*. Ex ordine minimorum habetur Aegydius Camartus, qui in ſuo libro de rebus geſtis Eliæ cap. 6. ſectione 8. comparans Eliam cum alijs Prophetis ſic ait: *At Elias id habet praeminentiæ ſupra illos, quòd non ſolùm virginitatem exercuit, ſed & praterea author fuit cur plurimi diſcipulorum ei ſe penitùs addixerint: Collegia enim quę inſtituit, viris in cælibatu degentibus referta erant, quo fit, vt Hieronymus, Ioannes Hieroſolymitanus, Caſsianus, & alij quotquot de monaſticis rebus ſcripſerunt, aſſeruerint Eliam omnium monachorum parentẽ fuiſſe, qui tria eſſentialia religionis vota primus ipſe opere adimpleuit*: & paulò poſt ait, *Elias verò continentiæ ſtatum, & ſibi & ſuis indixit*. Poſſent adduci plures alij authores ex alijs religionibus, qui idem docuerunt: ſed ne ſimul omnia congeramus, eorum authoritatem pro ſequentibus dubijs reſeruamus; ſequentia quippè dubia ſunt iſti connexa; & reſolutio vnius multum conducit ad reſolutionem aliorum. Probatur denique hac breui, ſed efficaci ratione: ſi congregatio quam fundauit Elias, non eſſet verè, & ſubſtantialitèr religioſa, non poſſet Elias meritò vocari primus parens ſtatus religioſi potiùs quàm alij, qui eum præceſſerunt, & fundarunt pias congregationes, vt Enos, & Samuel, vt ex ſe patet: ergo cum Elias communi conſenſu Sanctorum Patrum, & Doctorum vocetur primus parens ſtatus religioſi, vt conſtat ex dictis, congregatio Filiorum Prophetarum per ipſum fundata eſt verè, & ſubſtantialitèr religioſa, ſeù fuit firmata votis eſſentialibus religionis, vt ampliùs conſtabit ex dicendis.

Probatur, & explicatur tertia pars cõcluſionis. Dicimus igitur, quòd licet in antiqua lege congregatio per Eliam fundata fuerit vera, propria, & ſubſtantialitèr religio, non tamen fuit omnimodè perfecta, complementum enim perfectionis eius fuit reſeruatum ad tempora Chriſti. Hoc poteſt declarari exẽplo adducto virtutũ moraliũ acquiſitarũ, quæ ſine charitate ſunt veræ, & propriæ ſubſtantialitèr virtutes, non tamen ſunt omninò perfectæ, eis ſiquidem ex coniunctione ad charitatem aduenit quædam accidentalis perfectio, cum charitas ſit forma extrinſeca omnium aliarum virtutum. Hæc pars concluſionis ſic explicata probatur ex deciſione ſupremi Senatus Inquiſitionis Hiſpanicæ in iudicio

Digitized by Google

contradictorio facta poſt examen plurium annorum, qua decretum eſt eſſe probabiles. In antiqua lege fuiſſe verum monachatum, & religionem cum votis perpetuæ caſtitatis, & virginitatis, item obedientię perpetuæ, ac paupertatis voluntariæ, ita tamen quòd monachatus nō fuerit in illa lege cum ea ſolemnitate, perfectione, & poteſtate clauium, prout in lege gratiæ. Cuius ratio eſt, quia in lege gratiæ ad exemplum practicum, & exercitum Chriſti Domini, cultus virtutum eſt vniuerſalior, & feruentior, maximè propter maiorem abundantiam gratiæ, & efficaciam Sacramentorum; vnde ſicut fides penè mortua, & charitas in multis languida fuerunt renouatæ, ſic, & religio: deinde religio Eliana ante vt plurimùm ſibi vacabat contemplationi, poſtea cœpit magis actioni Apoſtolicę conuerſioni animarum ex ſuperabundantia contemplationis attendere; & conſequentèr ex maiori exercitio huius finis ſecundarij facta eſt perfectior ex inſtructione Chriſti.

AD primùm ergò dicendum, quòd nec S.Bernardus, nec D. Thomas eſt nobis contrarius, imò teſtimonium vtriuſque pro nobis ſtat: nam S.Bernardus dicit veram religionem cum tribus votis eſſentialibus (de qua agebat) fuiſſe præmonſtratam a tempore Prophetarum, poſtea in lege gratiæ fuiſſe inſtauratam, & innouatam in Ioanne Baptiſta, & ab ipſo Domino familiariſsimè celebratam: quæ manifeſtè indicant eandem fuiſſe ſubſtantialitèr religionem in illa diuerſitate temporum cum aliqua differentia accidentali; alias S. Bernardus non probaret ſuum intentum. D. Thomas autem ideò dixit, quòd illæ obſeruantiæ Prophetarum præfigurabant ſtatum perfectionis noui Teſtamenti, quia non erant cum tanta perfectione in antiqua lege, ac nunc ſunt in lege gratiæ: propter quod S.Paulus 1. ad Cor. 10. dicit quòd omnia legis antiquæ fuerunt figura futurorum in noua lege; cum hac tamen differentia, quam ipſemet in epiſtola ad Romanos, & in epiſtola ad Hebræos notat, quòd ſcilicet in antiqua lege fuerunt opera legis, & opera fidei; opera legis, vt Sacramenta, & Sacrificia materialia fuerunt tantum vmbra, ac proinde diuerſæ rationis, vnde adueniente veritate debuerunt ceſſare; iſta verò fuerunt opera omnium virtutum eiuſdem rationis ſpecificæ ac noſtrâ, & tantùm accidentalitèr imperfectiora, ratione cuius imperfectionis dicuntur figura virtutum legis gratiæ; & hæc non debuerunt deficere, ſed potiùs perfici adueniente lege gratiæ.

AD ſecundum dicendum, quòd ad perfectionem completam ſtatus religioſi conueniens fuit, vt haberet Chriſtum, tanquam principem, & ducem, expreſsè ac manifeſtè propoſitum: ad perfectionem autem eius inchoatam, & eſſentialem, ſufficit quod habuerit implicitè Chriſtum propoſitum; vnde Elias nomine eius cœpit religioſos inſtituere, quos ex reuelatione nouerat ab ipſo perficiendos, & ſic meritò conceditur ſoli Chriſto tanquam cauſæ principali fundatio ſtatus religioſi: cuius in antiqua lege fuit habita ſufficiens notitia, vt haberetur perfecta imitatio illius, perfectione conueniente tali legi.

AD tertium dicendum, quòd Elias plures habuit diſcipulos: nam præter duos aſsignatos, S. Epiphanius dat ei Abdiam, in eius quippè vita ſic ait; *Hic eſt vates, qui ter ſemicenturionem egit, cuique pepercit Elias Theſbites, poſt hac regiæ ordinationis deſertor, adhęſit diuinator Elię & factus eſt diſcipulus eius*; idem aſſerit S.Dorotheus in Synopſi Prophetarum, qui ſufficerent ad nouam congregationem religioſam: ſed alij plurimos aſſignant, vt noſter Ioannes 44. qui cap. 23. ſic ait; *Priuſquā Elias ab hoc mundo transferretur, fuit ei cura monachos diſcipulos ſuos filios Prophetarum ſigillatim viſitare, & de patre idoneo eis prouidere; propter quod deſcendentes ipſe, & Eliſæus de monte Carmelo venerunt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & deinde in Iericho, nam ſicut prædiximus, in his locis habitabant viri religioſi Filij prophetarum*, Eliæ diſcipuli. Quan-

Digitized by Google

Quantùm ad regulam dicendum, quòd Elias eam dedit; vel in ſcriptis, & poſtea perijt; vel per traditionem, quod eſt probabilius. Quantum ad vota, iam conſtat ex dictis, & ampliùs conſtabit ex dicendis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Elias Propheta ſit primus Inſtitutor & Patriarcha ſtatus Religioſi.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd Elias Propheta non ſit primus Inſtitutor, & Patriarcha ſtatus religioſi. Ita tenet Iacobus Boulduc Capucinus, qui ſtatum religioſum reducit ferè ad principium mundi, eiuſque Inſtitutorem facit Enos filium Seth. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ: Geneſis 4. ſic habetur; *Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos, iſte cæpit inuocare nomen Domini*: per hæc intelligunt Expoſitores cõmunitèr, quòd Enos publico cultu Deũ primus inuocauit, & inſtituit congregationem ad continuandum talem cultum, cuius alumni dicuntur in Scriptura filij Dei: ſed huiuſmodi congregatio fuit vera religio, quæ conſiſtit eſſentialitèr in continuato, & ſtabili cultu Dei: Ergò Enos, & non Elias eſt primus Inſtitutor, & Patriarcha ſtatus religioſi.

¶ 2. Pręterea: Tempore Samuelis erant congregationes Prophetarnm obſequentium Domino, & communitèr diuinas laudes cum inſtrumentis muſicis canentium, vt habetur libro 1. Regum cap. 10. dixit enim Samuel Sauli; *Poſt hęc venies in collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſtinorum, & cum ingreſsus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes; & inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium*: & infra dicitur; *Veneruntque ad prædictum collem, & e ce cuneus Prophetarum obuius ei, & inſiluit ſuper eum ſpiritus Domini, & prophetauit in medio eorum*: Sed hęc congregatio Prophetarum erat verè religioſa, nam ſimul habitabant in diuino cultu iugiter occupati: Ergo Samuel, & non Elias eſt primus Inſtitutor, & Patriarcha ſtatus religioſi.

¶ 3. Præterea: Inueniuntur collegia religioſa ſub nomine Filiorum Prophetarum tempore Eliæ, quæ non agnoſcebant ipſum Eliam ſuum Inſtitutorem; nam vt habetur libro 4. Regum cap. 2. cum ipſe Elias paulò ante raptum ſuum eos tam in Bethel quàm in Iericho viſitaſſet ducens Eliſæum ſecum, illi dixerunt Eliſæo; *nunquid noſti, quia hodiè Dominus tollet Dominum tuum à te?* ſi autem Elias fuiſſet ipſorum Inſtitutor, potiùs dixiſſent Dominum, aut Patrem noſtrũ: Ergo Elias non eſt primus inſtitutor, & Patr archa ſtatus religioſi.

SED Contra eſt authoritas Sanctorum Patrum, plurium Doctorum, & omnium Carmelitarum.

CONCLVSIO.

Cum Elias primus omnium veram religionem in lege ſcripta inſtituerit, eſt primus Inſtitutor, & Patriarcha ſtatus religioſi.

RESPONDEO dicendum, quòd nullus ante Eliam fundauit veram religionem: quamuis aliquæ Congregationes piæ ipſum præceſſerint. 2. vnde eſt primus Inſtitutor, & Patriarcha ſtatus religioſi. 3. ſpecialis quidem Religionis Carmelitanæ ab ipſo fundatæ. 4. generalis autem aliarum Religionum ab illa procedentium. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Religio Carmelitana in ſuo decurſu fuit varijs nominibus inſignita. Primò dicta fuit Eliana, ab Elia Sanctiſsimo eius fundatore, & Patriarcha. Secundò dicta fuit Religio, ſeu Ordo Prophetarum, ſumpto nomine Prophetæ a duplici eius ſignificatione: nam Propheta dicitur, vel à canendis laudibus diuinis, vel a pręuiſione, & prædictione futurorum; tunc autem Elias, & primitiui eius diſcipuli iugiter in

in cantu diuinarum laudum occupabantur, & fere omnes ſpiritu prophetico futura prædicebant. Tertiò dicta fuit religio Filiorum Prophetarum, cauſam aſſignat noſter Ioannes Ieroſolymitanus cap.11. libri de Inſtitutione monachorum, vbi ſic ait: *Ex tunc factum fuit; quòd Elias multiplicatis iſtis monachis per eum inſtitutis, quoſdam ex eis excellentes prophetas, qui futura prænidebant, aſſumpſit ad hoc officium, vt ſcilicet cum eo, & poſt eum dictos monachos ſollicitè in vita monaſtica, ſecundùm formam ei traditam a Deo erudirent, vt in diſciplina prophetica, & in pſalmis in pſalterio canendis eos inſtituerent; & ita diligentem curam eorum gererent, ac ſi filij eorum eſſent: & propterea hi monachi, qui priùs vocabantur Prophetæ, fuerunt poſtmodum appellati Filij Prophetarum, quia dictorum excellentiùs Prophetarum huius religionis erant diſcipuli, & in prophetica, ac in monaſtica diſciplina ſub regimine ipſorum, tanquam patrum ſuorum prophetarum eruditi, & ſub hoc titulo quo dicebantur Filij Prophetarum, fit ſæpe in libro regnorum de his monachis mentio.* Quartò dicta fuit Religio Rechabitarum, Eſſenorum, & Aſſidæorum: Rechabitarum quidem, poſtquam Ionadab princeps Rechabitarum cum pluribus è ſuis adhæſit S. Eliſæo factus eius diſcipulus, viſo miraculo reſurrectionis filij Sunamitidis: Eſſenorum autem, ſeu Eſſeorum, vel a Sanctitate vitæ, vel a S.Eliſæo quaſi Eliſęorum: Aſſideorum ſimiliter à Sanctitate vitę, de quibus in libris Machabeorum ſub extremis Synagogæ temporibus fit mentio. Quintò dicta fuit in principio legis gratiæ religio Diſcipulorum S.Ioannis Baptiſtę; ab eximia Magiſtri ſanctitate, & ſub hoc nomine fit de ea mentio in Euangelio. Sextò dicta fuit religio Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, cuius honorifici nominis originem ſic deſcribit noſter Ieroſolymitanus libro citato cap.36. dicens: *Poſtquam tam expreſſam & propriam primitiarum ſpontaneæ virginitatis conformitatem inter ſe, & Dei Genitricem cognouerunt adimpletam, ipſi ex tunc Fratres Beatę Mariæ Virginis appellati fuerunt: & in memoriam viſionis de ortu huius Virginis præoſtenſę Sancti Prophetæ Eliæ, ſub ſpecie nubeculæ aſcendentis de mari in Carmelum, monachi prædicti anno Incarnationis Filij Dei octogeſimo tertio, diruentes eorum Semnion antiquum, ædificauerunt huic primæ Virgini Deo dicatę cappellam quandam in monte Carmeli iuxta fontem Elię, in ſitu illo in quo Elias orans viderat nubeculam illam, quaſi veſtigium hominis de mari aſcendere in Carmelum; vbi profeſſores prædicti ſeipſos huic Virgini commendantes ſingulis diebus in ſeptem horis canonicis, ad effundendum dictę Virgini, & eius filio ſedulas preces, & ſupplicationes atque laudes, etiam tunc ſemper conuenerunt; ibique de verbo Diuino, culpiſque vitandis, & animarum ſalute pro curanda, humili colloquio ad inuicem contulerunt: & propterea cæteri, etiã ab eorum religione externi, eos deinceps Fratres Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli ſemper appellauerunt.* Septimò dicta fuit Religio Carmelitana, a monte Carmelo, natali ſolo ſuæ fundationis, qui titulus nunc communiter eſt in vſu. Octauò dicta fuit Religio Eremitarum, Anachoretarum, Aſcetarum, Monachorum, & Therapeutarum, quandiù ſtatus religioſus in primis Eccleſiæ ſęculis mãſit indiuiſus: poſtea multiplicatis religionibus, Eliana primitiua ſub ſuo Patriarcha Sanctiſsimo Elia perſeuerans in Carmelo, & alibi, nomen Carmelitanæ retinuit ab ipſo inſtitutionis ſuæ loco.

Probatur prima pars concluſionis: Illæ piæ congregationes Filiorum Dei, & Prophetarum, quę præceſſerunt Eliã, non fuerunt verè religioſæ; nam, vt conſtat ex Sacra Scriptura, non emittebant vota eſſentialia religionis. De primis dicitur Geneſis 6. quòd *videntes Filij Dei filios hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant*. De ſecundis ſimiliter habetur in libris Regum, quòd ducebant vxores, & habebant filios, ſicut & ipſe Samuel dux eorum: ſublato autem voto caſtitatis vix ſtare poſſunt vota obedientiæ, & pauperta-

pertatis, propter onera matrimonij, in quo oportet theſaurizare filijs, & coniugati dependent ab inuicem, & ſic externo non poſſunt obedire ad nutum: Sed ſine votis eſſentialibus non eſt vera religio, vt communitèr conceditur, & iam dictum eſt, & ampliùs probabitur: Ergò nullus ante Eliam fundauit veram religionem, quamuis aliquæ congregationes piæ ipſum præceſſerint. Vnde poſſumus dicere, quòd Enos adumbrauit ſtatus religioſi inſtitutionem, Samuel delineauit, Elias verò inchoauit, ſed Chriſtus perfecit, & conſummauit.

Probatur Secunda pars concluſionis: Ex vna parte Elias veram inſtituit religionem cum votis eſſentialibus, vt probatum eſt, & deinceps probabitur: Ex alia verò parte nullus ante Eliam inſtituit veram religionem, vt dictum eſt in prima parte concluſionis: Ergo Elias eſt primus Inſtitutor, & Patriarcha ſtatus religioſi. Confirmatur authoritate Sanctorum Patrum, & Illuſtrium Doctorũ, quos citauimus ex parte, & amplius citabimus, qui communi conſenſu vocant Eliam Sanctiſſimum Patriarcham primum, Principem, Ducem, vexilliferum monachorum ſeu religioſorum; quòd non eſſet verum, ſi non eſſet primus inſtitutor ſtatus religioſi: nec opus eſt ad hoc maiori probatione, ſuppoſitis ſupra dictis, & infra dicendis; Vnde duos tantum hic citamus. Primus eſt Ioannes Ieroſolymitanus de Inſtitution. capit. ſecundo dicens: *Propheta Dei Elias monachorum primus extitit, a quo ſancta primæua inſtitutio exordium ſumpſit.* Secundo loco eſt Martyrologiũ AEgyptiacum apud Lezanam tom. 1. cap. 5. vbi ſic habetur: *Hic Elias Propheta fuit primus in veteri lege, qui deſerta incoluit, & monaſticam in montibus egit vitam.* Quòd autem intelligatur de vera vita monaſtica, patet ex S. Auguſtino in quodam Sermone de inſtit. monach. citato in milleloquio Epiſc. Vrbin. verbo monachus, vbi ſic habetur; *Eliam quoque, & Eliſæum, Filioſque Prophetarum (quos conſtat veraciter veteris Teſtamenti monachos fuiſſe) imitari curate &c.*

Probatur Tertia pars concluſionis ex his, quæ fuſius infra dicentur in eo articulo, in quo probabitur quòd religio per Eliam in Carmelo fundata perſeuerat nunc ſubſtantialiter in Carmelitis: Ex quo manifeſtè ſequitur, quòd Elias ſit ſpecialis inſtitutor, & Patriarcha religionis Carmelitanæ ab ipſo fundatæ; Et propterea de ipſo fit officium in ea ſolemniſſimum; Vnde mirum quòd Cornelius a Lapide dixerit, S. Eliam a nullo inuocari, cum vbique terrarum inuocetur, non ſolùm a ſuis Carmelitis, ſed etiam ab alijs, præſertim in toto Oriente.

Probatur Quarta pars concluſionis ex his, quæ infra dicemus, quando probabimus noſtram religionem Carmelitanam eſſe radicem ac originem cæterarum, quæ ab ipſa deriuatæ ſunt: Et conſequenter Elias noſter eſt inſtitutor, & Patriaraha generalis omnium aliarum religionum a Carmelitana procedentiũ, de cuius plenitudine omnes acceperunt. Propterea fundatores aliorum Ordinum religioſorum, vt S. Hieronymus, & Sanctus Auguſtinus proponunt Eliam, vt primum patrem, & prototypum omnium religioſorum. In re tam clara ſufficiat teſtimonium Petri Valderama, qui Sanctum Auguſtinum parentem ſuum in hoc imitatus, in propria concione de S. Elia ſub finem ait ei: *Ergo Illuſtriſſime Patriarcha, Anteſignane, & primum caput religionum fælices amici tui, Beati ſunt, qui te viderunt &c. beata tua religio ſacra, quæ tali patre, & fundatore fruitur, quem nos omnes patrem appellare poſſumus quandoquidem vitę monaſticæ initia dedit.*

AD Primum ergo dicendum, quòd quidem illa congregatio Filiorum Dei publico cultu Deũ venerabatur: ſed hoc non ſufficit ad veram, & propriam religionem, de qua hic agimus, niſi hic cultus reddatur ſtabilis, & firmus per vota eſſentialia religionis; quæ tamẽ in hac congregatione non fiebant.

AD Secundum ſimiliter dicendum, quòd hæ congregationes Prophetarum, quamuis piæ, non tamen erant verè religioſæ

Digitized by Google

ligioſæ,ex defectu votorum eſſentialium religionis.

AD Tertium dicendum, quòd illa collegia Filiorum Prophetarum erant conuentus religionis Carmelitanæ ab Elia fundatæ,qui ipſum agnoſcebant vt inſtitutorem,& patrem, vt communiter docent Sancti Patres,& expoſitores: Vnde Nicolaus de Lyra in Gloſſa 4.Regum cap. 2. ait; *In Bethel & Iericho Filiorum Prophetarum virorum religioſorum loca Elias ante ſuam translationem voluit viſitare, propter ſuorum congregationem diſcipulorum*. Ad rationem in contrarium adductam dicendum, quòd licet illi religioſi Filij Prophetarum Eliam, vt dominum, & patrem ſuum venerarentur: Sciebant tamen, quòd ſpeciali titulo fuerat ipſe datus Eliſæo in dominum,& patrem; cui Eliſæus comes indiuiduus, & ſucceſſor futurus, tum in ſpiritu duplici, tum in regimine religionis, diuina diſpenſatione obſequebatur; Et ita prædicentes Eliſæo raptum Eliæ, vocant eum dominum ipſius.

ARTICVLVS III.

Vtrum Elias Propheta ſuam Congregationem religioſam fundauerit in Monte Carmelo.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Elias Propheta non fundauerit in Monte Carmelo ſuam congregationem religioſam. Ita tenet Hieronymus Romanus Auguſtinianus, quē vt omnino ſingularem impugnant noſter Thomas a Ieſu, & plures alii Doctores, tum Ordinis noſtri, tum externi; ſed acriùs Carthagena Ordinis Minorum lib. 17. homilia 2. vbi eum præ intemperata cupidine Ordinem Carmelitarum expugnandi; dicit nullum lapidem immotum relinquere, quo illum non impeteret, eiuſque dicta vocat deliria: Hic igitur Author, præter hoc quòd negat Carmelitarum Ordinem procedere ab Elia, negat etiam Eliam fundaſſe religioſam cōgregationem in monte Carmelo; imò negat Eliam habitaſſe, vel ex profeſſo manſiſſe in Monte Carmelo, aſſerens quòd tantùm per tranſennam in illum aſcenderit data aliqua occaſione. Probatur hæc opinio quantùm ad præſentem difficultatem, ex his quæ habet in ſuo Defenſorio libro 2. cap. 8. dicens in Monte Carmelo non fuiſſe religioſos aliquos, ſed ſolitarios quoſdam, qui nulla ratione monachi erant, cum non viuerent ſub diſciplina alicuius religionis approbatæ: Et cap. 9. ait; manifeſtum eſſe Eliam non habuiſſe ſaltem in Carmelo congregationem aliquorum diſcipulorum, niſi ſolùm duos, nimirum Eliſæum, & Ionam Prophetam: Ergo Eliàs Propheta non fundauit in Monte Carmelo ſuam congregationem religioſam.

¶ 2. Præterea: Probatur ex his quæ habet eodem libro 2. capit. 11. ſcilicet quòd multa itineraria legerit, vt Martini de Aumpies Moguntiæ Decani, & Arandæ Franciſcani, qui copioſè terram Sanctam deſcribunt dicentes: *Hic ſepultus fuit Abraham, hic S. Anna; Ibi ſitum erat monaſterium S.Hieronymi: nunquam tamen locum ſignant, in quo Elias moratus fuerat in Monte Carmelo*: Ergo Elias Propheta non fundauit in Monte Carmelo ſuam Congregationem religioſam; maximè quia, vt ait cap. 8. citato, in nullo concilio eorum quæ in Græcia celebrata fuere, fit mentio aliqua religioſorum Montis Carmeli, cum alioquin non ſemel mentio fiat monachorum Syriæ, Hiæroſolymæ, & Græciæ.

¶ 3. Præterea: Ex vna parte habetur in ſacra ſcriptura, quòd Elias Propheta vnxit Eliſæum Prophetam pro ſe in Abelmeula; ibique ei dedit habitum religionis, ſi verè fecit eum religioſum: Ex alia verò parte ſolùm habetur ex libro de Inſtitutione Monachorum veteris Teſtamenti, quòd Elias,& Eliſęus ſimul habitauerint Montem Carmelum: Sed hic liber eſt quoddam nouum commentum, falſo enim attribuitur Ioanni

44.Pa-

44. Patriarchæ Ieroſolymitano, vt probat Baronius : Ergo Elias Propheta non fundauit in Monte Carmelo ſuam Congregationem religioſam .

SED Contra eſt authoritas Sacræ Scripturæ, vniuerſalis, & antiquiſſima traditio noſtræ religionis, communis ſententia Doctorum, & ſenſus omnium fidelium præſertim Orientalium.

CONCLVSIO.

Sanctus Elias Propheta ſuam Congregationem Religioſam fundauit in Monte Carmelo.

RESPONDEO dicendum, quòd Elias Propheta fundauit ſuam Congregationem religioſam in Monte Carmelo : ita vt poſt aſſumptionem Eliſæi in religioſum, ſtatim elegerit Montem Carmelum pro fundamento, & natali ſolo ſuæ religionis. 2. Vnde poſtea vita religioſa ad alia Palæſtinæ loca deriuata eſt, ſiue per nouam fundationem conuentuum, ſiue per inſtaurationem collegiorum prophetarum iam erectorum . Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd congregatio religioſa per Eliam fundata non ſolùm in antiqua lege, ſed etiam in primitiua Eccleſia vocata fuit Ordo Propheticus; Vnde Concilium Nicenum dicit de Sancto Spiridione, quòd fuerit Ordinis Prophetarum ſine Prophetici; Ratio huius eſt, quia Elias, & Eliſæus prophetæ fuerunt fundatores illius, & conſequenter illius alumni meritò vocati ſunt Filij Prophetarum, & Ordo ipſe vocatus eſt ordo Propheticus; quamuis poſtea nominibus alijs inſignitus fuerit, vt ſuo loco dicitur; & tandem ab ipſo Monte Carmelo, vt a ſuo natali ſolo, denominatus eſt ordo Carmelitanus. Duplex eſt Mons Carmelus in Palæſtina: Vnus in Tribu Iuda non ita celebris, in quo habitabat Nabal maritus Abigail, & de hoc non loquimur; Secundus eſt in Galdæa ad mare mediterraneum, de quo hic loquimur, quem vidi, & diligenter conſideraui; Vnde de illo vt teſtis oculatus loquor, deſumens ex noſtro Orientali Itinerario aliqua ad hanc difficultatem neceſſaria. De hoc Monte Carmelo repetita ſæpiùs habetur in ſacris litteris memoria : Aliquando eius pulchritudo ſignificatur, dum Iſaiæ 35. dicitur de Sponſa, *Gloria libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron*, Dum etiam caput Sponſi Carmelo comparatur, *Caput tuum ſicut Carmelus*: Aliquando virtus eximia Religioſorum huius Sacri Montis prædicitur dum Iſaiæ 32. habetur; *Habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Carmelo ſedebit*: Aliquando prænuntiatur eius deſolatio, quæ tempore Homar ſucceſſoris Mahometis, alijſque in perſecutionibus Barbarorum accidit, vbi tunc ferè omnes Religioſi Carmelitæ martyrio coronati fuerunt, dum dicitur Iſaiæ 16. *Auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo*; Et Ieremiæ 48. *Ablata eſt lętitia, & exultatio de Carmelo*: Aliquando reparatio illius, quæ tum tempore S. Bertholdi ſub Aymerico Legato Apoſtolico, tum his vltimis temporibus per noſtros Diſcalceatos euenit, dum Michææ 7. dicitur; *Paſce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes ſolos in ſaltu in medio Carmeli, paſcentur Baſan & Galaad iuxta dies antiquos*: Sed præ alijs laudabilior eſt noſter Carmelus, quòd Beatiſſimam Virginem cum Filio Ieſu dulciſſimo habuerit hoſpitem ſæpius aduentantem, vt plures docent Authores, & noſter ſic canit Mantuanus.

Hic igitur, ſi quando quies, vacuumque negoti
Tempus erat, veniens curas leuibat, & ipſa
Maieſtate loci largè oblectata redibat:
Propterea montana viri ſpelæa colentes
Audito illius fato, ſublime ſacellum
Apricis poſuere iugis primi, atque quotannis
Sacra inſtaurantes hymnos & Thura ferebant.

Mons iſte Carmelus eſt principium Terræ Sanctæ, a parte Septentrionali maritima; eſt diuiſus in plures ac varios col-
les

les inuicem ſibi cohærentes, medijs prominentes vallibus: Pars Orientalis, & Septentrionalis eſt eminentior, meridionalis autem & Occidentalis demiſſior: Habet circiter tredecim leucas in circuitu, eſt valde amœnus, totus viridis, plenus arboribus; vt pinis, quercubus, lauris, & ad radices oliuis, abundat aquis: In medio monte inter oppida Buſtan, & Dali eſt locus amœniſſimus, varijs collibus, & vallibus diſtinctus. plurimis irriguus fontibus, nemoribuſque plenus, qui creditur eſſe ſaltus Carmeli, vbi ſunt viginti quatuor cauernæ ita diſpoſitæ, vt Eccleſiæ appareant, nam ex vtroque latere duæ ſunt quaſi capellæ collaterales, & alia maior in extremitate. In angulo Occidentale meridionali eſt maxima aquarum copia de monte erumpens, ibi ſunt decem rotæ molendini ſubtus pontem antiquum collocatę, cuius arcus diuidunt aquam ſingulis rotis; Inde olim aquæ deferebantur Cæſaream Paleſtinæ, cuius ingentes adhuc apparent ruinæ. Ad radices Orientales montis eſt fons maximus ſubtus locum ſacrificii, dictus Mocata ab incolis Arabibus, quòd idem eſt Latinè ac locus occiſionis vbi traditur S. Eliam occidiſſe prophetas Baal; Vnde etiam ab aliquibus dicitur Fons Eliæ: Intrat in proximum torrentem Ciſſon, qui procedens ex quibuſdã montibus conſtitutis ad partem auſtralem Carmeli, percurrenſque Campum magnum Eſdrelon nunc planiciem Genim, diuiditur in medio curſu in duas partes, quarum vna pertranſiens vallem montes Thabor, & Hormon diuidentẽ decurrit ad mare Galilæę, alia verò magnam Carmeli partem circuiens, & eius radices Orientales irrigans influit fluuiolum Mocatam dictum a celebri illo fonte, cuius aquas iam torrenti Ciſſon mixtas recipit: maxima pars aquarum huius fluuioli procedit ex varijs riuulis è Monte Carmelo ſcaturientibus, præſertim ex quadam aquarum origine ad radices montis ſeptentrionales erumpente, & ad inſtar lacus extenſa; Vnde a Plinio libro 5. cap. 19. vocatur lacus Cendebia: Hic fluuiolus intrat mare mediterraneũ propè Carmelum ad Orientem Ciuitatis Caiphæ; illius oſtium, dum ventis occidentalibus intumeſcit mare, congeſta vndis arena occluditur. Et tunc illius aquæ inundant planiciem verſus Ptolemaidam, ceſſante tempeſtate patefit oſtium ab incolis; fortè olim tendebat Ptolemaidam ſimul vnitus alteri fluuiolo eiuſdem ferme magnitudinis, dicto Arabicè Nahame, Latinè Delicioſo, hic propè muros Ptolemaidæ intrat mare: Hi fluuioli olim diuerſo vocabantur nomine, vt refert Plinius loco citato; vnus quidem Belus, alius verò Pagida; In parte occidentali montis ad vnum fermè milliare a promontorio Carmeli eſt Celeberrimus fons Eliæ, cuius meminit noſtra Carmelitana regula, erumpens e monte in quadam valle, nunc duplici quondam multiplici, vt apparet canali, eius aquæ chriſtallinæ ad magnitudinẽ brachij emanantes, ad ſex paſſus in concham in ipſa rupe exciſam recipiuntur, vnde rurſus effluentes plurimam vallis partem excurrunt, plures arbores ac plãtas irrigando: Ex alia parte vallis apparent prominentes ruinæ conuentus, quẽ incolebat S. Brocardus cum ſocijs tempore quo tradita fuit Carmelitis regula a B. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano; ibi eſt alius fons non ita magnus, & adhuc extat aula integra, & videtur oratorium ferè ruinis ſepultum: conuentus hic fuit maximus, nam ruinæ ad centum quinquaginta paſſus in longitudinem diffunduntur; non tamen fuit valde latus, cum eſſet in decliui montis, in cuius ſummitate eſt campus peponibus lapideis plenus, qui miraculo S. Eliæ ex incolarum traditione adſcribuntur; tradunt enim Sanctum Prophetam petiiſſe a quodam ruſtico illius agri peponem (conſitus enim erat ager peponibus) qui cum reſpondiſſet ſe non habere niſi lapides, ſubiunxit Sanctus; ſint, vt dixiſti, lapides. In toto Monte Carmelo ſunt pluſquam mille cauernæ quondam habitatæ a Carmelitis religioſis: nullibi tamen tot vnitæ videntur, ac in quodam

memo-

Digitized by Google

memorabili loco, quem incolę hactenus vocant Schifel Rueban, id eſt cauernæ religioſorum: Hic locus eſt in eodem tractu occidentali montis, diſtans, ſcilicet quinque milliaribus a fonte Eliæ, continenſque vallem multum diffuſam, cui ex vtraque parte prominent rupes quadringētis circiter excauatę cauernis, vbi ſunt feneſtræ, & lecti in rupe exciſi, ſunt etiam fontes guttis iugiter manantibus pleni: Antequam ad hunc locum perueniatur in dextera ingredientiū vallem in ſummitate collis eſt alia maxima cauerna dictum collem totaliter penetrans, circumdata minoribus alijs, quæ pro centum religioſis ſufficerent. Angulus occidentalis a parte ſeptentrionali dicitur promontorium Carmeli, eſt valde eminens, & magno imminet mari ſcilicet mediterraneo; eſtque ſanctior pars ipſius montis, quia ibi præcipuè fuit habitatio S. Eliæ, ibi præuidit Beatiſſimam Virginem ſub typo nuberulæ, ibi attraxit ignem de cœlo ad comburendos duos quinquagenarios cum ſu is militibus, & alia mirabilia operatus eſt: Ibi eſt eius cauerna maximæ deuotionis inter omnes orientales, tum Chriſtianos, tum Iudæos, tum Turcas, tum Gentiles: In ſummitate promontorij ſunt ruinæ conuentus Carmelitarum tempore quo Sanctus Ludouicus Rex Galliæ adduxit eos in Europam, in quibus nunc eſt pagulus, dicitur Mar Elias Arabicè, Latinè verò Sanctus Elias; adhuc extant aulæ, & cellę integræ ex lapide quadrato: Retrò ad orientem eſt ędicula prima in toto orbe in honorem Beatiſſimæ Virginis demortuę ædificata, quæ dicitur ab incolis Mazalia, diſtans circiter ducentos paſſus a dicto conuentu, eſt figuræ quadrangularis perfectæ, fuit cooperta fornice ſuper quatuor arcus innixo, quorum duo adhuc extant. In ſummitate montis a parte orientali, in medio ferè tractu eſt locus dictus ab incolis Arabibus El Korban, id eſt ſacrificium, quia ibi Sanctus Elias ſacrificauit coram Rege Achab: eſt maximæ venerationis inter Iudæos; ibi ſunt duodecim magni lapides ad æternā illorum memoriam, quos ibi poſuit S. Elias, nec deſunt qui credunt eoſdem eſſe. Olim in Monte Carmelo fuerunt plures Vrbes, & plurima oppida, & etiā aliquæ Ciuitates: vnius mentionem facit Plinius dictæ Hæcbatana, & hoc conſtat ex libro Iudicum cap. 1. nunc etiam ſunt plurima oppida, & oppidula, tam ſupra montem, quàm ad eius radices. Diſtat Carmelus ab Ieruſalem quindecim, & amplius leucis, a mari Galilææ, & Iordane ſeptem, a montibus Thabor & Hermon quatuor, a Nazareth duabus, totidemque a Ptolemaida, & Cęſarea Paleſtinę: Vnde hę tres Ciuitates, ac mare mediterraneum ſunt eius limites; Nazareth a parte orientali, Ptolemaida a ſeptentrionali, Cęſarea a meridionali, mare verò ab occidentali, quòd ferè alluens ipſum montis, promontorium paulatim recedit a radicibus montis quo magis accedunt ad auſtrum, ita vt inter montem, & mare ſit maxima planities, partim oliuis plena, partim conſita frumento, & alijs. Figura montis eſt ſatis longa, nam tractus occidentalis reſpiciens mare eſt circiter quinque leucarum, non tamen directè procedit: nam duo anguli ſe mutuò reſpiciunt, in medio autem paululum incuruatur ad modum arcus; Cui proportionatur tractus orientalis, nam paulatim dilatatur, & in medio eſt maximæ latitudinis, poſtea iterum reſtringitur. Hęc ſufficiunt ex multis quę poſſem dicere in deſcriptione Montis Carmeli; Alia enim prętermiſſa non videntur neceſſaria ad præſens intentum, ſicut apparebunt ex dicendis neceſſaria, quę hic adduximus.

Probatur prima pars concluſionis: Tum a continuata traditione religionis Carmelitanę, quæ firmè tenuit per tot ſęcula S. Eliam fundaſſe ſuam congregationem religioſam in Monte Carmelo; Et propterea ab ipſo quaſi natali ſolo denominatur Carmelitana, cum tamen

men ex Sacra ſcriptura conſtet plures alios fuiſſe in Palęſtina conuentus ipſius; Et ſimiliter montis huius habitationem, velut primæui ſuæ fundationis loci ſemper retinuit, & violenter expulſa feruẽter appetijt, nuncque ſe habere per noſtros Diſcalceatos gloriatur. Tum a Regula Carmelitana, quæ priùs fusè exarata a Ioanne 44. Patriarcha Ieroſolymitano in libro de Inſtitutione monachorum circa annum Chriſti 400. Poſtea a B. Alberto item Patriarcha Ieroſolymitano ad breuiorem formam redacta, ſemper fuit directa ad Priorem, & religioſos in monte Carmelo commorantes, ab illo quidem ad Capraſium, ab iſto autem ad S. Brocardum; quo manifeſtè indicatur in Carmelo fuiſſe caput, & prima naſcentis Ordinis fundamenta. Tum quia non videtur ob aliud poſitum in Martyrologio Romano ad diem 20. Iulij, In Carmelo S. Eliæ Prophetæ, nam cum certum ſit ex Sacra Scriptura raptũ eius tali die contigiſſe in Arabia, non ob aliud ponit eius feſtiuitatem in monte Carmelo, niſi quia ibi ſpecialiter colebatur Elias, tanquam in loco diuturnæ manſionis, & natalitio religionis ipſius; propterea eius filij ibi reſidentes ei Templum dictum Dominicum, aut Semnion erexerunt, & dedicarunt, vt aſſerit Genebrardus libro 1. Chronologiæ anno 3282. Tum denique probatur efficacitèr vniuerſalij, & conſtanti traditione omnium Orientalium, ſiue Chriſtianorum, ſiue Iudæorum, ſiue Mahometanorum, qui omnes fatentur Eliam prophetam incepiſſe in monte Carmelo vitam ſolitariam, & religioſam, ibique plures diſcipulos congregaſſe; ibi præter plurimas cauernas toto monte diſperſas quæ fuerunt habitacula filiorum Eliæ ſtatim ab illo principio, & ſuccedentibus ſæculis, oſtenditur cauerna, quæ fuit diuturna habitatio S. Eliæ in ipſo Carmeli promontorio; hanc menſus ſum, & inueni longam circitèr viginti paſſus, latam, & altam decem; eſt exciſa intra ipſum montem, ad radices ferè ipſius, & eſt maximæ deuotionis apud omnes Orientales, nullus enim (noſtris Diſcalceatis exceptis) ad illam admittitur à ſolitarijs Mahometanis incolis, niſi perſoluto dimidio nummo; Dicitur Arabicè El Kader, quod eſt epithetum S. Eliæ, & idem eſt ac Latinè viridis (hoc quippè nomine inſignitur, quia in florente, & viridi perſiſtit ætate, non declinans ad floccidam ſenectutem) Intus ad læuem ingredientium eſt alia cauerna minor, ſex circiter paſſus longa, & lata, quæ eſt iuriſdictionis noſtræ, vbi eſt altare cum imagine Sanctiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo cum lampade continuò ardente; hæc minor cauerna traditur fuiſſe cella S. Eliæ, & quod in maiori cauerna congregarentur tanquam in Oratorio filij Prophetarum in adiacentibus circumquaque cauernis habitantes: duas vidi præcipuas non multum diſtantes in eodem aſcenſu promontorij, vnam S. Onuphrio dicatam à noſtris Diſcalceatis illam priùs incolentibus, aliam autem ab ijſdem S. M. N. Thereſiæ conſecratam ſatis capacem, quæ nunc intermedijs diuiſa muris eſt noſtrorum Religioſorum habitatio, qui in natali ſolo Religionis ſuorum parentum Eliæ, & Eliſæi rigorem, ac virtutem imitantur. Deinde probatur multiplici authoritate, tum veterum, tum Recentiorum. Balbinus epiſtola ad Antoninum Imperatorem ait: *O Anthonine inter memorabilia in hac regione mons eſt Carmelus, in quo & vetus religio, & ſanctitas ab Elia antiqua eſt*; S. Baſilius ad Chilonem ait: *Hic mons celeber Carmelus, in quo Elias demoratus perplacuit Deo*. Eius frater S. Gregorius Nyſſenus in Baptiſmo Chriſti ait: *Elias Carmelum incolebat; clarus autem mons propter virtutem inhabitantis, & fama celebratus*. Vnde S. Gregor. Nazianz. epiſt. 238. ait: *Elias Carmeli incola*: & Orat. 5. *Eliæ Carmelus*. S. Cyrillus Alexand. in Amos cap. 1. ait: *Carmelus mons eſt Iudææ, in quo Elias Thesbites habitauit*. Abulenſis 4. Reg. 1. q. 5. ait; *Manebat Elias in monte Carmelo; nam poſtquam accepit ibi ignem à Domino, pro ſacrificio, & occidit ibi Prophetas*

Baal,

Digitized by Google

Baal, ſemper voluit manere in monte illo religioſè viuens. Vuillelmus Epiſcopus Tyri de bello ſacro ſic habet; *Carmelus mons in Syria Eliæ, Eliſæi, & aliorum Prophetarum incolatu valdè nobilis*. Armacanus in ſermone de Conceptione habito Auenione corã Cardinalibus dicit, quòd Carmelitæ à tempore S. Eliæ ad Chriſti tempora Carmelum habitarunt. Genebrardus libro 4. Chronologiæ ait; *Sed eorum* (ſcilicet Carmelitarum) *origo altiùs repetitur, nempè a Prophetis Elia, & Eliſæo, qui Carmelum montem Terræ Sanctæ primitùs conſecrarunt, & diſcipulos illic reliquerunt, quos Scriptura filios Prophetarum appeliat*. Dominicus Grauina libro Vox Turturis parte 2. cap. 5. ait de Carmelo: *Mons verè celeberrimus, in quo fructuoſus ille palmes Elias commoratus ſolitariam ab hominum conſortio ſemotam profeſſus eſt vitam*. Hanc veritatem ſæpè repetit Ioannes Trithemius Abbas in ſuo libro de Laudibus Carmelitarum, & in alio de Illuſtribus viris Ordinis Carmelitarum; illamque ex profeſſo probat Carthagena lib. 17. homiliarum; his duobus prçcipuè multum debet Ordo Carmelitarum, cum data opera doctiſsimis libris editis eius antiquitatem, & honorem ſuſceperint defendendum. Tandem illam docent omnes Doctores Ordinis noſtri, vt Thomas; Vualdenſis in doctrinali fidei libro 3. ar. 1. cap. 4. quos tamen prætermittimus, & ſufficiet authoritas Ioannis 44. libro citato cap. 19. vbi ſic ait: *Elias ad ſui, & diſcipulorum iugem manſionem elegit Carmeli montem, tanquã commodiorem ad propheticam diſciplinam & vitam monaſticam in eo edocendam, & exercendam: mons quippe Carmeli præbet Eremitæ homini ex ſua ſolitudine ſilentium & quietem, ex ſuis antris congruam manſionem, ex ſuo ſaltu iucunditatem, ex ſuo eminenti ſitu aerem ſalubrem, ex ſuis herbis, & fructibus paſtum vberem, ex ſuo fonte aquæ viuæ hauſtum dulcem*: & cap. 20. ait; *Ad continuam autem reſidentiam in Carmelo ſemper faciendam, Elias montem hunc deuotiorem ſuis diſcipulis reddidit*; manſionem autem montis Carmeli Noſter Elias elegit, ſtatim ac reuerſus eſt de Oreb, vt idẽ Ioan. c. 11. præmiſerat dicens; *Cum de ſpelunca montis Oreb, in qua aliquandiu manſit, fuiſset Elias iuſsu Dei reuerſus in terram Iſrael, recollectis ipſe in vnum ſuis diſcipulis in monte Carmeli, protinus ſtuduit ſecundùm formam à Deo ſibi traditam, denuò inducere eos ad obſeruandam vitam monaſticam*.

Probatur, & explicatur ſecunda pars concluſionis. Conſtat ex dictis, quàm aptus, & commodus fuerit mons Carmelus ad inchoandam vitam religioſam quam Elias ſuis volebat tradere diſcipulis, quæ vltra vota eſſentialia, præcipuè fundanda erat in contemplatione Diuinorum, & in mortificatione carnis; ad vtramque enim conducebat loci ſolitudo, & receſſus à ſæcularium commercio. His igitur in locis inſtituit obſeruantiã, ſed rigoroſam noſtræ regulæ, quæ priùs traditione tantùm habebatur, ac continuò eius exercitio, tum tempore legis antiquæ, tum quatuor primis Eccleſiæ ſçculis: Poſtea per Ioannem 44. Patriarcham Ieroſolymitanum in librum fuit reducta, in quo ſimul inſtitutio Religionis Elianæ, ſeù Carmelitanæ, & eius obſeruantiæ continentur: Tandem per Beatum Albertum item Patriarcham Ieroſolymitanum in eam breuiorem formam redacta eſt, ſub qua nunc a Carmelitis obſeruatur. Habitus fuit aſperrimus ex melote, & pellibus caprinis, de quo fuſiùs ſuo loco diſſeritur, ita quòd Elias noſter in Carmelo reſtituerit veſtitum pelliceum, quem Deus primo parenti poſt lapſum in ſignum pœnitentię tradiderat, & quem poſtea humana ſuperbia expulerat. Igitur hęc vita religioſa cum proprio habitu ex monte Carmelo ad alia Paleſtinæ loca deriuata eſt viuente adhuc in Carmelo Elia, ſiue per nouam fundationem conuentuum, ſiue per inſtaurationem collegiorum Prophetarum iam erectorum: legimus enim 4. Regum cap. 2. quòd cum Dominus leuare vellet Eliam per turbinem in cęlum, ipſe Elias venit cum Eliſæo in Bethel, & Iericho, vbi erant Filij Prophetarum, ſiue do-

Digitized by Google

domus, & Congregationes diſcipulorum ipſius, ac verè religioſorum, vt docet Lyranus in Gloſſa ad illum locum; ait enim quòd *in Bethel, & Iericho filiorum Prophetarum virorum religioſorum loca Elias, ante ſuam translationem voluit viſitare, propter ſuorum congregationes diſcipulorum*: Quod etiam conſtat ex hoc quod poſt raptum Eliæ filij prophetarū occurrerunt Eliſęo reuertenti, & adorauerunt eum proni in terram, ſuſcipientes eum tanquam ſuperiorem loco Elię: Siue igitur hę congregationes, & domus filiorum prophetarum fuerint de nouo fundatę ab Elia poſt inſtitutionem religionis in monte Carmelo, ſiuè prius fuerint Collegia prophetarum inſtituta, & recta a Samuële; ac alijs antiquis Prophetis eius ſucceſſoribus vſque ad Eliã; receperunt modum viuendi religioſum a conuentu primitiuo Carmeli, poſtea ex Carmelo alij proceſſere conuentus erecti ab Eliſęo, vt ad fluenta Iordanis, Samarię & alibi.

AD primum ergo dicendum cum Carthagena libro 17. homiliarum hom. 2. ad obiectionem quartam, quòd inſtitutum monaſticum ante Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. non indiguit ſpeciali Summi Pontificis approbatione; ſed ſufficiebat illa, qua ipſi Pontifices, & Concilia monachiſmum approbarant: conſtat enim, quòd ante hoc tempus inſtitutum S. Antonij, Baſilij, Benedicti, Auguſtini. & aliorum antiquorum nullam ab vllo Pontifice ſpecialem obtinuit approbationem: At cum quidam amantes, quæ ſua ſunt, & non quę Ieſu Chriſti hac indulgentia abuterentur, prouidentibus dicto Innocentio cap. finali de Relig. domibus, & Gregorio X. cap. vnico de Relig. domibus in *6.* cœpit eſſe neceſſarium, quod ante erat liberum. Nec ita diſcipuli Eliæ viuebant ſolitarij in monte Carmelo, quin ſępe congregarentur, & præſertim ad decantandas laudes diuinas, & viuebant ſub obedientia Elię, ac ſucceſſorum eius ſuperiorū. Ad aliud dicendum, quòd licet in principio Elias paucos habuerit diſcipulos, nempè Eliſæum, & Ionam, qui tamen ſufficiebant ad inchoandam religionem, poſtea creuit numerus eorum, nam ex SS. Epiphanio, & Dorotheo inter diſcipulos Eliæ numeratur Abdias Propheta, & tempore raptus eius iam erant quatuor conuentus, vt habetur ex libro 4. Regum cap. 2. nempè in Carmelo, in Galgalis, in Bethel, & in Iericho, ac fortè erant plures.

AD ſecundum dicendum, quòd authoritas negatiua ordinariè parum probat: vnde poteſt fieri, quòd illi quorum citantur itineraria, non luſtrauerint mõtem Carmelum, vel quòd non ſcripſerint omnia, quæ ibi viderunt; certiſſimum enim eſt id omne, quod teſtis oculatus retuli in eius deſcriptione, ex quo conſtat manifeſtè Eliam in monte Carmelo habitaſſe ex profeſſo, & ibi religionem fundaſſe; nec ego ſolus hoc refero, Adricomius enim in Tribu Iſachar num. 19. habet ſimilia. Ad illud quod ſubditur, dicendum quòd eſto in nullo Concilio fiat mentio expreſſa religioſorum montis Carmeli; non tamen inde ſequitur, quòd non fuerint, fortè non ſe obtulit occaſio loquendi de illis, ſicut ſe obtulit occaſio loquẽdi de alijs Religioſis: Concilia verò antiqua faciunt mentionem Ordinis Prophetici, nam vt dictum eſt Concilium Nicęnum antiquiſsimum dicit S. Spiridionem fuiſſe ex ordine Prophetarum; & Concilium Conſtantinopolitanum inſertum Chalcedonenſi facit mentionem Euſebij Archimandritę, ſiue Generalis Eliotarum; ordo autem Propheticus, & Elianus idem eſt, ac Carmelitanus noſter, vt ſuo loco demonſtratur, ſicut, & quòd omnes religioſi, qui fuerunt primis illis temporibus, fuerunt alumni ordinis prophetici ſiue Eliani.

AD Tertium dicendum, quòd licet Elias dederit habitum religioſum Eliſęo in Abelmeula, tamẽ illo aſſumpto paulò poſt aſcendit montem Carmelum, vt ibi nouæ religionis fundamenta iaceret. Nec ſolus Ioannes noſter 44. Patriarcha Ieroſolymitanus hoc docuit; ſed etiam plures alij, vt S. Baſilius in epiſtola ad Chilonem Anachoretam dicens: *Hic mons cele-*

Digitized by Google

celeber Carmelus, in quo Elias demoratus perplacuit Deo. Item S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de pauperum amore dicens: *Præclara eſt ſolitudo, & vita ab hominum commercio ſemota, idque nunc docet Eliæ Carmelus, & Ioannis deſertum.* Et infra ſubdit: *Vt ab omni negotio tranquillè philoſopharer, mecumque ipſum colloquium haberem, Eliæ Carmelum cogitabam, Ioanniſque deſertum, ac cæleſtem eorum, qui hoc Philoſophiæ genus profitentur vitam.* Quamuis autem in ſolo illo libro haberentur, quæ dicimus, non deſinerent tamen eſſe maximi ponderis; quia vel eſt compoſitus ab ipſo Ioanne, vt infra probabitur, circa annum quadrigenteſimum Chriſti; vel fuit compoſitus ab alio antiquiſsimo authore doctiſsimo, vt ex ipſo libro apparet, continet enim doctrinam mirè conformem hiſtorijs, ac dictis Sacræ Scripturæ. Quantùm ad authoritatem Baronij fatemur eſſe magnam, ſed non infallibilem: vnde dicimus, quòd in hoc iudicio, ſicut & in aliquibus alijs defecit, quod humanum eſt, & maximè in multiloquio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in antiqua lege religio Carmelitana vixerit cum obſeruantia trium votorum eſſentialium.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd in antiqua lege religio Carmelitana non vixerit cum obſeruantia trium votorum eſſentialium. Ita docet Suarez iam ſupra citatus articulo 1. quem alij ſequuntur, vt Clericatum regularem monachatui in antiquitate præferant. Probatur: Ex vna parte conueniens fuit, vt perfectio ſtatus religioſi conſiſtens in votis reſeruaretur ad tempus legis gratiæ, quia lex antiqua nihil ad perfectum adduxit, vt ait Apoſtolus ad Hebræos 11. Et ita tempus antiquæ legis dicitur ad Galatas 4. tempus infantiæ; ſic enim habetur; *Ita, & nos cum eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes:* Ex alia verò parte vota eſſentialia Religionis non congruunt, ſed repugnant antiquæ legi; non quidem congruunt, quia perfectio voti perpetui non fuit cognita in atiqua lege, & excedebat ſtatum eius; vnde licet aliqui fuerint obedientes, Virgines, & pauperes voluntariè, hęc tamen non videntur proceſsiſſe ex voto, aut ſaltem incertum eſt, cum nihil expreſſum habeatur in Sacra Scriptura, imo nec poſsit ex illa ſufficientèr colligi; Repugnant autem; quia obedientia voto firmata, qua quis perfectè ſequitur Chriſtum, propria eſt Apoſtolorum, atque credentium, vt ait Sanctus Hieronymus; ſicut etiam proprium eſt ipſorum ex voto paupertatis relinquere omnia iuxta illud Petri, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*; nec tunc caſtitas erat communiter ſub conſilio, imò potiùs fœcunditas commendabatur: Ergo in Antiqua lege Religio Carmelitana non vixit cum obſeruantia triũ votorum eſſentialium.

¶ 2. Præterea: Tria vota eſſentialia religionis non fuerunt introducta in gregationem Carmelitanam, nec ab Elia Propheta, nec ab alio ſucceſſore, ſaltem nihil habetur de hoc expreſſum in Sacra Scriptura, vel alibi, vt ſigillatim oſtenditur. Et quidem de voto obedientię: In Sacra Scriptura tantùm habetur, quòd Elias mandato Dei vnxerit Eliſæũ in Prophetam ſuum ſucceſſorem futurũ, non verò quòd illum fecerit religioſum; nec legitur Eliſæum ipſi vouiſſe obediẽtiam. De voto caſtitatis: Communi cõſenſu Sanctorum Patrum Beatiſſima Virgo Maria dicitur prima, quę vouerit caſtitatem ſiue virginitatem; Vnde Epiphanius vocat eam *initium, & principẽ virginitatis*; Ambroſius vocat *virginitatis magiſtram*, dicitque quòd ſacrę virginitatis ſignum extulit, & intemeratæ virginitatis primum Chriſto vexillum leuauit; Auguſtinus ait, quòd *a Maria cępit dignitas Virginum*; Damaſcenus vocat eam *gloriam Virginum*; Chryſologus vocat eam *Reginam Virginum*, & ſimi-

ſimilia dicunt alij: Deinde, In Sacra Scriptura habetur diuinum præceptum pro antiqua lege de non ſeruanda caſtitate, & multò magis de non vouenda; nam Exodi 23. dicitur, *non erit infœcunda, neque ſterilis in terra tua*; Et Deuteronomij 7. *non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus*; Vnde dicitur, quòd nec Beatiſſima Virgo, nec S. Ioſeph emiſit votum caſtitatis, niſi poſt expreſſam Dei reuelationem: Denique ex filijs Prophetarum, qui fuerunt diſcipuli Eliæ, & Eliſęi, aliqui habuerunt vxores, vt conſtat ex ſcriptura de Giezi, & de alio cuius vxor venit ad Eliſęum. De voto paupertatis: non habetur ex Sacra Scriptura, nec ex Sanctis Patribus, quòd Elias, & Eliſæus, eorumque diſcipuli fecerint votum paupertatis; imò ex Sacra Scriptura videtur colligi, quòd Elias antequam mitteretur in Sarephtã Sydoniorum habebat aliquid proprium, quo ſuſtentabatur; Et de Eliſæo habetur, quòd tempore famis ſuſtentabat plurimos filios Prophetarum, vnde dixit puero, *Pone ollam grandem, & coque pulmentum pro filijs Prophetarum*; ex quibus colligit Suarez, quòd habuit dominium aliquorum, quod contrariatur voto paupertatis: Ergo in antiqua lege religio Carmelitana non vixit cũ obſeruantia trium votorum eſſentialiũ.

¶ 3. Præterea: Eſto in antiqua lege fuerint vota ſimplicia obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis: non tamen potuerunt eſſe cum ea ſolemnitate, quam requirit Eccleſia in votis eſſentialibus religionis; puta quòd votum obedientię ſemper & in grauibus obliget, quòd votum caſtitatis irritet matrimonium contrahendum, & votum paupertatis excludat omne dominium: Ergo in antiqua lege religio Carmelitana non vixit cum obſeruantia trium votorum eſſentialium.

SED Contra eſt authoritas Sanctorum Patrum, quàm plurium Doctorum, & communis traditio Carmelitarum.

CONCLVSIO

Cum in antiqua lege religio Carmelitana firmiter coluerit virtutes obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis; vixit cum obſeruantia trium votorum eſſentialium.

RESPONDEO dicendum, quòd in antiqua lege religio Carmelitana vixit cum obſeruantia trium votorum eſſentialium a tempore Eliæ. 2. Et deinceps 3. quamuis non fuerint cum tanta ſolemnitate, ac nunc ſunt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex D. Thoma 2. 2. q. 81. ar. 1. quòd virtus religionis; ſiue dicatur a frequenti relectione eorũ, quę ſunt diuini cultus; ſiue dicatur ab iterata relectione eius, quod negligenter amiſſum eſt; ſiue dicatur a religatione, ſemper importat propriè ordinem ad Deum: ipſe enim eſt, cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio; ad quem etiam noſtra electio aſſiduè dirigi debet, ſicut in vltimum finem; quem etiam negligenter peccando amittimus, & credendo, & fidem proteſtando, recuperare debemus. A virtute religionis deriuatur, & denominatur ſtatus religioſus, qui eſt quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis; Vnde eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, ſicut Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis acquiſitę: Hęc docet D. Thomas 2. 2. q. 86. & ſequentibus. Non eſt autem perfectus ſtatus religioſus, niſi habeat adiuncta tria vota, quæ propterea dicuntur eſſentialia, videlicet obedientię, caſtitatis, & paupertatis, vt communiter docent Theologi cum D. Thoma q. citata ar. 7. Ex quibus conſtat, quòd illa congregatio Filiorum Dei per Enos inſtituta non fuit vera religio, quamuis pijſſima: ipſe enim, vt dicitur Geneſis 4. *cæpit inuocare nomen Domini*, quæ inuocatio non poteſt intelligi de cultu Dei ordinario; ſed debet intelligi de ſpeciali aliquo cultu (non tamen incluſis votis eſſentialibus religionis, vt dictum

Digitized by Google

ctum eſt;) cum certiſſimum ſit Adam primum parentem, Abel iuſtum, & Seth virum ſanctum ante Enos inuocaſſe nomen Domini cultu ordinario ac ſacrificijs: Vnde noſter Vualdenſis, Bellarminus & alii docent Enos inſtituiſſe peculiarem aliquem cultum, & ſublimiorē, quàm eſſet religio vulgi, & veluti præludium ac initium vitæ religioſæ, & monaſticæ: ait enim Vualdenſis tomo 3. de Sacramentalibus cap. 150. loquens de Enos; *Primo meruit origo fuiſſe in forma religioſorum perfectorum in ſtatu naturæ*. Horum facit mentionem S. Chryſoſtomus homilia 20. in Geneſim, vbi ſic ait; *Sicut hic Enos vocatus eſt, eo quod innocauit nomen Domini Dei ſui, ſic & qui ex eo deinceps ducunt originem, eandem ſortiuntur appellationem*. Ex his concludit Iacobus Bolducus lib. 1. de Eccleſia ante legem cap. 13. Enos fundaſſe ſodalitatem quandam prophetarum, qui dicebātur Enoſæi, & poſtea Eſſeni vel Eſſæi. Huius ſodalitatis pietas ante diluuium fuit continuata per Cainam filium Enos, ex eodem authore libro citato cap. 15. Per Henoch pronepotem Cainam, de quo dicitur Geneſis 5. quòd *ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*; ambulare autem cum Deo, vt idem ait cap. 18. non eſt aliud quàm adhibitis quibuſdam cæremonijs totum ſe diuino ſeruitio ſolemniter, & perpetuò deuouere. Deuenit hoc inſtitutum ad Noe, de quo Geneſis 6. dicitur; *Vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit*, eodem modo ſcilicet ſpeciali quo Henoch. Poſt diluuium Noè hunc modum viuendi pium ac velut religioſum per Sem filium ſuum tranſmiſit ad poſteros: Vnde poſtea in populo Dei leguntur congregationes Nazaræorum, Prophetarum, Cinæorum, Rechabitarum, Eſſenorum, & Aſſidæorum, qui ad tempora Chriſti Domini peruenerunt: Eſſenorum originem ſic antiquam fatentur Plinius, & Solinus, quòd primus libro ſuæ hiſtoriæ cap. 17. dicat eos durare per ſæculorum millia; ſecundus autem per immenſum ſpatium ſæculorum. Horum ſucceſſores fuerunt Druidæ, de quibus agit Cæſar libro 6. de bello Gallico, religioſi auſteri ac magnæ venerationis in populo, qui præſertim in agro Carnutenſi degentes, in cauerna ſubterranea ſacellum & altare Virgini pariturę dedicarunt, ibique ſæpius in die conuenientes, ſacrificia, & preces eidem Sanctiſſimæ Virgini reuelatæ toto cordis affectu ac externis ſubmiſſionibus offerebant. Dum ipſe prætereundo ſacram Carnutenſem Eccleſiam tot inſignibus reliquijs ornatam, ac prædictum ſacellum eiuſdem Deiparę Virginis ſtatua, quam venerabiles illi religioſi ſæculis aliquot ante natiuitatem ipſius dedicauerunt, glorioſum viſitarem, fundationem ipſius a principio curioſè legi; ex qua colligitur euidenter, Venerabiles illos ſolitarios ſanam Eſſenorum fidem ac religioſum inſtitutum fuiſſe ſecutos, ſiue ab illis tranſmigrando ex Palæſtina proceſſerint, ſiue ſpeciali reuelatione Dei de fide fuerint inſtructi: Vnde penitùs eoſdem ritus, quos obſeruabant Eſſeni; Et eandem Virginis Mariæ Deum pariture doctrinam, quam ab Elia noſtro Patriarcha fideles eius diſcipuli traditam colebant Eſſeni, obſeruarunt ipſi & coluerunt, vt ex comparatione eorum, quæ referuntur de Eſſenis, ac illorum, quæ de venerabilibus Druidis leguntur, euidenter apparet: Propterea poſſumus nos Carmelitæ ſanctos illos Druidas (loquor iuxta traditionem Eccleſiæ Carnutenſis) Beatiſſimæ Virgini deuotos, tanquam Eliæ filios, ac fratres noſtros, & in florentiſſimo Galliæ regno prædeceſſores venerari, De his, ac alijs omnibus Eliæ filijs procedit hæc difficultas.

Probatur prima pars concluſionis vniuerſali & antiquiſſima traditione ordinis noſtri, ab alijs etiā recepta. Itē authoritate Doctorū noſtrorū ac etiam externorum, qui hoc docent ex profeſſo: Duos nunc afferam, ſcilicet Carthagenam Minoritam, & AEgydium Carmartum Minimum: Primus tomo 4. homiliarum lib. 17. homilia 2. ait; *Nec mihi vlla ratione*

ti one perſuadere poſſum, antiquos illos monachos ab Elia inſtitutos tria vota ſubſtantialia religionis non emiſiſſe: Secundus libro de rebus geſtis Eliæ cap.6. ſectione 8. comparans Eliam cum alijs prophetis ſic ait: *At Elias id habet præeminentiæ ſupra illos, quòd non ſolùm virginitatem excoluit, ſed & præterea author fuit cur plurimi diſcipulorum ei ſe penitùs addixerint: collegia enim, quæ inſtituit, viris in cœlibatu degentibus referta erant; quo fit, vt Hieronymus, Ioannes Hieroſolymitanus, Caſſianus, & alij quotquot de monaſticis rebus ſcripſerunt, aſſeruerint Eliam omnium monachorum parentem fuiſſe, qui tria eſſentialia religionis vota primus ipſe opere adimpleuit*: Et paulò poſt ſubdit; *Elias verò continentiæ ſtatum & ſibi & ſuis indixit*. Deinde probatur, tum ex his, quæ dicta ſunt in particulari de tribus votis eſſentialibus religionis: Tum ex his, quibus probatum eſt Eliam fundaſſe veram religionem, quæ ſubſiſtere non poteſt ſine tribus votis eſſentialibus. Denique probatur ſequenti ratione: Ex vna parte in antiqua lege fuerunt vota, etiam perpetua, vt conſtat ex ſacra ſcriptura, nam Geneſis 28. dicitur quod *Iacob vouit votum Domino dicens, Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, quam ego ambulo &c. erit mihi Dominus in Deum*; Item conſtat ex ſcriptura fuiſſe Nazaræos perpetuos, qui voto perpetuo, & abſoluto tenebantur ad abſtinentiam vini &c. Ex alia verò parte reperimus in antiqua lege viros inſignes vt noſtrum Eliam. Eliſæum, eorumque diſcipulos, qui de facto perpetuam obſeruarunt obedientiam, caſtitatem, & paupertatem, vt docet ſacra ſcriptura, & ſuo loco probatur, ac fatentur aduerſarij: Ergo in antiqua lege religio Carmelitana vixit cum obſeruantia trium votorũ eſſentialium a tempore Eliæ; hæc conſequentia ſequitur manifeſtè ex antecedenti; nam admiſſa poſſibilitate votorum eſſentialium religionis, vt fuit admiſſa in prima parte antecedentis, cum non ſit maior difficultas ipſorum, quàm aliorum quæ in ſacra ſcriptura reperiuntur obſeruata fuiſſe, & maximè a Rechabitis circa abſtinentiam a vino, circa ſolitudinem, circa contemptum corporearum commoditatum, propter quem nec plantare vineas, nec campos ſerere poterãt; quòd hæc facerent ex voto perpetuo, conſtat ex verbis concilij Senonenſis dicentis, *Si quis votum aliquod huiuſcemodi vouerit Domino, etiam ſi perpetuum fuerit, non faciet irritum verbum ſuum, ſed Deiparę Virginis, Annæ Samuelis matris, & Rechabitarum exemplo omne quod promiſerit implebit*: Admiſſa etiam perpetua rerum ſeu virtutum obſeruantia, vt fuit admiſſa in ſecunda parte antecedentis, neceſſariò neceſſitate morali videntur admittenda vota circa materiam talium virtutum; nam vt ait D. Thomas 2. 2. q. 186. ar. 6. ad 2. *non aliter homo poteſt totam vitam ſuam Deo exhibere, niſi per voti obligationem*; Cuius rationẽ Suarez (contra quem agimus) adducit tomo 3. de Religione libro 2. cap.3. dicens; *Cum hoc ſit de re valde difficili, & de ſe non neceſſaria, ſed voluntaria, niſi aliquo morali vinculo firmata ſit, facilè fluctuabit*: Imò ipſemet Suarez non alio quàm prędicto diſcurſu probat tomo 2. in 3. p. diſp. 24. ſectione 6. S. Ioannem Baptiſtam emiſiſſe votum virginitatis; quia ſcilicet vitam cœlibem, ac ſolitariã perpetuò agere decreuit: Et tomo 3. de Religione libro 8. cap. 2. eodem noſtro diſcurſu probat Apoſtolos emiſiſſe votum paupertatis, ait enim; *Ex ijſdem locis & verbis, quibus Chriſtus Dominus paupertatem conſuluit, votum hoc etiam conſuluiſſe colligendum eſt; quia ſi paupertatem conſuluit, ergo & perpetuitatem eius, ergo & immobilitatem, ſeu firmitatem propter quam votum adhibetur*: Similiter ipſe Suarez cum alijs Theologis, ac D. Thoma probat votum virginitatis Beatiſſimæ Virginis, ex obſeruantia eius perpetua: Quid ergo obſtat, quòd ex ſimili obſeruantia perpetua obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, concludatur fuiſſe in antiqua lege vota illarum virtutum; cum tunc fuerint viri ſanctiſſimi, & ſimul fuerint vota de alijs virtutibus

ſaltem

Digitized by Google

ſaltem æquè difficilibus; non enim apparet maior difficultas coniunctionis voti cum materia virtutum, ac perpetua earum obſeruantia in antiqua lege, quàm ſit in lege gratię, vt conſtabit ex ſolutione eorum, quæ adducit Suarez.

Probatur ſecunda pars concluſionis eodem argumento quo prima; nam inuenimus apud fideles authores, Eſſenos ſucceſſores Filiorum prophetarum vixiſſe cum obſeruantia perpetua obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis;pro qua firmanda, iuxta ſuperiorem diſcurſum, neceſſaria fuit votorum emiſſio. Deinde, ex Ioſepho, Philone & alijs certum habetur quòd Eſſeni, qui ſuo loco probantur eſſe alumni noſtræ religionis Carmelitanæ, iuramenta faciebant de obſeruantijs ſuis regularibus, inter quas continebantur illæ virtutes, quæ ſunt materia votorum eſſentialium religionis: Sed medijs illis iuramentis, quæ votis æquiualent,nec minorem habent firmitatem, ac immobilitatem, profeſſionem religioſam emittebant, vt ipſe Suarez docet de ijſdem Eſſenis iam Chriſtianis; ait enim tomo 3. de Religione lib. 6. cap. 1. *Diximus hos Eſſenos fuiſſe monachos, qui in Alexandria ſub Marco Chriſtianam religionem profitebantur; Vnde per illud iuſiurandum religioſa profeſſio ſignificari videtur*: Ergo religio Carmelitana vixit cum obſeruantia trium votorum eſſentialium,non ſolùm tempore Eliæ,ſed & deinceps toto tempore legis antiquæ, quo perſeueraſſe ſemper abſque interruptione,ſuo loco probatur.

Probatur tertia pars concluſionis ex his, quæ cõtra concluſionem adducũtur in principio; hanc enim partem, & non ampliùs probant; nec adhuc efficaciter probant, propterea antiqui Doctores ordinis & alij plures conſtituerunt in antiqua lege vota ſubſtantialia ſeu eſſentialia religionis abſque hac modificatione, quam tamen admittimus cum recentioribus, vt conformemur deciſioni ſupremi Senatus Inquiſitionis Hiſpanicæ in iudicio contradictorio nouem annorum ſpatio ab vndecim Illuſtriſſimis Iudicibus factæ, qua decretum eſt, in antiqua lege fuiſſe verum monachatum, & religionem cum votis perpetuæ caſtitatis,& virginitatis, item obedientiæ perpetuæ, ac paupertatis voluntariæ; ita tamen quòd monachatus non fuerit in illa lege cum ea ſolemnitate, perfectione,& poteſtate clauium,prout in lege gratię: Hoc decretum fuit impreſſum idiomate Hiſpanico, translatum autem de verbo ad verbum in Latinum ſic habet. In Vrbe Matrito die 9.præſentis mẽſis Decẽbris anni 1639.Aſſiſtente Illuſtriſsimo Dom. Archiepiſcopo Inquiſitore Generali,vnà cum Dominis Regij cõſilij ſanctæ generalis Inquiſitionis: viſo & examinato memoriali, quòd præſentauit religio Carmelitarum Diſcalceatorum,in defenſionem quarundam propoſitionum contentarum in primo tomo Hiſtoriæ propheticæ, compoſitæ per Fratrem Franciſcum a Sancta Maria eiuſdem ordinis alumnum: Ac ſimul viſis & examinatis qualificationibus ſupra dictum memoriale ex eius mandato factis.

Dixerunt, quòd primæ quinque propoſitiones, & octaua primę partis dicti Defenſorij, ſcilicet.

Quòd in lege ſcripta fuit votum caſtitatis & virginitatis perpetuæ.

Quòd mulieres fecerunt votum virginitatis in lege ſcripta.

Quòd in lege ſcripta fuit votum obedientiæ perpetuæ.

Quòd in lege ſcripta fuit votum paupertatis voluntariæ.

Quòd in lege ſcripta fuit verus monachatus & religio.

Quòd non eſt dignum cenſura dicere, quòd ſolus Sanctus Propheta Elias reliquit ſucceſſorem in prophetia factum ab ipſo.

Currant impreſſæ vt iacent,& de nouo poſſint imprimi: Dummodo declaretur,non fuiſſe monachatum in lege ſcripta cum ſolemnitate, & perfectione,& cũ poteſtate clauium,ſicut in lege gratiæ; quia iſtius (in tota ſua perfectione) author,& inſtitutor fuit Redemptor noſter Ieſus Chriſtus, & illius in lege ſcripta

Digitized by Google

fuit cauſa exemplaris, & meritoria.

Et quantùm ad propoſitiones ſecundę partis dicti memorialis, ſeù diſputationis in qua tractatur de virtutibus, excellentijs, & prærogatiuis Sancti Prophetæ Eliæ.

Dixerunt, quòd prima propoſitio, ſcilicet, *quòd Sanctus Propheta Elias magis pertinet ad legem gratiæ, quàm ad legem ſcriptam, & quòd in toto rigore eſt ſanctus noui Teſtamenti, & non veteris*. Poteſt currere, ſublata negatiua hac; *Et non veteris*.

Et ſecunda propoſitio, *Quòd Elias, & Enoch erunt veri Apoſtoli*, quando veniēt Præcurſores aduentus Chriſti Redemptoris noſtri, cum poteſtate conceſſa per ipſummet Chriſtum; ad gubernandam Eccleſiam tempore ſuæ prædicationis. Currat: Addendo quòd iſta poteſtas erit ſubordinata Summo Pontifici, inferior, inæqualis eius poteſtati Pontificiæ.

Et tertia, & quinta: *Quòd Enoch, & Elias prędicabunt Euangelium in toto Mundo, & conuertent illum ad Chriſtum, & facient magna miracula in confirmationem illius: Et quod Elias, & Enoch viderunt Chriſtum Redemptorem noſtrum oculis corporeis, & ab ipſo fuerunt inſtructi in myſterijs fidei*. Poſſint ſic, & eodem tenore currere.

Et quantum ad propoſitiones defenſas in tertia parte dicti Defenſorij ſiue tractatus de Sanctitate Prophetę Elię: Dixerunt, quòd prima: *Quòd Sanctus Propheta Elias adæquat in Sanctitate magnum Baptiſtam*. Et ſecunda: *Quòd æqualis eſt in Sanctitate Apoſtolis*, poſſint currere, & currant liberè.

Prædictus Hiſtoriæ propheticæ liber fuerat ad Inquiſitionis Hiſpanicæ Tribunal delatus a quibuſdam æmulis: ſed præadducta fauorabili ſententia fuit abſolutus, cum doctiſſimus eius author reddens rationem ſuæ doctrinæ, grauiſſimos, & communitèr receptos doctores tàm ſæculares, quàm regulares ex omni ferè religioſo ordine protulit, ex quibus ſuam doctrinam hauſerat; quos proinde, ſi quid mali continerent, priùs damnandos affirmabat tanquam errorum origines, quàm ſuum librum ex eis deriuatum.

AD primùm ergò dicendum quantùm ad primam partem, quòd quidem perfectio completa ſtatus religioſi debuit reſeruari ad tempus legis gratiæ, vt probant rationes adductæ: perfectio tamen inchoata, & eſſentialis ſtatus religioſi potuit præcedere, & de facto præceſſit in antiqua lege: Vnde ad authoritatem Apoſtoli dicendum, quòd in illis locis loquitur de operibus legis, non de operibus fidei, qualia fuerunt vota Religionis in antiqua lege; vel ſi loquitur de operibus fidei; ſolùm vult quod non adducunt ad perfectionem completam vt plurimum, ſicut adducunt opera legis gratiæ; quamuis aliqui fuerint in antiqua lege perfectiſſimi, vt noſter Elias, Eliſæus, Ioannes Baptiſta, &c. Quantùm ad ſecundam partem dicendum, quòd vota eſſentialia religionis cum adducta modificatione perfectionis inchoatæ non repugnant, ſed potius congruunt antiquæ legi: Et perfectio voti perpetui fuit cognita in antiqua lege, nec excedebat ſtatum eius; imò ſufficientèr colligitur ex Sacra Scriptura, quòd plures fuerunt in antiqua lege obedientes, virgines, & pauperes ex voto perpetuo: Et quia in antiqua lege fuit fides in Chriſtum venturum, aliqui præcipui ex credentibus potuerunt habere obedientiam, caſtitatem, & paupertatem voto firmatam, licet non cum ea ſolemnitate, ac perfectione completa, vt in lege gratiæ, ad quam requiritur habere Chriſtum Dominum tanquā principem, & ducem expreſſè, ac manifeſtè propoſitum; quamuis ad perfectionem inchoatam, & eſſentialem ſtatus religioſi ſufficiat illum habere propoſitum implicitè per fidem; Sanctus autem Hieronymus loquitur de obedientia quantùm ad completam perfectionem, ſicut & Sanctus Petrus de paupertate; Et licet caſtitas tunc non eſſet communitèr ſub conſilio, erat tamen apud aliquos præcipuos illius legis.

AD ſecundum dicendum, quòd tria vota

Digitized by Google

vota eſſentialia religionis fuerunt introducta in congregationem Carmelitanam ab Elia propheta eius fundatore, vt conſtat ex ſupra, & alibi dictis, & colligitur euidentèr ex Sacra Scriptura. Vnde ad impugnationem voti obedientiæ dicendum cum Gaſpar Sanchez lib. 1. cap. 22. quod Elias dum Eliſæo pallium iniecit, ad ſuum inſtitutum vocauit, vnctio igitur fecit prophetam, pallium autem contubernalem, & monachum; votum autem obediẽtiæ Eliſæi ex perpetuo eius exercitio concluditur, conſtat autem ex Sacra Scriptura, quòd ſemper deinceps obediuit, & miniſtrauit Eliæ. Ad impugnationem voti caſtitatis fusè dictum eſt q. 1. ar. 2. vnde nunc breuitèr dicendum, quòd Beatiſsima Virgo Maria titulis huiuſmodi honorificis inſignitur à Sanctis Patribus, quia fuit prima Virginum ordine intentionis, & cauſa exemplaris cœterorũ: Illud autem præceptum diuinum, ſi quod fuit, in principio quidem obligauit ad multiplicationem populi fidelis, non autem poſtea illo iam multiplicato: Giezi autem, vel non fuit tunc verè religioſus, vel dimiſsus propter ſimoniam poſtea nupſit: Ille alius, cuius vxor relicta venit ad Eliſæum, creditur fuiſſe Sanctus Abdias propheta, qui ab ipſa conſentiente ſeparatus factus eſt religioſus. Ad impugnationem voti paupertatis, dicendum quòd omnia obiecta ſunt ita debilia, vt ſeipſis corruant; omnia enim quæ Elias, Eliſæus, & filij Prophetarum habebant, poſt inſtitutam Religionem Carmelitanam, vel erant ex eleemoſynis actu collecta, vel erant communia nulli propria.

AD Tertium dicendum, quòd ſolùm probat vota religionis in antiqua lege non fuiſſe cum ea ſolemnitate, ac nunc ſunt in lege gratiæ; ſed non probat, quòd non fuerint ſufficientia ad fundandum ſtatum religioſum; maximè quia Patres ſocietatis docent ſuos eſſe verè Religioſos cum votis ſimplicibus: Dicimus igitùr, quòd tunc vota religionis erant ſufficientia per hoc quod inducebant mutuam obligationem perpetuam, inter religioſum vouentẽ, & religionem vota acceptantem; ex parte quidem religioſi, ad ſeruiẽdũ perpetuò religioni; ex parte verò religionis ad nutriendũ, inſtruendum, & regendũ religioſum per vota profeſſum: nõ autẽ habebant eã ſolemnitatẽ, quam nunc in lege gratiæ, ex maiori votorum ipſorum perfectione, & ex poteſtate clauium prouenientem: Vnde dicendum, quòd tunc votum obedientiæ ſemper, & in grauibus obligabat, quòd votum caſtitatis irritabat matrimonium contrahendum, & votum paupertatis excludebat omne dominium; nullus enim ex his, qui tunc inſtitutum Elianum, ſiue Religionem Carmelitanam amplexati ſunt, habuit quicquam proprium, aut contraxit matrimonium, niſi fortè expreſſo Dei mandato, qui poteſt in omnibus votis diſpenſare; quòd dictum eſt propter Oſeã prophetam, ſi verè fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

ARTICVLVS V.

Vtrum Elias Propheta habuerit, & introxerit in ſua Religione Carmelitana ſpiritum miſſionum.

AD QVINTVM ſic proceditur: Videtur quòd Elias propheta nec habuerit, nec introduxerit in ſua Religione Carmelitana ſpiritum miſſionum. Ita tenuerunt aliqui ex noſtris. Probatur: Elias Propheta ſolùm fundauit conuentum ſuæ Religionis in monte Carmelo; Et Eliſæus ſucceſſor, ac hæres ſpiritus eius ſolùm fundauit alium conuentum propè fluenta Iordanis in ſolitudine, vt conſtat ex Sacra Scriptura: Ergo Elias Prophera, nec habuit, nec introduxit ſpiritum miſsionum in ſua Religione Carmelitana.

¶ 2. Præterea: Regula primitiua à B. Alberto Patriarcha Ieroſolymitano tradita, præcipit Carmelitis, vt habitent in eremis, ait enim; *Loca autem habere poteritis in eremis*: Quod ſatis indicat talem

lem fuiſſe ab initio Religionis Carmelitanæ conſuetudinem, vt eius alumni propriæ vacarent ſaluti, proximorum verò ſalutem orationibus, & pœnitentijs, non autem externis miſsionum exercitijs procurarent iuxta illud Iacobi Cardinalis de Vitri memorialis cap. 22. *Carmelitæ iuxta fontem Sancti viri Eliæ in Carmelo vitam ſolitariam agebant, in aluearijs modicarum cellularū tanquam apes Domino dulcedinem mellificantes*: Ergò ſignum eſt euidens, quòd Elias propheta non habuit ſpiritum miſsionum, nec illum introduxit in ſua Religione Carmelitena.

¶ 3. Præterea: Ex communi ſententia, & cōſenſu totius Religionis Carmelitanæ patet, quòd iuxta puritatem regulæ primitiuæ principalior pars inſtituti noſtri ſit contemplatio; dicitur enim in prologo Conſtitutionum Diſcalceatorum: *Noſtræ Religioni duplex bonum hoc ordine ſeruato diuinitùs collatum, vt potior eius pars eſset rerum diuinarum contemplatio, & amor, poſterior autem eſset actio, ea præſertim quæ ad proximorum ſalutem pertinet*: Vnde certum eſt hoc inſtitutum ab Elia fundatore in Religionē Carmelitanam ſucceſsione continuata proceſsiſse; Et conſequentèr non poteſt præſumi, quòd Elias introduxerit in ſua Religione Carmelitana aliquid repugnās principaliori parti inſtituti ipſius, ſcilicet contemplationi: Sed contemplationi repugnat ſpiritus miſſionum, cum requirat in ſui exercitio conuerſationē, ac inſtructionem, quæ duo repugnant contemplationi, hæc enim receſſu, & ſilentio fouetur: Ergo Elias propheta non habuit ſpiritum miſſionum, nec illum introduxit in ſua Religione Carmelitana.

SED CONTRA eſt communis ſenſus noſtræ Diſcalceatorum congregationis fundatus in authoritate Sacræ Scripturæ, & in exemplo Sanctorum Religionis Carmelitanæ.

CONCLVSIO.

Elias Propheta habuit ſpiritum miſsionum, illumque, introduxit in ſua Religione Carmelitana.

RESPONDEO dicendum, quòd Elias Propheta habuit Spiritum miſſionum 2. Et eum introduxit in ſua Religione Carmelitana 3. Vnde propriè conuenit ei iuxta modum ipſi præfixum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd per ſpiritum miſsionum intelligimus deſiderium efficax, & zelum effectiuum ſalutis animarum, & præcipuè in conuerſione infidelium: Hic miſſionum ſpiritus abſolutè eſt bonus, & maximè laudabilis; Cum Chriſtus Dominus illum habuerit, imò cum ad ſalutem animarum in mundum veniens tot labores, & ipſam crucis mortem paſſus fuerit, illumque ſuis Apoſtolis, ac diſcipulis infuderit dicens; *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Propterea S. Dionyſius Galliarum Apoſtolus dixit, quòd *omnium diuinorum diuiniſsimum eſt cooperari ad ſalutem animarum*: Et S. Ioannes Chryſoſtomus oratione de B. Philogono ait; *Quam multa propter hunc gregem paſſus ſit Chriſtus, homo factus eſt, ſerui formam aſſumpſit, conſputus eſt, & alapis cæſus eſt, poſtremò nec mortem recuſauit, & quidem ignominioſiſsimam, quin & ipſum ſanguinem ſuū effudit; Itaque ſi quis voluerit illi commendatus eſse, curam habeat ouium illius, publicam quærat vtilitatem, fratrum ſuorum ſaluti proſpiciat, nullum enim officium hoc Deo carius*; Idem communitèr docent alij Sancti Patres: Sed quia fieri poteſt, vt illud, quòd abſolutè bonum eſt, non ſit bonum alicui ob ſpecialem aliquam rationem; ſicut in hac eadem materia nō eſt bonum Carthuſiano habere effectiuū ſpiritum miſsionum, ideò præſens dubium decidimus.

Probatur prima pars concluſionis authoritate expreſſa Sacræ Scripturæ, in qua habetur, quòd S. Elias propheta non

non

non ſolùm motione interna Sancti Spiritus, ſed etiam expreſſo Dei mandato ſe in procuranda ipſius gloria, conuerſione populi Iudaici, ac deſtructione idololatriç totis viribus exercuerit ſub impijs Regibus Iſrael; in quibus conſiſtit ſpiritus miſsionum; Propterea Concilium totius Iſrael in monte Carmelo congregagauit, cumque ibi manifeſto miraculo populum conuerſum ad vnius veri Dei cultum reduxiſſet, falſos Prophetas Baal interfecit, vt occaſionem ſcandali, & infidelitatis reſcinderet: Ergo Elias propheta habuit ſpiritum miſsionum, non ſolùm ante fundationem Religionis Carmelitanæ; ſed etiam poſtea; legitur enim quòd occurrerit nuntijs Regis Ochoziæ, vt nouam eius idololatriam impediret, remittens illos ne accederent ab Beelſebub Deum Accaron; imò Elias hunc ſpiritum amplius exercebit ſub perſecutione Antichriſti, quaſi dux, & anteſignanus omnium miſſionariorum illius temporis.

Probatur ſecunda pars concluſionis: Tum communi, & antiqua traditione noſtræ Religionis: Tum continuata ſerie Sanctorum Illuſtrium alumnorum ipſius qui per ſingula ſæcula ſpiritum miſsionum exercuerunt, tanquam ab Elia introductum in ſua Religione Carmelitana, ac ipſi conuenientem. Et primò conſtat de Eliſæo Propheta, ſucceſsore, ac immediato Eliæ diſcipulo, quòd ſuſcepit miſsionem in Damaſcum Syriæ Curiam, & illuc miſit filios prophetarum propheticæ Carmelitanæ Religionis alumnos. De Iona conſtat, quòd fuit deſtinatus à Deo pro conuerſione Niniuitarum, quamuis ob ſpecialem cauſam recuſaret in Niniuem ire. Deinde conſtat de Michea filio Iemla, Addia alijſque Prophetis, qui continuè pro conuerſione Infidelium laborarunt. Conſtat etiam de Ionadab, Rechabitis, Eſſenis, & Aſsidæis, quòd vrgente neceſsitate ſolitudinem relinquebant ad procurandam ſalutem animarum toto tempore legis antiquæ, & in principio legis gratiæ, ac naſcentis Eccleſiæ conuerſi ad fidem Chriſti Carmelitæ religioſi ſtrenuiſsimè Euangelium tàm in Oriente, quàm in Occidente prædicauerunt, Apoſtolorum coadiutores effecti; quod officium eodem zelo ſuccedentibus ſæculis exercuerunt plures ſancti ſucceſſores eorum, vt Angelus, Albertus, Petrus Thomas, & Andreas Feſulanus, vt conſtat ex ipſorum hiſtorijs. Denique Sancta Mater noſtra Thereſia Religionis Carmelitanç reſtaurattix, videtur noſtram Diſcalceatorum congregationem inſtituiſſe, vt miniſtros Eccleſiæ ſubminiſtraret; ad defendendã fidem Catholicam contra tunc inſurgentes hæreticos, Lutheranos, & Caluiniſtas, cui Apoſtolico officio ſe ſuaſque moniales conſecraſſet, ſi virginalis ſexus non obſtitiſſet: Eius filij pijſſimæ matris zelum imitantes, aucta tantiſpèr congratione varias miſſiones ad plurimas Orbis partes inſtituerunt, vbi mirabiles animarum fructus colligunt, vt infra dicetur, & toto libro 8. noſtri Itinerarij Orientalis quaſi teſtis oculatus duodecim annorum ſpatio retuli: vnde in quatuor orbis partibus, Europa, Aſia, Africa, & America plures conuentus, & reſidentiæ noſtrorum Carmelitarum Diſcalceatorum, pro conuerſione infidelium, & hæreticorum inueniuntur: Vt autem idoneos miniſtros tali officio noſtra congregatio præpararet, præter eremiticos conuentus ſoli religioſorum profectui deſtinatos, & alios etiam ſaluti proximorum fidelium procurandæ inſtitutos, inſtituit Collegia, & Seminaria, in quibus doctrina ſcholaſtica, controuerſiæ, & linguarum peritia edocentur; ſed præcipuum eſt Seminarium Romanum, olim apud Sanctam Mariam de Victoria, vbi tribus annis ſtudui, nunc apud Sanctum Pancratium vbi hæc ſcribo, cuius monaſterium Abbatiale ab Eminentiſsimo, ac Reuerẽdiſsimo D. Cardinale Franciſco Maidalchino liberalitèr nobis conceſſum, ad hunc effectum Sanctiſsimus Dominus noſter Alexãder VII. cum totius Romanæ Vrbis applauſu, ſanè paterno fauore confirmauit in perpetuum: Quin imò in regula primitiua Car-

Carmelitarum videtur expreſsus hic animarum zelus; dicitur enim quòd congregati Fratres Dominicis diebus, vel alijs, vbi opus fuerit, de cuſtodia ordinis, & animarum ſalute tractent: nec hoc reſtringi debet ad animas religioſorum, cum de illis in ſubſequentibus agat, ſed potius intelligendum eſt de animarum proximorum. Quòd totum confirmatur ex reuelatione Beatiſſimæ Virginis Mariæ Sancto Cyrillo Conſtantinopolitano quondam noſtræ Religionis Carmelitanæ Generali facta: nam vt refert Petrus Saracenus in eius vita, Sanctiſsima Virgo Deipara, Carmelitarum ſoror mater, & patrona ſingularis, prædicto S. Cyrillo, ſuiſque Carmelitis ex Chriſti Domini voluntate miſsiones ſuadet in orbem vniuerſum, dicens illi; *Orbem vniuerſum illuſtrate*: Certum autem quòd Sanctiſsima Virgo non inſpiraſset Carmelitis ſpiritum miſsionum, ſi non vidiſſet eum conformẽ introductioni fundatoris ipſorum.

Probatur tertia pars concluſionis: Tùm ex his, quæ docet noſter Thomas à Ieſu in ſuo ſtimulo miſsionum, vbi probat efficacitèr, & ex profeſso, quòd ſpiritus miſsionum propriè conuenit noſtræ Religioni Carmelitanæ: Tùm exemplo Patrum, qui noſtram Diſcalceatorum Italicam congregationem inſtituerunt, qui illum hæreditario, & flagrantiſsimo Eliæ zelo non ſolum intra dictam congregationem excitarunt, & fouerunt, ſed in tota Eccleſia feruentiorẽ reddiderunt: nam V. P. Petrus à Matre Dei, dum Clementis VIII. eſſet Apoſtolicus concionator, dictum Pontificem inducere voluit ad fundandam congregationem de Propaganda Fide, & ipſum induxit, vt aliquot è noſtris mitteret in regnum Perſidis ad Infidelium conuerſionem: Et V. P. Dominicus à Ieſu Maria toto notiſsimus orbe propter vitæ ſanctitatem, & mira quæ fecit, huius Congregationis de Propaganda Fide inſtitutionem apud Gregorium XV. non ſolùm conſilio, ſed & opera promouit; multa ſiquidem aureorum millia pro fundandis miſsionum redditibus ex piorum eleemoſynis collecta huic Sacræ contulit Congregationi; vt amplius infra declarabitur; propterea quandiu vixit inter Eminẽtiſsimos Cardinales, & alios Præſules huic Sacræ Congregationi priuilegio ſpeciali aſsiſtebat. Deinde probatur expreſſo Capituli noſtri Generalis anno Domini 1632. Romæ congregati decreto, quo hæc tertia pars concluſionis firmatur, & ſimul declaratur modus præfixus ſpiritui miſſionum in noſtra Coogregatione: ſic autem habet illud decretum. *Actum eſt de miſſionibus; Cum enim R. P. N. Præpoſitus Generalis ante aliquos dies indixiſſet Patribus, vt magna cum attentione, ac maturitate ſecum cogitarent, & fuſis precibus enixè à Deo peterent, vt diuino lumine perfuſi diſcernere, ac deliberare poſſent, an ſpiritus miſsionum ſtatui noſtro congrueret, vel illi aduerſaretur; vt ablatis nonnullorum opinandi, ac loquendi modis, idipſum deinceps diceremus, ac ſentiremus omnes, quodque in hoc capitulo in Spiritu Sancto congregato, & cui ipſum Spiritum Sanctum peculiari modo aſsiſtere indubitatum eſt, communibus omnium calculis decerneretur; id certum, firmum, ſanctumque poſt hac haberent omnes, & ne latum vnguem ab hac ſententia diſcedere, ac in contrariũ loqui deinceps alicui liceret, imò contrarium cogitare velut piaculum ducerent omnes: Hæc demum vox omnium vna fuit, tale animarum lucrandarum ſtudium optimè cum inſtituto noſtro congruere, quòd licet contemplationi primùm, ac principalitèr incumbat, non tamen contemplatiua vita totalitèr ſuos alumnos addicit, ſed etiam ſecundariò actioni, ac proximorum ſaluti, tanquam contemplationi minimè repugnanti attendere præcipit, die noctuque in cella Deo vacare iubet; iuſtas tamen occaſiones excipit; nullam autem eſſe iuſtiorem, quàm eam quæ de lucrandis animabus ſeſe offert, vnanimi conſenſu ſemper ſenſerunt omnes: Hoc profectò ſtudium naſcentis religionis tempore viguiſſe compertiſſimum eſt, cuius veritatis quæ omniũ animis iam inſedit, luculentiſſimos teſtes habe-*

Digitized by Google

habemus Illuſtriſſimos martyres, Angelũ, Anaſtaſium, Petrum Thomam, vt innumeros alios prætereamus, qui profuſo pro animabus lucrandis proprio ſanguine, veritatem hanc ipſo tenore, quem fuderunt, veluti ſcriptam teſtatamque poſteris reliquerunt: Nec alius fuit Sanctiſſimæ Matris noſtræ Thereſiæ ſpiritus, quæ moniales ipſas eo fine inſtituit, vt pro prædicatoribus, & ijs qui in lucrandis animabus inſudant, continuas Deo preces effunderent; homines verò vt Deo primùm vacantes, mox exẽplo, ſtudio, prædicatione proximos iuuarẽt; qua ſuperſtite & adhuc in viuis agente, religioſi noſtri non pauci ad miſſiones, pro animabus Infidelium lucrandis, in terras infidelium miſſi ſunt: Hoc ſpiritu congregatio noſtra alumnos ſuos ſemper aluit; nam præterquam in morem inductum eſt, vt ſingulis annis bis ſolemni ritu profeſſionem renouantes, vnuſquiſque firmum addat propoſitum ad terras infidelium pro conuerſione hæreticorum iturum, cum votis ipſius obedientię iuſſio acceſſerit; In primo Capitulo generali celebrato Romæ, quòd ex primis illis ac lectiſſimis congregationis noſtrę Patribus, in quibus exactiſſimę obſeruantię vigor, ac ardentiſſimus religionis zelus vigebat; omnes, etiam ipſe Præpoſitus Generalis, Definitores Generales, & omnes gremiales capituli proprijs officijs renuntiantes ſe miſſionibus deuouerunt: Hinc Pontifices Summi in ſuis bullis ac diplomatibus tale lucrandarum animarum ſtudium approbantes, propria authoritate, proprioque (vt aiunt) motu religioſos noſtros ad remotiora regna, vt Chriſti Saluatoris negotium in lucrandis animabus agerent, non ſemel deſtinauerunt: In hoc tamen conuenerunt omnes capituli Patres, vt ſtudium hoc ita à noſtris Patribus perficiatur, vt potioris partis inſtituti memores ſint, & negotia alia, quæ ad animarum conuerſionem minimè ſpectant, omninò relinquant; imò optare ſe vniuerſi Patres apertè ſignificarunt, vt qui ad huiuſmodi miſſiones deputantur contemplationi maximè addicti eſſent, & ab ipſis eremis cum iter arripiunt, vela explicarent, Et vt in terris ad quas pergunt, ſi fieri poteſt conuentus noſtros fundari curent, & quoad fieri poteſt receſſus curam gerant; Et vbi hoc obtineri non poteſt, locum aliquem habeant, ad quem aliquando redeuntes more oculatorum animalium, quæ vidit Ezechiel, iterum & iterum reuertantur in modum fulguris, nouo concepto feruore, nouiſque virtutum radijs coruſcantium. Hæc habentur in tali decreto capituli generalis: Ex quibus conſtat quomodo ſpiritus miſſionum propriè conuenit noſtræ religioni Carmelitanæ, iuxta modum ipſi præfixum.

AD Primum ergo dicendum, quòd ſatis conſtat ex ſacra ſcriptura, quomodo Sancti Prophetæ Elias, & Eliſæus habuerint ſpiritum miſſionum: Quòd autem fundauerint in eremis, demonſtrat ipſos principalius fundaſſe ſuam religionem Carmelitanam in contemplatione, & minùs principaliter in actione circa ſalutem animarum, quæ ex contemplatione redundat potiùs, quàm ei opponatur, dum talis actio debitè exerceretur; legitur tamen in ſacra ſcriptura, fuiſſe aliquos conuentus religionis Carmelitanæ ab Elia inſtitutæ in Vrbibus Palæſtinæ, prępſertim in Bethel & Samaria, vbi opus erat ſpiritu miſſionum, propter idololatriam ibi vigentem circa vitulos aureos.

AD Secundum dicendum, quòd probat tantùm potiorem partem inſtituti noſtri eſſe contemplationem; non autem excludit, quin actio externa circa ſalutem animarum ſit etiam ſecundariò conueniens ipſi: Quòd ſi plures Carmelitæ ſaluti ſuæ vacent in eremis, plures alii ſunt, qui in miſſionibus proximorũ ſalutẽ procurãt; Hoc enim humani habet ſolatii noſtra congregatio, quod habeat conuentus eremiticos pro viris contemplatiuis, Et alios pro habentibus ſpiritum miſſionum, & iuuandi proximum; Et ſic habet vt ſatisfaciat omni ſpiritui.

AD Tertium dicendum, quòd actio circa ſalutem animarum procurandam, debitè exercita iuxta modum nobis præfixum, non repugnat contemplationi, imò ex contemplatione redundat: nec enim

nim in hac vita mortali datur pura contemplatio, quæ omnem excludat actionem; Vnde moderata conuerſatio cum proximo, & eius inſtitutio ſalutaris non repugnant contemplationi; ſicut repugnarent, ſi immoderatè aſſumerentur. Maximè quia Deus ſolet interna dulcedine reficere eos, qui cooperantur ipſi ad ſalutem animarum; & abundantius, ac breuius aliquando, quàm reficiat ſolitarios.

QVAESTIO III.

De maxima Sanctitate Eliæ Prophetæ:

AVDITA fundatione religionis Carmelitanæ, per Eliam Prophetam, ſtatim occurrit inueſtigandum de ipſo Elia Fundatore, quis fuerit: Vnde primo agitur de eius ſanctitate, ſecundo de dignitatibus, & prærogatiuis, tertio de ſtatu ipſius præſenti & de futuro. Circa primum quęruntur quatuor.

¶ Primo, Vtrum S. Elias Propheta meritò dicatur ſimilis Chriſto.

¶ Secundo, Vtrum S. Elias Propheta futurus ſit Sanctiſſimus.

¶ Tertio, Vtrum S. Elias Propheta ſit æqualis in Sanctitate Sancto Ioanni Baptiſtæ.

¶ Quarto, Vtrum S. Elias Propheta ſit æqualis in ſanctitate Apoſtolis Chriſti.

ARTICVLVS I.

Vtrum S. Elias Propheta meritò dicatur ſimilis Chriſto.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd S. Elias Propheta nō dicatur meritò ſimilis Chriſto. Probatur authoritate ipſiuſmet Chriſti, qui Sanctis Apoſtolis Iacobo, & Ioanni ſuadentibus ipſi vt tonitru ſubuerteret illam Ciuitatem, quæ noluerat ipſum recipere; Reſpondit quòd non erant jn diebus Eliæ, quaſi vellet dicere ſe eſſe mitem, & manſuetum, cum Elias fuerit zelans, & ſeuerus: Ergo S. Elias Propheta non dicitur meritò ſimilis Chriſto.

¶ 2. Pręterea: Eſto Sanctus Elias Propheta in aliquibus fuerit aſſimilatus Chriſto, in pluribus tamen eſt ipſi diſſimilis, vt patet conſideranti; præſertim quia Chriſtus Dominus eſt Deus infinitus, Elias autem eſt creatura finita: Sed inter Deum infinitum, & creaturā finitam non eſt propriè ſimilitudo, cum ſit infinita diſtantia: Ergo Sanctus Elias Propheta non dicitur meritò ſimilis Chriſto.

¶ 3. Præterea: Si Sanctus Elias Propheta diceretur meritò ſimilis Chriſto, pari ratione plures alij Sancti poſſent etiam dici ſimiles Chriſto, vel titulo maioris ſanctitatis, vel alijs particularibus titulis: Sed alij Sancti non dicuntur ſimpliciter ſimiles Chriſto, at tantùm ſecundùm quid; vnus in aliqua perfectione particulari, alius in alia: Ergo S. Elias Propheta non dicitur meritò ſimilis Chriſto.

SED Contra eſt authoritas Sanctorum Patrum, ac illuſtrium Doctorum, præſertim S. Auguſtini Sermone 201. de tempore, Drogonis Epiſcopi Oſtienſis Sermone de Sacramento Dominicæ Paſſionis, & Saliani ad annum 3139. num. 33. vſque ad 45.

CONCLVSIO.

Sanctus Elias Propheta meritò dicitur ſimilis Chriſto, quia in multis ei aſſimilatur.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Elias Propheta meritò dicitur ſimilis Chriſto. Ad cuius euidentiam ſciendū eſt, quòd præſens difficultas procedit ſolùm de Chriſto Domino quatenus eſt homo:

Digitized by Google

homo: nam Deo nulla creatura propriè dicitur ſimilis, cum creatura tantùm conueniat analogicè cum Deo, quæ conuenientia eſt valde defectuoſa; Et ita potiùs creatura dicitur facta ad ſimilitudinem Dei, quàm facta ſimilis, iuxta illud Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: Titulus autem præſentis difficultatis importat ſimilitudinem in conuenientia vniuoca, quàm ponimus inter Sanctum Eliam Prophetam & Chriſtum Dominũ quatenus hominem in multis perfectionibus, priuilegijs & prærogatiuis; quæ ſimilitudo, licet non perfecta noſtrũ reddit Eliam cunctis commendabilem, ac plurimum venerabilem. Cum enim Chriſtus Dominus, etiam vt homo ſpecificatiuè ſit filius Dei naturalis, & vnigenitus, primogenitus mortuorum in multibus fratribus; ſequitur quòd eſt maxima perfectio in alijs Sanctis aſſimilari Chriſto, & eò maior, quò maior eſt ſimilitudo; quia alij ſancti ſunt filij Dei tantùm adoptiui, & filiatio adoptiua eſt quædam participatio filiationis naturalis, & hæc eſt exemplar filiationis adoptiuę: Vnde generaliter loquendo, tantò eſt perfectior filius adoptiuus, quantò magis aſſimilatur filio naturali aliàs perfectiſſimo.

Probatur concluſio authoritate S. Auguſtini loco citato, vbi ſic ait: *Beatus Elias typum habuit Domini Saluatoris*: circa medium ait; *Elias ergo, ſicut diximus, figuram habuit Domini Saluatoris*. Et ſub finem addit; *ſicut ergo ſupra diximus, Sanctum Eliam intelligite typum habuiſſe Domini Saluatoris*: Quod inductione longa ſic demonſtrat; *Sicut enim Elias a Iudæis perſecutionem paſſus eſt, ita & verus Elias Dominus noſter ab ipſis Iudæis reprobatus eſt, & contemptus; Elias reliquit gentem ſuam, & Chriſtus deſeruit Synagogam; Elias abijt in deſertum, Et Chriſtus venit in Mundum; Elias in deſerto coruis miniſtrantibus paſcebatur, Et Chriſtus in deſerto mundi huius Gentium fide reficitur, corui enim illi, qui Beato Eliæ iubente Domino miniſtrabant, gentium populum figurabant; Venit Elias ad viduam Sareptanam, quia Chriſtus venturus erat ad Eccleſiam, Vidua illa Eccleſiam figurabat, filius viduæ typum gentilis populi præferebat; Orante Elia filius viduæ ſuſcitatur, Veniente Chriſto filius Eccleſiæ id eſt populus Chriſtianus de carcere mortis reducitur; Elias inclinatur in oratione, & viuificatur viduę filius, Et Chriſtus procumbit in paſſione, & ſuſcitatur populus Chriſtianus; Elias orauit & ſacrificium obtulit, Et Chriſtus pro vniuerſo mundo ſeipſum immaculatum ſacrificium tradidit; Elias orauit in monte Carmeli, Et Chriſtus in monte Oliueti; Elias orauit vt pluuia in terram veniret, Et Chriſtus vt in cordibus humanis gratia diuina deſcenderet; Sicut tunc in aduentu Elię omnes Sacerdotes idolorum interfecti ſunt, & deleti, ita in aduentu veri Eliæ Domini Noſtri Ieſu Chriſti obſeruatio ſacrilega Paganorum deſtructa eſt; Denique ſicut Dominus poſtea quam multas virtutes exercuit, poſtea quam paſſus eſt, reſurrexit, & aſcendit in Cælum; Ita & Elias poſt mirabilia, quæ per eum Deus fecit, igneo curru eleuatur ad cælum*. Qui plura deſiderat myſticę ſimilitudinis S. Eliæ ad Chriſtum monumenta, legat alios duos authores citatos, quorum hic dicta non referimus breuitatis gratia: Ex quibus ſic formatur ratio demonſtratiua concluſionis; Typus, imago, & figura alicuius meritò dicuntur ei ſimiles, quia hæc tria eſſentialiter important ſimilitudinem eius, reſpectu cuius talia nominantur, imò dicuntur ſimilitudo illius; Sed Sanctus Elias Propheta nominatur a Sancto Auguſtino Typus, Imago & figura Chriſti: Ergo Sanctus Elias Propheta meritò dicitur ſimilis Chriſto.

Secundò probatur aliqua maiori expenſione eorum, in quibus S. Elias Propheta conuenit cum Chriſto ab ipſis incunabulis vſque ad aſcenſionem in cœlum, omiſſis tamen plurimis vitandæ prolixitatis cauſa. Primò, vt refert Sanctus Epiphanius in libro de Vitis Prophetarum: *Cum Eliam eniteretur parens eius, eiuſmodi Sabac patri viſio apparuit; Viri niueum quendam præ ſe ferentes habitum,*

Digitized by Google

bitum, puſionem ſalutabant, matriſque vberibus in ignem euellabant, quin & flammam ignis cibi loco miniſtrabant; Quæ viſio præfigurabat Angelos, qui Chriſto recenter nato aſtiterunt, canentes. diuinas eius laudes: Nomen Eliæ, quod ſignificat Dominum Deum habet ſimilitudinem ad nomen Ieſu ſiue Saluatoris, qui vt ſaluaret genus humanum a peccato, ſatisfaciens Diuinæ iuſtitiæ de toto rigore iuſtitiæ, debuit eſſe Deus, & homo, ac ita Dominus Deus. Fuit Elias ſimilis Chriſto in feruẽtiſſimo gloriæ Dei zelo, dixit eñim de ſe, *zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia deſtruxerunt altaria tua &c.* De Chriſto autem intelligitur illud Pſalmi, *zelus domus tuæ comedit me*; Et ſic illi appropriatur in Euangelio, quando facto de funiculis flagello eiecit de templo vendentes & emẽtes, ac menſas nummulariorum euertit. Fuit ſimilis Chriſto in vita virginali, quã ipſe tam ſibi, quàm ſuis diſcipulis elegit, vt conſtat ex ſacra Scriptura, & docet S. Hieronymus tomo 1. epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis dicens, *Paulatim verò increſcente ſegete, meſſor immiſſus eſt, virgo Elias, Eliſæus virgo, Virgines multi filij prophetarum*: De Chriſto autem ſubiunxit; *Poſtquam verò Virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum fortem &c. ſtatim vt Filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in Cœlo, haberet Angelos & in terris*. Fuit ſimilis, vt paucis multa dicamus, in multitudine, magnitudine, & facilitate miraculorum, vt conſideranti patet: In continua penè oratione, in pœnitentia, in ſolitudine, in ieiunio quadragenario. Tandem, ne quid ei deeſſet congruæ ſimilitudinis ad Chriſtum, erit ſimilis in morte, in reſurrectione anticipata, & in glorioſa ad Cœlum Aſcenſione: Nam vt habetur Apocalypſis 11. In ipſamet Ciuitate Ieruſalem, vbi Chriſtus Dominus Crucifixus eſt, occidetur, corpus eius in media Ciuitatis platea triduo iacebit, ſicut corpus Chriſti triduo iacuit in Sepulchro, deinde à Domino ſuſcitabitur, percutiet Regnum Antichriſti, & cunctis videntibus ac mirantibus in Cœlum glorioſus aſcendet: Et ſicut Chriſtus dedit Diſcipulis Spiritum Sanctum, ita etiam Elias Eliſæo ex S. Auguſt. dicente; *Dictus eſt Eliæ ſpiritus, ſcilicet Spiritus Sanctus, quem accipit Elias*: Et libro queſtionum in Exodum ſic ait; *Dicitur Spiritus Eliæ, qui eſt Spiritus Dei, cuius particeps factus eſt Elias*; Cum hac tamen differentia, quòd Chriſtus vt Deus illum dedit authoritatiuè, Elias autẽ purè miniſterialiter. Tandem ponunt aliqui hanc ſimilitudinem in aliquali participatione gloriæ Beatorum, tam in anima, quàm in corpore; in anima quidem, quia Chriſtus in via continuam habuit Dei viſionem, Elias autem habet aliquando; in corpore verò, quia participat dotes corporis glorioſi, nam eſt impaſſibilis nunc, mira agilitate venit ad montem Thabor, ibi viſus eſt in maieſtate ex S. Luca cap. 9. ſiue in gloria, & claritate ex textu Græco. Dicunt inſuper, quòd in actionibus Eliæ noſtri fuit figura Baptiſmi, & Euchariſtiæ: Baptiſmi quidem, vt affirmat S. Ambroſius lib. de Elia cap. 22. dicens; *Typum Baptiſmatis demonſtrauit* Elias, *& Cœlum aperuit, quod fuit clauſum tribus annis, & ſex menſibus*; Et S. Baſilius exhort. ad Baptiſmum dicit, *Elias vim Baptiſmi ſupra holocauſtorũ aram, non per ignem, ſed per aquam ſacrificans oſtendit, cum alioquin ignis natura aquæ aduerſetur, nam tertiò tunc aqua myſticè ſuper aram effuſa initium excitandæ flammæ velut oleum fuit*; Cui adhæret S. Gregorius Nyſſenus eius frater, *in Baptiſmo Chriſti*, dicens, *Aqua ter ſuper infuſa accẽnſus eſt ignis, vt ſignificaretur quòd vbi aqua myſtica eſt, illic etiam Spiritus eſt ille viuificans, ardens, igneus, qui impios comburit, & fideles illuminat*: Euchariſtiæ verò, vt affirmat ipſemet Chriſtus S. Brigittę in Reuel. lib. 6. cap. 29. dicens; *Ego ſum ille Propheta in figura, corpus meum in farina illa, hoc cibus eſt animæ, hoc non conſumitur, nec minuitur, ſed cibat animam, & ſemper inconſumptum eſt*: Fuit

etiam

Digitized by Google

etiam figura in pane illo ſubcinericio, cuius virtute peruenit ad montē Dei Oreb: ſicut & in relictione melotæ, ex S. Ioanne Chryſoſtomo homil. 2. ad populum Antioch. dicente: *Duplex Elias ille, & erat ſurſum Elias, & deorſum Elias, &c. Elias melotem diſcipulo reliquit, filius autem Dei aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit; ſed Elias quidem exutus, Chriſtus autem, & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit*: Ergò Sanctus Elias Propheta meritò ſimilis dicitur Chriſto; cum ab ipſa eius natiuitate non enarrata in Scripturis, vſque ad ipſius aſcenſionem, per omnes eius actiones & ſucceſſus, perfectiſsimus Chriſti typus attentè conſiderantibus appareat: Quod poſſet amplius confirmari ex multis alibi adductis, quæ hic propterea omittuntur.

AD primum ergò dicendum, quòd ex illo loco Euangelij ſolùm habetur, tēpore Chriſti Domini, ac prædicationis Euangelij non fuiſſe opus tanto rigore, quanto fuit opus in diebus Eliæ: Tum quia inducebatur lex gratiæ per aduentum Spiritus Sancti; Et lex antiqua fuerat inducta cum multo terrore tonitruū, fulgurum, & fulminum in monte Sina; Tum quia non erat ſub Chriſto tanta corruptio in Iſraël quantùm ad fidem, quanta ſub Elia propter vniuerſalem penè idololatriam. Deinde Chriſtus Dominus aliquando zelum exercuit, ſicut Elias; & Elias fuit mitis, & manſuetus ad inſtar Chriſti, vt conſtat ex multis, quæ habentur in Sacra Scriptura; & cum redierit in fine mundi, perfectiùs in manſuetudine, & in omnibus Chriſtum imitabitur. Et Chriſtus cum veniet vt Iudex, zelum Eliæ Præcurſoris illius aduentus ſui demonſtrabit; debet autem eſſe ſimilitudo Præcurſoris & Regis, iuxta modum aduentus ipſius Regis; Vnde S. Ioannes Baptiſta fuit valde humilis, quia fuit Præcurſor aduentus humilis Chriſti, noſter autem Elias debuit illum zelum oſtendere quia electus præcurſor ſecundi, & glorioſi aduentus Chriſti iudicis.

AD ſecundum dicendum, quòd propoſita ſimilitudo Eliæ ad Chriſtum, attenditur penes eas actiones, ac perfectiones ipſius Chriſti quatenus hominis reduplicatiuè, & non quatenùs Dei, ſiue quæ ſunt ſacratiſsimę humanitatis eius, & non diuinitatis.

Ad tertium dicendum, quòd non negamus alios Sanctos poſſe dici ſimiles Chriſto varijs titulis: ſed vtrum tot, ac Elias, iudicandum lectori ponderanti relinquimus. Vnde præter adductos Patres S. Baſilius Seleuciæ orat. 10. ſic ait: *Operibus Chriſtū demonſtrauit Elias Theſbites.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Elias Propheta futurus ſit Sanctiſsimus.

AD SECVNDVM ſic proceditur Videtur quod Elias Propheta non ſit futurus Sanctiſsimus. Ita tenet aliquis Iunior, qui Sanctos valdè ordinarios S. Eliæ Prophetæ comparat, imo præfert; Ex quo ſequitur, quod in quolibet ordine Sanctorum ſint aliqui S. Eliæ præferendi. Probatur ſigillatim, & primò de Patriarchis: Adam primus parens, & Abraham pater fidei, cum ſint primi Doctores, ac magiſtri ſanctitatis, ille quidem abſolutè reſpectu totius generis humani, iſte verò reſpectu populi electi, debuerunt excedere in ſanctitate ſuos ſucceſſores ordinarios, inter quos eſt S. Elias, quia primum in vnoquoque genere eſt cauſa exemplaris cæterorum illius generis: Ergo Elias Propheta non eſt futurus Sanctiſsimus. Maximè quia de Abraham dicitur Eccleſiaſtici 44. *Non eſt inuentus ſimilis illi in gloria.*

¶ 2. Præterea: Ex Prophetis plures in Sacra Scriptura præferuntur Eliæ Prophetæ; nam Moyſes dicitur conſtitutus Deus Pharaonis, Deus loquebatur ad eum palam, & os ad os tanquam ad amicū, vnde ex S. Auguſtino, & D. Thoma vidit clarè Diuinam Eſſentiam, cum tamen Deus non ſic locutus ſit ad Eliam; aut

Digitized by Google

aut ad alios prophetas, vt ipſemet Deus aſſerit; Et inſuper Moyſes fuit Legiſlator, & Director electi populi, quæ omnia indicant ſingularem Moyſis Sanctitatem ſupra Eliam: Similiter Hieremias Propheta præcipuum habuit priuilegiũ, quod sãctificaretur in vtero matris, quòd non legitur conceſſum Eliæ: Ergo Elias Propheta non eſt futurus ſanctiſsimus. maxime quia dum ſimul Moyſis, & Eliæ ſit mentio in Sacra Scriptura, vt in die Transfigurationis Domini, præfertur Moyſes Eliæ, dum prius nominatur.

¶ 3. Præterea: Chriſtus Dominus dixit, quòd *inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, vtique in ſanctitate: Inſuper dixit de ipſo, quòd eſſet *pluſquam Propheta*: Fuit ab ipſomet Chriſto ſanctificatus in vtero Matris; Et propterea Eccleſia Spiritu Sancto directa colit eius natiuitatem quaſi Præcurſoris, eumque cæteris Sanctis præfert in ſanctitate. Similitèr affirmant aliqui Sanctum Ioſeph ſponſum Beatiſsimę Virginis: vt potè pertinentem aliquo modo ad ordinem hypoſtaticum, eſſe præferendum alijs omnibus Sanctis: Ergo Elias Propheta non eſt futurus Sanctiſsimus.

¶ 4. Præterea: Dicitur de Apoſtolis, quòd ſicut priùs, ſic abundantiùs receperunt gratiam Spiritus Sancti: Ipſi fuerunt immediati Chriſti diſcipuli, ex eius doctrina, & exemplo continuò proficientes; quæ omnia indicant maximam eorum ſupra alios ſanctitatem; maximè quia fuerunt primi martyres Chriſti, vnde Apoſtolus ad Romanos ait, *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes*; Et ad Epheſios habet, *Secundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis*; Quod exponens D. Thomas dicit eſſe temerarium, Apoſtolis comparare reliquos Sanctos: Ergo Elias Propheta non eſt futurus ſanctiſsimus.

¶ 5. Præterea: fuerunt aliqui martyres, qui plurimos, & ſæuiſsimos diu tolerauerunt labores, & cruciatus, vt maximè apparet in S. Clemente Ancyrano, qui per viginti ſeptem annos plurium Imperatorum, & Præfectorum crudelitatem, & ſæuitiam pertulit; quæ diutina, continuata, & conſtans tolerantia indicat maximum in eò fuiſſe amorem Dei, & conſequenter ſanctitatem ſingularem: Ergo Elias Propheta non eſt futurus ſanctiſsimus; hic enim titulus ſolùm conuenit Summo Pontifici ratione dignitatis primariæ, vel alicui Sancto ſingularis, & priuilegiatæ Sanctitatis.

¶ 6. Pręterea: Laudatur feruentiſſimus ille S. Auguſtini actus charitatis, quo ſic erga Deum afficiebatur, quòd ſi fuiſſet Deus, & Deus fuiſſet Auguſtinus, eligeret eſſe Auguſtinus, vt ipſe eſſet Deus, quem actum cum alius, imò nec infiniti alij poſsint adæquare, ſignum eſt in ipſo fuiſſe charitatem immenſam, & ſingularem ſanctitatem. Et ſimilitèr in Sancto Dominico, qui dicitur fuiſſe præ alijs ſimillimus Chriſto: ſicut & in Sancto Franciſco, quem Chriſtus ita ſimilem ſibi voluit, vt etiam ſtigmata ſuæ paſsionis ei impreſſerit: Ergo Elias Propheta non eſt futurus præ alijs Sanctiſſimus.

SED CONTRA eſt communis authoritas Doctorum Carmelitarum, præſertim Noſtri Franciſci a S. Maria lib. 1. Hiſtorię Propheticę quatuor vltimis capitibus, quos ſequuntur alij plures extranei.

CONCLVSIO.

Cum Elias Propheta ſingulariter laudetur in Sacra Scriptura, habeat nomen priuilegiatum, habeat coniuncta ordinis gratiæ officia in alijs Sanctis diſperſa, ſit operatus, & paſſus multa propter Deum, ſitque operaturus & paſſurus maiora, ſit ſimillimus Chriſto præ alijs, ac plurimis priuilegijs, & prærogatiuis gaudeat prę alijs, futurus eſt ſanctiſsimus.

RESPONDEO dicendum, quòd Elias Propheta noſter Patriarcha futurus eſt Sanctiſsimus, ita vt nulli Sanctorum ſit poſtponendus (exceptis Chriſto, & Beatiſſima Virgine Maria) pluribus autem

tem præferendus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd præcipuæ regulæ, quibus Theologi metiuntur ſanctitatem electorum, ſunt ſequentes. Videlicet prima eſt authoritas Sacræ Scripturæ: Cum enim huiuſmodi ſanctitas ſit effectus formalis gratię ſupernaturalis, non poteſt certò dignoſci niſi ex reuelatione diuina, quæ habetur expreſsè in Sacra Scriptura. Secunda eſt etymologia nominis diuinitùs inditi: Cum enim nomen debeat eſſe expreſsio rei, quò excellentiùs eſt nomen diuinitùs inditum, ac proinde rem verè exprimens, cum Deus nec fallere nec falli poſſit, eò res expreſſa & ſignificata eſt excellentior. Tertia ſita eſt in officijs, ad quæ Deus Sanctos elegit: Deus quippè contrario modo ſe habet eligens ad officia, ab eo quo ſe habent homines; cum enim homines, vt plurimum non poſsint dare ſuis electis idoneitatem ad officia, vel illam ſupponunt in electis, vel electi malè exequuntur officia; Deus autem, cum ſit omnipotens, dictam idoneitatem ſuis communicat electis, vt officia rectè exequantur; vnde cum ad nobiliora, & perfectiora officia requiratur perfectior diſpoſitio exequentis, quæ conſiſtit in Sanctitate, vel coniungitur ei, ſequitur quòd eò perfectior eſt ſanctitas electorum, quò nobiliora, & perfectiora ſunt officia, ad quæ Deus eligit. Quarta eſt continuatio actionum, & paſſionum pro Deo: quia principium illarum eſt charitas, ſaltèm vt imperans; Vnde ex illarum eminentia colligitur eminentia charitatis, ac proinde ſanctitatis, gratia quippè ſanctificās & charitas commenſurantur tanquam eſſentia & proprietas: circa hanc regulam habetur illud Gregorij Magni; *charitas magna operatur, ſi eſt; ſi autem non operatur, Charitas non eſt*. Quinta eſt ſimilitudo ad Chriſtum, qui eſt primogenitus mortuorum in multis fratribus: Cum enim Chriſtus Dominus ſit filius Dei naturalis, & vnigenitus; alij verò ſancti ſint filij Dei tantùm adoptiui, & filiatio adoptiua ſit quædam participatio filiationis naturalis; & hæc ſit exemplar adoptiuæ; ſequitur quòd tantò eſt perfectior filius adoptiuus, quātò magis aſsimilatur filio naturali perfectiſsimo. Sexta tandem conſiſtit in priuilegijs, & prærogatiuis, quæ ſunt indicia ſingularis, & excellentis Sanctitatis, vt conſtat inductione in pluribus Sanctis, qui præ alijs ſimilia priuilegia, & prærogatiuas a Deo acceperunt; ſicut enim principes quos magis diligunt, eos maioribus, & pluribus priuilegijs, ac prærogatiuis inſigniunt; ſic & Deus. Hæ ſunt præcipuæ ſanctitatis regulæ, ad quas in præſenti S. Eliæ noſtri Patriarchæ Sanctitatem examinamus comparando ipsū ad alios celebriores Sanctos: hęc autem comparatio fit non ſecundùm ſanctitatē præcisè quam habuit ante ſuum raptum, aut nunc habet, ſed ſecundùm omnem quam habiturus eſt poſt conſummatum vitæ mortalis curſum in fine mundi; de fide enim eſt, quòd redibit, & quòd ab Antichriſto coronabitur martyrio: non tamen hæc comparatio ſe extendit ad Chriſtum Dominū, qui eſt Sanctus Sanctorum, cauſa omnis ſanctitatis, habens in ſe ſanctitatem ſubſtantialem, & non tantùm accidentalem; nec ſe extendit ad Sanctiſsimam Virginem Dei genitricem Mariam, quę ex communi Theologorum ſententia omnium Sanctorum ſanctitatē excedit, vtpotè Mater Dei pertinens, vt ſic ad ordinem hypoſtaticum: vnde ſolùm attenditur comparatio reſpectu aliorum Sanctorum.

Probatur concluſio ex prima regula, ſcilicet ex authoritate Sacræ Scripturæ: Eccleſiaſtici 48. habetur elogium admirabile S. Eliæ, ſic incipit: *Et ſurrexit* Elias *Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat; Qui induxit in illos famem, & irritantes illum inuidia ſua pauci facti ſunt, non enim poterant ſuſtinere præcepta Domini; verbo Domini continuit cælum, & deiecit de cælo ignem ter, ſic amplificatus eſt* Elias *in mirabilibus ſuis; & quis poteſt ſimilitèr ſic gloriari tibi? qui ſubſtuliſti mortuū ab inferis de ſorte mortis in verbo Domini Dei; Qui deieciſti reges ad perniciem, & confregiſti facilè potentiam ipſorum,*

rum, & glorioſos de lecto ſuo; qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defenſionis; Qui vngis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis ſucceſſores poſt te; Qui receptus es in turbine ignis in curru equorum igneorum; Qui ſcriptus eſt in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob: Beati ſunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt; nam nos vita viuimus tantùm, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum: Elias quidem in turbine tectus eſt, & in Eliſæo completus eſt ſpiritus eius. Ponderetur hoc elogium infallibile, & verum, a Spiritu Sancto factum Eliæ; & vix inuenietur quid ſimile de alio in Sacra Scriptura; maximè ſi attendantur hæ duæ ſententiæ; *Quis poteſt ſimilitèr ſic gloriari tibi? Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt*; nunquid quaſi in hoc videtur eum æquiparare Chriſto, qui loquens de ſeipſo dixit Apoſtolis; *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Alia plura poſſent adduci ex Sacra Scriptura, & ex Sanctis Patribus ad declarandum Eliȩ ſanctitatem, ſed hoc elogium ſufficit.

Secundò probatur ex ſecunda regula; ſcilicet ex etymologia nominis: Elias idē eſt, quòd Dominus Deus, vt teſtantur S.Athanaſius de fuga ſua, Hieronymus de nominibus Hebraicis Malachiæ 4. Iſidorus in libro de Patribus veteris Teſtamenti, qui ſubdit rationem dicens; *Quaſi humanitatis nihil haberet, ſed totus quaſi Deus*: Vel Elias idem eſt, vt ait Pagninus, ac Deus Domini; quaſi Elias fuerit conſtitutus Deus Achab regis, & domini, ſicut Moyſes fuit conſtitutus Deus Pharaonis. Nota quòd nomen Elias fuit noſtro Patriarchæ impoſitum ſpeciali Dei nutu; ſiue fuit ab oraculo pronuntiatum, cum parens eius Sobac, ſiue Sabbacha mirabilem viſionem de puero naſcente ad Sacerdotes retulit, quam referunt Epiphanius, & Dorotheus; ſiue fuerit illi de nouo in Carmelo datum à toto populo recentèr per ipſum conuerſo, vt volunt aliqui. Continet autem hoc nomen vt partes componentes, duo vocabula quibus Deus vocabatur, & diuiſim illuſtres viri inſigniebantur, El & Ia, vt Ezechiel, Daniel, Iſaias, Ieremias; vnde cum Elias vtroque coniunctim nominetur, maxima eius excellentia, & ſanctitas ſupra alios ex etymologia nominis denotatur.

Tertiò probatur ex tertia regula, ſcilicet ex officijs, quȩ S.Elias à Deo habuit, habet, & habebit. Nam primò fuit Patriarcha, non tantùm fidei, ſed etiam religionis, ſiue vitæ religioſæ ſtrictè ſumptæ, cum ipſe primus fuerit religioſi ſtatus cum tribus votis eſſentialibus inſtitutor, & expreſſo Dei manduto; Vnde meritò Sanctus Hieronymus ipſum vocat principem, ac primum Patriarcham religionis, quæ in Carmelitis directè continuatur hactenus, & ad alios ordines deriuata eſt. Secundò fuit inſignis Propheta, vt ſepe legitur in Sacra Scriptura, & communitèr aſſerunt Sancti Patres, & omnes Catholici; imò D.Thomas ſic loquitur in cap.17. Matthæi iuxta intentū concluſionis; *Helias omnibus Prophetis ſanctior fuit*: Inter mirabiles autem eius prophetias, fuit pretioſa, & ſuauis illa de ortu, & immaculata conceptione Beatiſſimȩ Virginis Mariæ ſub typo nubeculæ illius de mari aſcendentis expreſſæ, quæ prophetia per tot ſæcula ante eius natiuitatem, & ipſa iam completa in Carmelitano ordine continuata traditione perſeuerauit. Futurus eſt Præcurſor Chriſti quantum ad ſecundum eius aduentum, in quo Chriſtus, non iam humilis, & vt paruulus contemptibilis apparebit inundum redempturus, ſed cum gloria, & maieſtate veniet mundum iudicaturus; vnde ſicut Ioannes Baptiſta præcurſor primi aduentus, ad eius exigentiam fuit humilis, ſic Elias ad exigentiam ſecundi aduentus erit miraculis, & prodigijs glorioſus. Hoc officium Præcurſoris habetur de Elia expreſſum apud Malachiam: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*; imo ex hoc loco Chriſtus Dominus probat Ioannem Baptiſtam, qui eſt alter Elias, eſſe ſuum Præcurſorem, vnde

à Ter-

Digitized by Google

à Tertulliano Elias dicitur conſummator noui Teſtamenti, ſicut Ioannes dictus eſt conſummator veteris Teſtamenti. Futurus eſt Apoſtolus Chriſti, vt aſſerit Ambroſius in 1. ad Cor. 9. exponens illa verba: *Puto quod Deus nos Apoſtolos nouiſsimos oſtendit tamquam morti deſtinatos*; ait enim: *Hoc ideo perſonæ ſuæ deputat, quia ſemper in neceſsitate fuit perſecutiones & preſſuras vltrà cæteros paſſus, ſicut paſſuri ſunt Enoch, & Elias, qui vltimo tempore futuri ſunt Apoſtoli.* Vbi nota quod eodem titulo dicendus eſt Elias Apoſtolus Chriſti, quo Sanctus Paulus probat ſe eſſe eius Apoſtolum: licet enim ex vi primæ inſtitutionis nomen Apoſtoli ſolùm conueniat primis duodecim ab ipſo Chriſto electis tamquam ſocijs ſuæ prædicationis, & conuictus; fuit tamen per extenſionem communicatum alijs, vt Sancto Paulo ad quam communicationem requiruntur ſequentes conditiones; quod Chriſtum viderint, quod fuerint teſtes reſurrectionis Chriſti, aut ſaltem didicerint ex immediata reuelatione ipſius Chriſti, quod habuerint ab ipſo poteſtatem ſupra Mundum vniuerſum, vel ordinariam Sancto Petro conceſſam, vel extraordinariam alijs conceſſam, vt docent Theologi moderni; quod potuerint definire res fidei, & edere canonicas ſcripturas: conſtat autem, quod hę omnes conditiones in Elia concurrunt; nam vidit Dominum in carne mortali ipſa die transfigurationis, vt teſtatur Euangelium; a quo audiuit myſteria Paſſionis, Reſurrectionis, & alia complenda in Hieruſalem, loquebantur enim Ieſus, Moyſes, & Elias de exceſſu quem completurus erat Ieſus in Hieruſalem; vel etiam Elias ſimili priuilegio interfuit ſacratiſſimę eius Reſurrectioni; A Chriſto accepit poteſtatem ſupra Mundum vniuerſum exercendam in fine Mundi; & tunc res Fidei definiet, & edet canonicas ſcripturas ſi opus fuerit; authoritate extraordinaria, & quaſi delegata ſibi a Deo immediatè commiſſa; & ſi non ſit Summus Pontifex, ſaltem erit Subſtitutus, aut Vicarius illius. Tandem fuit, & erit Doctor Fidei egregius, Virgo, & erit Martyr inclytus, ne quid ad Sanctitatem, & Beatitudinem accidentalem deſit: vnde in Elia coniuncta reperiuntur quæ in alijs diſperſa ſunt.

Quarto probatur ex quarta regula, ſcilicet ex continuatione actionum, & paſſionum Eliæ pro Deo, quas ſufficit ex ſacra Scriptura indicare. Primò ſcitur quanta fecerit, & paſſus fuerit pro gloria Dei, & zelo legis, ſub continua penè perſecutione Achab, & Iezabel, ac ſucceſſorum Regum; ſolus ipſe pro Domino ſtabat, omnes ei aduerſabantur, vndè vix exprimi vel cogitari poteſt, quot labores, quot mœrores hic propheta Sanctiſſimus tulerit videns cultum Dei penè deſtructum, & populum ad idololatriã, & miſeram perniciem redactum, cum aliàs ardentiſſima in Deum, & proximum charitate flagraret. Prętermitto quanta fecerit, & tulerit pro Deo in inſtitutione Carmelitanę Religionis: Propter ſimilia, communiter Theologi Fundatores, & Fundatrices Ordinum ad ſuperiores Beatorum ſedes eleuant. Scitur ex Scriptura Apocalypſis 11. quanta ſit pro Deo facturus, & paſſurus Elias in fine Mundi per tres annos cum dimidio, in crudeliſſima, & ſęuiſſima Antichriſti perſecutione, vnde etiam inſigne Martyrium ſubibit: certum enim eſt, quod Antichriſtus eiuſque miniſtri videbunt hos duos Chriſti milites Enoch, & Eliam ſuę tyrannidi oppoſitos, & eius deſtructores; vnde in eos ſupra quam poteſt excogitari deſæuient, quę omnia ſacri hi Prophetę quam libentiſſimè pro Deo tolerabunt, quibus ſi addantur continuata Eliæ merita per tot ſæcula inter raptum & eius aduentum, maxima eius ſanctitas extollitur.

Quinto probatur ex quinta Regula, ſcilicet ex ſimilitudine Eliæ ad Chriſtũ, quam plures Sancti Patres, & expoſitores proſequuntur: videatur Auguſtinus ſermone 201. de tempore, vbi fusè hanc ſimilitudinem in duodecim perfectionibus exprimit, & Drogon Epiſcopus Oſtienſis in ſermone de Sacramento Domini-

Digitized by Google

minicæ Paſſionis, & tandem Salianus ad annum *3139*. a numero *33*. vſque ad *45*. Quæ ſimilitudo, & valde perfecta Eliæ ad Chriſtum ex multis poteſt attendi: tũ ex excellentia vitę virginalis Eliæ; tum ex magnitudine, & facilitate miraculolorum; tum ex continua oratione, pœnitentia, ſolitudine, ieiunio quadragenario: tum in morte, reſurrectione, & glorioſa in Cœlos Aſcenſione; nam vt habetur Apocalypſis 11. in ipſamet Ciuitate Ieruſalem, vbi Chriſtus Dominus Crucifixus eſt, occidetur, corpus eius in media Ciuitatis platea triduo iacebit ſicut corpus Chriſti triduo iacuit in Sepulchro, deinde a Domino ſuſcitabitur, percutiet Regnum Antichriſti, & cunctis videntibus, ac mirantibus in Cœlum glorioſus aſcendet: vnde ab ipſa eius generatione non enarrata in ſcripturis vſque ad eius aſcenſionem per omnes eius actiones, & ſucceſſus perfectiſſimus Chriſti typus attentè conſiderantibus apparet, vt dictum eſt, & amplius conſtabit ex modo dicendis.

Sexto tandem probatur ex ſexta Regula, ſcilicet ex priuilegijs, & prærogatiuis ipſius, quæ ſi expenderentur integrum volamen exigerent, vnde ſufficiet indicare. Primo vt dictum eſt, in vno Elia concurrunt omnia officia, & ordines ſanctitatis, quę in alijs ſparſa reperiuntur: nam fuit Patriarcha, Propheta, erit Præcurſor, Apoſtolus, Martyr, Doctor, & Virgo vſque in finem, ne quid ad eius ſanctitatem deſideretur. Fuit primus Virgo nominatus in ſcriptura, qui virginitatem voto conſecrauit. Fuit primus vitę Religioſæ cum tribus votis eſſentialibus inſtitutor, ex qua alij ordines Religioſi deriuarunt; vnde quamuis ſit ſpecialis Patriarcha Carmelitarum, poteſt tamen communis Religioſorum Patriarcha & Princeps appellari. Fuit primus, qui in ſacra Scriptura legitur ſuſcitaſſe mortuos: qui autem eſt primus in aliquo genere, eſt cauſa, vel exemplar cęterorum illius generis. Ipſi fuit communicata virtus Sanctiſſimi Sacramenti in ſua figura cum ex eſu ſubcinericij panis fortitudinem habuerit ad ſuperandũ ieiunium quadragenarium, & nunc eadẽ virtute per tot ſæcula in vita perſeueret. Fuit triumphali curru ad Paradiſum terreſtrem, aut alium ſecretiorem locum deuectus, cum eius ſocius Enoch tantũ ſecretò illuc translatus dicatur. Fuit ſpeciali modo quaſi Chriſti Vicarius, aut locum tenens electus ad debellandum Antichriſtum, quamuis enim Enoch ad hoc ipſum ſit electus, ſpecialis tamen ſit mentio Eliæ dum Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti per Malachiam pręnũtiatur. Habuit poteſtatem relinquendi ſeù communicandi Eliſæo ſuum duplicẽ ſpiritum cum melote, videlicet ſpiritum Prophetiæ, & miraculorum. Fuit electus a Chriſto teſtis ſuæ transfigurationis, & tunc de longinquo miraculosè ad montem Thabor adductus. Fuit a Prophetis prænuntiatus ſicut Chriſtus, imò & a Chriſto ipſo Matthæi 11. & 17. quod mirabilius eſt. Fuit primus mortalium, cui poſt raptum ipſius templũ dedicatum eſt. Erit in fine Mundi ſecunda petra angularis Eccleſiæ (Chriſtus enim prima fuit) Iudæorum quippè reliquias a ſe conuerſas reliquo populi Chriſtiani ſociabit; Scriptus eſt in iudicijs temporum non ſolum quia in extremo temporum res fidei determinabit: Sed etiam quia ſpeciali prærogatiua Chriſto iudicanti aſſiſtet, & tanquam Apoſtolus eius, & primus Religioſæ paupertatis inſtitutor. Tandem glorioſè reſurget amicis eius ſimul, & inimicis mirantibus. Hæc ſunt, quæ breuiter adducenda iudicaui ad ſummam Eliæ ſanctitatem manifeſtandam, quæ ſi attentè ponderentur, efficacitèr, & apertè concludent ipſum eſſe ſanctiſſimum, ità vt nulli ſanctorum ſit poſtponendus (exceptis Chriſto, & Beatiſſima Virgine Maria) pluribus autem præferendus. Non tamen in particulari hanc Elię præeminentiam determinabo, ſed prudenti & docto lectori iudicium relinquo: Nam apud Thomam a Kempis lib. 3. de Imitatione Chriſti cap. 58. ipſe Magiſter Cęleſtis inter alia ſacra eloquia

hæc

Digitized by Google

hæc inducitur proferre: *Noli inquirere, nec diſputare de meritis Sanctorum quis alio ſit ſanctior, aut quis maior fuerit in Regno Cælorum: Talia generant ſæpè lites, & contentiones inutiles; nutriunt quoque ſuperbiam, & vanam gloriam, vndè oriũtur inuidiæ, & diſſentiones, dum iſte illum Sanctum, & alius alium conatur ſuperbè præferre: talia autem velle ſcire, & ineuſtigare nullum fructum afferunt, ſed magis Sanctis diſplicent, quia non ſum Deus diſſentionis, ſed pacis, quæ pax magis in humilitate uera, quam in propria exaltatione conſiſtit*. Vnde in præſenti non determinatè præfero Eliam omnibus Sanctis, quos in obiectionibus refero; ſed eos tanquam præſtantiores in medium adduco, vt oſtendam Eliam non eſſe ipſis inferiorem.

Ad primum ergo dicendum quod etſi Adam & Abraham ex illo cenſendi ſint maximi ſancti: tamen ex alijs capitibus infertur Eliam non eſſe ipſis inferiorem in Sanctitate, ſed fortè ſuperiorem: & ſi de Abraham dicitur quod *Non eſt inuentus ſimilis illi in gloria*; paulò poſt dicitur de Elia, *Quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi*.

Ad Secundum dicendum, quod ſicut Moyſes fuit conſtitutus Deus Pharaonis, ſic Elias fuit conſtitutus Deus Achab, & Antichriſti: & ſicut Deus locutus eſt os ad os Moyſi, ſe ipſi clarè manifeſtans, ſic creditur nunc loqui aliquãdo ad Eliam ob eandem rationem, quia inſtituitur vt Doctor futurorum temporum pro toto populo Chriſtiano: Deus autem ſolum excludit a ſimili modo colloquij familiares alios prophetas contẽporaneos Moyſis, vel pro ſtatu Synagogæ, nam conceditur S. Paulo Apoſtolo in lege gratiæ, ex S. Auguſtino & Diuo Thoma: Quamuis autem Elias non fuerit legislator, totius Populi, fuit tamen primus legislator, & director in ſtatu Religionis, & plura alia habuit priuilegia, & prærogatiuas ſupra Moyſem, qui vt pote antiquior tempore præfertur Eliæ, dum vtriuſque fit mentio. Quãtum ad aliud dicendum, quòd quamuis concedatur Eliam non fuiſſe ſanctificatũ in vtero matris, & in hoc eſſe inferiorem Hieremiæ, in multis tamen alijs fuit longè ſuperior: non deſunt tamen authores domeſtici, pariter, & extranei, qui docent Eliam fuiſſe ſanctificatũ in vtero materno: nam vt refert Lezana tomo 1. annalium lib. 1: ad annum Mundi 3123. num. 8. Romæ in publicis theſibus in Purpuratorum Patrum conſeſſu, & comitijs generalibus ordinis, aſſiſtente doctiſſimo Magiſtro Petro Corneio anno 1613. id propugnatum fuit, quod poſteà ſcriptis approbauit Petrus Sarracenus in menologio Carmelitarũ in vita S. Elię. Idem docet Aegidius Camartus Ordinis Minimorum lib. de rebus geſtis Eliç Prophetę cap. 3. ſect. 16. dicens: *Statuamus itaque admodum veritati conforme, Eliam Prophetam in ipſo matris vtero ſanctificatum, atque ab originali peccato purgatum. Quod ſuadetur triplici ratione valde probabili: prima eſt, Ioannes Baptiſta, & Elias dicuntur eſſe einſdem virtutis, & gratiæ, iuxta dictum Chriſti de Ioanne, ipſe eſt Elias, & ipſe veniet in ſpiritu, & virtute Eliæ, vnde cum Ioannes in vtero matris fuerit ſanctificatus, hoc non videtur denegandum Eliæ: Secunda eſt, quia ex Epiphanio, Dorotheo, Ioanne Hieroſolymitano, & Metaphraſte fuit Elias adhuc in vtero materno ſalutatus ab Angelis, iuxta viſionem Sobac Patris eius; quod indicat ex tunc eius ſanctitatem: Tertia tandem eſt, quia fuit tranſlatus in Paradiſum Adamicum, vbi vitã quaſi immortalem per tot ſæcula gerit, quæ ſignificant eius ſpecialem emundationem a peccato originali in vtero Matris, ob cuius commiſſionem Adam ex illo Paradiſo eiectus fuit, ac morti addictus*. Ego tamen circa hoc nihil affirmo.

Ad Tertium dicendum quantum ad primam partem, quod S. Ioannes Baptiſta, & Elias iuxta dictum Chriſti ſunt eiuſdem ſanctitatis: nec aliud dictum eiuſdem Chriſti obiectum obſtat, nam vt benè notant Hieronymus in cap. 11. Matthæi, & Auguſtinus libro quæſtionũ veteris, & noui Teſtamenti quæſt. 26.

Digitized by Google

Chriſtus non dixit quod Ioa nnes ſurrexit maior omnibus alijs, ſed dixit, quod non ſurrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptiſta, & ita poteſt habere Eliam ęqualem, & ſi non maiorem: Hoc totum cedit ad gloriam Carmeli, qui tam Sanctum Parentem Eliam, & æqualem in ſanctitate habet filium Ioannem Baptiſtam. Dicitur Ioannes pluſquam propheta, quia indicauit Chriſtũ præſentem Redemptorem, quem ſtatim futurum Iudicem indicabit Elias. Quod Ioannes fuerit ab ipſomet Chriſto Sanctificatus in vtero matris, & propterea eius Natiuitas celebretur, indicat ipsũ in hoc eſſe ſuperiorem Elia, qui in alijs priuilegijs eſt inferior. Non deſunt, qui Eliam præferunt in ſanctitate S. Ioãni Baptiſtæ, ſicut & præferunt ei Sanctum Ioſeph ob rationem adductam; vnde limitant dictum Chriſti prolatum in fauorem Ioannis ad ſanctos ordinarios, & non priuilegiatos: vel limitant quantum ad dignitatem prophetiæ, & non ſanctitatis. Quantum ad Eliam adhuc dupliciter limitant; nam dicunt quod Chriſtus dixit non ſurrexit maior, non autem dixit, non ſurget maior, vnde inferunt, quod licet Elias non ſurrexit maior in primo ortu, ſurget tamen maior in ſecundo, quando veniet in fine Mundi: dicunt etiam quod in illo præconio tam celebri de Ioanne Chriſtus excepit Eliam per hæc ſequentia verba, *Qui autem minor eſt in Regno Cælorum, maior eſt illo*; aſſerun enim, quod Elias eſt ille indicatus minor in Regno Cælorum, quia quodammodo pertinet ad Regnum Cœlorum, vt aliqualiter participans ſtatum Beatorum; vel quia Elias non cenſetur filius mulieris, ſed ſpecialiter Eccleſiæ, quia in ſcriptura Sacra, parentes eius reticentur, & vix alibi matris eius naturalis vlla mentio habetur: Sed hæc vt ab alijs dicta tantum refero. Quantùm ad ſecundam partem dicendũ, quod ſi S. Ioſeph ob rationem adductã ſit præferendus Apoſtolis, & S. Ioanni Baptiſtæ, concedimus etiam eſſe præferendum S. Eliæ: Sed pia hęc in S. Ioſeph opinio nondum ab Eccleſia *recipitur* (quamuis eius memoria & cultus multum creuerit) quia non tanta ſolemnitate celebratur eius feſtiuitas, quanta celebratur feſtiuitas S. Ioannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum; & quia eius commemoratio poſtponitur commemorationi illorum.

Ad quartum dicendum, quod Elias annumerandus eſt Apoſtolis, vt oſtensũ eſt, vnde ex hac parte non eſt inferior, cum tamen aliundè multis titulis officiorum ſit illis ſuperior: nec dubium quin Elias fuerit a Chriſto edoctus in die transfigurationis, & fortè etiam aliàs, & quin ex tali inſtructione multũ profecerit: & quamuis ſit futurus vltimus martyr Chriſti tempore, tamen erit ex primis dignitate, vt ſtatim dicetur. Apoſtoli autem dicuntur in principio Eccleſiæ abundantiùs recepiſſe gratiam Spiritus Sancti, vel in ordine ad alios fideles, quos ipſi conuerterunt, vel quia ipſam receperunt quoad omnes gratias gratis datas, quæ ordinariè non communicantur alijs: & iuxta hęc intelligendus eſt Apoſtolus in vtroque loco, & etiam D. Thomas, quamuis Apoſtolus in ſecundo loco per ly nobis, non intelligit ſolos Apoſtolos, ſed omnes fideles legis gratiæ, comparatiuè ad fideles antiquæ legis, & conſtat ex ipſo textu: Elias autẽ ad vtramque legem pertinet, & præcipuè ad legem gratiæ, in qua plus vixit, quam in lege veteri, & pro qua electus Apoſtolus tot mira faciet, ac martyrium conſummabit. Quod ſi a ſolis Carmelitis eius ſolemnitas celebratur, hoc ideò eſt, quia Eccleſia communiter tantùm celebrat myſteria fidei, & natalia Sanctorum iam in lege gratię exhibita; approbat tamen vt Carmelitæ ſui fundatoris & Patriarchæ certam ſanctitatem ſub ipſa die glorioſi raptus eius celebrẽt: non deſunt tamen in Oriente plures Chriſtiani, qui ſolemnitatem Sancti Eliæ deuotè celebrent; cum præcipuæ ſit inter omnes Orientales venerationis, teſtis oculatus ipſe loquor.

Ad quintum dicendum, quod licet S. Cle-

Digitized by Google

Clemens, & alij ſimiles ob diuturnum Martyrium, & ſæuiſſimos cruciatus ad maximam ſanctitatem peruenerint: multo tamen glorioſior erit Eliæ triumphus, credibile enim eſt, quod Antichriſtus acerrimus, & infenſiſſimus Chriſti inimicus, vt conſtat ex ipſo nomine, Eliam & Enoch tunc partes Chriſti agentes, & primos Duces Chriſtiani exercitus ſibi reſiſtentes ſęuiſſimis cruciatibus, & crudeliſſima morte perimet: Vnde Elias in hoc nulli martyri eſt inferior, cum omnibus ſit ſuperior tot alijs titulis.

Ad Sextum dicendum, quod nominati tres Patriarchæ aliorum Ordinum Mendicantium, ſicut & alij Religionum Fundatores ſunt in alto ſanctitatis culmine, & plurimum Chriſto aſſimilātur: Sed ex dictis conſtat quanta ſit eminentia Sanctitatis Elię Carmelitarum Patriarchæ, ac Principis ſtatus Religioſi, á quo immediatè, & directè Ordo Carmeli dimanauit, mediatè verò, & indirectè alij religioſi Ordines deriuarunt; nec dubium, quin S. Elias ęquè feruentes actus charitatis fecerit, ac alij. Nec ille actus Auguſtini eſt in ſe infinitus, ſed tantum habet aliquam infinitatem ex parte obiecti; vnde poteſt per alium adæquari in perfectione. Multa ex dictis hic per tranſennam, ſpecialiter in ſequentibus tractabuntur.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sanctus Elias Propheta ſit æqualis in Sanctitate Sancto Ioanni Baptiſtæ.

AD Tertiū ſic proceditur. Videtur quòd Sanctus Elias Propheta non ſit æqualis in ſanctitate Sancto Ioanni Baptiſtæ. Ita tenent aliqui: Probatur; Chriſtus Dominus. dixit Matthæi 11. *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta:* Cuius dicti occaſione ſic ait S. Ambroſius, ſicut & S. Auguſtinus; *Quiſquis de muliere eſt, inferior eſt Ioanne*: Ergo Sanctus Elias Propheta non eſt æqualis, ſed inferior in ſanctitate S. Ioanni Baptiſtæ.

¶ 2. Præterea: 1. Corinth. 15. dicitur; *Stella differt a Stella in claritate, ſic in reſurrectione mortuorum*. Et author operis imperfecti, qui traditur eſſe noſter Ioānes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus, homilia 27. ſic ait: *Puto quod omnes Sancti quantùm ad ſublimitatem diuini iudicij, inuicem ſibi aut inferiores ſunt, aut priores; Ex quo intelligimus, quoniā qui maiorem ſe non habet, omnibus maior eſt.* Abulenſis in 11. Matthæi q. 35. ait: *Non ſolùm ad Ioannem, ſed etiam inter cæteros homines fortè nunquam eſt vnus æqualis alteri*: Ergo Elias non eſt æqualis in ſanctitate S. Ioanni Baptiſtæ.

¶ 3. Præterea: Homines electi debent implere Sedes Angelorum Apoſtatarum, & eorum ruinas reparare, vt colligitur ex ſacra ſcriptura, & communiter docent authores: Sed omnes Angeli ſimpliciter ſunt & fuerunt inæquales in ſanctitate, ſicut & in natura, quia dona gratię fuerunt eis conceſſa ſecundùm conditionem naturalium; Et conſequenter omnes electi ſunt inæquales in ſanctitate: Ergo S. Elias propheta non eſt ęqualis in ſanctitate S. Ioanni Baptiſtæ; at inferior, cum iuxta dictum Chriſti Domini non ſit maior.

¶ 4. Præterea: Lex gratię eſt multò perfectior in ſanctis ſuis; quàm fuerit lex antiqua, vt conſtat ex multis, quæ adducit S. Paulus dicens, quòd lex antiqua non adducebat ad perfectum: Ergo S. Elias Propheta, qui nec pręcipuus eſt inter ſanctos antiquæ legis, non eſt æqualis in ſanctitate Sancto Ioanni Baptiſtæ præcipuo ſanctorum legis gratiæ infra Ieſum, & Mariam.

SED Cōtra eſt authoritas ſacrę Scripturę, Sanctorum Patrum, & expoſitorum, ac declaratio ſacræ Inquiſitionis Hiſpanicę.

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Elias Propheta ſit electus præcurſor ſecundi aduentus Chriſti, pluribuſque alijs gaudeat prærogatiuis ad inſtar S. Ioannis Baptiſtæ præcurſoris primi aduentus, eſt ei æqualis in ſanctitate.

RESPONDEO dicendum, quod S. Elias propheta eſt æqualis in ſanctitate S. Ioanni Baptiſtæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd etſi ſobriè procedendum ſit in mutua Sanctorom cōparatione, quia ſolus Dominus eſt pònderator ſpirituum ac meritorum, ac cor intuetur: poſſumus tamen aliquando ſimilem facere comparationem ex regulis Theologicis, in hoc Sanctos Patres, imò & Eccleſiam imitati, quæ quoſdam Sanctos alijs præfert in officijs; Tunc autem ſimilis comparatio congruentiùs fieri poteſt, cum in ſacra Scriptura datur aliquod eius fundamentum, vt contingit in præſenti; Chriſtus enim Dominus dicit de S. Ioanne Baptiſta Matthæi 11. *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*. Vnde hanc difficultatem excitauimus: pro cuius maiori declaratione aduertimus, quòd ſicut S. Ioannes Baptiſta cœpit in veteri Teſtamento, & finiuit in nouo, quia natus eſt ante Chriſtum, & poſtea vidit ipſum, ac veniſſe Meſſiam promiſſum credidit (Et idem dicendum de Beatiſſima Virgine, Apoſtolis, alijſque Sanctis illius temporis:) Similiter Elias cœpit in antiquo Teſtamento nōgentis circiter & ſexaginta annis ante Aduentum Chriſti, & toto tempore illo credidit ipſum fore venturum; Poſtea vidit ipſum maximè in die Transfigurationis, & credidit ex tunc vſque modo aduenniſſe, & ratione huius fidei pertinet ad nouum Teſtamentum; propterea Tertullianus libro 4. aduerſùs marcionem cap. 22. loquens de Moyſe & Elia aſſiſtentibus Chriſto Trāſfigurato ait, *Alter initiator veteris Teſtamenti, alter conſummator noui*: Hanc doctrinam communiter docent Theologi; Vnde Suarez 2.2. quæſt. 174. ar. 4. ad 3. loquens de S. Ioanne Baptiſta aſſerit eſſe noui teſtamenti; Quia apertè Chriſtum cognouit, & in eum non venturum, ſed præſentem credidit, quæ videtur prima, & quaſi fundamentalis differentia inter Patres veteris, & noui Teſtamenti: Et concludit dicens; *Sufficit fidem Meſſiæ iam incarnati habere, vt aliquis de nouo Teſtamento eſſe cenſeatur*. Qui igitur procurat deprimere ſanctitatem Eliæ, agit contra Sanctum inſignem tam veteris, quàm noui Teſtamenti, & in hoc non exaltat Eccleſiam ſupra Synagogam, ſed vtramque quodammodo obſcurat in inclyto eius alumno, præſertim Eccleſiam cuius dux erit Elias noſter contra Antichriſtum, cuius partes agere videtur neſciens quiſquis eius ſanctitatem deprimit, nam Antichriſtus ipſum tam in fama, quàm in vita perſequetur præ cæteris, quaſi generalem exercitus Chriſtiani ſibi contrarij ducem.

Probatur concluſio authoritate ſacræ Scripturæ. Lucæ 1. dicitur de S. Ioanne Baptiſta: *Ipſe præcedet ante illum in Spiritu, & virtute* Eliç, *vt conuertat cor patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum parare Domino plebem perfectam*. Matthæi 11. dicitur: *Si vultis recipere, Ioannes ipſe eſt Elias*. Et cap. 17. *Elias iam venit*: loquebatur autem de Ioanne. Ex quibus ſcripturæ locis ſequens ratio deducitur: Tam ſimilis eſt S. Ioannes Baptiſta Sancto Eliæ in modo viuendi, in rigore pœnitentiæ in Spiritu, in officio Præcurſoris, in ſanctitate &c. quòd dicatur veniſſe in ſpiritu & virtute Eliæ, imò dicatur ipſemet Elias: Ergo Elias eſt æqualis in ſanctitate S. Ioanni Baptiſtæ.

Probatur ſecundò authoritate Sanctorum Patrum. S. Auguſtinus de quæſtion. veteris & noui Teſtamenti q. 26. ſic ait; *Veniet*, inquit, *in ſpiritu, & virtute Eliæ, parem ergo Ioannem Eliæ oſtendit*: Et concludit

Digitized by Google

cludit; *Dominus dicit, nemo maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta; non dicit omnibus maior, ſed nemo illo maior eſt, hoc eſt, æqualem habet, maiorem non habet; Elias ergò par eſt illi*. Et libro 2. contra aduerſ. leg. & proph. cap. 5. ad hæc verba Chriſti Domini; *Non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, ſic ait: *Nihil inde prophetis cæteris derogatur, potuerunt enim eſſe Ioanni aliqui æquales, aliqui eo minores, nullus autem maior propter ſententiam Domini*. S. Hieronymus ſic ait ſup. Matthæi 11. *Elias ergo Ioannes dicitur, quod iuxta aliud teſtimonium Euangelij venerit in ſpiritu & virtute Eliæ, & eandem Spiritus Sancti, vel gratiam habuerit vel menſurã, ſed & vita auſteritas, rigorque mentis Eliæ & Ioannis pares ſunt*. D.Thoma in Matthæi 11. ait: *Non quia tranſeat ſpiritus Eliæ in Ioannem, vt aliqui poſuerunt, ſed quia eandem virtutem habebit*. S. Ambroſius libro 1. in Luc. cap. 1. ait: *Non corporis, ſed animi magnitudinem declarauit, eſt coram Domino magnitudo animi, magnitudo virtutis; ideò fortaſſe in ſpiritu & virtute Eliæ, quia S. Elias & virtutem habuit magnam, & gratiam*. S. Petrus Chryſologus ſerm. 88. ait: *Hic ſpiritum dicit illum, quem per diuinam gratiam meruit, & virtutem dicit illam, quam de ſupernis habuit: Ioannes ergo Eliç venit in ſpiritu, & in eius virtute graditur, quia totum victu veſtitu, honore, caſtitate, abſtinentia, & omnibus Eliã virtutibus repræſentat*. S. Cæſarius dialogo 3. ait: *Eliam meritò appellas* (ſcilicet Ioannem) *propter gratiæ æqualitatem, & adminiſtrationis ſimilitudinem*. S. Bonauentura ſuper Lucæ cap. 1. ait: *Propter nimiam conformitatem Ioannes dicitur Elias*. Beda in hæc verba Iacobi: 5 *Elias homo erat ſimilis nobis*, ſic ait: *Homo erat, quamuis nulli hominum virtute ſecundus*. Rupertus Abbas in c. 1. Ioannis ait: *In hoc Ioannes eſt Elias, quod iuxta aliud Euangelij teſtimonium venit in ſpiritu & virtute Eliæ, & tandem Spiritus Sancti gratiam habuerit, vel menſuram, ſed & vita auſteritas rigorque mentis Eliæ pares ſunt*.

Probatur tertiò authoritate Illuſtrium Doctorum. Euſebius Emiſſenus apud Bibliot. homiliar. tom. 1. Dom. 3. aduentus ait: *Aequales & pares Ioannes habet, pares enim fuerunt ei Moyſes, & Elias*. Noſter Ioannes Ieroſolymitanus libro de Inſtitutione monachorum cap. 9. ait: *Eliam tamen Ioanni eſſe æqualem Angelus Gabriel euidentèr teſtatur*. Abulenſis in Matthæi 11. q. 40. ait: *Similis ergo eſt Ioannes Eliæ*: Et probat adductis authoritatibus Lucæ 1. ac S. Hieronymi. Abbas Ioachim in principio Apocal dicit *Eliam, & Ioannem Baptiſtam vocari in Sacra Scriptura Angelos, vt inter natos mulierum non credantur aliquos habere maiores*. Dionyſius Carthuſianus exponens hæc verba Chriſti Matthæi 17. *Elias iam venit*, ſic ait: *Elias iam venit non perſonalitèr, ſed æquiualentèr, videlicet alius in ſpiritu & virtute eius*. Petrus Damianus ſerm. 2. de S. Vitali ait: *Ipſe eximius prophetarum Elias vix alicui impar ſanctorum; quanti autem meriti Elias fuerit, hinc citò colligitur, ad Zachariam namque de Ioannis promiſſione Angelus dicit, ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ; de eodem quoque Ioanne Dominus teſtatur dicens, Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta; ſi ergo inter homines maior Ioãne Baptiſta nemo ſurrexit, quis maior Elia, qui vnam virtutem, & vnum cum Ioanne ſpiritum habuit?* Haimon tom. 1. Bibliot. homilia Dominica 3. aduentus ait: *Dominus propter meritum ſanctitatis dicit Ioannem Eliam eſſe*. Simili modo loquuntur alij Sancti Patres, & Expoſitores.

Probatur quartò ratione: Ex vna parte Chriſtus Dominus panegyricum illuſtrẽ S. Ioannis efficiens mira de eo dicit, & vt adhuc commendabilior Ioannes appareat ſubiunxit, *ipſe eſt Elias*: Ex alia verò parte ad idem pręcurſoris officium electus fuit Elias, ad quod electus eſt Ioannes: Ergo Elias eſt ęqualis in ſanctitate S. Ioãni Baptiſtæ; nam comparatio alicuius ad alium eximium ad minus importat ęqualitatem; & ex D.Thoma 3. p. q. 27. ar. 4. & 5. ad 1. *Deus dat gratiam proportionatam ei ad quod eligitur*. Confirmatur ex

his

Digitized by Google

his, quę in alio loco dicimus probantes maximam Eliæ noſtri ſanctitatem.

AD primùm ergo dicendum, quòd S. Auguſtinus intelligit de Sanctis, qui præceſſerunt S. Ioannem Baptiſtam in veteri Teſtamento, ſub quibus non comprehenditur S. Elias, qui magis pertinet ad nouum Teſtamentum, quàm ad vetus: Et niſi ſic intelligatur S. Auguſtinus manifeſtè ſibi contrarius eſſet, nam præter adducta teſtimonia in fauorem noſtræ concluſionis. ſic ait Tract. 9. in Ioannem; *Et hoc dicere voluit, quia in ſpiritu Eliæ erat Ioannes &c. non ergo Ioannes Elias, ſed in ſpiritu & virtute Eliæ; Quid eſt in ſpiritu, & virtute Eliæ? In eodem Spiritu Sancto Vice Eliæ; Quare Vice Eliæ? quia quod Elias ſecundo, hoc Ioannes primo aduentu fuit.*

AD ſecundum dicendum, quòd locus ille Sacræ Scripturæ ſolùm dicit fore differentiam in gloria inter Sanctos, ſicut eſt in claritate inter ſtellas, non autem dicit, quòd ſinguli Sancti inter ſe ſunt differentes, ſicut nec apparet differentia claritatis inter ſingulas ſtellas. Quòd ſi citati authores ſint contrariæ opinionis, pro noſtra tamen ſententia habemus torrentem, & Doctorum, & Sanctorum Patrum: S. Maximus ſermon. vltimo de SS. Petro, & Paulo ait, *Puto illos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione.* S. Leo ſerm. 1. in natali Apoſtolorum ait: *De quorum meritis, & virtutibus nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum, quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & gloria fecit æquales.* D. Thomas ſuper Matthæi cap. 11. facit ſibi hanc difficultatem, *Non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, eſt ne propter hoc maior omnibus?* Cui ſimul, & prędictæ authoritati operis imperfecti, quā credit eſſe S. Ioannis Chryſoſtomi, ſic reſpondet: *Dicit Hieronymus quòd non ſequitur; ſi non ſurrexit maior, ergo eſt maior: Chryſoſtomus ergo dicit, quòd maior eſt omnibus; ſecundum primam expoſitionem dico, quòd argumentum illud in Angelis vbi eſt ordo, valorem haberet, quòd ille quo non eſt alius maior, eſt maximus; ſed inter homines non habet veritatem, quia inter homines non eſt ordo ſecundùm naturam, ſed ſolùm ſecundùm gratiam.*

AD tertium dicendum, quòd homines electi dicuntur implere ſedes Angelorum Apoſtatarum, & eorum ruinas reparare, nō per hoc, quòd ſinguli eam portionem gloriæ habeant, quam fuiſſent habituri tales Angeli ſi non cecidiſſent: ſed quia totus ille cumulus gloriæ, qui fuiſſet eis collatus, confertur electis, imò & multò maior.

AD quartum dicendum, quòd S. Elias eſt eximius Sanctus tā veteris, quàm noui Teſtamenti, & comparandus maximis Sanctis vtriuſque Teſtamenti infra Ieſum, & Mariam, ac pluribus præferendus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Sanctus Elias Propheta ſit æqualis in Sanctitate Apoſtolis Chriſti.

AD Quartum ſic proceditur. Videtur quòd Sanctus Elias Propheta non ſit æqualis in ſanctitate Apoſtolis Chriſti. Ita tenent aliqui moderni, & probatur adductis ſupra rationibus, quibus nonnulli ſuadere conantur inęqualitatem ſanctitatis in omnibus Sanctis. Deinde probatur authoritate Sacræ Scripturę: Ad Epheſios 1. loquens S. Paulus de ſe, & alijs Apoſtolis Chriſti ſic ait; *Secundùm diuitias gratię eius, quę ſuperabūdauit in nobis.* Quod exponens D. Thomas ait; *id eſt, abundantiùs fuit quàm in alijs, manifeſtè enim patet ex verbis iſtis, quòd Apoſtoli habent gratiam maiorem, quàm reliqui Sancti poſt Chriſtum, & Virginem matrem; ex quo apparet temeritas illorum, vt non dicam error, qui aliquos Sanctos præſumunt comparare Apoſtolis in gratia, & gloria.*

¶ 2. Preterea: Dicit S. Paulus de ſe, & cæteris Apoſtolis ad Romanos 8. *Nos autem primitias ſpiritus habentes:* Quod explicans Gloſſa habet; *Tempore priùs, & cęteris abundantiùs:* Quod adducens D. Thomas loco ſupra citato dicit;

Digitized by Google

eſt; *Temerarium eſt ergo aliquem Sanctum Apoſtolis comparare*. Et ratio huius teſtimonij concludit fundata in Philoſophia: nam quod eſt primum in vnoquoque genere, eſt cauſa cęterorum illius generis, ſaltèm exemplaris, vnde debet eſſe perfectius cæteris: Ergo cum Apoſtoli habuerint primitias Spiritus Sancti, ac proinde charitatis & ſanctitatis per ipſum inhabitantem diffuſæ in cordibus, ſunt perfectiores cæteris in ſanctitate; & ſic Sanctus Elias Propheta non eſt æqualis illis.

¶ 3. Propterea: Apoſtoli Chriſti ſpatio trium annorum conuerſati ſunt cũ ipſo, ſimul manentes, ambulantes, operantes, edentes, dormientes, &c. non vt aduenæ, & hoſpites, at vt ciues Sanctorum, & domeſtici Dei; vnde, & magiſterio, & iugi exemplo, & continuis gratiæ auxilijs in dies proficiebant in ſanctitate: nam ſi S. Ioannes Baptiſta ſic profecit in primo ingreſſu viſitantis ſe Chriſti, vt ponderat S. Ambroſius in Lucæ 1. Et S. Ioannes Euangeliſta ſemel recumbens in pectore Chriſti tantam ſpiritus abundantiam hauſit, vt docent Sancti Patres; quantum putamus vſu tanti temporis eiuſdem Chriſti præſentiã Apoſtolis gratiæ addidiſſe, qui ſolo aſpectu corda trahebat ad ſui amorem, & mentes ad ſui contemplationem alliciebat: Ergo, cum hæc non cõcurrant in Elia Propheta, ipſe non eſt æqualis Apoſtolis in Sanctitate.

SED CONTRA eſt authoritas Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, ac pluriũ Doctorum.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Elias propheta ſit electus verus Chriſti Apoſtolus pro nouiſſimo tempore, eſt æqualis in ſanctitate Apoſtolis.

RESPONDEO dicendum, quod abſque temeritate poſſunt aliqui Sancti eximij comparari Apoſtolis in ſanctitate, ſi adſit ſufficiens fundamentum, præſertim Sacræ Scripturæ. 2. Vnde cum tali fundamento dicimus, quòd Sanctus Elias propheta eſt æqualis in ſanctitate Apoſtolis Chriſti. Ad cuius euidentiam ſciendũ eſt, quòd omnes Apoſtoli Chriſti fuerunt eminentiſsimæ ſanctitatis, vt demonſtrant rationes adductæ, ſicut & authoritates: Quod amplius probatur, tum ex mirabilibus, quæ in prædicatione Euangelij fecerunt, tum ex multis quæ propter Deum paſsi ſunt, tum ex eminentiſsimo Apoſtolatus officio, ad quod electi ſunt, vnicuique enim Deus dat gratiam proportionatam ei ad quod eligitur, tum ex alijs capitibus; Non tamen fuerunt omnes Apoſtoli æquales omninò in ſanctitate, vnde quærimus in præſenti vtrum Sanctus Elias propheta ſit tam ſublimis ſanctitatis, ad quam electi ſunt Apoſtoli Chriſti.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Eccleſiæ, Sanctorum Patrum, ac illuſtrium Doctorum. Eccleſia in officio præfert S. Ioannem Baptiſtam Apoſtolis, quia credit officium Præcurſoris eminere officio Apoſtoli: D. Thomas, & S. Anſelmus illum æquiparant; alij verò vt S. Theodorus Studita, & Petrus Damianus anteponunt. S. Clemens conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 46. aliàs 52. comparat S. Stephanum protomartyrem Apoſtolis. Alij comparant ipſis Sanctum Martinum, vt S. Seuerus Sulpicius epiſt. 1. de obitu S. Martini, S. Odo titulo 10. S. Gregorius Turonenſis lib. 1. miracul. & S. Bernardus ſermone de eodem Sancto affirmant. Baronius tom. 12. Annalium anno 1153. ipſum S. Bernardum Apoſtolis coæquat, & etiam S. Ioſeph Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 8. ſect. 2. Tandem Abulenſis Matthei 11. q. 34. ait: *Non eſt inconueniens, quòd aliquis poſterior Apoſtolis fuerit æqualis, vel maior quibuſdam Apoſtolis ſanctitate, licet non gradu, nec poteſtate.*

Probatur ſecunda pars concluſionis ex dicendis; ſi namque S. Elias futurus eſt verus Chriſti Apoſtolus, vt probabitur, ſequitur manifeſtè quòd habebit gratiam Apoſtolatui condignam, ac gratiæ Apoſtolorum æqualem, ac proinde

abun-

Digitized by Google

abundantiorem præ cæteris Sanctis,iuxta diſcurſum D. Thomæ ad Rom. 8. lectione 5. vbi ſic ait; *Vnicuique Deus dat gratiam prortionatam ei, ad quod eligitur, inter cæteros autem ad maiorem dignitatem ſunt electi Apoſtoli, & ideò Deus eis abundantiorem gratiam præ cæteris tribuit*. Deinde, vt dictum eſt in articulo immediatè præcedenti, Sanctus Elias eſt ęqualis ſanctitate Sancto Ioanni Baptiſtæ: Sed Sanctus Ioannes Baptiſta non eſt inferior Apoſtolis in ſanctitate, at æqualis ad minus, vt conſtat ex illo Chriſti dicto, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*; Et docet expreſsè D.Thomas ſuper Matthæi 3. dicens, *Nunquid ergo maiores Apoſtoli Ioanne? non meritò, ſed officio noui Teſtamenti*; Et ſimilitèr S.Anſelmus in idem caput Matthæi dicens. *Ioannes tamen non fuit meritis inferior Apoſtolis, ſed tantùm officio miniſterij.* imò iuxta ſenſum Eccleſię plures S.Ioannem Baptiſtam præferunt Apoſtolis; S. Theodorus Studita ait; *Apoſtolis omnibus re vera prior eſt magnus Præcurſor*; Et S.Petrus Damianus ſerm. 1. de S. Ioãne ſic de illo ait, *Apoſtolorum primus, & princeps, de nullo dici poteſt quod dictum eſt de Ioanne, ſcilicet inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, non opponas mihi Euangeliſtam inter cæteros magis dilectum, non Apoſtolorum principem omnibus antelatum, non vas electionis ad cæli tertij ſecreta translatum, nec Apoſtolicus ſplendor audeat occurrere Præcurſori*; Et ſermone 2. ait; *Quantumcunque Apoſtolici Senatus excellat auctoritas, citra metam Ioannis omnia cohibentur, nihil perfectionis vltra progreditur*: Ergò S.Elias propheta eſt æqualis in ſanctitate Apoſtolis Chriſti. Denique probatur ſequenti ratione. S.Elias propheta in officio, ac miniſterio Apoſtolatus non eſt inferior primitiuis Apoſtolis Chriſti, propter mira, quæ facturus, & paſſurus eſt tempore Antichriſti, quæ ſaltem æquant ea, quæ fecerunt, & paſſi ſunt primitiui Apoſtoli; vnde ait S.Hippolitus libro de conſummatione ſæculi; *O beatos qui tunc tyrannum illum deuicerint, quippè prioribus martyribus illuſtriores, & ſubliores declarandi ſunt, propterea, quòd ſuperiores martyres diaboli ſatellites ſuperauerint, hi verò ipſum filium perditionis expugnauerint, ac victoriam reportauerint*; Et ipſi concordant S. Cyrillus Cathec. 15. S. Ephrem. ſerm. de Antichriſto, S. Auguſt. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 18. & S. Gregorius lib. 2. moralium cap: 12. Inſuper S.Elias a tot ſeculis continuò meretur, vt alibi probabimus: Ergo S.Elias propheta eſt æqualis in ſanctitate Apoſtolis Chriſti. Propterea ſic ait Maluenda libro 9. de Antichriſto c.5. *Nec prorſus à vero aberraturum exiſtimamus, ſi quis dicat Eliam, & Enoch meritis, gratia & charitate æquaturos Apoſtolis, ac pares illis futuros, cur enim id formidemus aſſerere?* Amplius concedit Vegas Apocal. 11. tom. 4. ſect. 5. dicens *Nihil abſurdi conſequi video, ſi quis dicat Enoch, & Eliã vt potè extraordinarios quoſdam heroes, ſuperaturos reliquos omnes Sanctos, excepta Virgine*. Sed hoc dictum maneat penes ſuum authorem.

AD primum ergò dicendum, quòd cũ S. Elias ſit futurus verus Chriſti Apoſtolus; huiuſmodi authoritates tam ſacræ Scripturæ, quàm D.Thomę non pugnant contra ſecundam partem concluſionis, quam principalitèr tuemur. Deinde dicendum, quòd debent intelligi iuxta primam partem concluſionis, quando ſcilicet non eſt ſufficiens fundamentum, præſertim in Sacra Scriptura affirmandæ æqualitatis in ſanctitate alicuius Sancti eximij cum Apoſtolis.

AD ſecundum dicendum ſimilitèr, quòd procedit in fauorem S.Eliæ, qui futurus eſt verè Chriſti Apoſtolus: Vnde forſan in die Transfigurationis Chriſtus Eliam noſtrum tribus Apoſtolis magis dilectis, Petro, Ioanni, & Iacobo ſociauit.

AD tertium dicendum, quòd licèt non concurrat in S.Elia propheta conuerſatio continuata cum Chriſto ad eius meritũ, propter exemplum, & inſtructionem eiuſdem Chriſti, ſicut concurrit in Apoſtolis; non tamen fuit S. Elias huiuſmodi conuerſatione totalitèr priuatus, dum Chri-

Chriſtus Dominus eſſet in terris, tum in die transfigurationis, tum poſt reſurrectionem per quadraginta dies, vt aſſerunt plures; nunc autem ſæpius Chriſtũ videt, & fortè Deum iuxta aliquos, quòd maximè cooperatur eius merito, cum aliàs non impediatur a quouis obſtaculo. Deinde plura alia concurrunt ad ſanctitatem S. Eliæ prophetæ, quę non concurrerunt ad meritum Apoſtolorum, nẽpe diuturnitas bonorum operum, per tot ſæcula, maior ſæuitia perſecutionis Antichriſti contra eum, & ſimilia, quorũ exceſſus in ordine ad meritum Eliæ cõpenſat dictum defectum conuerſationis eius cum Chriſto, ſi debeat concedi: Vnde non videtur deneganda S. Eliæ prophetæ æqualitas in ſanctitate cum primis Chriſti Domini Apoſtolis.

QVAESTIO IV.

De dignitatibus, & prærogatiuis S. Eliæ Prophetæ:

DEINDE conſiderandum eſt de dignitatibus, & prærogatiuis ſingularibus S. Eliæ Prophetæ, quæ ſunt cauſæ, vel inditia prędictæ ſanctitatis. Circa quæ quæruntur ſeptem.

¶ Primo, Vtrum S. Elias Propheta ſit ſtatus religioſi principalis Patriarcha.

¶ Secundo, Vtrum S. Elias ſit præcipuus inter Prophetas.

¶ Tertio, Vtrum S. Elias Propheta ſit futurus Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti.

¶ Quarto, Vtrum S. Elias Propheta ſit futurus verus Chriſti Apoſtolus.

¶ Quinto, vtrum S. Elias ſit futurus martyr præ alijs glorioſus.

¶ Sexto, Vtrum S. Elias fuerit primus Virgo conſecratus Deo.

¶ Septimo, Vtrum S. Elias ſit futurus Doctor inclytus Eccleſiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum S. Elias Propheta ſit ſtatus religioſi principalis Patriarcha.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd S. Elias Propheta non ſit ſtatus religioſi principalis Patriarcha. Probatur Sanctus Elias Propheta non verè fundauit ſtatum religioſum, at tantum delineauit eum in ſua congregatione Carmelitana, quia ante Euangelium conſilia Euangelica non fuerunt obſeruata; ideò enim vocantur Euangelica, quia cum Euangelio fuerunt à Chriſto Domino introducta: Ergo Sanctus Elias Propheta non eſt principalis Patriarcha ſtatus religioſi, cum nec ſit verè Patriarcha illius.

¶ 2. Præterea: Si quid ſuaderet Sanctum Eliam eſſe principalẽ Patriarcham ſtatus religioſi, maximè quia eſt primus Patriarcha illius: Sed hoc potiùs ſuadet contrarium, quia ſicut natura incipit ab imperfectioribus, ſic & gratia, vt communitèr dicitur, & poſſet inductione probari: Ergo Sanctus Elias Propheta non eſt principalis ſtatus religioſi Patriarcha.

¶ 3. Præterea: Cæteri Patriarchæ ſtatus religioſi illum perfecerunt; Tum in votis eſſentialibus, quia de ſimplicibus ſolemnia fecerunt; Tùm in alijs regularibus obſeruantijs, plures addendo, & magis congruas: Ergo Sanctus Elias Propheta non eſt principalis ſtatus religioſi Patriarcha; quia ſolus ille dicitur in aliquo ordine principalis, qui perficit illum ordinem, vt patet inductione in omnibus.

SED Contra eſt authoritas omnium Doctorum, qui docent Sanctum Eliam Prophetam eſſe primum fundatorem veræ religionis.

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Elias ſit primus fundator ſtatus religioſi veteris teſtamenti, cum tribus votis eſſentialibus, & alijs regularibus obſeruantijs, & cum habitu pænitentiæ, expreſſo publico, & authentico Dei mandato, eſt principalis illius Patriarcha.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Elias Propheta eſt principalis ſtatus religioſi Patriarcha. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd in præſenti ſolùm inquirimus de dignitate Patriarchali Sancti Eliæ ex fundatione ſtatus religioſi, tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad alias circunſtantias; Et concludimus, quòd inter omnes religionum fundatores eſt principalis Patriarcha; quia eſt primus qui veram fundauit religionem, vt alibi in hoc opere probatum eſt.

Probatur concluſio authoritate omnium illorum, ex quorum doctrina ſequentes deducentur rationes: Sed præſertim Carthagenæ ex ordine minorum, qui clariùs loquitur libro 17. homilia 1. poſtquam dixit, quantũ Eccleſia debet alijs Sanctis religioſorũ ordinũ fundatoribus, vt Dominico, Franciſco, Auguſtino, Benedicto, & Baſilio, ſic concludit: *Igitur ſi ijs Sanctis Patribus tantum debetur, quid Sanctis viris huius ſacræ religionis* (loquitur de noſtra Carmelitana) *fundatoribus deberi iudicabimus? cum non ſolùm bonorum operum fructus, quos ſacra hæc religio edidit, ſed omnes etiam ſpirituales fœtus, quos vniuerſæ religiones huc vſque pepererunt, meritò illis tanquam fontalibus primordijs aſcribi debeant: quod ne meo marte affirmare videar, Eliam & Eliſæum religioſæ vitæ principia dediſſe grauiſsimi authores conteſtantur; nam ſancti* Patres Elias *& Eliſæus non tantum huius ordinis, verùm (audeo dicere) etiam omnium fundatores fuerunt*. Huic adiungo Polydorum libro 1. cap. 3. vbi ſic ait: *Quidquid virtutis & perfectionis eſt in quouis monaſtico ordine, à caſtiſsimo* Propheta *&* Patre Elia, *tanquam a primordiali* Eremitarum, *monachorum, & etiam vniuerſorum religioſorum Inſtitutore, velut à fontali principio emanauit.* Qui plures in hac materia deſiderat authoritates, legat articulum, in quo quærimus, Vtrum Religio Carmelitana ſit radix & origo cæterarum.

Secundò probatur multiplici ratione. Prima eſt: quia Elias eſt primus fundator ſtatus religioſi modo alibi explicato; quod autem eſt primum in aliquo genere, eſt principale & cauſa ſaltem exemplaris cæterorum illius generis, vt communiter docent Philoſophi. Secunda ratio eſt: quia Elias non ſolum fuit fundator ſtatus religioſi quoad ſuſtantiam, per introductionem trium votorum eſſentialium, ſed etiam quoad obſeruantias integrantes præcipuas, videlicet chorum, oratonem, ieiunium, ſolitudinem, ſilentium &c. Alij verò Fundatores aliquas tantùm obſeruantias accidentales ac minùs principales adinuenerunt: quod ita verum eſt, vt etiam ſpiritus miſſionum in Elia & primitiuis eius diſcipulis apparuerit; ſicut & animus pugnandi pro Fide in Aſſidæis ſub ſuo duce Iuda Machabæo, quos infra oſtendetur fuiſſe filios Eliæ Carmelitanæ religionis alumnos. Tertia ratio eſt: quia Elias cum obſeruantijs regularibus primus introduxit in ſua religione determinatum habitum religioſæ pœnitentiæ, ſcilicet pelles caprinas & melotem, cuius fuerunt tantùm modificatores alij Fundatores cæterarum religionũ. Quarta ratio eſt: quia Elias ſuam religionem Carmelitanam expreſſo, formali, publico & authentico Dei mandato fundauit; cæteri verò fundatores aliarum religionum eas tantùm fundarunt vel ex inſpiratione interna, vel ex particulari reuelatione, vel ad ſummum mandato Dei publico quidem at non authentico in ſacra Scriptura: Quæ omnia manifeſtè probant Sanctum Eliam Prophetam eſſe principalem ſtatus religioſi Patriarcham.

AD

Digitized by Google

AD Primum ergo dicendum, quòd Sanctus Elias Propheta verè fundauit ſtatum religioſum, licet non cum ea perfectione & ſolemnitate, ac nunc eſt, nec cum poteſtate clauium: nam quamuis conſilia Euangelica fuerint à Chriſto Domino cum ipſo Euāgelio introducta, & propterea vocantur Euangelica, cum tanta perfectione, ſolemnitate,& vniuerſalitate ac nunc ſunt; potuerunt tamen introduci ab Elia cum ea perfectione diminuta, quæ ſtatui antiquæ legis congruebat, eo prorſus modo, quo in eo vigebant cæteræ virtutes & opera fidei.

AD Secundum dicendum, quòd licet verum ſit ſtatum religioſum non fuiſſe tunc ita perfectum ac nunc eſt, ob rationem adductam; primus tamen eius fundator eſt principalis Patriarcha, quia totam eius ſubſtantiam, partes eius integrantes, & habitum pœnitentiæ proprium inſtituit, & expreſſo formali publico ac authentico Dei mandato, quòd alij fundatores non fecerunt, qui tantùm accidentaria quędam introduxerunt; dicitur autem communitèr, quòd facilè eſt inuentis addere, in qualibet enim arte primi inuentores principalius æſtimantur præ cæteris, qui tantùm in aliquibus accidentarijs artem perfecerunt.

AD Tertium dicendum, quòd in antiqua lege fuerunt tria vota religionis eſſentialia quantum ad ſubſtantiam, ab Elia introducta in ſua religione, vt alibi probatum eſt; ſolemnitas autem illa, ſicut & illæ additiones in obſeruantijs regularibus ſunt tantùm accidentariæ. Eſt autē principalior fundator ille qui fundat ſubſtantiam, præ alijs qui fundant tantùm accidentia in quacumque re.

ARTICVLVS II.

Vtrum Sanctus Elias ſit præcipuus inter Propheta.

AD ſecundum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Elias non ſit præcipuus inter Prophetas. Probatur: Sanctus Ioannes Baptiſta Pręcurſor pręfertur a Chriſto Domino cæteris Prophetis, dum ab ipſo vocatur: *Propheta & pluſquam Propheta*: Ergo Sanctus Elias, non eſt præcipuus inter Prophetas; maximè quia ei æquiparatur ab ipſomet Chriſto, idem S. Ioannes, dum dixit, *Hic venit in ſpiritu & virtute Eliæ*; Item, *Ipſe eſt Elias*.

¶ 2. Pręterea: Deus dixit de Moyſe, quòd non loquebatur ei in ſomnijs, nec in viſione, ſicut loquebatur alijs Prophetis; ſed os ad os, tanquam amicus amico: Inſuper Moyſes prodigioſis & pluribus miraculis ſuas confirmauit prophetias; Ita vt Dominus ipſi dixerit, *Conſtitui te Deum Pharaonis*: quæ cuncta demonſtrant ipſum nemini Prophetarum cedere: Ergo Elias non eſt pręcipuus inter Prophetas.

¶ 3. Præterea: Sanctus Elias nullam ſcripſit prophetiam, non enim in Sacra Scriptura continetur vllus liber ſub nomine ipſius inter alios Prophetas: Ergo Sanctus Elias non eſt, nec dici poteſt præcipuus inter Prophetas; cum alij Prophetæ ſacra noſtræ fidei myſteria ſibi diuinitùs reuelata ſcripſerint, vt conſtat ex eorum libris; quod denotat ipſos fuiſſe magis conſpicuos in luce & ſpiritu prophetiæ, quam Elias qui nihil ſcripſit.

¶ 4. Præterea: Sanctus Eliſæus petijt, & obtinuit duplicem ſpiritum Eliæ, iuxta promiſſionem ipſius Eliæ, quia vidit ipſum in raptu: hic autem duplex ſpiritus fuit prophetiæ, & miraculorum iuxta expoſitores: Ergo Elias non eſt præcipuus inter Prophetas, ſed habet Eliſæum æqualem.

SED Contra eſt fundamentum Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum authoritas.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Elias Propheta fecerit ſucceſſores poſt ſe, nec vllum eorum habuerit ſanctiorem ſe, ac prodigioſis pluribuſque miraculis ſuam prophetiam confirmauerit, eſt præcipuus inter Prophetas.

RESPONDEO dicendum, quod Sanctus Elias eſt præcipuus inter Prophetas, principalitèr quia Prophetas fecit ſucceſſores poſt ſe. 2. Deinde quia fuit ſanctior omnibus, vt ait D. Thomas. 3. Denique quia ſuam prophetiam plurimis & prodigioſis confirmauit miraculis præ cæteris. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd præſens difficultas procedit principaliter in ſenſu formali, vtrum ſcilicet Sanctus Elias ſit præcipuus inter Prophetas in ſpiritu prophetiæ: ſecundariò etiam procedit in ſenſu materiali, vtrum ſcilicet Sanctus Elias ſit etiam præcipuus inter prophetas in alijs ſpiritui prophetiæ connexis, quæ reddunt ipſum commendabilem; Quæ ſunt ſanctitas perſonalis, & gratia miraculorum: Reſpondetur quantùm ad primum, quod eſt principale, in prima parte concluſionis; ad alia verò acceſſoria reſpondetur in ſecunda & tertia parte ipſius concluſionis.

Probatur prima pars concluſionis ratione deducta ex Sacra Scriptura: In omni ordine ille eſt præcipuus inter alios qui non ſolum participat naturam talis ordinis perfectè, ſed etiam alijs communicare poteſt, & de facto communicat, vt poſſet inductione probari in quouis ordine; ſicut Epiſcopus eſt præcipuus inter Sacerdotes, quia ipſe eſt Sacerdos, & ſimul poteſt facere, ac de facto facit alios Sacerdotes, & ſic in alijs; cuius ratio eſt; quia talis habet in ſe naturam illius ordinis non ſolùm quaſi in ſubiecto particulari, ſed etiam tanquam in principio vniuerſali, quod eſt illam habere perfectiſsimo modo: Sed Sanctus Elias Propheta non ſolùm habuit in ſe perfectè ſpiritum prophetiæ; at etiam ex ſingulari priuilegio nulli alteri conceſso, potuit illum alijs communicare, & de facto communicauit, vt conſtat ex Sacra Scriptura dicente Eccleſiaſtici 48. ipſi Eliæ inter alia elogia, *Et Prophetas facis ſucceſſores poſt te*, nempe Eliſæum, Ionam, Micheam, Abdiam, & quàm plures alios diſcipulos ſuos, quaſi quodam hæreditatis iure, quod de nullo alio legitur: Ergo Sanctus Elias eſt præcipuus inter Prophetas principaliter hoc titulo.

Probatur ſecunda pars concluſionis expreſsa authoritate D. Thomæ in caput 17. Sancti Matthęi, vbi hæc habet in terminis; *Helias omnibus prophetis ſanctior fuit*: Quod dictum accipimus ſine preiudicio dicti Chriſti de S. Ioanne Baptiſta, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*. Deinde probatur authoritate S. Ioannis Chryſoſtomi homilia 57. in Matthęum, vbi Moyſem & Eliam cęterorum prophetarum vertices appellat: quod intelligitur quantùm ad ſanctitatem, vt conſtat ex ipſo textu, dicit enim; *Cuius autem rei gratia Moyſem & Eliam produxit, multas quidem dicere quis cauſas poſſet; Primum, quoniam & turba alij Eliam, alij Ieremiam, alij priſcorum Prophetarum vnum opinabantur, idcircò Moyſem & Eliam cæterorum Prophetarum vertices, vt quàm magnum ſit inter ſeruos & Dominum diſcrimen, oculis cernerent, vtque rectè laudatum crederent Petrum, qui filium Dei eum confeſſus eſt*. Denique probatur ex his, quę alibi diximus de maxima ſanctitate noſtri Elię, cui nullum ſuperiorem pręter Ieſum & Mariam, paucos verò ęquales fecimus.

Probatur tertia pars concluſionis ex relatis Elię noſtri miraculis in libro tertio & quarto Regum, quorum epilogus fit capite 48. Eccleſiaſtici his verbis: *Et ſurrexit Elias propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat: qui induxit in illos famem, & irritantes illum inuidia ſua pauci facti ſunt; non enim poterant ſuſtinere præcepta Domini: verbo Domini continuit cælum, & deiecit de cælo*

ignem

ignem ter, ſic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis: Et quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi? Qui ſubſtuliſti mortuum ab inferis de ſorte mortis in verbo Domini Dei; Qui deieciſti Reges ad perniciem, & confregiſti facilè potentiàm ipſorum, & glorioſos de lecto ſuo; Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defenſionis; Qui vngis Reges ad pœnitentiam, & prophetas facis ſucceſſores poſt te; Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum; Qui ſcriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob: Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt; nam nos vita viuimus tantùm, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum. In quibus miraculis plura ſunt notanda: Primum, quod aliqua ſunt contra naturam vniuerſalem, vt quòd per tres annos continuos cum dimidio pluuiam impedierit, quòd ignẽ de cœlo ter attraxerit, quòd aquas Iordanis ſua melote diuiſas continuerit ne fluerent: Alia ſunt ſupra naturam, vt quod mortuum ſuſcitauerit; multa alia præter naturam, vt quòd plures cauſauerit curationes: Secundum; quòd ipſe primus aliqua miracula fecerit, vt cum mortuum ſuſcitauit, non enim legitur in Sacra Scriptura, quòd ante Eliam quis ſuſcitauerit mortuum: Tertium; quòd ipſe quaſi ad libitum miracula faciebat, cum tamen Moyſes ad illa patranda dirigeretur: vnde minabatur Iſraelitis, quòd non erat futura pluuia, niſi iuxta oris ipſius verba.

AD primum ergo dicendum, quòd S. Ioannes Baptiſta dicitur *pluſquam propheta* ex interpretibus, quia priores prophetæ prędixerunt Chriſtum futurum, Ioannes autem ipſum demonſtrauit pręſentem; nec in hoc eſt Elias inferior Ioanne, quia Chriſtum vidit in die Transfigurationis; Vnde ante raptum prædixit, & tunc monſtrauit, & vidit præſentem; Eſt autem Elias ſuperior Ioanne, quia Elias fecit prophetas ſucceſſores poſt ſe, non autem ipſe Ioannes.

AD ſecundum dicendum, quòd quidem ſecundùm S. Auguſtinum, & Diuũ Thomam Moyſes in vita mortali vidit ſemel Deum clarè. De noſtro Elia dicunt aliqui, quòd etiam Deum vidit clarè in illa viſione montis Horeb: ſed plures docent quòd nunc in Paradiſo Terreſtri videat ipſum aliquando: Vnde in hoc non eſt inferior Moyſe. Quantùm ad miracula dictum eſt etiam quòd Elias non cedit Moyſi: Et ſi Moyſes conſtitutus eſt Deus Pharaonis, Elias conſtitutus eſt Deus Regis Achab; hoc enim ſonat nomen Elias, id eſt Deus Domini ſeu Regis: Elias autem eſt ſuperior Moyſi in ſpiritu prophetiæ, quia ipſe fecit Prophetas ſucceſſores poſt ſe, non autem Moyſes.

AD tertium dicendum, quòd etiam Sanctus Elias aliquam ſcripſit Prophetiam, nempè in epiſtola ipſius comminatoria ad Regem Ioram, cui, & grauem infirmitatem, & mortem prædixit. Et Origenes tract. 35. in Matth. affirmat quòd hæc verba 2. Cor. 2. *ſicut ſcriptum eſt quod oculus non vidit, &c.* fuerunt deſumpta ex libro edito ab Elia, qui tempore ipſius extabat, nunc non extat. Et licet nihil ſcripſiſset, multa tamen ſpiritu prophetico prædixit, quæ ab alio Scriptore ſacro ſcripta ſunt in tertio & quarto libro Regum; Diuinitùs autem agnouit myſteria fidei, & ipſi primo fuit reuelata mater Meſsiæ futura Virgo Maria ſine labe peccati originalis ſub illa nubecula myſtica, vt exponit noſter Ioannes 44. nunc in Paradiſo Terreſtri habet ſublimiſsimas reuelationes de miſterijs fidei, & dicitur ab aliquibus ſcribere hiſtoriam ſacram Eccleſiæ, & alia neceſsaria pro fide Chriſti tuenda in fine mundi, & pro conuerſione Iudæorum; cuius ſcriptura tunc foret ſacra & canonica.

AD quartum dicendum, quòd licèt Sanctus Eliſæus eſset dicendus æqualis Sancto Eliæ in ſpiritu prophetię quantùm ad ſubſtantiam, vt adducta ratio ſuadet, non tamen quantum ad modum habendi: quia Sanctus Eliſæus habuit illum

Digitized by Google

illum dependenter ab Elia , vt conſtat , velut ab illo ſibi communicatum ; Sanctus Elias autem illum habuit, vt principium illius communicatiuum , ac proinde nobiliori modo , & ita fuit præcipuus inter Prophetas . Ad completam obiectionum ſolutionem , addimus hic ex D. Thoma in prologo Apocalypſis; quòd *Quilibet ſequentium Prophetarum poteſt dici eximius ſiue præſtantior diuerſis reſpectibus : Elias quo ad vitę auſteritatem, & liberam increpationem(ſiue zelum gloriæ Dei, quę conſtituunt nouum excellentiæ titulum in noſtro Propheta) Dauid verò quoad regiam dignitatem & mentis humilitatem, & Chriſti de ipſo naſcituri promiſſionem : Iſaias, quoad vocationis Gentium , & incarnationis Chriſti apertionem ; quia ex S.Hieronymo in principio Commentarij ſuper ipſum, Iſaias non tam Propheta', quam Euangeliſta dicendus eſt , qui ita liquidè de Chriſto loquitur , vt magis narrare præterita , quàm prædicere futura videatur : Daniel quoad temporis Incarnationis , & paſsionis determinationem : Moyſes quoad Dei familiaritatem , & præceptorum Dei certam promulgationem : Zacharias quoad Templi ędificationem , ad quam populum ſtrenuè inuitauit : Ioannes verò (ſcilicet Euangeliſta) quoad viſionis profunditatem , & prophetiæ multiplicitatem* . Hactenus D. Thomas. Propter hanc multiplicem Eliæ noſtri in ſpiritu prophetico eminentiam dicitur *Prophetarum maximus* a venerabili Beda in Lucam agens de Transfiguratione : Dicitur *Summus Prophetarum* à Theodoreto in 3.Regum 17. dicitur *Princeps Prophetarum* , ab Abulenſe in Matthæi 17. dicitur *Prophetarum caput* à S. Ioanne Chryſoſtomo : Vnde S. Hieronymus in Malachiæ 4. dicit quòd *Elias in monte Thabor repreſentabat chorum Prophetarum omnium, & totam prophetiam* . Dicitur a S. Ambroſio in pirincipio libri de Viduis , *Prophetarum pręſtantiſſimus* .

ARTICVLVS III.

Vtrum Sanctus Elias Propheta ſit futurus Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti.

AD Tertium ſic proceditur . Videtur quòd S. Elias Propheta non ſit futurus Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti Probatur: Si quid ſuaderet Eliam Prophetã futurum eſſe Præcurſorem ſecundi aduentus Chriſti , maximè traditio quæ perſeuerabat inter Doctores antiquæ legis : Sed hæc traditio non erat fundata quantum ad perſonam S. Eliæ , nam Chriſtus Dominus eam explicat de S. Ioanne Baptiſta, nam Matthæi 11. dixit ; *Omnes enim Prophetæ , & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt , & ſi vultis recipere ipſe eſt Elias, qui venturus eſt, qui habet aures audiendi audiat*:Et cap.17.ait: *Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis a mortuis reſurgat ; & interrogauerunt eũ diſcipuli dicentes, Quid ergo Scribæ dicunt , quòd Eliam oporteat primùm venire . At ille reſpondens ait eis . Elias quidem venturus eſt , & reſtituet omnia , dico autem vobis , quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum , ſed fecerunt in eo quæcunque voluerunt , ſic & filius hominis paſſurus eſt ab eis , tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis* Idem penè dicitur Marci 9. & inter alia ſic ait Chriſtus ; *ſed dico vobis , quia & Elias venit , & fecerunt illi quæcumque voluerunt , ſicut ſcriptum eſt de eo* : Ergo Elias Propheta non eſt futurus Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti .

¶ 2. Præterea: Si quis Sacræ Scripturæ locus probat , quòd Sanctus Elias Propheta ſit fututus Pręcurſor ſecundi aduentus Chriſti, maximè ille Malachię 4. quò dicitur ; *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam , antequam veniat dies Domini magnus & horribilis , & conuertet cor patrum ad filios , & cor filiorum ad patres eorum , nè fortè veniam & percutiam*

Digitized by Google

tiam terram anathemate: Sed hic locus intentum non probat, quia plures Catholici authores illum exponunt de Sancto Ioanne Baptiſta, vt Ianſenius, Iſidorus Clarius, Arias Montanus, & inter hæreticos Caluinus; & videtur hoc fundatum in præadductis Chriſti Domini teſtimonijs: Ergo S. Elias propheta non eſt futurus Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti.

¶ 3. Præterea: Nec locus iſte Apocalypſis 11. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis, &c.* probat Eliam iterum eſſe venturum; primò, quia non nominatur, nec indicatur; ſecundò, quia aliqui authores Catholici hunc locum de alijs intelligunt, non de Enoch & Elia; Tertiò, quia Eccleſia videtur intelligere de Sanctis Ioanne, & Paulo, dum partem dicti illius eis attribuit, dictum enim ſic habet; *Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes*, & de his Sanctis dicitur in eorum officio, *Iſti ſunt duę oliuæ & duo candelabra lucentia ante Dominum dominatorē vniuerſæ terræ*; Quartò, quia ſi aliqua dicti illius videntur indicare Eliam, nempe exitus ignis de ore eorum ad deuorandum inimicos, & ſuſpenſio pluuiæ, quę ſigna fuerunt olim facta per Eliam, alia tamen potiùs indicant Moyſem & Aaron, nempè poteſtas ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinē, & percutiendi terram omni plaga quotieſcunque voluerint, qualia legimus facta per ipſos in Aegypto: Ergo S. Elias Propheta non eſt futurus Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti.

SED Contra eſt authoritas Sacrę Scripturæ, Sanctorum Patrum, & vniuerſalis penè conſenſus expoſitorum.

CONCLVSIO.

Sanctus Elias propheta futurus eſt Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Elias Propheta futurus eſt Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti. 2. Qui chriſtianos per Antichriſtum a fide peruerſos reducet ad Chriſtum. 3. Et conuertet reliquias Iudęorum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſicut alij Reges ſolent habere Pręcurſores viros inſignes, dum in aliquem locum pergunt; qui preparent omnia ad aduentum ipſorum requiſita; ſic Chriſtus Dominus, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium pro duplici ſuo aduentu in hunc terrarum orbem Præcurſores viros inſignes elegit, ſed in ſanctitate, quæ ſolùm æſtimatur ab ipſo: Pro primo quidem aduentu elegit ſuum Præcurſorem Sanctum Ioannem Baptiſtam, quo nullus maior inter natos mulierum ſurrexit iuxta ipſius Chriſti teſtimonium; Et quia primus Chriſti aduentus fuit humilis, vtpotè Saluatoris mundi per ſuam mortem ac paſsionem, ac ſimul Doctoris vitæ ſpiritualis per exēpla virtutum, inde eſt quòd S. Ioannes Baptiſta Præcurſor iſtius debuit diſponere homines ad finem huius aduentus per ſuæ humilitatis, ac cœterarum virtutum exempla potiùs, quàm per miracula, maximè vt Chriſtus ſuis miraculis ſuper ipſum dignoſceretur, qui aliundè propter ſtatum humilem dignoſci non poterat, qui Ioannes fuit Virgo, confeſſor, martyr, Doctor, &c. Pro ſecundo autem aduentu, vt potè glorioſo quaſi Iudicis mundi duos elegit Pręcurſores, qui tribus annis cū dimidio diſponent mortales ad iudicium ſuis prędicationibus & miraculis contra Antichriſtum pugnantes. ac pro fide Chriſti glorioſè occumbentes, facti perſimiles ipſi Chriſto, & in triduo ac loco mortis, & in mirabili reſurrectione, & in publica ad cœlum aſcenſionē, quę ſingula in 11. Apocal. capite deſcribuntur, inferiùs referendo. In pręſenti quęrimus, vtrum Sanctus Pater Noſter Elias ſit futurus vnus ex his duobus Pręcurſoribus ſecundi aduentus Chriſti, qui proinde ſit futurus Doctor, & Confeſſor Chriſtianę fidei, ac martyr inclytus ipſi Chriſto in pluribus ſimilis; alibi oſtenditur, quòd

ſit

Digitized by Google

ſit Virgo, & Patriarcha Religionis ſiue ſtatus religioſi.

Probatur prima pars concluſionis duplici authoritate Sacrę Scripturę manifeſta ex vnanimi Sanctorum Patrum expoſitione, vnde ab aliquibus quaſi de fide iudicatur. Prima authoritas habetur Malachiæ 4. his verbis; *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, &c.* Quòd teſtimonium iuxta communem Santeorum Patrum, ac penè omnium interpretum ſententiam importat, quod Deus mittet immediatè Eliam ſub finem Mundi antequam veniat iterum Dominus Ieſus Chriſtus vt iudex viuorum & mortuorum, in die magno & horribili vniuerſalis Iudicij, & tunc mira aduerſus Antichriſtum operabitur, conuertet Iudæos alioſque infideles, & Chriſtianos ad pœnitentiam reducet: Quòd locus iſte ſit in hoc ſenſu intelligendus de perſona Eliæ Prophetæ, qui propterea viuus eſt translatus in Paradiſum Terreſtrem, vt legitur libro 4. Regum capite 2. vltra textum ſeptuaginta Interpretum, & verſionem Arabicam, in quibus legitur, *Mittam vobis Eliam Theſbitem*, & ſic legit Chryſoſtomus, docent S. Ambroſius in 1. Cor. 4. S. Hieronymus in hunc locum, S. Auguſtinus 20. de Ciuitate Dei cap. 29. S. Gregorius 11. moral. 9. & alij Sancti Patres, quos communiter ſequuntur interpretes & Doctores, Suarez aduerſus errores Anglorum libro 5. de Antichriſto cap. 14. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice cap. 16. Cornelius a lapide in hunc locum, Ribera Apocal. 11. Pereira Daniel 12. lib. 15. Maluenda libro 9. de Antichriſto cap. 13. Secunda authoritas habetur Apocal. 11. his verbis: *Dabo duobus Teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis; hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes: & ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum; & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi; hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint;* Et *cum finierint teſtimoniũ ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet aduerſùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt;* Et *videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidiũ & corpora eorum non ſinent poni in monumentis, & inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & iucundabuntur, & munera mittent inuicem, quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant ſuper terram; & poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitæ intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, et timor magnus cecidit ſuper eos qui viderant eos;* Et *audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis, Aſcendite huc, & aſcenderunt in cælum in nube, & viderunt illos inimici eorum;* Et *in illa hora factus eſt terremotus magnus, decima pars ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt in terremotu nomina hominum ſeptem millia, & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cæli.* Quòd hi duo teſtes ſint Enoch & Elias docent S. Ambroſius 1. cor. 4. S. Hieronymus Matthæi 11. & 17. S. Auguſtinus 20. de Ciuitate Dei cap. 29. & libro 9. de Geneſi ad litteram cap. 6. S. Gregorius homilia 12. ſuper Ezechielem, & libro 9. moral. cap. 3. S. Ioannes Chryſoſtomus homilia 58. in Matthæum, S. Gregorius Niſſenus libro Teſtimoniorum contra Iudęos, & Cyprianus tractatu de Sina & Sion, S. Ioannes Damaſcenus libro 4. fidei orthodoxæ cap. 27. S. Proſper in dimidio temporis cap. 13. S. Ephrem tractatu de Antichriſto, S. Iuſtinus martyr dialogo contra Triphoneam, Tertullianus lib. de anima cap. 35. & 50. Origenes tom. 7. in Ioannem, D. Thomas in hunc locum, Abulenſis in cap. 17. Mathæi, Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 55. ſect. 2.

& com-

& communiter interpretes: Vnde nõ non ſunt curandi ſi quis contra torrentem ipſorum nitantur, ſicut & contra prædictum Malachiæ locum.

Probatur ſecunda & tertia pars conclusionis authoritate prædicti teſtimonij Malachiæ, vbi dicitur quòd Elias *Conuertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres eorum*; Quod principaliter intelligitur de conuerſione Iudæorũ, iuxta illud Prophetæ, *Reliquiæ Iſrael ſaluæ fient*: Et Matthæi 17. dicitur à Chriſto; *Elias venturus eſt, & reſtituet omnia*; *id eſt*, ait D. Thomas, *mortuo Antichriſto omnes reſtituentur ad fidem per prædicationem* Eliæ; Et S. Dorotheus in Synopſi in vita Eliæ ait de Enoch & Elia, *Cunctos mortales ex Antichriſti ſeductione ad fidem conuertent*. Nec dubium, quin Antichriſtus ſuis tormentis & apparentibus miraculis non ſolùm Iudæos ad ſuas partes alliciet, ſed etiam plures chriſtianos peruertet.

Probatur etiam ex capite 10. Diuini Oraculi S. N. Cyrillo Carmelitę Conſtantinopolitano per Angelum miſſi; cuius tranſſumptum habui ex Vaticana Bibliotheca, & ſpeciali commentario expoſui: citato enim capite agit ſub metaphoris de Antichriſto, de eius perſecutione in Chriſtum, de martyrio Enoch & Elia, ac conuerſione Iudæorum per ipſos: Et qui hoc teſtimonium breue lectori pretioſum fore iudico, hic appono: *Interea antiqui ſerpentis genimen viratum creſcet, ſeque ſubnixè ad prælium præparabit, vt cornua crucis confringat & aſſolet, quamobrem antiquus dierum, quem ſcripſit Iuuenis Daniel, pueros ſuos præmuniet vt conterat caput eius, nec poterunt*: *Eriget quoque in tramite vnde ſerpens fuit tranſiturus, binas columnas lapideas & vetuſtas ſe altrinſecus ſpectantes, ut cum tranſierit ipſe nequam cum ſuis ſequacibus, faciat eas in illos corruere: ipſe verò iniquus aſtutus & ſagax à longè hoc perpendet, & erigens caudam ſuam torquemque inuoluet conſtrictim eas, ipſarumque epiſtilia cruentabit; inſuper ad electos Sanctoſque Domini orthodoxos ſeſe conuertet, qui in columnarum erectione riſerunt, vt riſum eorum conuertat in fletum*: *Tunc lætabitur Cananæus et non filius Abraham, quia quem iam dudum altercans diſputauerat aduenturum eſſe, iam lætanter effabitur aduenisse*: *Poſt hoc qualis fuerit ipſe Sathanas apparebit; quippe antiquus dierum euigilans animabitur contra eum, & ſpiritum ignitum per nares emittens exuret illum intrinſecus, & fætor aduſtionis illius perſlabitur per filios Chanan*. Hactenus dicti capitis textus.

Ad primum ergo dicendum, quòd quando Dominus dicit S. Ioannem Baptiſtam eſſe Eliam, intelligit in ſpiritu & in officio Præcurſoris, non in perſona, ſic exponunt Sancti Patres in his locis: Dicit igitur S. Hieronymus; *Elias ergo Ioannes dicitur, non ſecundum ſtultos Philoſophos, & quoſdam hereticos, qui metemphſychoſim, id eſt animæ ex vno in aliud corpus migrationem intraducunt*: *ſed quòd iuxta aliud teſtimonium Euangelij venerit in ſpiritu & virtute Eliæ, & eandem Spiritu Sancti vel gratiam habuerit, vel menſuram; ſed & vitæ auſteritas rigorque mentis Eliæ & Ioannis pares ſunt, vterque in eremo, vterque zona pellicea cingebatur; ille, quoniam Regem Achab & Iezabel impietatis arguit, fugere compulſus eſt; iſte quia Herodis & Herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur*: Et addit; *Hoc autem quod dictum eſt, ipſe eſt* Elias, *myſticum eſſe & egere intelligentia, ſequẽs Domini ſermo demonſtrat dicens, Qui habet aures audiendi audiat*. S. Remigius ſic ait: *Ac ſi diceret, Qui habet aures cordis audiendi, id eſt intelligendi, intelligat, quia non dixit Ioannem* Eliam *eſſe in perſona, ſed in ſpiritu*. Et S. Chryſoſtomus ait: *Eſt enim ille hic, & hic ille, quia præcurſores facti ſunt vtrique*: Item homilia 58. ait: *Ne autem exiſtimes eum in ſermone erraſſe, ſi quandoque dicit* Eliam *venturum, & quandoque veniſſe; cum enim dicit quòd* Elias *venturus eſt, & reſtaurabit omnia, de ipſo* Elia *in propria perſona loquitur, qui quidem reſtaurabit omnia, dum corriget infidelitatem Iudæorum qui tunc inuenientur, quod eſt conuertere corda*

da patrum ad filios, id eſt Iudæorum ad Apoſtolos.

AD Secundum dicendum, quòd mirum eſt hos paucos authores in tam manifeſto ſacræ ſcripturæ teſtimonio deuiaſſe a communi Sanctorum Patrum & expoſitorum ſententia: de Caluino hæreſiarcha non eſt mirum, qui ſacrum textum paſſim corrumpit. Nec præadducta Euangelij loca ipſos excuſant, cum deberent ſacram ſcripturam iuxta vnanimem Sanctorum Patrum expoſitionem intelligere, vt Doctores iurant in profeſſione fidei: Dicit autem S. Hieronymus, *Ipſe ergo Elias, qui venturus eſt in ſecundo Saluatoris Aduentu iuxta corporis fidem, nunc per Ioannem venit in virtute & ſpiritu*. Vel, vt ait Gloſſa, *Ioannem vocat* Eliam, *non quia* Elias *erat in perſona, ſed quia* Eliæ *miniſterium adimplebat; ſicut enim ille præcurſor erit ſecundi aduentus, ſic iſte factus eſt primi*.

AD Tertium dicendum, quòd iſte locus intelligitur de Enoch & Elia iuxta Sanctos Patres & expoſitores; Et ſufficienter indicantur ex eo quod debent pugnare contra Antichriſtum, & ex ſignis indicatis Eliæ olim proprijs; Vnde qui aliter intelligit, deuiat a vero ſenſu; Eccleſia verò tantùm in ſenſu accommodatitio hęc verba Sāctis Ioanni & Paulo attribuit, Et quia Sancti Enoch & Elias habebunt plenariam poteſtatem faciendi miracula, ob exigentiam neceſſitatis, ideò non ſolùm facient ea quæ ipſemet Elias fecit, ſed etiam alia quæ fecit Moyſes, Aaron, & alij; Vnde vel ſignificantur, vel indicantur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Sanctus Elias Propheta ſit futurus verus Chriſti Apoſtolus.

AD Quartum ſic proceditur. Videtur quòd Sanctus Elias Propheta non ſit futurus verus Chriſti Apoſtolus. Ita tenet quidam iunior, dicens, quòd Enoch & Elias erunt quidem Apoſtoli lato modo, ſeu viri Apoſtolici, qualiter vocantur alij prędicatores inſignes Euangelij; non autem ſtricto modo, quales fuerunt duodecim a Chriſto electi, & ſic non erunt veri Chriſti Apoſtoli. Probatur: inter alia neceſſariò requiſita, vt aliquis ſit verus Chriſti Apoſtolus, ſunt iſta; ſcilicet eſſe ex primis Euangelij prædicatoribus; eſſe teſtem oculatū myſteriorum Chriſti, & præſertim Reſurrectionis ipſius, iuxta dictum S. Petri Actuum 1. *Oportet ergo ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus incipiens a baptiſmate Ioannis vſque in diem qua aſſumptus eſt a nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis*, Tunc autem agebat de ſubrogando Apoſtolo in locum Iudæ proditoris; Recepiſſe primicias Spiritus Sancti, confirmātum fuiſſe in gratia, conuerſatum ante & poſt Reſurrectionem Chriſti cū ipſo, comitem ordinarium & commenſalem eius fuiſſe, & ſimilia: Sed hæc nō conueniunt Elię Prophetæ, vt diſcurrenti patet (& idem dicendum de Enoch): Ergo S. Elias Propheta non eſt futurus verus Chriſti Apoſtolus.

¶ 2. Præterea: In vera dignitate Apoſtolica fuerunt æquales veri Chriſti Apoſtoli, nec vllam habuerunt inter ſe ſubordinationem, quia illam immediatè ſuſceperunt a Chriſto Domino; Vnde videmus quòd duodecim Apoſtoli per vniuerſum orbem diffuſi plenitudine poteſtatis ſibi datę vtentes nō recurrerunt ad S. Petrum Summum Pontificem: Sed Elias Propheta non erit æqualis Summo Pontifici in fine mundi futuro, imò erit ipſi ſubordinatus in ſua poteſtate, vt communiter docent authores; aliàs tunc forent plura Eccleſiæ capita ſuprema, & ſic eſſet monſtrum; Vnde non eſt neceſſe, quòd S. Elias Propheta Apoſtolicam a Chriſto ſuſceperit dignitatem, & ſufficit illi poteſtas a Summo Pontifice tunc concedenda extraor-

Digitized by Google

traordinaria: Ergo S. Elias Propheta non eſt futurus verus Chriſti Apoſtolus.

¶ 3. Prӕterea ex vna parte non habetur vbi & quando conceſſa fuerit a Chriſto Eliæ Prophetæ vera dignitas Apoſtolica: Ex alia verò parte qui Eliam Prophetam vocant Apoſtolum, ſuis dictis declarant non futurum eſſe verum Apoſtolum; nam S. Ambroſius libro 1. officior. cap. 1. ait, *Non igitur mihi Apoſtolorum gloriam vendico, quis enim hoc niſi quos ipſe Filius elegit Dei?* non conſtat autem de electione Eliæ facta per Chriſtum, ſicut conſtat de electione aliorum Apoſtolorum; Maluenda verò loquens de Enoch & Elia, ſicut dixit quòd erunt Apoſtoli, ſic dixit quòd erunt planè Euangeliſtæ; Et tamen conſtat, quòd non erunt veri Euangeliſtæ eo modo quo alij quatuor, & ita nec veri Apoſtoli: Ergo S. Elias non eſt futurus verus Chriſti Apoſtolus. Maximè, quia vt ſubdit idem Iunior, *eſt error dicere quod erit maius prælium Eliæ, maior eius inimicus, difficiliora & periculoſiora certamina cum Antichriſto, quàm fuerint Apoſtolorum in ſeminanda fide; nam ſine dubio fuit maior difficilior, longior & periculoſior Apoſtolorum conatus.*

SED CONTRA eſt authoritas Sanctorum Patrum, plurium Doctorum, ac ſacræ ſcripturæ expoſitorum cum euidenti eiuſdem ſacræ ſcripturæ fundamento.

CONCLVSIO.

Cum Elias Propheta (& idem de Enoch) poteſtatem & iuriſdictionem ſuper totam Eccleſiam immediatè a Deo receperit, cum facultate prædicandi fidem Chriſti in vniuerſo orbe, eamque miraculis confirmandi; Eſt futurus verus Chriſti Apoſtolus.

RESPONDEO dicendum, quòd Elias noſter Propheta eſt futurus verus Chriſti Apoſtolus in fine mundi, cum tempore Antichriſti veniet, & idem dicendum de Enoch. 2. cuius Apoſtolatus erit glorioſiſſimus, tum ratione ſæuiſſimi inimici, tum propter perſecutionem crudeliſſimam, tum propter certamina continua & periculoſiora, tum propter victoriam inſignem & martyrium omnibus ſuis circunſtantijs inclytum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt aliqua per ſe neceſſaria eſſe ad hoc vt aliquis dicatur verus Chriſti Apoſtolus, quædã verò tantùm concurrere ad hoc accidentaliter: Primum neceſſariò requiſitũ eſt, vt habeat poteſtatẽ & iuriſdictionẽ vniuerſalẽ ſupra totã Eccleſiam immediatè receptam a Deo, iuxta illud; *Conſtitues eos principes ſuper omnẽ terrã*, hac ſcilicet poteſtate ſpirituali: Secundum eſt, vt ab eodem Deo immediatè habeat demandatam ſibi facultatem prædicandi Euangelium in vniuerſo terrarum orbe, iuxta illud Chriſti Domini; *Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ &c.* Non ſolùm manifeſtando ſpeculatiuè myſteria fidei, ſed etiam practicè doctrinam eius moralem in exercitio virtutum & fuga vitiorum; Tertium eſt poteſtas patrandi miracula in confirmationem fidei prædicatæ, vt conſtat ex vltimo capite Sancti Marci, vbi dicitur; *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, ſuper ægros manus imponent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit*: Alia inferiùs examinanda ſunt tantùm accidentaria & acceſſoria ad verum Chriſti Apoſtolatum. Hæc habentur ex D. Thoma lect. 3. in 1. Cor. 12. dicente; *Maiores miniſtri in Eccleſia ſunt Apoſtoli, ad quorum officium tria pertinent; quorum primum eſt authoritas gubernandi fidelem populum, quæ propriè pertinet ad officium Apoſtolatus; ſecundum, facultas docendi; Tertium poteſtas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ, & de his tribus habetur Luca 9. vbi dicitur, conuocatis Ieſus vndecim Apoſtolis &c.*

Probatur prima pars concluſionis authoritate ſacræ ſcripturæ & Sanctorũ Patrum, ac ſimul diſcurſu in dictis fundato: vt aliquis ſit verus Chriſti Apoſtolus, prædicta tria ſunt neceſſaria, ſed ſuffi-

Digitized by Google

ſufficiunt, vt conſtat ex dictis, & ampliùs conſtabit ex dicendis ex ſolutione argumentorum in fauorem primæ opinionis adductorum: Sed in Sancto Elia noſtro Propheta tria prędicta concurrũt; Primum quidem nempe authoritas & iuriſdictio vniuerſalis ſupra totam Eccleſiam immediatè recepta a Deo, iuxta illud Apocal.11. *Dabo duobus teſtibus meis & prophetabunt*, quod dicitur ex perſona Dei; Vnde S. Ambroſius in illud 1.cor.4. *Puto quòd Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit*, ſic ait, *Hoc ideo perſona ſuæ deputat, quia ſemper in neceſſitate fuit perſecutiones & preſſuras vltra cæteros paſſus, ſicuti paſſuri ſunt Enoch & Elias, qui vltimo tempore futuri ſunt Apoſtoli, mitti enim habẽt ante Chriſtum ad præparandũ populũ Dei, & muniendas omnes Eccleſias ad reſiſtendum Antichriſto*; Et S. Anſelmus in eundem locum ait, *Puto & pro certo ſcio, quòd Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit mundo, quibus nulli ſuccedent Apoſtoli tam perfecti, tam neceſſarij ſaluti hominũ, quales apparebunt in nouiſſimo tempore Elias & Enoch, quos Deus reſeruat, vt filios Iſrael ab Antichriſti ſeductione liberent, nos oſtendit nouiſſimos, id eſt illis nouiſſimis preconibus conſimiles*; P. Muñoz lib. 3. cap. 1. ar. 1. num. 2. cum ſibi hoc dubium propoſuiſſet, *Paulus cum alijs duodecim fuerunt Apoſtoli primi, cur ergo nouiſſimos nuncupauit*; ſic reſpondet, *Quia ipſorum Apoſtolatus complendus erat in illis duobus Apoſtolis Enoch & Elia, qui munus Apoſtolicum complebunt nouiſſimi priorum, qui tales fuerunt, quales erunt nouiſſimi, ea prorsùs ratione qua Baptiſta dicitur Elias veniſſe qui venturus eſt, quia vtriuſque munus par Præcurſoris, ſpiritus eiuſdem & virtutis, ita duodecim primi & duo nouiſſimi Apoſtoli, ideò primi dicuntur Apoſtoli nouiſſimi, id eſt pares in Apoſtolica dignitate*, Celius Panonius in collectan. Apocal.11. ſic ait, *Habebunt Enoch & Elias authoritatem tanquam ab ipſo Deo immediatè conſtituti, qui Eccleſiam Dei tunc moderabuntur iuxta vaticinium huius ſcripturæ, ſicut olim Petrus & cum eo Paulus, Petrus in auctoritate ſedis, Paulus in auctoritate ſermonis, arbitror enim eandem illos tunc nacturos a Deo poteſtatem ſuper Eccleſiam omnem, qualem modo habet Pontifex Romanus*; Cuius Doctoris dictum ſic intelligo, vt concedatur Enoch & Eliæ authoritas ſupra totam Eccleſiam immediatè a Deo recepta, quæ ſit vniuerſalis, & ſumma, qualis eſt authoritas Summi mi Pontificis, quæ tamen non ſit in illis ſummè & abſque ſubordinatione vt eſt in Summo Pontifice, ſed ſit eidem Pontifici ſubordinata; Martyr Victorinus in Apocal.5. ſic ait, *Angelum autem aſcendentem ad orientem Eliam Prophetam dicit, qui anticipaturus eſt tempora Antichriſti ad reſtituendas Eccleſias & ſtabiliendas a magna et intolerabili perſecutione*; Et Maluenda libro 9. de Antichriſto cap. 5. ait, *Nam cum tunc maxima & ſuprema vis Antichriſti Eccleſiam ſit infeſtatura, qua maior nec fuit, nec erit, opus videtur vt vires & præſidia gratiæ, quibus chriſtianus cœtus ducibus & anteſignanis Enoch & Elia ſe Antichriſti furori & inuaſioni victor opponet, ſint quoque maxima ac planè ingentia, quæ ſaltim Apoſtolica æquent*: Concurrit etiam ſecundum, nempe facultas prędicandi Euangelium in vniuerſo terrarum orbe, vt patet ex illo Malachiæ 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*; Et quamuis aliqui pauci hic per Eliam interpretentur Sanctum Ioannem Baptiſtam, communiter tamen interpretes intelligunt Sanctum Eliam Prophetam iuxta verſionem Arabicam, quę ſic habet, *Mittam vobis Eliam Thesbitem*; Et D. Thomas in hæc Chriſti verba Matthæi 17. *Elias venturus eſt, & reſtituet omnia*, ſic ait, *mortuo Antichriſto omnes reſtituentur ad fidem per prædicationem Eliæ*; Et Cornelius a lapide in 11. Apocal. verſu 4. de Enoch & Elia ſic ait, *Aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ quaſi legati & Apoſtoli, ut eiuſdem fidem & Euangelium toto orbe propagent, ac tueantur contra Antichriſtum*; Item ait, *duo erunt hi teſtes; quia Chriſtus miſit Apoſtolos binos*

præ-

Digitized by Google

prædicare; Elias autem & Enoch erunt Apoſtoli Chriſti: Concurrit tandem tertium, id eſt poteſtas patrandi miracula in conconfirmationem fidei prędicatę, vt conſtat ex illo Apocal. 11. *Si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum; & ſi quis voluerit eos lędere, ſic oportet eum occidi, habebunt poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga*; quamuis autē hic locus intelligatur à S. Anſelmo, Ruperto Abbate, Hugone Cardinale, & alijs de punitione ſpirituali per ignem excommunicationis, & per ſuſpenſionem pluuiæ ſpiritualis gratiæ, quòd noſtro prodeſt intento; attribuens eis poteſtatem clauium; communiùs tamen intelligitur de poteſtate patrandi miracula, vnde ſic ait Andreas Cęſarienſis in hunc locum, *Deus optimus maximus illos verorum ſignorum atque miraculorum virtute armabit, quo veritatis oſtenſione mendacium, lucisque patefactione tenebras redarguant, & ſeductos ad veritatis lucem conuertant, ipſum autem impoſtorem Antichriſtum palam reuincant, publicèque confundant*; S. Ambroſius ex his prodigijs probans hunc Apocal. caput de Enoch, & Elia intelligendum eſſe, ſic ait; *Legimus Eliam clauſiſse cælum, & iterum aperuiſſe, ſed & Moyſem aquas in ſanguinem conuertiſſe, non ergo credendum eſt Eliam minorem virtutem habere, cum ad explendum munus ſuæ prædicationis venerit, quā habuit eo tempore quo inter homines conuerſatus eſt, ſed potiorem*; Et D. Dhomas ait; *Hi ſcilicet Elias, & Enoch habebunt poteſtatem claudendi cælum, id eſt aerem ad litteram ne pluat, ſi ipſi voluerint diebus prophetiæ ipſorum, id eſt tempore eis dato ad prædicandum*; Ergo Elias noſter Propheta eſt futurus verus Chriſti Apoſtolus in fine mundi, cū tempore Antichriſti veniet, & idē dicendū de Enoch.

Probatur ſecunda pars concluſionis contra quoſdam Religionis noſtrę ęmulos, qui cum nobis antiquitatem fundationis, & Sanctiſſimum Eliam fundatorem & Patriarcham omnibus adhibitis imaginabilibus artificijs auferre non potuerint, contra ipſum Sanctiſsimum Prophetam bellum mouerunt, vt in perſecutione patris crudeliùs in filios deſęuiant. Vnde aliqui ex illis Eliæ noſtro Sanctiſsimo Sanctos valdè ordinarios in ſanctitate comparant; alij ſcripta Sanctorum Patrum in maximum Eccleſiæ detrimentum vitiant, & mutilant detrahentes, quæ in honorem S. Elię ſcripſerunt, exemplum habemus in noua impreſsione S. Ioannis Chryſoſtomi, in qua demptæ ſunt homiliæ de raptu ipſius Elię &c. quæ hactenus inter eius opera legitima perſeuerarunt; Alij duos Trithemij libros de laudibus Carmelitarum & de Sanctis noſtri ordinis abſtulerunt; Alij victoriam eiuſdem Eliæ ac triumphum eius de Antichriſto deprimunt, contra quos hic agimus: ſed ſemper triumphauit, & triumphabit Elias glorioſus. Probatur, inquam, hęc pars concluſionis authoritate Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum & Expoſitorum: Sacræ quidem Scripturæ, in qua dicitur Danielis 12. quòd *tunc erit tempus quale non fuit ex quo Gentes eſſe cæperunt vſque ad illud*, & à Chriſto dicitur Matthęi 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, nec fiet*, & quòd *niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro*; & inſuper in Apocalypſi & alibi tam terribilia, & horribilia de Antichriſti perſecutione dicuntur, quòd terrorem, ac hortorem omnibus cauſent: Sancti Patres verò & Expoſitores ſic exponunt paſsim crudelitatem, & ſæuitiam huius perſecutionis, quòd omnia quæ paſſa fuit Eccleſia ſub tyrannis priorum ſęculorum leuiſsima videantur: Tandem poſt tres annos, & dimidium ſæuiſsimæ perſecutionis Enoch, & Elias occidentur in Ieruſalem, & tribus diebus eorum corpora iacebunt in media platea, poſtea reſurgent, & vocati à Domino glorioſi in cœlum aſcendent, vt ſigillatim in citato 11. Apocal. capite deſcribitur: Ergo ex aſsignatis titulis Apoſtolatus Elię noſtri, ſicut,

Digitized by Google

cut & Enoch erit glorioſiſsimus; Quod confirmatur ex hoc, quòd hic ſæuiſsimus Chriſti & Chriſtianorum in fine mundi perſecutor per antonomaſiam vocatur Antichriſtus, quaſi per ſe principaliter oppoſitus Chriſto, cum alij tyranni, vt Nero, &c. ſolum dicantur miniſtri Antichriſti, vel ad ſummum Antichriſti per participationem: Vnde Maluenda libro 9. de Antichriſto cap. 13. & 15. ait; *Duos iſtos pręclaros Apoſtolos* (loquitur de Enoch & Elia) *inſtar Moyſem & Aaron tot tantaque mirabilia eſse patraturos, vt olim in Aegypto fecerunt, nemo prudens quibit in dubium reuocare*. Et Suarez probat hoc totum quaſi de fide tomo 2. in 3. p. diſp. 54. ſect. 6. adducens S. Auguſtinum, & citans illud Apocal. 20. *Soluetur Sathanas de carcere ſuo, & exibit & ſeducet gentes*, & illud Apocal. 12. *Væ terræ & mari, quia decendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet*; ſcilicet Antichriſtus, cuius aduentus ex 2. Theſal. 2. eſt ſecundùm operationem Sathanæ in omni virtute, ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis: Vnde etiam Chriſtus ait citato Matthæi 24. *Ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*: Inter alia verò ſic habet Suarez; *Denique, ait Ioannes, ad commouendam, & concitandam hanc perſecutionem ſoluendum eſse Sathanam, qui vſque ad illud tempus ligatus fuerat, vt ſignificet tantò fore perſecutionem illam diriorem, quantò magis poteſt aliquis nocere ſolutus, quàm ligatus*; Vide Auguſtinum 20. de Ciuitate Dei cap. 8. & 9. vnde concludit; *De fide certum eſt, Antichriſtum perſecuturum eſse Eccleſiam, & fideles ac ſanctos acerbius & crudelius, quàm ab vllo vnquam tyranno tentati, aut afflicti fuerint; hoc eſt de fide, ait enim Chriſtus Matthæi 24. erit tunc tribulatio magna, &c.* Pereira libro 5. in Danielem, poſtquam omnes præteritas Eccleſiæ perſecutiones adduxit; ſic ait; *Hæc autem omnia perſecutionum, & tribulationum genera vnius perſecutionis Antichriſti magnitudo & atrocitas continebit: corporalis quidem omnium grauiſsima tũ multitudine, tum magnitudine tormentorum; nam quæ audiuimus vel legimus fuiſſe vllo tempore Chriſtianis admota tormenta, ea fertur velut ludum, & iocum fuiſse, prout erunt tormenta, quibus Chriſtianos torquebit Antichriſtus; Veruntamen longè acrior & exitialior erit perſecutio ſpiritualis.* Et Cornelius in Apocal. 13. ait conferens præteritas Eccleſiæ perſecutiones cum futura ſub Antichriſto; *Hæc omnia in tres annos cum dimidio Antichriſti confer & conſla, & videbis quanta ipſius immanitas ſit futura; quæ enim trecentis annis ſparſa paſsi ſunt Chriſtiani, hæc omnia patientur ſimul ijdem Chriſtiani tribus annis cum dimidio ab Antichriſto, imò longè plura ac diriora; nam Nero & cæteri eius ſequaces fuerunt tantùm typus & prçludium Antichriſti, ſcito has vmbras fuiſse Antichriſti. Et quia pręter hanc perſecutionis acerbitatem, ſumma erit Antichriſti malitia, vt docet D. Thomas 3. p. q. 8. ar. 8. dicens, Relinquitur ergo, vt dicatur Antichriſtus caput omnium malorum propter malitiæ perfectionem, vnde ſuper illud 2. ad Theſalon. 2. oſtendens ſe tanquam ſit Deus, dixit Gloſſa; ſicut in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichriſto omnis malitiæ plenitudo, quia diabolus ſuam malitiam eminentiùs ei influet ſuggerendo, quàm alijs omnibus, & ſecundùm hoc omnes alij mali qui præceſſerunt ſunt quaſi quædam figura Antichriſti, vt etiam affirmat S. Ireneus libro 5. cap. 29. dicens; In beſtia Antichriſto veniente recapitulatio fit vniuerſæ iniquitatis & omnis doli, vt in ea confluens & concluſa omnis virtus apoſtatica in caminum mittatur ignis.* Inde eſt non eſſe dubitandum, ait Pater Acoſta lib. 3. de Temp. nou. c. 4. *quin pro illa acerbitate temporum diuinitus reſeruati ſint viri excellentiſsimi, atque Apoſtolicæ gloriæ propemodum æmuli, ob quam illorum virorum laudem ſeſe illis annumeraſſe Paulum Apoſtolum non improbabiliter aſſerit Anſelmus 1. ad Cor. 4.* Cuius rei rationem præmiſerat dicens; *Ad præcipuas diuinæ prouidentiæ partes pertinet, vt pro temporum neceſsi-*

tate

Digitized by Google

tate viros Eccleſiæ ſuæ idoneos tribuat, ita-vt cum primum fuit Euangelium per totũ orbem promulgandum, aduersùs ſummam potentiam opponendum fuerit inuictum Apoſtolicum pectus, quorum fuere primitiæ ſpiritus. Simili diſcurſu ſic concludit Maluenda lib. 9. de Antichriſto c. 5. *Siquidem nihil minus, imò multò maiora iſti Eccleſiæ præſtabunt illo omnium turbulentiſsimo tempore, quàm præſtiterunt Apoſtoli, quoniam maior tunc erit Eccleſiæ neceſsitas quàm nunquam retrò extitit; erunt quoque ipſi magni Apoſtoli* (loquitur de Enoch & Elia) *Apoſtolicoque munere reuera fungentur, nam tunc maxima & ſuprema vis Antichriſti Eccleſiam eſt infeſtatura, qua maior nec fuit, nec erit &c.* Ac tandem ſubdit; *Enoch, & Elias erunt citra controuerſiam omnium martyrum ab Antichriſto mactandorum præcipui ac fortiſsimi, erunt Prophetæ ac Euangeliſtæ, Doctores & Anteſignani Eccleſiæ, Patroni fidelium, fulcra religionis; maximi* Dei *præcones, primarij Antiſtites orthodoxi, præcipua fidei Chriſtianæ robora, ac planè Apoſtoli*.

AD primum ergò dicendum quòd ad verum Apoſtolatum Chriſti tres tantùm adductæ ſuperius conditiones per ſe requiruntur, plures autem ex his quæ adducuntur in obiectione non requiruntur, vt conſtat in S. Paulo, qui ſecundùm fidem eſt verus Apoſtolus Chriſti, vt habetur ad Galatas 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum* (Et idem dicendum de S. Matthia in aliquibus) qui tamen non fuit ex primis Euangelij prædicatoribus, nec recepit primitias Spiritus in die Pentecoſtes cum alijs, nec fuit teſtis oculatus reſurrectionis quaſi exiſtens cum alijs Apoſtolis, nec fuit ante, & poſt reſurrectionem conuerſatus cum Chriſto, nec eius comes ordinarius & commenſalis, quia tantùm poſt duos ab Aſcenſione Domini annos fuit ab ipſo vocatus & electus; Et tamen eſt verus Apoſtolus, quia vocatus à Chriſto, & inſtructus de myſterijs fidei, eius mandato illa prædicauit, & miraculis confirmauit in toto orbe terrarum conſtitutus Eccleſiæ magiſter; ſimili titulo dicimus Eliam noſtrum, & ſimiliter Enoch, fuiſſe verum Chriſti Apoſtolum, quia fuit electus ab ipſo prædicator Euãgelij in fine mundi, ab ipſo inſtructus de myſterijs fidei in die transfigurationis, in quo loquebatur cum ipſomet Chriſto & Moyſe de exceſſu quem completurus erat Chriſtus in Ieruſalem, nẽpe de ſacra eius paſsione, & ſequutura reſurrectione, vel etiam poſt reſurrectionem Chriſti in Paradiſo Terreſtri, vt dicitur in reſponſione ad Tertium. Adde quòd Elias noſter ratione ſui ſtatus potuit eſſe teſtis oculatus myſteriorum fidei priuilegio ſpeciali; vel adductus ad loca, vbi celebrabãtur, ſicut adfuit Transfigurationi; vel illa contẽplando in ſuis ſpeciebus infuſis ad inſtar Angelorum. Quantùm ad confirmationem in gratia dicendum quòd Enoch & Elias fuerunt in ea confirmati, nam hæc eſt communis ſententia Scriptorum teſte Leonardo Maria Geneſis 5. verſu 22. num. 30. dicente, *Omnes Scriptores Sacri conueniunt Enoch in gratia confirmatum eſſe*; eadem autem ratio currit de Elia noſtro, de quo ſpecialiter affirmant Aegidius Camartus de geſtis Eliæ cap. 3. ſect. 17. Muñoz in propugnaculo lib. 3. tit. 1. cap. 2. ar. 2. & Cornelius Gen. 5. verſu 24.

AD ſecundum dicendum, quòd eo modo ſubordinata erit poteſtas Apoſtolica Enoch & Eliæ ſummo Pontifici in fine mundi futuro, qualitèr in principio Eccleſiæ fuit ſubordinata poteſtas cæterorum Apoſtolorum S. Petro electo Chriſti Vicario: quamuis enim omnes Apoſtoli ſummam authoritatem Apoſtolicam immediatè receperint à Chriſto propter neceſsitatem illius temporis & regionum diſtantiam, & ita abſque recurſu ad S. Petrum ordinabant Epiſcopos, & alia in ædificationem Eccleſiæ faciebant, erat tamen aliqua ſubordinatio ad ipſum, ſaltem virtualis, ratione cuius potuiſſet alterare, & mutare quæ cæteri ordinauerant; & idem dicendũ

de

Digitized by Google

de poteſtate ac dignitate Apoſtolica Elię in ordine ad Summum Pontificem; Sicut autem fuit conueniēs, quòd cæteri Apoſtoli ſummam illam poteſtatem immediatè reciperent a Chriſto, nòn obſtante dicta ſubordinatione; ſic eſt conueniens quòd hi duo Apoſtoli vltimi ſuam poteſtatem immediatè à Chriſto recipiant: præſertim quia longè diſtabunt à Summo Pontifice, nec poterunt facilè eum conſulere, & propter breue tempus neceſsè erit incumbere Apoſtolico muneri: Enoch autem & Elias habebunt omnino ęqualem poteſtatem abſque vlla ſubordinatione ad inuicem, ſicut habuerunt inter ſe cæteri Apoſtoli excepto Petro.

AD Tertium dicendum quantùm ad primam partem, quòd Elias (& ſimilitèr Enoch) in fine mundi exequetur munus veri Apoſtoli, quaſi teſtis electus à Chriſto, vt conſtat ex Sacra Scriptura ſuperius adducta; Vnde debuit recepiſſe dignitatem Apoſtolicam: Vbi autem & quando non ita conſtat, fortè noſter Elias recepit in monte Tabor in die Transfigurationis, fortè etiam in Paradiſo Terreſtri, vt ait Cornelius a lapide, quando Chriſtus poſt reſurrectionem illum & Enoch viſitauit, vt colligitur ex S. Iuſtino martyre, S. Ireneo, Nicephoro, D. Thoma, & S. Bonauentura, ab eodem Cornelio citatis cap. 1. Actuum num. 3. vbi ſic ait. *Vt qui nec ad cælum, ſicut cæteri Sancti transferuntur, ſaltem viderent humanitatem Chriſti rediuiuam in terris agentem, eaque glorioſa fruerentur, atque ab ea acciperent legationem qua fungerentur, & mandata quæ exequentur in fine mundi cum redibunt, vt fidem Chriſti contra Antichriſtum propugnent*: Et quando non recepiſſet hactenus hanc dignitatem Apoſtolicam, reciperet in principio ſuæ miſſionis ſub finem mundi. Quantùm ad ſecundàm partem dicendum, quòd falſum eſt illud quod aſſumitur, imò illi Authores Eliam vocant verum Apoſtolum, vt conſtat ex eorum expenſione: Conſtat etiam de electione Eliæ in Apoſtolum, vt dictum eſt, & ſic manet ſoluta obiectio ex parte S. Ambroſij; ex parte verò Maluendæ dicendum quòd ipſe alio modo inculcat dum vocat Eliam Apoſtolum ac dum vocat Euangeliſtam; Vnde non ſequitur, quòd ſi nō eſt verus Euangeliſta ad inſtar quatuor aliorum, quòd non erit etiam verus Apoſtolus; fortè etiam poſſet quis dicere quòd multas Chriſti hiſtorias a ſe viſas & ſcriptas ex infallibili aſſiſtentia Spiritus Sancti addet Euangelio, & ſic erit verus Euangeliſta. Ad illud quod ſubdit ille iunior, dicendum, quòd potius eſt error contrariūm dicere, & iuxta Suarez eſt error in fide ac hæreſis.

ARTICVLVS V.

Vtrum Sanctus Elias ſit futurus martyr præ alijs glorioſus.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Elias non ſit futurus martyr præ alijs glorioſus. Probatur: Hic titulus importat quandam eminantiam S. Eliæ in genere martyrij ſupra alios, vt conſtat ex ipſis terminis: Sed Sanctus Elias nullam talem habet eminentiam præ alijs; quia eminentia in genere martyrij principalitèr conſiſtit in hoc quod quis ſit Protomartyr, ſiue primus martyrum, qui proinde eſt exēplar cæterorum; Conſtat autem, quòd Protomartyr abſolutè in principio legis naturæ eſt Abel iuſtus, & in lege gratiæ Sanctus Stephanus: Ergò S. Elias non eſt futurus martyr præ alijs glorioſus.

¶ 2 Præterea: Ille præcipuè dicitur martyr glorioſus, qui multa & atrocia pro fide Chriſti patitur, & dicitur martyr glorioſus præ alijs, qui plura & atrociora patitur quam alij: Sed Sanctus Elias non patietur plura & atrociora quàm alij pro fide Chriſti; nullum enim habetur de hoc in Sacra Scriptura fundamentum, ſolùm dicitur Apocal. 11. quòd occidetur; & conſtat quòd S. Clemens Anciranus plura & atrociora paſſus

Digitized by Google

ſus eſt per viginti & amplius annos ſub tot tyrannis, quàm paſſurus ſit S. Elias in tribus illis annis cum dimidio: Ergo Sanctus Elias non eſt futurus martyr pr̨e alijs glorioſus.

¶ 3. Præterea: Si Sanctus Elias eſſet futurus martyr præ alijs glorioſus, ſequeretur quòd deberet de eo fieri officium diuinum quaſi de martyre; ſufficit enim veritas infallibilis Sacr̨e Scriptur̨e de martyrio futuro, vt ex nunc poſsit computari inter martyres; ſicut ſufficit, vt ex nunc habeatur Sanctus, & propterea colitur vt talis: Ergo Sanctus Elias non eſt futurus martyr præ alijs glorioſus, cum non fiat de eo officium diuinũ quaſi de Martyre.

SED Contra eſt authoritas Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, ac communis ſenſus fidelium.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Elias velut Chriſti vices gerens pro fide ipſius poſt multa & atrocia tormenta ſit ab Antichriſto occidendus, in multis Chriſto ſimilis, eſt verè futurus martyr præ alijs glorioſus.

RESPONDEO dicendũ, quod Sanctus Elias, circunſtantijs omnibus conſideratis, eſt futurus martyr præ alijs glorioſus. Ad cuius euidentiam, ſciendum eſt id, quod de martyrio Sanctorum Prophetarum Enoch, & Eliæ refertur capite 11. Apocalypſis, quaſi fundamentum reſolutionis huius dubij: Dicitur ergo. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis: Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes; Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum; Et ſi quis voluerit eos lædeæ, ſic oportet eum occidi: Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum; & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcunque voluerint: Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet aduerſùs eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in in plateis ciuitatis magn̨e, qųe vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt, Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium; & corpora eorum non ſinent poni in monumentis, & inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & iucundabuntur & munera mittent inuicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos qui habitabunt ſuper terram: Et poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitæ a Deo intrauit in eos; Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos: Et audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis: Aſcendite huc: Et aſcenderunt in cælum In nube, & viderunt illos inimici eorum: Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia, & reliqui in timorem ſunt miſsi, & dederunt gloriam Deo cæli.* Hæc ſunt, quæ communitèr expoſitores interpretantur de miſsione Sanctorum Prophetarum Enoch, & Eliæ contra Antichriſtum, ac de eorum martyrio, ex quibus ſequens ratio deducitur pro noſtra conclnſione.

Probatur concluſio: Gloria martyrij ex multis colligitur, ſcilicet ex dignitate perſonæ quæ patitur, ex qualitate ac malitia perfidi tyranni qui martyrium infert, ex cauſa ſiue motiuo ipſius martirij, ex loco & ex tempore vbi & quando toleratur, ex magnitudine ac diuturnitate pœnarum, ac tandem ex miris eius circũſtantijs & effectibus: Sed omnibus his ponderatis, nullus ſub Chriſto capite martyrum tam glorioſus eſt martyr, ac Elias Propheta (& idem proportionalitèr dicendum de Enoch) vt ſigillatim ſic declaratur: Et quidem quoad dignitatem perſonæ, Elias eſt ſanctiſsimus nulli inferior in ſanctitate infra Chriſtum, & Mariam, Et tunc erit vices gerens, aut locum tenens Chriſti contra Antichriſtm; quoad qualitatem &

L mali-

Digitized by Google

malitiam tyranni ſub quo paſſurus eſt Elias, conſtat, quod erit Antichriſtus, quem Sacra Scriptura vocat antiqui ſerpentis diaboli germen, hominem peccati, filium perditionis, beſtiam abyſsi, & quicquid ſub nomine Antichriſti poteſt funeſtum concipi; quoad cauſam & motiuum martyrij erit gloria Dei, fides Chriſti, & honor Eccleſiæ; pro quibus prædicabit, & generosè ſtabit Elias contra infenſiſsimum Chriſtani nominis inimicum ſuo titulo ſatis indicatum; quoad locum martyrij, conſtat ex adducto Apocalypſis teſtimonio, quòd erit ciuitas Ieruſalem tunc Antichriſti omnium Principum potentiſsimi curia, vt ſic in hoc Chriſto aſsimiletur; quoad tempus, erit vltimum huius mundi, & ſic Elias forſan erit vltimus martyrum in ordine executionis, in quo relucet gloria, ſicut & in primo martyrum, ſicut enim primus aperit curſum martyrij, ſic vltimus illum claudit; quoad magnitudinem pœnarum martyrij concomitantium, nihil quidem exprimit Sacra Scriptura, ſed multum indicat, dum authorem illius vocat Antichriſtum, qui deſæuiet pluſquam imaginari poteſt contra noſtrum Eliam ducem ſuorum contrariorum; quoad diuturnitatem pœnarũ, præter eas quas ſub Achab & Ieſabel paſſus eſt Elias, ſub quibus velut Antichriſti præcurſoribus ſuum inchoauit martyrium, multoties nunc per apprehenſionem imaginariam a tot ſæculis crudeliſsima tunc futura patitur tormẽta, eo modo, quo Chriſtus in horto ſua paſſus eſt; quoad circunſtantias martyrij, conſtat quod Elias aſſimilatur Chriſto tum in triduo mortis, tum in reſurrectione glorioſa ante communem, tum in aſcenſione mirabili in cœlum coram omnibus, præuia de cœlo voce illos vocante; quoad effectus martyrij, conſtat quòd illud conſequetur terręmotus magnus, quo pars Ieruſalem corruet, ſeptem millia ſequacium Antichriſti obruet, & alij ex hoc ad Deum conuertentur, vt ſic etiam in hoc Eliæ martyrium aſsimiletur paſsioni Chriſti: Ergo Sanctus Elias eſt futurus martyr præ alijs glorioſus.

AD primum ergo dicendum, quòd quidem eſt aliqua eminentia & prærogatiua, eſſe Protomartyrem ſiue primũ martyrem: ſed tamen tot alias habet prærogatiuas in genere martyrij noſter Elias, vt dictum eſt, quòd ſit futurus martyr glorioſus præ Abel iuſto, & Sancto Stephano.

AD ſecundum dicendum; quòd etiã colligitur ex Sacra Scriptura, quàm multa & atrocia patietur Sanctus Elias, in præuiſione quoque imaginaria futurorum tormentorum, quæ ſcit ex ſacris paginis & ſpeciali reuelatione Dei ſe paſſurum eſſe, vt expenſum eſt, quod ita diſponit Deus ad incrementum meritorum ipſius Eliæ.

AD Tertium dicendum, quòd ex authoritate Eccleſiæ fit officium diuinum de Sancto Elia, iuxta qualitatem Prophetæ quam nunc habet; Si poſſet fieri iuxta alias qualitates quas aliquando habiturus eſt, poſſet etiam fieri de ipſo quaſi de Virgine, de Doctore, & de martyre vt probat ratio; Et quod dignius eſt, de Apoſtolo, & Præcurſore.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sanctus Elias fuerit primus Virgo conſecratus a Deo.

AD ſextum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Elias non fuerit primus Virgo conſecratus Deo: Quidam Author inconſideratè ſcripſit, quòd Sanctus Elias non coluit Virginitatem ex deuotione, ſed a caſu, quia non habuit occaſionem aliter faciendi; Hic author fuit damnatus. Probatur: Si Sanctus Elias fuerit primus Virgo conſecratus Deo, debuit in antiqua lege votum Virginitatis feciſse, quia ſolummodo quis conſecratur Virgo per votum Virginitatis: Sed Sanctus Elias non fecit in antiqua lege votum Virginitatis, quia votum

Vir-

Digitized by Google

Virginitatis (& idem dicendum de voto Obedientię & paupertatis) eſt conſilium Euangelicum à Chriſto promulgatum cum Euangelio: Ergo Sanctus Elias non fuit primus Virgo conſecratus Deo.

¶ 2. Præterea: Dei Genitrix Maria dicitur à Sanctis Patribus prima Virgo conſecrata Deo; propterea dicitur Virgo Virginum, Regina & Anteſignana Virginum; ſimilibuſque titulis decoratur: Ergo Sanctus Elias non fuit primus Virgo conſecratus Deo.

¶ 3. Præterea: Eſto in antiqua lege potuerit eſſe votum Virginitatis, & Dei genitrix Maria non fuerit prima Virgo conſecrata Deo; non tamen ſequitur quòd hic titulus honoris debeat Eliæ concedi, nam ante ipſum fuerunt collegia Prophetarum ſub Samuële, ipſeque Elias dicitur inſtructus in vno quòd in monte Galaad; nec dubium, quod inter tot Prophetas fuerint aliqui Virgines conſecrati Deo, ſuppoſita voti huius poſsibilitate in illa lege, a quibus Elias ad ſtatum Virginitatis inductus fuit; imo ſub lege naturæ in principio mundi iuſtus Abel dicitur fuiſſe Virgo: Ergo Sanctus Elias non fuit primus Virgo conſecratus Deo.

SED Contra eſt vniuerſalis, & antiquiſsima traditio noſtrę Religionis Carmelitanæ, ac plurium Sanctorum Patrũ, Illuſtriumque virorum authoritas.

CONCLVSIO:

Cum Sanctus Elias fuerit primus, qui votum Virginitatis religioſæ fecerit, fuit primus Virgo conſecratus Deo.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Elias eſt primus qui legitur in Sacra Scriptura Virgo conſecratus Deo. Ad cuius euidentiam ſciendũ eſt, quod nomine Virginis conſecrati Deo præcipue intelligimus eum; qui in profeſsione religioſa, ſiue ſimplici, ſiue ſolemni ſuam Virginitatem Deo vouit: nam licet ſæculares per votum aliquo modo conſecrentur Deo, non tamen perfectè; quia non cõſtituuntur in ſtatu per vota, ſicut in illo religioſi conſtituuntur, qui propterea dicuntur propriè Deo conſecrati. In præſenti tamen difficultate non ſolùm affirmamus, quòd Sanctus Elias primus omnium in ordine exequutionis Virginitatem Deo vouit in profeſsione religioſa, ſed etiam abſolutè; ita quòd ſit primus Virgo per votum Deo conſecratus, tam inter religioſos, quàm inter ſæculares, dictum eſt autem in ordine exequutionis, quia in ordine intẽtionis Beatiſsima Virgo Maria eſt prima Virgo per votum Deo conſecrata ſimplicitèr & abſolutè; quia Deus eam S. Eliæ reuelauit vt Reginam Virginum, ipſumque mouit vt ad eius imitationem ſibi ſuiſque diſcipulis Virginitatem aſſumeret in profeſsione religioſa vouendam, & ad eiuſdem obſequium dirigerẽt: Vnde eſt prima etiam in genere cauſæ formalis extrinſecæ ſeu exemplaris, & in genere cauſæ finalis.

Probatur concluſio authoritate Sanctorum Patrum. Hieronymus epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis ſic ait: *Alia fuit in veteri lege felicitas; ibi dicitur beatus, qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Ieruſalem, Et maledicta ſterilis quæ non pariebat, Et filij tui ſicut nouellæ olivarum in circuitu menſæ tuę; Vacuus erat orbis, & vt de typicis taceam, ſola erat benedictio liberorum; propterea & Abraham iam ſenex ceturæ copulatur, & Iacob mandragoris redimitur, & concluſam vuluam in Eccleſiæ figuram Rachel conqueritur: Paulatim verò increſcente ſegete, meſsor immiſsus eſt; Virgo Elias, Eliſæus virgo, Virgines multi filij Prophetarum.* Sanctus Ambroſius libro 1. de Virginibus ſic ait; *Quis igitur neget hanc vitam fluxiſſe de cælo, quam non facilè innenimus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit; Tunc in vtero Virgo concepit, & Verbum caro factum eſt, vt caro fieret* Deus: *Dicet aliquis, ſed etiam Elias nullius corporei coitus fuiſſe permixtus cupiditatibus inuenitur; Ideò ergo curru raptus ad cęlum, ideò cum Do-*

mino apparet in gloria, ideò Dominici vẽturus eſt præcurſor aduentus. Tandem noſter Ioannes 44. Ieroſolymitanus libro de Inſtitutione monachorum cap. 36. poſtquam dixit quòd profeſſores Religionis Carmelitanæ recenſentes Deum prædeceſſoribus ſuis (Eliç præſertim) per viſionem prædictam nubuculç aſcẽdentis de mari ſpecialitèr reuelaſſe, infantulam quandam naſcituram, quæ ex vtero matris ſuæ mundo ab omni peccati ſorde egrederetur, & inſtar eorum virginitatem ſpontaneam amplexaretur) Et contemplantes etiam ipſi hæc omnia ſuiſſe adimpleta; curauerunt cum deuotione aſsiduè deſeruire huic Virgini, & & ſtuduerunt hanc ſpecialitèr ideò ſibi ipſis in patronam aſſumere, quia nouerunt ipſam ſolam ſingulariter eis conformem a primitijs Virginitatis ſpontaneæ: ſic concludit; *Quemadmodum enim Virginitas ſpontanea fuit primo per priſcos profeſſores huius Religionis inchoata, & in viris introducta (nempè per Eliam, & Eliſæum) ita eadem Virginitas fuit poſtmodum per Dei genitricem primò in fæminis introducta, & incepta; propter quod ſicut Religioſi Carmelitæ ſunt primicerij virorum Virginum, ita Beata Maria eſt fæminarum Virginum voto primiceria; qua conformitas primiceriatus ſpontaneæ Virginitatis ſingulariter inter Dei Genitricem & religioſos Carmelitas dudum prophetata, & poſtea adimpleta fuit; ita quod religioſi Carmelitæ Virginem Mariam tam tempore Apoſtolorum dicebant ſororem ſuã, & propter dictam conformitatem ſeipſos fratres Beatæ Mariæ Virginis appellabãt.* Poſſent multò plura adduci in confirmationem noſtræ concluſionis: ſed hæc ſufficiunt, ſuppoſitis ijs quæ ſupra dicta ſunt de voto virginitatis in antiqua lege, & alibi ſępe in toto hoc opere, ne prorsùs eadem repetamus.

AD Primum ergo dicendum, quòd Elias fecit votum virginitatis in antiqua lege. Ad impugnationem dicendum, quòd quia in dicta lege plures Sancti fueruut inſtructi diuina reuelatione de Euangelio & conſilijs Euangelicis; ideò ex tunc crediderunt explicitè multis fidei myſterijs in Euangelio ſolùm expreſſis, vt Diuinæ Incarnationis; Et pari modo ſeruauerunt conſilia Euangelica, quamuis non cum ea perfectione & vniuerſalitate ac nunc ſeruantur.

AD Secundum dicendum, quòd ſatis conſtat Beatiſſimam Virginem Mariam eſſe primam Virginem Deo dicatam; Tum dignitate, quia Deipara; Tum puritate, quia pluſquam Angeli puriſſima; Tum ordine intentionis, quia cauſa finalis & exemplaris ſacrę virginitatis; Vnde dictos honoris titulos meretur. Quòd autem non fuerit prima ſimpliciter quæ vouerit virginitatem, ſed tantùm inter fœminas, conſtat ex dictis Sanctorum Patrum authoritatibus: Vnde loco citato ſubiungit Hieronymus, *Inueniebatur ergo, vt diximus, in viris tantùm hoc continentiæ bonum, & in doloribus iugiter Eua parturiebat; Poſtquam verò Virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum, fortem, Patrem futuri ſæculi, ſoluta maledictio eſt; mors per Euam, vita per Mariam: Ideòque & ditius virginitatis donum fluxit in fæminas, quia cępit à fæmina: ſtatim vt filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos & in terris.*

AD Tertiũ dicendum, quòd nõ cõſtat ex ſacra ſcriptura, nec ex Sanctis Patribus, quòd in illis collegijs Prophetarũ aliqui vouerent aut ſeruarent virginitatem, Cum Samuel dux eorum eam non ſeruaret: Vnde S. Elias noſter fuit a Deo motus vt illam voueret & ſeruaret. De Iuſto Abel ſimiliter non conſtat ipsũ fuiſſe Virginem, ex voto ſaltem; quia tunc debebant homines creſcere & replere terram in principio mundi, iuxta præceptum Domini. De Elia noſtro communiter Sancti Patres, aſſerunt. Dorotheus in Synopſi ſic ait: *Primus ex hominibus Elias vnam Angelorum & hominum viam oſtendit* (ſcilicet in virginitate) S. Ioannes Chryſoſtomus libro de Virginitate cap. 79. ſic ait: *Qua re ab Ange-*

Digitized by Google

Angelis differebant Elias, *Eliſæus, Ioannes, germani hi virginitatis amatores? nulla niſi quod mortali natura conſtabant*: Et capite ſequenti dicit quòd horum trium virginitas ſic eminebat virginitati monachorum ſui temporis, ſicut cœlum terræ. S. Epiphanius hereſi 76. ait de Elia: *Qui ab ortu ſuo virginitatem perpetuò ſeruauit*. S. Ephrem paræn. 1. ad eos qui in religionis & ait; *Donum optimum monachi eſt virginitas, curru ipſum ad cælos cum Elia euehens*: Et in ſermone de Transfiguratione; *Aſpexit virgo veteris Teſtamenti Virginem noui*, Elias *nimirum Ioannem* (ſcilicet Euangeliſtam in monte Thabor. S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 25. proponens in exemplũ virginitatis Eliam, dicit quod potentia claudendi cœlum, ſuſcitandi mortuos, & diuidendi aquas Iordanis fuit ipſi conceſſa propter virginitatem. S. Iſidorus lib. 2. de officijs cap. 17. ſic ait: *Nunc autem quæ ſit ſacræ virginitatis integritas, vel a quo tam ſancti propoſiti ſtudium ſit exortum, breuiter intimabo; quantum enim pertinet ad vetus teſtamentum, Elias, & Ieremias, & Daniel caſtitatis & continentiæ bonum primi conſtituiſſe naſcuntur*. S. Althelmus de laudibus virginitatis ſic ait.

Elias vates, quem terna volumina Regum
Inſignem memorant virtutum ternia fretum,
Virgo ſacer fuerat, fama per ſecula notus.

Qui plura in hac materia deſiderat, legat S. Auguſtinum libro 9. de Geneſi ad litteram cap. 6. Caſſianum lib. 6. Inſtitut. cap. 4. & D. Thomam in 4. diſt. 49. q. 5. ar. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. Sed clariùs S. Methodius Martyr Epiſcopus Patracenſis, poſtea Tyri, in homilia de Purificatione ſic alloquitur Beatiſſimam Virginem: *Puritatis tuæ* Elias *Propheta præſcius, atque imitator in ſpiritu cum eſſet, vitæ illius igniferæ ſibi coronam colligauit*.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Sanctus Elias ſit futurus Doctor inclytus Eccleſiæ.

AD Septimum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Elias non ſit futurus Doctor inclytus Eccleſiæ. Probatur: Sanctus Elias hactenus nihil ſcripſit, nec creditur ſcripturus, vnde mereatur nomen Doctoris inclyti Eccleſiæ: Ergo Sanctus Elias non eſt futurus Doctor inclytus Eccleſiæ.

¶ 2. Præterea: Sanctus Elias ſolum per tres annos cum dimidio prædicabit Euangelium Chriſti, cum redierit in fine mundi, quod temporis ſpatium videtur paruum, vt nomen Doctoris inclyti Eccleſiæ mereatur: Ergo Sanctus Elias non eſt futurus Doctor inclytus Eccleſiæ.

¶ 3. Præterea: Hoc nomen Doctoris inclyti ſolùm competit ei, qui ſua doctrina populum fidelem mirabili progreſſu inſtruxit, qualiter fecit Moyſes tempore Synagogæ inter Iudeos, & Sanctus Paulus Apoſtolus inter Gentes in principio Eccleſiæ, Vnde ille dictus eſt Magiſter Iudæorum, & iſte Doctor Gentium: Sed non conſtat, quòd Sanctus Elias in fine mundi ſua doctrina populum fidelem mirabili progreſſu inſtruet ob breuitatem temporis: Ergo Sanctus Elias non eſt futurus Doctor inclytus Eccleſiæ.

SED CONTRA eſt communis ſententia Doctorum cum fundamento ſacræ ſcripturæ.

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Elias ſit futurus Præcurſor ſecundi aduentus Chriſti, verus Apoſtolus nouiſsimorum temporum, reſtitutor omnium, Duxque populis fidelis, erit Doctor inclytus Eccleſiæ.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Elias futurus eſt Doctor inclytus Eccleſię. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſemper in Eccleſia Dei fuerunt neceſſarij Doctores: Vnde in omni tempore Deus eos prouidit iuxta neceſſitatem ipſius; ſi enim Deus non deeſt in neceſſarijs vt author naturę, nec etiam deeſt vt author Gratiæ, cum ordo Gratiæ ſit perfectior ordine naturæ quaſi finis illius: Hæc autem neceſſitas eſt, ad hoc vt fidelis populus debitè inſtruatur, & infideles contra fidē differentes coerceantur; ac ſic errores omnes infidelitatis aut euitentur, aut tollantur. Prouidet autem Deus doctrinam in Eccleſię miniſtris ipſius iuxta exigentiam miniſterij ſeu proprij officij vniuſcuiuſque, quando ab ipſo fit electio; ipſe namque Deus facit miniſtros idoneos, cum homines debeant eos tales ſupponere: Vnde ſicut ex diuerſitate officiorum a Deo conceſſorum iudicamus de diuerſitate maioris aut minoris gratiæ requiſitæ in Sanctis; ſic debemus iudicare de diuerſitate Doctrinę ex eodem principio, quia ſcilicet Deus non deficit in neceſſarijs.

Probatur concluſio ex diuerſitate officiorum, quę habiturus eſt a Deo Sanctus Elias, ad quorum exequutionem requiritur eminens doctrina; & ita infertur euidenter, quòd ſit futurus Doctor inclytus Eccleſię. Primò quidem: Sanctus Elias eſt futurus Pręcurſor ſecundi aduentus Chriſti Iudicis venturi: Vnde pertinet ad ipſum, vt populum fidelem de hoc aduentu tunc proximo inſtruat, eo proportionali modo, quo S. Ioannes Baptiſta inſtruxit de primo eius aduentu, cuius fuit Præcurſor: Sed ad hoc requiritur eminens doctrina, ratione cuius ſit Doctor inclytus Eccleſiæ, nam ſine illa poſſet in ſuis inſtructionibus errare cum detrimento Eccleſię, & ruina fidelium: Ergo ſicut S. Ioannes Baptiſta fuit Doctor inclytus naſcentis Eccleſiæ, ſic erit S. Elias Doctor inclytus Eccleſię tunc terminantis.

Secundò: S. Elias eſt futurus Apoſtolus nouiſſimorum temporum, vt docet S. Ambroſius, & probatur alibi: Sed Apoſtoli fuerunt Doctores inclyti Eccleſiæ ad condignè prædicanda fidei Chriſtianę myſteria, Et vt tales Deus efficeret, in ſacro die Pentecoſtes dedit illis abundantiſſimè Spiritum Sanctum cum omnibus donis ipſius, inter quæ eſt donum ſcientiæ: Ergo etiam Sanctus Elias ex eodem principio futurus eſt Doctor inclytus Eccleſiæ, ex abundantiſſima communicatione Spiritus Sancti ac doni ſcientiæ inter alia.

Tertiò: Chriſtus Dominus dicit Matthæi 17. *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia:* quæ verba exponens D. Thomas ſic ait; *Elias in propria perſona venturus eſt ad annuntiandum viam iuſtitiæ, & conuertet corda hominum ad Chriſtum, conuertet Iudæos ad fidem Patriarcharum qui habuerunt fidem de Chriſto:* Aliter exponit S. Auguſtinus dicens; *Reſtituet omnia, quia veniente Antichriſto omnes ſeducentur, ſed mortuo Antichriſto omnes reſtituentur ad fidem per prædicationem Eliæ:* Sed non poſſet Sanctus Elias hæc mira præſtare, niſi foret Doctor inclytus Eccleſiæ; requiritur enim maxima doctrina ad conuertendum ad fidem Chriſti Iudæos eius hoſtes infēſiſſimos, & ad eam reducendos ab Antichriſto ſeductos, præter miracula: Ergo Sanctus Elias eſt futurus Doctor inclytus Eccleſiæ.

Quartò: Quamuis tunc plures erunt eximij Doctores prouiſi a Deo pro vltima & maxima Eccleſiæ neceſſitate: Sancti tamen propheta Enoch & Elias conſtituti ſunt a Deo cæterorum duces, ſic enim proponuntur Apocalypſis 11. Ergo

go ſicut in cæteris prærogatiuis, ſic & in doctrina debent eminere ſupra cæteros ; Vnde tam *Enoch* quàm Elias erit Doctor inclytus *Eccleſiæ*.

Quinto : Communiter docent Authores, quòd Sanctus Elias (*Et idem de Enoch*) videt aliquando Deum : *Ergo* ſi Moyſes & S. Paulus fuerunt Doctores inclyti ob conceſſam ſemel hanc viſionem, ille Synagogę, iſte Eccleſię, Sanctus etiã Elias eſt futurus Doctor inclytus Eccleſiæ; Et meritò, nam vnica tali viſione Dei clara plus ſcitur vnico momẽto, quam per totam æternitatem alia via ſciri poſſet.

Sextò : *Eſt* valde recepta Sanctorum Patrum ſententia, quòd Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem ſuam, maiori ex parte quadraginta dierum manſit in Paradiſo terreſtri cum ſanctis Prophetis Enoch & *Elia*, inſtruens ipſos peculiariter de myſterijs fidei : Ergo ex tam longa & familiari conuerſatione eminentẽ ſcientiam hauſerunt, ad inſtar S. Ioannis Euangeliſtæ, dum breui tempore recubuit ſupra pectus Domini, & conſequenter futuri ſunt Doctores inclyti Eccleſię.

Septimò : Licet Sanctus Elias non haberet ſcientiam infuſam eminentem, adhuc poſſet habere talem acquiſitam experientia tam diuturna bis millium & ſexcentorum annorum, in quibus mira & quam plurima didicit, non impeditus aliunde nec occupationibus, nec infirmitatibus : Ergo eſt futurus Doctor inclytus Eccleſiæ.

AD Primum ergo dicendum, quòd licet Sanctus Elias nihil ſcripſiſſet, & nihil eſſet ſcripturus: futurus tamen eſſet Doctor inclytus Eccleſiæ, propter eminentem doctrinam, quam ſuis prædicationibus fideli populo in fine mundi cõmunicabit; ad Laureolam enim Doctoratus, non requiritur ſcripſiſſe, ſed ſufficit docuiſſe ſacrã doctrinam: Vtrũ autẽ Sanctus Elias ſit aliquid ſcripturus, non eſt certum omnino, plures tamen aſſerunt.

AD Secundum dicendum, quod illud tempus tam bene inſumendum pro Dei gloria, & bono Eccleſiæ, eſt pluſquam ſufficiens Elię, vt nomen Doctoris inclyti mereatur, plus enim proficiet ad ſalutem ac inſtructionem fidelium, quàm plures alij Doctores, etiam integris ſæculis.

AD Tertium dicendum, quod Sanctus Elias mirabili progreſſu tunc, tam Iudæos quàm Gentes inſtruet, vt dictum eſt : Vnde meretur nomen Magiſtri Iudęorum, ſicut Moyſes ; & nomen Doctoris Gentium, ſicut Sanctus Paulus Apoſtolus : Propterea dicimus, quòd eſt futurus Doctor inclytus Eccleſiæ; nec obeſt, vt dictum eſt, breuitas temporis. Addimus tamen ad ſuper erogationem id quod affirmat Origenes tract. 35. in Mattheum, quod verba hæc citata a S. Paulo 2. Cor. 2. *Sicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit &c.* accepta fuerunt ex libro compoſito per S. Eliam, quod ait extaſſe ſuo tempore ; ſed nunc non apparet, ſicut nec liber editus ab Enoch, & citatus a S. Iuda Apoſtolo. Inſuper addimus id quod docent authores antiqui, quòd noſter Elias factus annorum duodecim receſſit ad Collegium Prophetarum, quod erat in Galaad, vt audiret Ahiam Prophetam, illum ſcilicet qui prædixit Ieroboam dignitatem regiam in decem Tribus: Hic Venerabilis Senex fuit Magiſter noſtri Eliæ, ipſumque docuit ſacram Theologiam, & omnia arcana legis, quam Hebręi vocant Traditionem, ſiue legem explicatam; Dicunt enim quod Deus dans Moyſi legem in monte Sinai, eam ipſi explicauit, quam explicationem Moyſes deinceps docuit Ioſue, Ioſue verò Phinees, Phinees autẽ Heli, Heli Samuelem, Samuel Dauidem, Dauid Salomonem, Salomon Ahiam, Ahias noſtrum Eliã, Elias Eliſæum &c.

QVAE-

QVAESTIO V.

De ſtatu S.Eliæ Prophetæ:

QVIA S. Elias Propheta nunc habet cum Enoch ſingularem ſtatum, ideò plura de illo ſolent occurrere dubia: Circa illum igitur quæruntur quinque.

¶ Primo, Vtrum S. Elias Propheta raptus fuerit in Paradiſum Terreſtrem.

¶ Secundo, Vtrum Elias Propheta nunc poſſit coli vt Sanctus in diuinis officijs.

¶ Tertio, Vtrum S. Elias Propheta poſſit nunc inuocari a fidelibus.

¶ Quarto, Vtrum S. Elias Propheta nunc mereatur.

¶ Quinto, vtrum S. Elias Propheta ſit habiturus in fine mundi ſpiritualem aliquam authoritatem extraordinariam.

ARTICVLVS I.

Vtrum S. Elias Propheta raptus fuerit in Paradiſum terreſtrem.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd S. Elias Propheta non fuerit raptus in Paradiſum Terreſtrem. Probatur: Paradiſus Terreſtris tempore raptus S. Eliæ Prophetæ non extabat, fuit enim deſtructus a diluuio vniuerſali ſub Noè, aquæ ſiquidem ipſius omnem terram habitabilem inundarunt: Ergo Sanctus Elias Propheta non fuit raptus in Paradiſum Terreſtrem.

¶ 2. Præterea: Referunt Carmelitæ, quòd S. Elias propheta ſæpiùs apparuit in occiduis Europæ partibus; Paradiſus autem Terreſtris fuit conditus in Meſopotamia Armenæ, multum ad orientem diſſita in Aſię Prouincia, ibique perſeueraret, ſi ſubſiſteret adhuc: Ergo Sanctus Elias Propheta non fuit raptus in Paradiſum Terreſtrem.

¶ 3. Præterea: ſi S.Elias propheta raptus fuiſſet in Paradiſum Terreſtrem, in eo comederet fructum vitæ, & ita eſſet immortalis virtute illius, iuxta illud Geneſis 3. *Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*: Sed S Elias Propheta non eſt immortalis, imò eſt moriturus in fine mundi ſub perſecutione Antichriſti, vt habetur ex Sacra Scriptura, & communiter docent Sancti Patres & interpretes: Ergo Sanctus Elias Propheta non fuit raptus in Paradiſum Terreſtrem.

SED Contra eſt authoritas Sacrę Scripturæ, Sanctorum Patrum, & communis Doctorum ſententia.

CONCLVSIO.

Sanctus Elias Propheta raptus eſt in Paradiſum Terreſtrem.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Elias propheta raptus fuit in Paradiſum Terreſtrem. Ad cuius euidentiam ſciẽdum eſt, quòd S. Elias raptus eſt de cõmuni hominum conſortio: Raptum eius narrat Sacra Scriptura libro 4. Regum cap. 2. dicens; *Factum eſt autem, cum leuare vellet* Dominus *Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias & Eliſæus de Galgalis*: Et ſubdit, quòd Elias voluit ibi dimittere Eliſæum, ſicut & poſtea in Bethel & in Iericho: ſed cum aſſentiri noluiſſet; venerunt ambo ad Iordanem, *Tulitque* Elias *pallium ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas quæ diuiſæ ſunt in vtramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum: Cumque tranſiſſent* Elias *dixit ad Eliſæum; Poſtula quod vis vt faciã tibi, antequam tollar a te: Dixitque Eliſæus*

ſæus; Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus: Qui reſpondit; Rem difficilem poſtulaſti, attamen ſi videris me quando tollar a te, erit tibi quod petiſti, ſi autem non videris, non erit: Cumque pergerent, & incendentes ſermocinarentur, currus igneus & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Elias *per turbinem in cælum: Eliſæus autem videbat & clamabat, Pater mi, pater mi, currius Iſrael & aurriga eius, & non vidit eum amplius, apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes, & leuauit pallium Eliæ quod ceciderat ei &c.* Dicitur quod Elias illo curru igneo fuit ſublimatus in cœlum, id eſt in ſuperiorem aeris partem, vt communiter exponunt interpretes, & inde translatus in locum ſecretiorem, vbi ex diuina prouidentia ſeruandus erat vſque in finem mundi, cuius triumphum deſcribit S. Ioannes Chryſoſtomus tomo 1. homilia 2. de Elia: Dicimus autem, quòd locus ille ſecretus eſt Paradiſus Terreſtris, de quo in meo Orientali Itinerario libro 3. cap. 3. fusè differui; Vnde nunc pauca dico hic neceſſaria: Conditus fuit Paradiſus Terreſtris, vt colligitur ex Sacra Scriptura, in Meſopotamia Armeniæ, & creditur nunc eſſe in quadam amœna planitie montis (quem Armeni vocant Noè, quia ſuper illum arcam Noè decreſcentibus aquis diluuij remanſiſſe traditur, & olim vocabant Periardem aut Gordianum) cuius aſcēſus eſt impoſſibilis, vt mihi fuit illis in locis peregrinanti traditione communi, ac multorum teſtimonio confirmatum: Ad huius montis radices naſcitur Euphrates fluuius, non longè inde naſcitur Tygris; ex alia verò parte naſcuntur alij duo fluuij, ſcilicet Araxes & Cyrus tendentes ad mare Caſpium: Qui fluuij demonſtrant ibi Paradiſum Terreſtrem eſſe, iuxta deſcriptionem ipſius cap. 2. Geneſis factam, dicitur enim, quod fons exurgens in medio Paradiſi diuidebatur in quatuor capita vel flumina; duo illorum ſunt Euphrates & Tygris expreſsè nominati, alij duo nominantur in ſcriptura Phiſon & Geon; Per Phiſon intelligunt aliqui Gangem, quod mediatè concedi poteſt, quia Aranes & Cyrus influuat mare Caſpium, vnde dicitur procedere Ganges, Per Geon autem intelligunt Nilum, ſed hoc patitur maximas difficultates, quas loco citato propuſui: Vbicumque ſit Paradiſus Terreſtris, ibi ſunt noſter Elias & Enoch, velut in loco voluptatis, in continuis penè delicijs vſque ad finem mundi, vbi perſeuerante ex ſitu loci valde temperato, & peculiari prouidentia Dei aeris ſuauitate, excluſis rigoribus frigoris ac ſolis ardoribus, infirmitatis ac ſenectutis moleſtias ignorant, vel propter fructum ligni vitæ, vel virtute Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, quod ibi vel Angelorum miniſterio, vel alibi percipiunt. Circa hoc ait S. Auguſtinus opere contra Iulian lib. 6. *Nam quò Enoch & Eliam credendum eſt fuiſſe translatos; niſi vbi eſt ipſum vitæ lignum, unde illis ſit poteſtas viuendi nec vlla moriendi neceſſitas &c. inde namque erecti ſunt iſti, quò traiecti ſunt illi.*

Probatur concluſio ratione deducta ex authoritate ſacræ ſcripturæ: S. Elias Propheta fuit raptus ad locum, ad quem priùs fuerat translatus Enoch, vt communiter docent Sancti Patres & expoſitores cum fundamento ſacræ ſcripturæ, ſimul enim dicuntur eſſe hi Sancti Prophetæ, & præſertim capite 11. libri Apocalypſis: Sed Enoch priùs fuerat tranſlatus in Paradiſum Terreſtrem, iuxta illud Eccleſiaſtici 44. *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam*; nomine autem Paradiſi intelligitur Terreſtris & Adamicus, & non celeſtis patria Beatorum, Cum Enoch nōdū ſit mortuus, ſed ſit in fine mūdi moriturus cum Elia, vt citato Apocalypſis loco dicitur, deſcripta morte vtriuſque ſicut & glorioſa Reſurrectione, ac mirabili Aſcenſione in Paradiſum Cœleſtem: Ergo S. Elias Propheta raptus fuit in Paradiſum Terreſtrem.

Secundò probatur authoritate communi penè omnium Sanctorū Patrum & Interpretum, qui dicunt Sanctum Eliam Prophetam in ſuo raptu fuiſſe translatum

tum in Paradiſum Terreſtrem ſeu Adamicum, vbi ſcilicet cum Enoch vſque tempora perſecutionis Antichriſti perſeuerabit: Plures legi, quos adducere poſſem, ſed abſtineo a ſingulari eorum citatione; Videantur in expoſitione circa caput 2. libri 4. Regum, & caput 11. Apocalypſis, & inter alios expreſſiùs Abulenſis loquitur.

Tertiò probatur hiſtorijs fide dignis aliquorum, qui dicuntur tranſlati fuiſſe in Paradiſum Terreſtrem ad breue tempus, ibique noſtrum Eliam vidiſſe. Legitur in Menologio Ordinis Ciſtercienſis 4. Iulij p. 215. de B. Bertrando illius Ordinis, quòd raptus fuerit in Paradisũ Terreſtrem, vbi vidit Eliam cum magno volumine in quo ſcripta erant nomina prædeſtinatorum, & ſuum vidit ibi. Subiungam quæ Romæ didici circa annum Domini 1660. a noſtra moniali Romana ex inclyta domo Columna D Philippi Ducis Paliani Comeſtabilis Neapolitani filia, nomine Hyppolita Maria Thèreſa: Cum Romanæ floreret ſanctitate V. F. Innocentius ſiculus inter Reformatos, vulgò Recollectos S. Franciſci, & ſatis communi fama traderetur ipſum ad Paradiſum Terreſtrem fuiſſe raptum, quia per octo dies continuos nullibi viſibilis comparuit,& illis elapſis in cella receptus eſt cum tribus pomis maximis ac eximiæ pulchritudinis ſimulque tribus roſis item maximis ac odoris ſuauiſſimi, quæ Principibus loco pretioſi muneris collata ſunt; ipſaque monialis noſtra quædam ex illis roſis folia ſuo patri conceſſa vidit noſtratibus maiora: Hæc igitur audiens, pia curioſitate mota, ac patris ſui authoritate vtens, prædictum V. P. Innocentium ad Monaſterium S.Mariæ Magdalenæ Romæ in monte Quirinali ſitum procurauit adduci (nondum enim ex Auguſtiniano ordine ad noſtrum Carmelitarum tranſierat, ſed in dicto Monaſterio Dominicani Ordinis authoritate Vrbani VIII. Summi Pontificis morabatur:) Ipſum de varijs rebus pijs alloquitur, ac tandẽ interrogat de illo Fratre, qui fuerat in Paradiſum Terreſtrem delatus; ſub tertia namque perſona ſuum raptum deſcribebat, quamuis aliquando ex inaduertentia loquebatur de ſeipſo in prima perſona: Narrauit igitur qualiter Frater ille in regionẽ longinquã delatus, ad portã Paradiſi repeperit Angelum ignito munitum gladio, qui temeritatis ipſum arguit, quòd ad illum locum mortalibus prohibitum auſus fuerit accedere; ſed religioſa humilitate, ac mira ſimplicitate proſtratus Angelum placat, & ingreſſum meruit: Introductus vidit amœniſſimum omninò locum, pulcherrimis ac frugiferis arboribus conſitum, floribus vernantem, aquis irriguum, ac latiſſimis longiſſimiſque ambulatoris ſpecioſum: Ibi Sanctum Eliam noſtrum cum Enoch inuenit, in quibus mira beneuolentiæ ac manſuetudinis ſigna expertus fuit; ſed præcipuè noſtrum Eliam extollebat, a quo fuerat ſpecialiter recreatus; Et inuitatus vt ederet de fructibus Paradiſi, prę amœnitate loci ſuſpenſus, de eſu nõ cogitabat: Hanc relationem do eadem fidelitate qua recepi; & quamuis mihi fuerit ab vno Patre Venerabili eiuſdem Ordinis &coæui dicti V. Fratris Innocentij confirmata, primę tamen & ſecundæ rationi magis innititur noſtra concluſio.

AD primum ergò dicendum quòd Paradiſus Terreſtris fuit præſeruatus ab aquis diluuij ſpeciali prouidentia Dei, propter Enoch ibi iam exiſtentem, ipſis adinſtar fornicis aut murorum eleuatis; Vel ſi, aliò Enoch ad tempus translato, aut in aera tandiu ſuſpenſo maiori cum miraculo, fuit deſtructus, poſtea reparatus eſt. Hoc ita verum eſt, quòd S. Auguſt. cum dixiſſet neſciri, vbi ſit Paradiſus Terreſtris, vbi Deus poſuit primũ hominem; ſubdit, *cum tamen eſſe illum Paradiſum fides chriſtiana non dubitet*: Ita libro 2. de Gratia Ieſu Chriſti.

AD Secundum dicendum, quòd admiſſis illis apparitionibus Eliæ, & conceſſa Paradiſi Terreſtris exiſtentia in Meſopotamia Armeniæ potuit Elias trãſferri ad tam diſſitas occidentis regiones,

nes, vel Angelorum miniſterio, vel ex quadam participatione doni agilitatis corporum beatorum, quo ſe transferunt citiſſimè ad remotiſſima.

AD Tertium dicendum, quòd fructus ligni vitæ conſeruabat vires', & debilitatas poterat reparare: ita quòd continuò eſus faceret edentem non moriturum, quamuis remaneret mortalis ab intrinſeco: ſemel autem eſus non ſemper conſeruaſſet, ſed ad multum tempus; Deus autem, data mortis ſententia in Adamum & poſteros eius, ipſum expulit de Paradiſo, ne continuo talis fructus eſu decretam euaderet mortem, ex continuata virium reparatione. Noſter Elias in hoc deliciarum loco fœlicem cum Enoch Propheta ducit vitam: Ab initio legis Euangelicæ vjdit omnia fidei myſteria Chriſtum Dominum concernentia quæ prius ſibi reuelata præuiderat; nam Filius Dei ſic inducitur alloquēs Eliam ante raptum, apud S. Baſilium Seleuciæ oratione 11. *Tu ſubi diuerſorium a peccato liberum, carne veſtitus cum Angelis conuerſare; Ego verò ad homines per Incarnationem veniam, ego in eorum ſalutē curram, naturam ego ex hominibus delibatam aſſumam, & paſſione paſſiones mortaliū curabo, morte mortem frangam.* Ibi fruitur altiſſima & continua diuinorum cōtemplatione: Ad quam concurrit eminentiſſima illa quam habuit in Oreb de Deo notitia, ſi non fuit clara viſio Dei, de qua ſic ait S. Baſilius homilia 1. de ieiunio; *Promeruit videre Dominum, quatenus quidem homini videre datum eſt:* Et Abulenſis in Matthæi 17. ait; *Elias vidit gloriam Dei in igne, & commotione, & ſpiritu auræ, quod aliquo modo pertinebat ad gloriam Transfigurationis*: Textus autem Chaldaicus habet; *Sta in monte, & ecce gloria Domini reuelatur, & ante eum erat exercitus Angelorum, & poſt exercitum Angelorum vox canentium in ſilentio*; In textu autem Hebraico ſic habetur, *poſt ignem vox ſubmiſſa tenuis & in illa voce locuta eſt ad eum gloria Tetragrammati*: Ex qua viſione potuit meritò ſcribere hoc quod ipſi attribuitur; *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*. Concurrit etiam recordatio viſionis Chriſti Domini in die Transfigurationis, qui tunc apparens glorioſus Eliam ſubleuauit ad maximam contemplationem; quia ex D. Thoma 1. p. q. 94. ar. 1. quantò aliqua creatura eſt altior & Deo ſimilior, tantò per eam Deus clarius videtur; ſic homo perfectiùs videtur per ſpeculum, in quo expreſſiùs imago eius reſultat: Hæc ſacra humanitas glorioſa Chriſti ſic manſit impreſſa Eliæ, quod cum Apoſtolo 2. Cor. 3. dicere poteſt; *nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini ſpiritu*. Concurrit etiam perfectio ſpecierum infuſarum, quas recepit in ſuo raptu, adinſtar Angelorum & Adami.

ARTICVLVS II.

Vtrum Elias Propheta nunc poſsit coli vt Sanctus in Diuinis Officijs.

AD Secundum ſic proceditur. Videtur quòd Elias Propheta nunc non poſsit coli vt Sanctus in Diuinis officijs. Ita tenent aliqui dicentes, ſed immeritò quòd nullus colit Eliam: Probatur; In Eccleſia ſoli illi coluntur in Diuinis officijs, qui ſunt in cœlo beati diuina viſione, ſola enim Sanctitas conſummata coli debet: Sed Elias Propheta nunc non eſt in cœlo, at in Paradiſo Terreſtri; nec eſt diuina viſione beatus, vt eſt communior ſententia, cum ſit viator, & ſolus Chriſtus Dominus ſingulari priuilegio fuerit ſimul viator, & comprehenſor: Ergò Elias Propheta nunc non poteſt coli vt Sanctus in Diuinis officijs.

¶ 2. Præterea: In Eccleſia non coluntur Sancti antiquę legis, ne videatur confundi cum Synagoga; Vnde nec

Digitized by Google

de Moyſe, nec de alijs ſanctiſsimis illius temporis ſit officium, niſi de immediatis Chriſti conſanguineis, aut eius aduentui propinquis, quales ſunt Machabæi: Sed Elias Propheta eſt Sanctus antiquæ legis, qui nongentis ſæculis Chriſtum præceſſit: Ergò Elias Propheta nunc non poteſt coli vt Sanctus in Diuinis officijs.

¶ 3. Præterea: Dicitur in Sacra Scriptura, ne laudaueris hominem in vita ſua, propter periculum vanæ gloriç, quæ poteſt homini mortali de proprijs laudibus irrepere, a quo ſoli beati ſunt immunes, vt potè ſummo bono firmitèr adhærentes, ac vera gloria fruentes immobilitèr: Ergo cum Elias Propheta ſit mortalis, quandoque moriturus nunc non poteſt coli vt Sanctus in officijs Diuinis.

SED Contra eſt antiqua & perſeuerans conſuetudo Eccleſiæ vniuerſalis, tàm in Oriente, quàm in Occidente, & traditio immemorialis Carmelitanæ Religionis.

CONCLVSIO.

Cum Elias Propheta ſit in Sacra Scriptura declaratus authenticè Sanctus, & indefectibilis à Sanctitate, nunc poteſt coli vt Sanctus in Diuinis officijs.

RESPONDEO dicendum, quòd Elias Propheta nunc poteſt coli vt Sanctus in Diuinis officijs. 2. Et ſic de facto colitur authoritate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ non ſolùm in toto Ordine Carmelitano; 3. ſed etiam in multis alijs locis. 4. quem vſum laudabilẽ obſeruat Orientalis Eccleſia. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd fuit erectum & conſecratum Templum Eliæ prophetæ ſtatim poſt raptum eius ab ipſis diſcipulis in Carmelo commorantibus in ipſomet monte Carmelitanæ Religionis natali ſolo, vt refert Genebrardus libro 1. Chronologiæ in Ioramo Rege Iſrael ex alijs authoribus antiquis: quod fuit ſingulare priuilegium Eliæ, nulli alteri ex Sanctis illis antiquæ legis Patriarchis, & Prophetis tempore Sinagogæ conceſsũ: non enim legitur in ſacra vel prophana hiſtoria Templum fuiſſe dedicatum, vel Abrahæ patri eorum fidei, vel Moyſi legislatori. Quod Templum non ſolùm fuit a Carmelitis frequentatum, ſed etiã ab exteris; ita vt in ſabbathis, calendis, & alijs ſolemnitatibus Iudæi ad illud deuotionis cauſa accederent, vt manifeſtè colligitur ex 4. Regum cap. 4. nam cum mulier Sunamitis peteret a marito, vt eam ſineret ire in montem Carmelũ ad Sanctum Eliſæum, Reſpondebit ei; *Quã ob cauſam vadis ad eum, hodie non ſunt calendæ neque ſabbathum*. Poſt primum iſtud Templum Eliç dictum Dominicum, fuerunt ſtatim in naſcenti Eccleſia in eiuſdem honorem alia erecta, & meritò, nam licet Elias incœperit tempore Synagogæ, nunc tamen eſt filius ſanctiſſimus Eccleſiæ, cuius in fine mundi erit Apoſtolus & martyr inclytus. Vnde S.Helena Imperatrix mater Conſtantini inter alia plura quæ ædificauit Templa in Palæſtina, ad æternam myſteriorum redemptionis humanæ memoriam, duo in honorem S. Eliæ ædificaſſe legitur; Vnum ſcilicet in monte Carmelo, vt refert Nicephorus libro 8. cap. 30. Aliud in monte Thabor ad memoriam Transfigurationis Chriſti, cui aſsiſtit teſtis cũ Moyſe, vt refert Adricomius in Tribu Zabulon numero 8. Plura deinceps Tẽpla in honorem S. Eliæ ædificata repeꝛiuntur tum in Oriente, tum in Occidente: nam idem Adricomius in Theatro Terræ Sanctæ tria refert: nempè in ciuitate Ieroſolymæ num. 221. in Tribu Iſachar num. 21. & in Ephraim loquens de Torrente Carith. nunc videntur alia, vt in Zazintho inſula ſub Patribus Dominicanis, Licij, & Trani in Apulia, Meſſanæ in Sicilia; & alibi.

Probatur prima pars concluſionis ex dictis: Ille poteſt coli in diuinis officijs vt Sanctus, cui dedicantur Templa; nam Templa ſolis duntaxat Sanctis poſſunt dedicari, & ideò Templa eis dedicantur vt ſpecialitèr in eis ſolutis diuinis offi-

cijs

Digitized by Google

cijs colantur : Sed Eliæ prophetæ tam in Synagoga olim, quàm etiam in Eccleſia plura fueruut dedicata Templa: Ergo Elias Propheta nunc poteſt coli vt Sanctus in Diuinis officijs. Deindè, vt aliquis poſsit coli vt Sanctus in diuinis officijs, ſufficit quòd vt talis proponatur authoritate vel Diuina, vel Eccleſiaſtica, & quòd eius officium ſit approbatum : Sed Elias Propheta proponitur vt Sanctus, tam authoritate Diuina, quam Eccleſiaſtica; Diuina quidem Eccleſiaſtici 48. vbi eſt ſeries Sanctorum antiquæ legis a Deo Canonizatorum; Eccleſiaſtica verò, quia in Martyrologio Romano ad diem vigeſimam Iulij ſic habetur, *In monte Carmelo S. Elię prophetæ*; Apud Molanum ſub eodem die, *In Arabia raptus Beati Eliæ Patriarchæ Ordinis Carmelitarum*; Idem habetur in noſtro Carmelitano Martyrologio, & in Menologio Græcorum, apud quos S. Eliæ feſtū ita ſolemne erat, quòd ex conſtitutione Emmanuelis Comneni Imperatoris a ſeruilibus operibus abſtinerent: Quòd autem officium S. Eliæ ſit approbatum, certiſsimum eſt, & facilè poteſt conſtare ijs, qui breuiarij Carmelitarum notitiam habere voluerint, vt ſtatim amplius declarabitur: Ergò Elias Propheta nunc poteſt coli vt Sanctus in diuinis officijs. Denique, de facto Elias propheta colitur vt Sanctus in diuinis officijs authoritate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, vt mox dicetur: Ergo ſic poteſt coli, niſi quis temerariè dicat Eccleſiam Romanam in approbatione cultus Sanctorum defeciſſe.

Probatur ſecunda pars concluſionis contra Cornelium a Lapide Geneſis 5. qui licet non neget de poſsibili, negat tamen de facto, dicens Eliam nunc a nemine coli vel inuocari; miror quòd hic author hoc ſcripſerit, cum in toto Ordine Carmelitano die vigeſima Iulij & per octauam tam ſolemnitèr S. Eliæ miſſa & officium diuinum ſub ritu duplici primæ claſsis celebretur, quaſi Patriarchæ & fundatoris ipſius, ex conceſſione Summorum Pontificum Gregorij XIII. in bulla, *Vt Breuiarij*, data anno 1584. Sixti V. in bulla *Eximium*, anno 1589. Item Sacræ Rituum Congregationis ſub Paulo V. anno 1609. & ſub Vrbano VIII. anno 1628. Si quis dictis credere nolit, accedat in dicta octaua ad Eccleſias Carmelitarum, & experietur quod dico. Hic autem cultus S. Eliæ apud Carmelitas eſt antiquiſsimus: nam exemplo Carmelitarum antiquæ legis Carmelitæ Chriſtiani continua ſucceſsione Patriarcham ſuum Eliā coluerunt: Vnde antiquiſsima breuiaria Ordinis Carmelitarum adhuc inueniuntur ſecundùm ritum Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, vbi eſt officium proprium Sancti Eliæ cum Antiphonis, Hymnis, & Oratione: Similiter inueniuntur alia miſſalia, & breuiaria antiquiſsima, in quibus eſt officium, & miſſa propria S. Eliæ: tale quidem miſſale aſſeruatur in Bibliotheca Vaticana, breuiarium autem Eccleſię Angrienſis in Vngaria Venetijs editum ab anno 1514. Hiſpali in Conuentu Carmelitarum habetur. Oratio autem S. Eliæ, tam in miſſa quàm in officio eſt huiuſmodi : *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, vt qui Beatum Eliam Prophetam tuum igneo curru mirabilitèr eleuatum eſſe credims, eodem interueniente ad cæleſtia ſubleuemur, & Sanctorum tuorum conſortio gaudeamus.*

Probatur tertia pars concluſionis. In pluribus Eccleſijs S. Eliæ dedicatis etiā extra Ordinem Carmelitanum celebratur officium eiuſdem Sancti Prophetæ, quaſi Patroni, de quo nulla eſt difficultas, & habetur hæc ſequentia de S. Patricio Hibernię Apoſtolo ex vetuſto miſſali deprompta, quæ S. Elię cultum, inuocaionem & ſuccurſum demonſtrat.

Opprimens per triduum
Sathan hunc vexauit:
Sed Elias artuum
Robur reparauit.

Ergo Elias Propheta de facto nunc vt Sanctus colitur authoritate Sanctę Romanæ Eccleſiæ etiam extra Ordinem Carmelitanum. Deinde Clemens VIII. anno 1598. in bulla quæ incipit, *Romanus Pontifex*, conceſsit Presbyteris &

Mona-

Digitized by Google

Monachis Græcis, maxime Ordinis Sancti Baſilij, quòd poſſent vti breuiario quodam Græco ſatis antiquo, in quo officium S. Eliæ continetur. De alio eiuſdem Sancti Prophetæ officio apud Cretenſes in vſo habito ante tempora Concilij Florẽtini mentio habetur apud Gregorium Hieromonachũ. Addimus quòd anno 1656. S. Elias Capuam a peſte liberauit, itavt poſt factũ ipſi votum nullus deinceps mortuus fuerit peſte; Vnde in numerum protectorum Ciuitatis aſſumptus eſt 1657.

Probatur quarta pars concluſionis authoritate omnium, qui regiones Orientales peragrarunt, vt ipſe per duodecim annos vidi, qui officium Eliæ Prophetæ vt Sancti paſsim in Eccleſijs Chriſtianorum reſonare audiuerunt. Deinde reperiuntur homiliæ antiquiſsimæ in ſolemnitate S. Eliæ habitæ: tres enim habentur apud S. Ioannem Chryſoſtomum, qui floruit circa annum Domini 400. Et alia apud Simonem Metaphraſtem ab ipſo ſcripta pro natali Eliæ: Conſtat autem, quòd ſimiles homiliæ demonſtrant feſtiuitatem, & cultum S. Eliæ. Nota tamen, quòd prædictæ S. Chryſoſtomi homiliæ in noua quadam editione fuerunt intermiſſæ: ſicut & duo libri Abbatis Trithemij de Laudibus Carmelitarum, & de Viris Illuſtribus Ordinis Carmelitarum: nondum fuit examinatum; qua arte hoc factum fuerit.

AD primum ergò dicendum, quòd non eſt neceſsè, vt qui colitur in Eccleſia Diuinis officijs ſit beatus in cœlo diuina viſione, nec quòd ſit Sanctus conſummatè: ſed ſufficit, quòd authenticè ſit declaratus Sanctus in gratia confirmatus, qualis eſt noſter Elias, vt dictum eſt. Non deſunt tamen, qui docent S. Eliam nunc eſſe diuina viſione beatum, continua tamen, ſed lumine gloriæ per modum tranſeuntis communicato, in quo deficit à perfectione beatitudinis Chriſti dum eſſet in via, cuius intellectus humanus illuſtrabatur habitu luminis gloriæ: Et cum hac differentia comparant Eliam Chriſto, quòd ſit ſimul viator, & comprehenſor. Probabilius tamen conceditur, quòd aliquando ei viſio Dei concedatur per modum tranſeuntis, ſicut à S. Auguſtino, & Diuo Thoma dicitur fuiſſe conceſſa Moyſi, & S. Paulo Apoſtolo.

AD ſecundum dicendum, quòd licet S. Elias nongentis annis aduentum Chriſti præceſſerit, & tunc pertinuerit ad Sanctos antiquæ legis: nunc tamen a mille ſexcentis & amplius annis perſeuerat in lege gratiæ, & perſeuerabit vſque ad finem mundi; Et ita pertinet ad Sanctos Eccleſiæ, in qua erit Apoſtolus, Doctor & martyr: Vnde nunc meritò colitur in ea vt Sanctus in diuinis officijs.

AD Tertium dicendum, quòd confirmati in gratia, virtute ipſius gratiæ ſunt immunes a ſimili vanitate, maximè ſi quandoque Deum clarè viderint: nam exhibitum ſibi cultum ad Deum referunt, velut vnicum authorem ſuæ ſanſanctitatis, quia Deus dum glorificantes ſe glorificat, in Sanctorum ſuorum honoribus honoratur. Vnde locus ille Sacræ Scripturæ intelligitur de hominibus ordinarijs.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sanctus Elias Propheta poſſit nunc inuocari à fidelibus.

AD Tertium ſic proceditur. Videtur quòd Sanctus Elias Propheta non poſsit nunc inuocari a fidelibus. Ita tenet Raphael de la Torre 2. 2. q. 83. ar. 4. diſp. 5. & art. 11. diſputatione 5. concluſione 2. aſſerens Eliam & Enoch non eſſe inuocandos a fidelibus. Probatur: Elias (Et idem dicendum de Enoch) non fruitur viſione beatifica, qua poſsit in Deo videre preces fideliũ ad ſe directas; nec eſt aſsignabile medium, in quo illas videat: Ergo non eſt inuocandus à fidelibus; aliàs fruſtra inuocaretur, cum non poſsit exaudire.

Præ-

¶ 2. Præterea: Inuocari eſt proprium beatorum qui Deo perfruuntur, cui tanquam amici & familiares aſſiſtunt, ſic ei neceſſario amore adhærentes, vt ſit impoſsibile penitùs quò ab illo auertantur: Sed Elias Propheta nondum eſt beatus qui Deo perfruatur, vt communior Sanctorum Patrum, & Theologorum ſententia docet; imò poteſt abſolutè loquendo auerti a Deo, & damnari: Ergo Elias Propheta non poteſt inuocari a fidelibus.

¶ 3. Preterea: Eadem eſt ratio quantum ad hoc quod eſt poſſe inuocari, de Elia Propheta ac de animabus Purgatorij, vt conſideranti patet; imò eſt maior ratio ex vno capite, cur animæ Purgatorij poſſint inuocari, quia vltra gratiam inamiſsibilem quam habent cõmunem cum Elia Propheta, non ſunt amplius in via, ſicut ipſe eſt, at ſunt in termino quodammodo pertinentes ad ſocietatem beatorum: ſed animæ Purgatorij non ſunt inuocandæ a fidelibus; quia licet conſeruent notitiam generalem de ſtatu Eccleſiæ militantis, de ſua patria, de ſuis parentibus, & ſimilibus pro quibus orant; non tamen habent vnde de nouo acquirant notitiam particularem eorum, quæ hic accidunt, & ſic non poſſunt exaudire inuocantes, ac ita fruſtra inuocarentur: Ergo Elias Propheta non eſt inuocandus, ſiue non poteſt inuocari à fidelibus.

SED CONTRA eſt continuatus laudabilis vſus tam Synagogæ priùs quam nunc Eccleſiæ, conſuetudo fidelium inuocantium miraculoſo ſuccurſu comprobata, traditio antiqua perſeuerans Ordinis Carmelitani, & expreſſa pluriũ Doctorum, tum domeſticorum, vt Franciſci à Sancta Maria libro 1. Hiſtoriæ propheticæ cap. 31. & Lezanæ tomo 1. Annalium Carmelitarum ad annum mundi 3139. numero 14. tum exterorum ſententia.

CONCLVSIO.

Cum Elias Propheta ſit in Sacra Scriptura declaratus authenticè Sanctus indefectibilis a Sanctitate, & aliunde exaudiat preces inuocantium poteſt a fidelibus inuocari.

RESPONDEO dicendum, quòd non ſolùm Elias Propheta poteſt inuocari a fidelibus. 2. ſed de facto a multis inuocatur, quorum preces exaudit. 3. Et hæc inuocatio eſt antiquiſsima in Eccleſia, & ab eius raptu continuò perſeuerauit in Synagoga. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſecundùm fidem contra hæreticos Sancti ſiue beati qui Deo perfruuntur in cœlo, poſſunt inuocari: Tum quia non diminuitur Dei gloria in eorum cultu, ſed potius augetur; nã Deus in Sanctorum honoribus honoratur, quia propter ipſum honorantur: Tum quia Sancti vident noſtras miſerias abſque detrimento ſuæ beatitudinis ob omnimodam ſuæ voluntatis cum Diuina rectiſsima conformitatem: Et cum aliàs ſint pleni charitate, preces inuocantium exaudiunt pro ipſis apud Deum intercedentes; ſi enim interceſsio amicorum valet apud homines, multò magis valet apud Deum, cuius natura bonitas inclinata ad communicationem boni, & cuius opus eſt miſericordia. Hic autem oſtenditur, quòd etiam Elias Propheta poſsit inuocari: maximè quia ex vna parte nouit Eccleſiæ ac filiorum eius neceſsitates, ex alia verò parte ſollicitus eſt de ſalute electorum, vt conſtat ex quibuſdam hiſtorijs quas refert Galatinus de ipſo Elia libro 7. cap. 17. dicit quòd octoginta circitèr annis ante natiuitatem Chriſti viuebat quidam Rabbinus nomine Heccas, propter ſanctitatem cognominatus Haccados, ideſt Doctor Sanctus, qui librum edidit, cuius erat titulus *Reuelator arcanorum*, vbi clariſsimè de vita, morte ac reſurrectione Meſsiæ loquabatur, non ſecus ac ſi ea iam completa vidiſset. Dicitur quòd huic

Digitized by Google

uic Prophetæ apparuit noſter Elias in ſpelunca duplici, in qua ſepultus fuit Abraham cum Sara, Iſaac cum Rebecca, & Iacob cum Lia; multaque ei reuelauit de Meſsia futuro, eiuſque matre Maria, indicata quidem in Sacra Scripturà, ſed nondum ab illo cognita. Libro verò 6. cap. 13. refert idem Galatinus, quòd idem Propheta Haccados tranſiens de monte Hebal, vbi Ioſue maledixit eos qui non ſeruarent legem Moyſi, in montem Gariſim contiguum, vbi benedixit eis qui dictam legem ſeruarent, vidit Eliam noſtrum ſtantem ibi & placantem quem ſalutauit, ſed cum nullum ab ipſo reſponſum habuiſſet, amare fleuit, eiuſque ſingultibus Elias motus dixit ei tunc opportunum non eſſe tempus vrbanitatum, & illicò diſparuit: Aliquantò poſt rediJt Haccados ad eundem mõtem, vbi inuenit Eliam orantem, cumque acceſsiſset multitudo Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum & iuſtorum antiquæ legis, Rogarunt omnes Deum vt promiſsum Meſsiam mitteret; tunc tremuit mons Hebal, & in illo multitudo dæmonum apparuit, repreſentantiũ Deo crimina populi, propter quæ non merebatur recipere Meſsiam; In hac conteſtatione vox de cœlo facta eſt Diuinam promittens miſericordiam: Vnde facta communi lætitia, induit ſe Elias in ſummum Sacerdotem, & Deo ſacrificium obtulit; Tunc diſparentibus alijs ſolus remanſit Elias, qui ſciſcitanti Rabbino lætanter reſpondit, ſe in prima apparitione mœſtum fuiſſe ex dilatione præſumpta aduentus Meſsiæ propter ſcelera populi; in hac autem ſe lætum eſſe de noua eiuſdem promiſsione. Dixit inſuper oblatũ a ſe ſacrificium fuiſſe panis & vini, in figuram eius quod Meſsias inſtitueret in lege gratiæ corporis & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini, declarans dignitatem, vtilitatem, & alias circunſtentias futuri illius ſacrificij.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Eccleſiæ, quæ ex vna parte Eliam Prophetam vocat Sãctum vtriuſque Teſtamenti, & vt talem populo fideli proponit, de quo nullus dubitat: Ex alia verò parte inſtituit feſtum ipſius, ipſi dedicauit Templa, & tandem miſſas ac officia diuina in eius honorem determinauit, vt articulo præcedenti dictum eſt: Sed hæc omnia indicant, aut ſuppõnunt Eliam Prophetam poſſe inuocari a fidelibus; nam ideò feſta Sanctorum celebramus, ad eorum Templa accedimus miſſas & officia decantamus vt eorum interceſsionem mereamur, & ipſis intercedentibus diuina beneficia impetremus, & non tantùm vt ipſos honoremus; hæc enim eſt intentio Eccleſiæ, & ſpes fidelium, vt docet S. Bernardus in quodam ſermone dicens, *Vt quorum delectamur præconijs, eorum ſubleuemur patrocinijs*; Et Rabanus etiam in quodam ſermone dicens, *Vt per temporalia feſta quę gerimus, eorum meritis interuenientibus ad æterna gaudia peruenire valeamus*; imo videtur omninò certum, nam in ipſis miſsis & officijs ſæpius inuocantur Sancti, ac fit ſpecialis mentio præſertim in oratione de eorum interceſsione, vt conſtat ex oratione officij Eliæ noſtri per Eccleſiam approbata, & articulo præcedenti adducta: Ergo Elias Propheta poteſt inuocari a fidelibus. Deinde nihil adducitur aut poteſt adduci ab aduerſarijs, quòd obſtet inuocationi S. Eliæ: nam ex vna parte eſt omninò certum in Sacra Scriptura, quòd Elias Propheta eſt Sanctus, quamuis enim nondum videat Deum, eſt tamen confirmatus in gratia, & maximus Dei amicus, & ſic eum Deus exaudit ſi intercedat pro aliquo: Ex alia verò parte Elias cognoſcit preces & inuocationes fidelium ad ſe directas, vt dicetur in ſolutione obiectionum quibus innituntur aduerſarij: Et conſtat; tum quia Elias ſcit ſtatum particularem eorum quę apud mortales geruntur, nam 2. Paralipomenon cap. 21. habetur quòd allatę ſunt Ioram Regi Iuda litteræ ab Elia propheta, quæ talem ſcientiam ſupponunt eſſe in Elia; quamuis autem Caietanus in illum locum aſſerat has litte-

Digitized by Google

ras eſſe alterius Eliæ & non noſtri ne, admittat ſtupendum hoc miraculum; communis tamen eſt aliorum expoſitorum ſententia, quòd tales litteræ ſunt noſtri Elię, & Ioſephus libro 9. Antiquitatum cap.2. affirmat ex traditione Iudæorum, Eliam Thesbitem noſtrum eſſe authorem harum litterarum, maximè quia in eis apparet feruentiſsimus eius zelus,& vſitatus eius loquendi modus; ſic autem habent multa continentes particularia; *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, quoniã non ambulaſti in vijs Ioſaphat Patris tui, & in vijs Aſa regis Iuda, ſed inceſsiſti per iter regũ Iſrael, & fornicari feciſti Iudam & habitatores Ieruſalem, imitatus fornicationem domus Achab, inſuper & fratres tuos domum patris tui meliores te occidiſti; Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs & vxoribus tuis, vniuerſaque ſubſtantia tua; Tu autem ægrotabis peſſimo langore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies:* Si autem Elias ſcit quæ non ita ad eum pertinent, multò magis ſcit preces & inuocationes ad eum directas, quę ad ipſum pertinent: Tum etiam conſtat, quia intentum Dei in conſeruando Elia cum Enoch per tot ſæcula, fuit vt videntes a ſuo tempore vſque in finem mundi quæ ſuccedunt in Eccleſia, tunc tanquam teſtes oculati traditiones Eccleſiæ in ſua puritate contra impios defenderent, vt refert Genebrardus libro 1. Chronologiæ in Ioſaphat; & propterea ex Rabinorum ſententia adducit ſeptem illos ſapientes Patriarchas & Prophetas, quorum poſteriores à prioribus dictas traditiones acceperunt, quorum vltimus Elias populo fideli eas proponet: Ergo Elias Propheta poteſt inuocari à fidelibus.

Probatur ſecunda pars concluſionis manifeſtè, Tum exemplo Carmelitarum omnium, qui continuò ſui Patriachæ & Prophetæ Eliæ fauorem & auxilium inuocant ex approbatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, maximè die vigeſima Iulij eius feſtiuitati dedicata, ei templa & altaria propterea dedicant, eius officium & miſſam ſolemnitèr celebrant: Tum etiam probatur exemplo omnium Orientalium, non ſolùm Chriſtianorum, ſed etiam Iudæorum, Mahometanorum & Gentilium, qui omnes paſsim Eliam inuocant, vt ipſemet per duodecim annos in Oriente cõmoratus audiui; imò plures ex illis deuotionis & voti cauſa accedunt ad montem Carmelum, vt eius cauernam in Templum dedicatam viſitent, de qua ſupra in deſcriptione montis Carmeli dictum eſt. Tum denique probatur exemplo S. Patricij Hiberniæ Apoſtoli, qui cum Sathanæ vexatione in membris torqueretur, vt habetur cap. 19. vitæ ipſius per Thomam Meringhamum collectæ, Eliam prophetam inuocans, ab ipſo ſuccurrente & adueniente liberatus fuit. Confirmatur ex facto Capuæ relato.

Probatur tertia pars cõcluſionis quantùm ad primum. Tum quia exemplo Carmelitarum antiquæ legis Carmelitæ Chriſtiani continua ſucceſſione Patriarcham ſuum Eliam inuocauerunt in Diuinis officijs, vt dicitur articulo præcecedenti. Tum quia feſtiuitates dedicatæ & homilię conſcriptę fuerunt de Sancto Elia, vt ibidem dicitur: conſtat autem, quòd hæc facta ſunt non ſolùm ad ipſius honorem, ſed etiam ad fidelium vtilitatem media ipſius inuocatione ac interceſſione. Probatur quantùm ad ſecundum authoritate Sacræ Scripturæ: nam ſtatim poſt raptum Eliæ, cum eius diſcipulus ac ſucceſſor Eliſæus accepto eiuſdem pallio rediret ad filios Prophetarum antiquos Carmelitas, & cum ad imitationem Eliæ eodem pallio Iordanem percuſſiſset videns quòd aquæ nõ eſſent diuiſæ, dixit; *Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc?* Vel iuxta ſeptuaginta; *Vbi eſt Deus & Elias?* Quibus verbis communitèr concedunt interpretes Eliſæum inuocaſse Eliam, ſiue merita ipſius ad obtinendam Iordanis diuiſionem ac liberum reditum; Ita docent ſupra iſtum locum Abulenſis q. 28. Caietanus, Carthuſianus & alij: nec defraudatus eſt

Digitized by Google

ſua ſpe, nam facta hac inuocatione iterum percuſsit aquas, & diuiſæ ſunt huc atque illuc, & tranſijt Eliſæus, vt refertur 4. Regum c. 2. Vnde fuit in antiqua lege communis ſententia, quòd S. Elias eſſet inuocandus in eo ſtatu in quo eſt: & propterea, vt habetur Matthæi 27. cum Iudæi aſsiſtẽtes Crucifixioni Chriſti ipſum dicentem audiſſent *Eli, Eli lammaſabactani*, dixerunt, *Eliam vocat iſte*; quia crediderunt ipſum inuocaſſe Eliam, & ita inuocatio *E*liæ eſt antiquiſſima in eccleſia, & ab eius raptu continuò perſeuerauit in Synagoga, ſolet autem inuocari ad obtinendam pluuiam tempore ſiccitatis.

AD primum ergo dicendum, quòd licèt *E*lias non fruatur, ſaltem continuò, viſione beatifica, habet tamen frequentiſsimas Dei & Angelorum reuelationes; illuſtrationes & colloquia de ſtatu Eccleſiæ, maximè de his quæ ſpecialitèr ad ipſum pertinent, quales ſunt preces & inuocationes ad eum directæ, quod videtur requiri ad feliciſsimum eius ſtatum, vt communitèr concedunt authores, vt Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 55. ſectione 1. Sanchez in 4. Reg. 2. Thomas Maluenda de Antichriſto cap. 14. Alij, vt Leonardus Marius in Geneſim cap. 5. aſſerunt Eliam ſpeciali priuilegio cognoſcere ad inſtar Angelorum omnia quæ ad ipſum diriguntur cognoſcenda: Vnde licet ob alias rationes prædictę reuelationes extraordinariæ ſint conuenientes & neceſsarię; non tamen ſunt omninò requiſitæ in ordine ad hunc effectum. Hoc autem poteſt fieri, vel per hoc quod Elias tempore raptus habuerit infuſas ſpecies aliquas intelligibiles magis vniuerſales, ſicut illas habent animę ſeparatę; vel ſpeciali concurſu Dei cum pręhabitis ſpeciebus.

AD ſecundùm dicendum, quòd quia Elias Propheta eſt nunc in gratia, ac ſpeciali modo prę alijs mortalibus eſt amicus Dei. Et aliunde certum ſit ex Sacra Scriptura ipſum moriturum martyrem, & conſequentèr perſeueraturum in gratia, & ſanctitate (quamuis in ſenſu diuiſo poſsit non perſeuerare, & auerti à Deo, ac damnari;) Inde eſt quòd vere poteſt inuocari vt Sanctus, nec ad hoc requiritur quòd ſit perfectè beatus, viſione ſcilicet beatifica.

AD Tertium dicendum; quòd licet animę Purgatorij & alię ſeparatę ſecundùm naturalem cognitionem non ſciant quę hic aguntur, tamen ſupernaturali ſiue pręter naturali cognitione poſſunt ea ſcire: Totum hoc docet D. Thomas 1. p. q. 89. art. 8. & ibidem in reſponſione ad 1. plura proponit media talis cognitionis: Vnde ait quòd animę mortuorum poſſunt habere curam de rebus viuentium, etiamſi ignorent eorum ſtatum; ſicut nos habemus de mortuis, eis ſuffragia impendendo, quamuis eorum ſtatum ignoremus. Poſſunt etiam facta viuentium non per ſeipſos cognoſcere, ſed per animas eorum qui hinc ad eos accedunt, vel per Angelos ſiue Dæmones, vel etiam ſpiritu *D*ei reuelante &c. Quod autem animę defunctorum aliquo ex his medijs ſciant quę hic aguntur non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari, habetur expreſſum tum in Sacra Scriptura, tum in pijs Sanctorum hiſtorijs: In Sacra quidem Scriptura habetur 2. Machab. vltimo, quomodo Onias Sacerdos & Ieremias propheta poſt mortem apparuerunt Iudę Machabęo, & ſubditur Ieremiam extendiſſe dexteram, & dediſſe Iudę gladium aureum dicendo; *Accipe ſanctum gladium munus a Deo, in quo deijcies aduerſarios populi mei Iſrael*: quę manifeſtè indicant Ieremiam ſciuiſſe particulares Synagogę neceſsitates ex bello Antiochi; In hiſtorijs verò *S*anctorum ſępè habetur, quòd animę defunctorum ab illis inuocatę apparuerunt; & eis auxiliatę ſunt. Vnde concludendum eſt, quòd animæ Purgatorij meritò in multis poſſunt inuocari a fidelibus; imò eſt communis vſus eas inuocandi ab Eccleſia permiſſus, & a multis *D*octoribus ac Prælatis perſuaſus. Et conſequenter etiam eſt inuocandus S. Elias propheta, licet nondum ſit in termino; nec deerit inuocantibus

tibus

Digitized by Google

tibus, imò ſi opus ſit, præſentia aderit quàm citiſſimè ob aliquam participationem agilitatis & aliarum dotum corporis glorioſi quam habet.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Sanctus Elias Propheta nunc mereatur.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd S. Elias Propheta nunc non mereatur. Ita tenet Vaſquez, & vt probabile docet Suarez. Probatur: Ad meritum multùm conferunt paſſiones & incommoditates vitæ, tentationes ac ſimilia, vt communiter conceditur: Sed Sanctus Elias Propheta nunc caret huiuſmodi cauſis meriti, ducit enim vitam fœlicem ab his miſerijs liberam in Paradiſo Terreſtri, vt etiam communiter conceditur: Ergo S. Elias Propheta nunc non meretur.

¶ 2. Præterea: S. Elias Propheta nunc non eſt purus viator; at videt Deum, aut continuè ſecundùm aliquos, aut ſaltem aliquando ſecundùm alios, Si enim S. Auguſtinus & D. Thomas hanc viſionem Dei tranſeuntem concedunt Moyſi & S. Paulo adhuc viatoribus, quia ille conſtitutus erat Doctor Iudæorum, iſte verò Doctor Gentium, & conueniens eſt quòd Doctor clariùs ſciat quæ docet, quàm diſcipuli quos docet; multò magis & frequentiùs hæc viſio concedenda eſt S. Eliȩ Prophetæ, qui conſtitutus eſt Doctor tam Iudæorũ quàm Gentium in fine mundi: Sed cũ clara Dei viſione non poteſt ſtare meritum, vt communiter docent authores: Ergo S. Elias Propheta nunc non meretur. Maximè quia eſt extra communem modum vitæ humanæ.

¶ 3. Præterea: Si S. Elias Propheta nunc mereretur ſequeretur quòd eſſet futurus Sanctiſſimus, ac maior in ſanctitate quàm S. Ioannes Baptiſta & Apoſtoli, imò quàm Beatiſſima Virgo Maria; Videtur enim impoſſibile, quòd meritum duobus mille quingentis annis continuatum, quale foret in hoc caſu meritum Eliæ non excederet meritum vitȩ ſatis limitatæ; Sed conſtat ex communi conſenſu Scholaſticorum, imò & ſenſu Eccleſiæ, quòd inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta; Et quod Apoſtoli, ſicut priùs, ita & abundantiùs receperunt gratiam Spiritus Sancti; Et quòd Beatiſſima Virgo Maria longiùs excedat omnes Sanctos in meritis & in gloria: Ergo S. Elias Propheta nunc non meretur.

SED CONTRA eſt communis ſententia Doctorum noſtrȩ Religionis Carmelitanæ, præſertim noſtri Franciſci a S. Maria tomo 1. Hiſtoriæ propheticæ: quam plures externi ſequuntur, vt Viegas ad cap. 11. Apocal. ſect. 4. num. 4. grauiter arguens contrarium dicentes; in hac etiam inclinat Monteſinus 1. 2. q. 114. diſp. 351.

CONCLVSIO.

Cum in Sancto Elia Propheta nunc concurrant omnes conditiones requiſitæ ad merendum nunc meretur.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Elias Propheta non ſolùm meruit dum vitam communem cum alijs duxit; Et merebitur in fine mundi, dum ad vitam communem redibit. 2. Sed etiam nunc de facto meretur. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hæc difficultas ȩquè procedit de S. Enoch propheta, vt ex ſe patet; Vnde de ipſo debet concludi, quòd aſſeritur de S. Elia: Hi Sancti prophetæ, iuxta communem Scholaſticorũ ac expoſitorum ſententiam, ſunt in Paradiſo Terreſtri, vel alio ſecretiori loco, ibique reſeruantur vſque ad tempus Antichriſti; tunc enim venient, ſe illi opponent regnum illius percutient plaga magna, & tandem ab illo occidentur, tertia die reſurgent, & cunctis videntibus in cœlum aſcendent: Interim viuũt vita fœlici abſque vlla moleſtia; non tamen

men fruuntur diuina viſione, niſi fortè raptim aliquando, eo modo quo Moyſi Propheta & S. Paulo Apoſtolo aliàs cõceſſa fuit, iuxta probabiliorem ſententiam; ſæpe tamen Angelorum & Sanctorum conſortio gaudent: Pertinent autem ad Eccleſiam ſiue ad legem gratiæ, & non tantùm ad Synagogam aut legẽ naturæ, qui credunt in Chriſtum iam natum, & pro Eccleſia ac fide eius morientur: Conſtat autem, omnia a Deo ipſis benignè conceſſa, eſſe effectus meritorum Chriſti, ſicut communiter concedunt Theologi de alijs Sanctis: Vtrum autem gratia habitualis, vt data propter Chriſtum, aliquid peculiare habeat, quod non haberet ſi daretur non intuitu meritorum Chriſti, in ordine ad meritum; quidam negant, alij & melius affirmant, vt Caietanus 3. p. q. 1. ar. 2. dicunt enim quòd meritum & ſatisfactio noſtra, fundata in meritis Chriſti, quia procedunt a gratia conceſſa intuitu meritorum ipſius, ſunt maioris valoris; Videtur enim conueniens, quòd Deus plus æſtimet, maiori complacentia acceptet, magiſque præmiet opera Fideliũ coniuncta operibus Chriſti, tanquam membrorum cum capite, intuitu eiuſdẽ capitis, quod infinitè amat; Vnde licet ſit eadem gratia in eſſe phyſico, ſiue detur ex meritis Chriſti, ſiue non; non tamen eſt eadem in eſſe morali, aliquid enim dignitatis accreſcit ei, ex eo quod detur ex meritis Chriſti: Vnde debet concedi, quòd nos vere mereamur per propria opera elicita ex gratia Chriſti, & quod Chriſtus in nobis merentibus nobis meretur ob dictam rationem.

Probatur concluſio quantùm ad ſecundam partem (prima enim eſt communis inter omnes Theologos, nullo excepto, nec vllam habet difficultatem, & demonſtratur ex dicendis in hac ſecunda.) Conditiones requiſitæ ad merendum, ſunt ſequentes; ſcilicet ex parte perſonæ merentis, quod ſit in gratia, & quòd ſit in via; ex parte actus meritorij, quòd ſit verus actus liber, & quòd ſit directus ad Deum finem ſupernaturalem directione actuali aut ſaltem virtuali; Et ex parte perſonę apud quam meretur, quòd ſit pactum aut promiſſio; nec aliæ aſſignantur, vt habetur ex communi ſẽtentia Theologorum, & docuimus in materia de merito tomo 2. diſp. 7. dub. 4. vbi neceſſitatem & ſufficientiam harum conditionum oſtendimus: Sed omnes iſtæ conditiones concurrunt in S. Elia Propheta; nam certum eſt, quòd ſit in gratia, cum ſit ſanctus & vt talis ab Eccleſia cultus; Eſt in via, pertinet enim ad Eccleſiam militantem, non verò ad triumphantem, nec vlla huc vſque eſt aſſignata media Eccleſia; Inſuper actus ipſius ſunt liberi, & in Deum finem ſupernaturalem directi, de quo nullus dubitat; Ac tandem reſpectu eius currit pactum & promiſſio Dei, eo modo quo reſpectu aliorum viatorum in ordine ad meritum, non enim apparet vlla ratio, cur Deus illud ſuſpenderit, imò apparet ratio quod non ſuſpenderit, vt ſtatim expendetur Ergo Sanctus Elias propheta nunc meretur.

Secundò: non videtur credibile, quòd Deus S. Eliam prophetam tam longo tẽpore priuauerit viſione ſui beatifica, ſine aliquo fructu & vtilitate ipſius; cum Deus è contra ſit in benefaciendo magnificus: Sed nullus eſſet fructus, nullaque vtilitas, ſi toto illo tempore nõ mereretur augumentum gratiæ & gloriæ, vt conſideranti patet: Ergo S. Elias propheta nunc meretur.

Tertio: nullum affertur fũdamentum deſumptum ex ſacra ſcriptura, aut ex Sanctis Patribus ab aduerſarijs; rationes autem ab ipſis adductæ, ad ſuſpendendũ meritum S. Eliæ prophetæ de præſenti, leues ſunt, vt patebit ex earum ſolutione: Ergo Sanctus Elias propheta nunc meretur.

AD primum ergo dicendum, quòd licet multum conferant ad meritum paſſiones & incommoditates vitæ, tentationes ac ſimilia; ſine illis tamen poteſt eſſe meritum: Certum eſt enim, quòd abſque huiuſmodi meruerunt Angeli viatores, Et quòd Adam & alij meruiſſent

in

Digitized by Google

in ſtatu innocentiæ, in quo nullæ futuræ erant paſſiones; Vnde D. Thomas in 2. d.29. q.1. ar.4. ad 2. docet non requiri certamen pugnæ ad meritum, ſed certamen quo aliquis eleuetur ſupra ſe: Quod idem eſt ac dicere, quòd ad meritum requiritur difficultas ex parte obiecti, non ex parte ſubiecti.

AD ſecundum dicendum, quòd ille qui continuè Deum non videt, & eſt in carne mortali, eſt purus viator; talis autē eſt Elias, vt docet S. Aug. libro 9. de Gen. ad litt. cap. 6. dicens de eo; *Iam itaque melius habet, quàm in hac vita poſſet, quāuis nondum habeat quod ex hac vita rectè geſta in fine habiturus eſt.* Deinde non requiritur, quòd aliquis ſit purus viator ad merendum; ſed ſufficit quòd ſit viator, vt patet in Chriſto Domino qui meruit, & tamen ſimul & continuè erat cōprehenſor; Vnde multò magis ex hac parte meretur S. Elias propheta, qui raró Deum videt.

AD Tertium dicendum, quòd Sanctus Elias propheta eſt futurus maximus Sanctus, & nulli inferior excepta Beatiſſima Virgine Maria, vt ſuo loco probatum eſt: Vnde ęquiparatur S. Ioanni Baptiſtæ & Apoſtolis, poſtponitur tamen infinito penè ſpatio Beatiſſimæ Virginij Deiparæ; Et ad rationem in contrarium adductam, dicendum poſſe fieri quod aliquis vnico actu valde intenſo plus mereatur quàm alius per multa ſæcula minùs intenſis actibus; Vnde communiter conceditur, quod Beatiſſima Virgo Maria plus meruit ſola, quàm omnes Sancti ſimul & collectiuè qui fuerunt & erunt; Et ipſa ſola plus gloriæ habeat, quàm omnes ſimul: Apoſtoli dicuntur accepiſſe ſpiritum abundantiùs alijs, vel quia breui tēpore plenitudinem eius habuerunt, quā Elias paulatim accipit, vel in ordine ad ſucceſſores ipſorum, inter quos non eſt S. Elias, nec S. Ioannes Baptiſta.

ARTICVLVS V.

Vtrum Sanctus Elias Propheta ſit habiturus in fine mundi ſpiritualem aliquam authoritatem extraordinariam.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Elias Propheta non ſit habiturus in fine mundi ſpiritualem aliquam authoritatem extraordinariam. Probatur: Nulla ſit mentiò in ſacra ſcriptura talis authoritatis S. Eliæ concedendæ, vt intuenti patet: Ergo ſine fundamento ei conceditur; maximè quia tunc erit Summus Pontifex, qui per ſe & per ſuos miniſtros in extraordinarijs poterit ſuccurrere.

¶ 2. Præterea: Authoritas ſpiritualis extraordinaria, quæ in fine mundi poteſt intelligi concedenda S. Eliæ prophetę, eſt authoritas conceſſa olim Apoſtolis, quæ in his conſiſtit, quòd ſcilicet ſit vniuerſalis ſupra totum orbem, quòd poſſit definire res fidei, & quòd poſſit edere ſcripturas canonicas: Sed talis authoritas non eſt concedenda S. Eliæ prophetæ, nam tunc ſolus Summus Pontifex habebit authoritatem vniuerſalem, ſolus ipſe poterit definire res fidei, nec ſcriptura ſacra augebitur; maximè cum nec Sum. Pontifex poſſit addere aliquid ſacrę ſcripturæ: Ergo S. Elias propheta non eſt habiturus aliquam authoritatem ſpiritualem extraordinariam.

¶ 3. Præterea: In fine mundi, quando apparebit S. Elias propheta, erit Summus Pontifex Romanæ Eccleſię Vicarius Chriſti & Petri ſucceſſor, diſtinctus ab Elia, vt communiter docet Authores, & teſtatur ex diuina reuelatione S. Malachias Archiepiſcopus Armacanus, poſtquam enim ſub verbis figuratis Romanos Pontifices a ſuo tempore futuros prędixiſſet, ſic concludit: *In perſecutione extrema Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſedebit Petrus Romanus, qui paſcet oues in multis*

Digitized by Google

multis tribulationibus, quibus trãſactis ciuitas ſepticollis diruetur, & iudex tremendus iudicabit populum ſuum: Ergo cum omnis fidelis, quicumque ille ſit, debeat eſſe ſubditus Summo Pontifici, Sanctus Elias propheta habebit dependenter ab illo Summo Pontifice omnem ſuam authoritatem ſpiritualem, & conſequenter non habebit authoritatem extraordinariam.

SED CONTRA eſt communis auctorum ſententia cum fundamento ſacrę ſcripturæ.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Elias ſit futurus in fine mundi verus Chriſti Apoſtolus, & dux populi fidelis contra Antichriſtum; tunc eſt habiturus ſpiritualem aliquam authoritatem extraordinariã.

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut habuit Sanctus Elias Propheta tẽpore Synagogæ authoritatem ſiue poteſtatem ſpiritualem extraordinariam. 2. ſic illam habiturus eſt in vltimis Eccleſię temporibus. Ad cuius euidentiam ſciẽdum eſt, quod Elias & Enoch magnam ſunt habituri poteſtatem in patrãdis miraculis; Vnde ad libitum illa patrabunt, cum ea neceſſaria crediderint eſſe ad cõfirmandos fideles, & ad terrendos Antichriſti miniſtros; cum enim ipſe Antichriſtus ac miniſtri eius arte Dæmonum multa mira patrabunt, quæ ab eius ſequacibus miracula dicentur; conueniens eſt, vt hi duo præcipui Chriſti miniſtri patratis a ſe veris miraculis, alia falſa & tantùm apparentia confundant, ac ſic fidelium mentes a lapſu erroris præſeruent, & diuina virtute repleant. Hæc certa ſunt ex Sacra Scriptura, & maximè Apocal. 11. Quærimus in præſenti, vtrũ Elias propheta (& idem proportione ſeruata dicendum de Enoch) ſit habiturus aliquam authoritatem ſpiritualem extraordinariam in ordine ad inſtructionem, & ſalutem Fidelium. Inquirimus de authoritate ſpirituali: nam certum eſt quod ex communi fidelium conſenſu & applauſu magnam habebunt authoritatem temporalem; viſis enim eorum prodigijs, & amore ducti, & formidine pœnæ cuncti imperio ipſorum obediẽt: Inquirimus etiã de authoritate extraordinaria, cum enim ſint Miſſionarij ita inclyti a Deo immediatè miſſi, ac tanto tempore præparati, debent habere ſaltem ordinariam authoritatem Miſſionarijs conuenientem: & ita dubium procedit de authoritate extraordinaria, quam concedunt communiter authores fuiſſe communicatam a Chriſto Domino primitiuis ſuis Apoſtolis.

Probatur 1. pars cõcluſionis authoritate Sacrę Scripturę ex qua expreſsè habetur, quã magna, & multiplex fuerit Eliæ ſpiritualis authoritas tẽpore Synagogę penitus extraordinaria, & tũc nulli alteri cõceſſa ſaltẽ adæquatè, & quoad omnia eius munia. Primò habuit immediatè a Deo authoritatem fundandi Carmelitanam Religionem, imò habuit de hoc expreſſum mandatum vt dicitur 3. Regum 19. *Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges prophetam pro te.* Per Prophetam intelligunt religioſum communiter expoſitores, quia ex vi illius vnctionis Eliſæus factus eſt diſcipulus Eliæ, & reliquit omnia cum ſæculo, & fuit indutus habitu ſiue pallio, & melote Eliæ, quæ omnia ſunt ſigna manifeſta religionis. Secundo habuit authoritatem congregandi Concilia ad determinandas res fidei, & ad hæreticos ac oppugnatores fidei caſtigandos, vt conſtat ex illo celeberrimo, quod congregauit coram Achab in Carmelo, vbi facto inſigni miraculo determinauit Deũ Iſrael eſſe ſolum verum Deum, & omnes prophetas Baal occidit, vt refertur 3. Regũ cap. 18. Hæc autem authoritas eſt maxima, quæ Summo Pontifici competit, quã aliqui negant habuiſſe Summum Pontificem Synagogæ. Tertio habuit authoritatem erigendi altare, & ſacrificandi extra Hieruſalem poſt templi erectionem, vt habetur eodem loco, quã authoritatẽ non habuit Sũmus Pontifex Synagogæ.

Quar-

Digitized by Google

Quarto habuit authoritatem eligendi Reges, & relinquendi Prophetas ſucceſſores poſt ſe, vt habetur 3. Regum 19. ſic enim Deus hanc maximam iuriſdictionem ei communicando ait; *Vade, & reuertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum, cumque perueneris illuc, unges Hazael Regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi unges Regem ſuper Iſrael: Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, unges prophetam pro te*; cui communicaturus erat Elias duplicem ſpiritum ſuum, videlicet prophetiæ, & miraculorum: quæ authoritas vngendi prophetas nulli alteri legitur communicata. Quintò habuit authoritatem edendi Scripturas Canonicas, ſicut & alij Prophetæ, Origenes tract. 35. in Matthæum dicit quòd verba citata a S. Paulo 2. Cor 2 *Sicut ſcriptum eſt, quòd oculus non vidit &c.* fuerunt deſumpta ex libro compoſito à S. Elia, qui extabat eius tempore; perijt autem, ſicut & liber Enoch prophetę citatus in epiſtola S. Iudę: imò ſecundum probabilem valdè ſententiam conſcripſit ſuas res geſtas, ſicut alij Prophetę ſcripſerunt: quamuis enim diuiſi ſint authores in aſsignando Scriptore ſacro librorum Regum, & Paralipomenon, aliqui enim aſsignant ſolum Ieremiam prophetam, alij Eſdram, alij verò aſsignant plures particulares, ex quorum ſcriptis Concilium Sanhedrim prædictos libros compoſuit: tamen valde probabilis eſt ſententia, quòd Elias ſuas res geſtas ſcripſit: hanc inter alios ſequitur Aegidius Camartus Minimus de rebus geſtis Eliæ Prophetæ cap. 10. ſectione 1. vbi poſt relatas prædictas opiniones ſic concludit: *Si meum tamen ſenſum inquiſieris, huic poſtremæ propiùs accedo, atque exiſtimo Prophetam noſtrum* (*ſcilicet Eliam de quo agit*) *ad ſuccedentium ſibi fidelium eruditionem, res ſuas veriſsimo ſtilo eſſe proſequutum: illius verò ſcriptura deinceps ab aliquo Propheta, vt puta Eſdra, vel Ieremia, vnà cum reliquis aliorum opuſculis in libros Regum digeſta; ſicut eius iam in paradiſum tranſlati epiſtola ad Ioram miſſa fuit inſerta capiti vigeſimo primo libri ſecundi Paralipomenon.*

Probatur. & explicatur ſecunda pars concluſionis. Dicimus igitur, quòd in vltimis Eccleſiæ temporibus Elias Propheta habebit omnem authoritatem ſpiritualem extraordinariam, quam habuerunt alij a Petro iam electo ſummo Pontifice Apoſtoli Chriſti: quę authoritas dicenda eſt in vtriſque extraordinaria, tum quia maxima, tum quia quaſi delegata (ordinaria quippe reſidet penes ſummum Pontificem:) hæc autem delegatio non erit ex commiſsione humana, ſed expreſſo Dei mandato, vt dicit Sanctus Paulus de ſua. Vnde Elias ex Diuina determinatione tunc erit ſubſtitutus aut Vicarius ſummi Pontificis Romæ commorantis, de quo nulla nec in Sacra Scriptura, nec in Sanctis Patribus habetur mentio quid tunc ſit facturus: Et ſic Elias erit legitimus Sacræ Scripturæ interpres, cuius veritatem proponet; fortè aliquid canonicum ſcribet, aut credendum proponet, quia vt refert Genebrardus in Chronologia anno 3272. Hebræi aſſerunt Eliam poſt raptum ſcribere geſta omnium ætatum & temporum, cui Deus reuelat omnia bona opera quæ fiunt: & affirmant ſeptem fuiſſe annoſiſsimos homines prophetiæ ſpiritu claros, qui vniuerſa mundi ſæcula quæ præceſſerunt, & quæ ſequentur vſque in finem mundi permetiuntur: ex his priores, quæ viderunt, poſterioribus tradiderunt adiunctis ijs, quæ ab alijs acceperunt. Primus fuit Adam omnium mortalium parens, qui immediatè a Deo traditam habuit omnium rerum intelligentiam & futurorũ euentuum plurimorum reuelationem vt dicitur Eccleſiaſtici 1. Secũdus fuit Mathuſale, qui per ducentos quadraginta quatuor annos conuerſatus eſt cũ Adam a quo rerum traditionem accepit. Tertius fuit Sem filius Noe, cui Mathuſale per centum ferè annos tradidit rerum notitiam, quam ab Adam acceperat, & quæ vſu didicerat. Quartus fuit Iacob filius Iſaac, & nepos Abrahæ, qui docti-

Digitized by Google

ctrinam Sem Patriarchæ per annos circitèr quinquaginta didicit: de Sem enim traditur referēte Genebrardo quod poſt diluuium inſtituit academiam, in qua de Deo eiuſque vero cultu, ac reliquis diſciplinis homines inſtruebat. Quintus fuit Amram filius Caath, & pater Aaron ac Moyſis, qui iuuenis ſeptemdecim annorum extrema Iacob tempora vidit. Sextus fuit Ahias Silonites, qui Amram audiuit,& per ſex ſæcula vitam producens ad Eliæ tempora peruenit, cui omnium pręcedentium temporum notitiam communicauit. Septimus tandem eſt noſter Elias, qui acceptam pręcedentium ſæculorum cognitionem ijs quæ ipſe vidit, & per tot annorum ſeries expertus eſt, cumulauit: has igitur traditiones ac rerum veritates Elias in fine mundi populo fideli proponet. Concilia vniuerſalia contra Antichriſtum peſsimum, & impijſsimum omnium Hæreſiarcham, eiuſque ſectatores congregabit, & etiam in ordine ad conuerſionem Iudæorum, & ad decidendas fidei controuerſias, quæ tunc occurrerint. In his igitur conſtituimus illam authoritatem ſpiritualem extraordinariam, quam habiturum eſſe Eliam in fine mundi dicimus: & probatur ex Sacra Scriptura, ex qua vel expreſsè habetur, vel manifeſtè colligitur Eliam exerciturum tunc temporis hanc poteſtatē: & iuxtà hoc exponitur iſtud Eccleſiatici 48. *Qui ſcriptus eſt in iudicijs temporum lenire iracundiā* Domini,*conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* quòd ſcilicet Elias tunc erit iudex temporum,& vniuerſalis aduocatus fideliū, ſicut fuit tempore Synagogæ. Quod ſic confirmatur: Elias tempore Synagogæ habuit ſupra decem tribus Iſrael poteſtatem & authoritatem ſpiritualem extraordinariam ſupra deſcriptam, vbi non videbatur tanta neceſſitas: Ergo illam eſt habiturus in fine mundi, quando erit maior Eccleſię neceſſitas in turbulentis illis temporibus, ſęuiente crudeliſſima Antichriſti perſecutione, ad quorum remedium reſeruatus eſt Elias tanquam miles Chriſti inuictus, & dux fideliūm. Quædam adiungo ex Abbate Ioachim in commendationem noſtri ordinis Carmelitani, quæ in hac crudeliſſima Antichriſti perſecutione ſuccedent: pro quo notandum,quod hic V. Abbas noſtram religionem vocat nouam ſimul & antiquam, nouam quidem in occiduis Europæ partibus, cum eius tempore vix Carmelitę hic comparuiſſent, rara namque erant ordinis monaſteria, & religioſi receſſum obſeruabant quam maximū; Antiquam autem in oriente, vt pote deriuatam ab Elia propheta. Dicit igitur libro 5.concordantiæ noui & veteris Teſtamenti cap. 65. *Noua religio erit, quæ omninò erit libera ſeu ſpiritualis, quia verò in ſeruando ordine ſuo antiquo incipiet frigeſcere præ ſenectute, extollentur adhuc aliqui ex eis, qui videbuntur eſſe ſtrenui ad certamen, vt ſtent in regno Eccleſiæ pro patre ſuo*. In libro autem de magnis tribulationibus Eccleſiæ ait: *Sic igitur tempore illo, quo venturi ſunt, ſicut tenet Eccleſia, Enoch & Elias, eligendi ſunt duodecim viri de ipſa Religione ad inſtar duodecim Apoſtolorum, qui prædicabunt iterū Euangelium in omnem terram; & propterea conuertentur omnes gentes*. Et in Apocalypſis cap. 14. ait: *Surget ordo, qui videtur nòuus, & non eſt; Hic defendet fidem vſque ad mundi finem in ſpiritu & virtute Eliæ, hic erit ordo Eremitarum imitantium vitam Angelicam:* Conſtat autem, quod ſoli Carmelitæ ſunt Eremitæ in ſpiritu & virtute Elię, vt patet ex principio regulæ Carmelitanæ. Vnde meritò Onuphrius Mareſcal agens de Beata Maria de monte Carmelo ſic ait: *Omnium ordinum religioſi pro Chriſto pugnabunt tempore Antichriſti, ſed potiores Carmelitę filij Eliæ*.

AD primum ergo dicendum, quod in ſacra ſcriptura ſit mentio talis authoritatis Eliæ concedendæ, vt oſtenſum eſt, & ex multis manifeſtè colligitur. Nec tunc Summus Pontifex poterit per ſe, vel per alios ſuos miniſtros in extraordinarijs debitè ſuccurrere, cum ipſe Pōtifex exiſtet Romæ,& maior Eccleſiæ neceſ-

Digitized by Google

neceſſitas erit Hieroſolymis, vbi erit curia Antichriſti, & maior perſecutio: Vnde maximè approbabit quicquid fiet per Eliam, quem ſciet a Deo ſibi ſubſtitutum eſſe.

Ad ſecundum dicendum, quòd tunc Elias habebit authoritatem ſpiritualem in dictis tribus conſtitutam; Vnde erit vniuerſalis ſed delegata, cùm tamen in Summo Pontifice ſit ordinaria: Poterit, ſicut & Summus Pontifex declarare res fidei: poterit ſpeciali priuilegio Dei edere Scripturam canonicam, (quod tamen non poterit Summus Pontifex; nec hoc mirum videri debet, quia S. Ioannes Euangeliſta poſt mortem S. Petri tempore Summorum Pontificum ſucceſſorum, edidit tanquam Apoſtolus Epiſtolas canonicas & Apocalypſim, cum tamen ipſi Summi Pontifices ſucceſſores S. Petri non potuerint edere ſcripturam canonicam: Similiter igitur Sãctus Elias electus a Deo Apoſtolus illorum temrum, & ſubiectus Summò Pontifici tunc exiſtenti, eo modo quo S. Ioannes erat ſubditus Summis Pontificibus ſui temporis, poterit edere canonicas ſcripturas, quas non poterit edere Summus Pontifex. Vtrum de facto Sanctus Elias edet aliquid: Dicitur in Menologio ordinis Ciſtercienſis 4. Iulij pagina 215. in vita B. Bertrandi, quòd hic fuerit raptus ad Paradiſum Terreſtrem, vbi vidit Sanctum Eliam cum libro magno, in quo erant omnia nomina prædeſtinatorum, ſuumque ibi legit.

AD Tertium dicendum, quòd conceſſo futurum eſſe tunc Summum Pontificem diſtinctum ab Elia, cum aliqua ipſius Eliæ ab eo dependentia: Elias tamen habebit immediatè a Deo prædictam authoritatem extraordinariam, ſed quaſi delegatam, vt dictum eſt.

QVAESTIO VI.

De primis S. Eliæ Diſcipulis in Religione Carmelitana.

POST conſiderationem Patriarchæ Religionis Carmelitanæ, conſiderandum occurrit de primis eius diſcipulis, qui ad huiuſmodi religionis inſtitutionem concurrerunt: circa quod quęruntur quatuor.

¶ Primo, Vtrum Ionas Propheta Niniue Apoſtolus fuerit primus diſcipulorum S. Elię.

¶ Secundo, Vtrum Sanctus Eliſæus fuerit præcipuus diſcipulorum S. Eliæ.

¶ Tertio, Vtrum Michæas Propheta filius Iemla inter Eliæ diſcipulos fuerit Protomartyr.

¶ Quarto, Vtrum Abdias Propheta fuerit religioſus Sancti Eliæ diſcipulus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Ionas Propheta Niniue Apoſtolus fuerit primus Diſcipulorum S. Eliæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quod Ionas Propheta Niniuitarũ Apoſtolus non fuerit primus Diſcipulorum S. Eliæ: Probatur: Ex vna parte nullum eſt in Sacra Scriptura fundamentum hoc aſſerendi: Ex alia verò parte, ſi hoc eſſet Ionas exceſſiſſet centeſimum vitæ annum, vt colligitur a tempore Eliæ vſque ad mortẽ ipſius Ionę; Et tamẽ tam diuturna vita non conceditur mortalibus, qui iuxta pſalmiſtam ſeptuaginta tantùm, vel ad ſummum octoginta annis viuunt: Ergo Ionas Propheta

Niniuitarum Apoſtolus, non fuit primus Diſcipulorum S. Eliæ.

¶ 2. Præterea: Authores qui dicunt Ionam Prophetam Niniuitarum Apoſtolum, fuiſſe primum diſcipulorũ Sancti Eliæ, hoc ſolo nituntur fundamẽto, quod aſſerunt ipſum fuiſſe paruulum illum viduæ Sarephtanæ, quem Elias ſuſcitauit a mortuis: Sed hoc dici non poteſt, quia Ionas Propheta fuit Hebræus, natus in Geth quæ eſt in Offir, & tamen ille paruulus natus fuerat in Sarephta Sidoniorum, a Paleſtina multum diſſita: Ergo Ionas Propheta Niniuitarum Apoſtolus, non fuit primus Diſcipulorum S. Eliæ.

¶ 3. Præterea: Si Ionas Propheta Niniuitarum Apoſtolus, fuiſſet primus Diſcipulorum S. Eliæ, fuiſſet quoque præcipuus inter illos, magis ab Elia dilectus, comes electus peregrinationum ipſius, & tandem ob antiquitatem ſucceſſor eius in officio Generalis: Sed nullum ex his priuilegijs conceditur Ionæ Prophetæ, at omnia conceduntur Sancto Eliſæo: Ergo Ionas propheta Niniuitarum Apoſtolus, non fuit primus Diſcipulorum S. Eliæ.

SED Contra eſt vniuerſalis & antiquiſſima traditio religionis Carmelitanæ, & communis authoritas Doctorum ipſius.

CONCLVSIO.

Ionas Propheta Niniuitarum Apoſtolus, fuit primus Diſcipulorum Sancti Eliæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Ionas Propheta Niniuitarum Apoſtolus, fuit primus diſcipulorum S. Eliæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Sanctus Ionas Propheta Niniuitarum Apoſtolus, fuit de regione Geth, quæ eſt in Offir, vt aſſerit noſter Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus libro de Inſtitutione monachorũ cap. 12. quæ eſt Ciuitas Regni Iſrael, diſtincta ab alia Geth Philiſtinorum: Pater eius vocabatur Amathi, vt habetur capite 1. Prophetiæ ipſius: Mater autem fuit Sancta mulier illa Sarephtana, apud quam tempore famis, expreſſo Dei mandato, diuerſatus miraculosè vixit Elias, vt cum antiquiſſima Iudæorum traditione tenent, citatus noſter Ieroſolymitanus, Hieronymus, Epiphanius, Theodoretus, Iſidorus Hiſpalenſis, & alij plures: Dicit enim Hieronymus in Ionam; *Tradunt Hebræi hunc eſſe filium viduæ Sarephtanæ, quem Elias Propheta mortuum ſuſcitauit*: Et Lyranus ibidem ait; *Secundum omnes Doctores Hebraicos & Latinos iſte Ionas fuit filius mulieris viduæ, quem ſuſcitauit Elias*. Miſſus fuit Ionas Propheta a Deo in Niniuen Ciuitatem magnam triũ dierum itineris, vt annuntiaret ipſam poſt quadraginta dies euertendam eſſe propter peccata ſuorum ciuium: Tale Domini præceptum fuiſſe, refertur capite 1, prophetiæ ipſius; *Et factum eſt verbum Domini ad Ionam filium Amathi dicens, Surge & vade in Niniuen Ciuitatẽ grandem, & prædica in ea, quia aſcendit malitia eius coram me*: Cum Sanctus Propheta huic miſſioni reſiſtens fugeret in mare a facie Domini, fortè quia timebat, vel malè tractari ab Infidelibus, vel irrideri vt fatuus, occaſione eius orta tempeſtate deijcitur in mare proprio cõſilio & ſpontè, vt ſic aliorum ſaluti conſuleret, quos ſui cauſa periclitari videbat: abſorbetur a cete, in cuius ventre manſit tribus diebus & noctibus, factus figura reſurrectionis Chriſti Domini: Poſtea vomitus in terram ab illo piſce, miſſionem iniunctam proſequitur, in Niniuen pergit, Niniuitas ad ſolemnem & vniuerſalem pœnitentiam inducit ſua prædicatione conuerſos, vnde illi miſericordiam obtinuerunt, ipſe verò factus eſt Niniuitarum Apoſtolus, primus ad Gentiles miſſus: Ad aliam miſſionem aliàs deſtinatus dicitur Ionas a noſtro Ioanne 44. loco citato, cum eſſet iunior; miſſus enim fuit per Sanctum Eliſæum in Ramoth Galaad, vt ibi Iehu principẽ exercitus Iſrael vngeret in Regem, iuxta verbum Domini factum Eliæ in Horeb,

Digitized by Google

reb, qui Rex nouus deſtruxit domum Achab, vt futurum Elias ipſe prædixerat: mirabili ſucceſſu Ionas ſuam expleuit miſſionem, nam vt narratur libro 4. Regum cap. 9. vocauit Iehu de medio aliorum, & fudit oleum ſuper caput eius, & ait; *Hęc dicit Dominus Deus Iſrael, vnxi te Regem ſuper populum Domini Iſrael & percuties domum Achab Domini tui, & vlciſcar ſanguinem ſeruorum meorum Prophetarum, & ſanguinem omnium ſeruorum Domini de manu Iezabel; perdamque omnem domum Achab, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & nouiſſimum in Iſrael; Et dabo domum Achab, ſicut domum Ieroboam filij Nabat, & ſicut domum Baaſa filij Ahia; Iezabel quoque comedent canes in agro Iezrahel, nec erit qui ſepeliat eam*: His factis & dictis Ionas aperuit oſtium, & fugit, vt fuerat ipſi pręſcriptum; qui tandem plenus dierum ac bonorum operum mortuus eſt die 21. Septembris in terra Saar, & ſepultus fuit in Geth. Prædicta docet Genebrardus in Chronol. anno mundi 3356. dicens: *Diutiſſimè Ionas Prophetæ munus exercuit; Diſcipulus fertur* Eliſæi *miſſus ad conſecrandum Iehu in Regem Iſrael, & in Ramoth Galaad*, vnum eumdemque eſſe Ionã, qui has duas prophetias fuderit, *teſtantur Hebræi omnes, & Ioſephus*.

Probatur concluſio authoritate Doctorum noſtræ Religionis Carmelitanæ, & præſertim Ioannis 44. loco citato, qui ſic narrant modum vocationis Ionæ ad ſtatum religioſum, Cum Ionas adhuc puer mortuus fuiſſet, precibus S. Eliæ in eius domo materna commorantis inaudito tunc ſimili miraculo fuit ad vitam reuocatus, vt habetur libro 3. Regum cap. 17. his verbis: *Et clamauit* (ſcilicet Elias) *ad Dominum, & dixit; Domine Deus meus etiam ne viduam apud quam ego vtcumque ſuſtentor, afflixiſti vt interficeres filium eius; Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait, Domine Deus meus reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius: Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit; Tulitque Elias puerum, & depoſuit eum de cænaculo in inferiorem domum, & tradidit matri ſuæ, & ait illi, En viuit filius tuus; Dixitque mulier ad Eliam, nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt*. Dicunt igitur Authores noſtri continuata traditione, quòd facto tam inſigni miraculo, & hactenus non viſo, puer Ionas vel deuotione matris ſuæ traditur inſtituendus Eliæ, vel ipſe ſponte voluit ei adhærere, ac perpetuò obſequi; Qua propter Elias ipſum in primum vitæ religioſæ, quam Deo inſpirante meditabatur, diſcipulum ſuſcepit, ipſoque tanquam indiuiduo comite deinceps vſus eſt, donec expreſſa diſpẽſatione diuina habuit Eliſęum: Vnde Ionas dicitur fuiſſe puer ille, cui in Carmelo dixit Elias; *Reuertere ſeptem vicibus: Et vidit nubeculam paruam, quaſi veſtigium hominis aſcendentem de mari*, & inde ſignificatam pluuiam ſtatim futuram Eliæ mandato nuntiauit Achab Regi: Simulque primus audiuit ab Elia myſticam ſignificationem illius nubeculæ in perſona Beatiſſimę Virginis Mariæ Genitricis Dei, ſine labe peccati originalis orituræ, tam in conceptione quàm in natiuitate.

Secundò Probatur ſequenti ratione: Et quidem quòd Ionas propheta fuerit religioſus Elię diſcipulus, efficaciter probat eius miſſio diuina, facta ad prædicãdam Niniuitis pœnitentiam, & conuerſionem a peccatis; ad huius muneris cõgruentiam debuit Deus mittere Virum in vita religioſa & habitu pœnitentem, experientia namque docet, quantùm exẽplum prędicatoris moueat auditores; Et hoc tunc maximè fuit neceſſarium, quia Ciuitas illa Niniue Infidelis erat maxima, & eius Imperator nomine Thonoſconcoleros, dictus a Gręcis Sardanapalus, erat monarcha mundi; motus hoc exemplo Rex Niniue ſeu Imperator prædictus ſurrexit de ſolio, indutus ſacco ſuper cinerem egit pœnitentiam, eamque præcepit omnibus etiam paruulis & ani-

Digitized by Google

malibus; quamuis poſtmodum rediens ad vomitum, ad extremas a Perſis redactus anguſtias, ſeipſum cũ mulieribus, & pretioſis rebus cõbuſſerit: Ex alia verò parte prædicta noſtræ religionis Carmelitanę traditio in Doctorum auctoritate fundata ſufficienter probat, Ionam fuiſſe primum Elię diſcipulum, maximè quia nihil obſtat, vt conſtabit ex ſolutione propoſitarum obiectionum: Ergo Ionas Propheta Niniuitarum Apoſtolus, fuit primus Diſcipulorum Sancti Eliæ.

AD primum ergò dicendum quòd in computatione annorum ante Chriſtũ natum diſcrepant Authores, vt quiſque facile videre poteſt; Ex hac igitur computationis differentia potuit ætas Ionæ ad centeſimum annum protrahi. Deinde cum non ſit differentia ſæculorum, ſed tantũm annorum, non cogit nos, vt a traditione apud nos recepta communiter, & ab antiquiorum Patrum ſententia cum aliquibus modernis recedamus: maximè quia nunc etiam, quando complexio hominis eſt fragilior, multi centeſimum excedunt annum; aliquos ipſe vidi, Goæ vnum in Indijs orientalibus, Baſſoræ in Arabia alium, & Gratianopoli in Gallia tertium, ſenes ſupra centeſimum, Noualeſæ Pedemontij egenum ſenem centum quatuor annorum, in Lemouicenſi oppido L'habitarella propè Ciuitatem Tutellenſem mulierem centum decem annorum quæ ad tria milliaria pro audiendo ſacro pedes incedebat, in Armenia maiori virum ſenem centum quatuordecim annorum qui fruſtum panis ſicci comedebat, tandem Toloni in Gallo Prouincia vidi pauperem qui producta fide baptiſmi ſe centum viginti annorum eſſe probabat.

AD ſecundum dicendum, quòd hæc obiectio duplici via poteſt reſolui; prima quidem, ſi dicatur quòd Ionas natus eſt in Geth, & quòd propter extremam famem illam ab Elia iuſſu Domini inductam in toto Regno Iſrael, & in vicinis regionibus diffuſam, dum adhuc Elias eſſet in torrente Carith, vel ab vtroque parente, vel a ſola matre vidua ductus eſt in Sarepham Sidoniorum: legimus enim de alia muliere vidua ſub S. Eliſæo, quòd propter eamdem famis neceſſitatem peregrinata fuit aliquot annis in terra Philiſtiim, Et ſic hęc vidua diceretur Sarephtana non natiuitate, ſed habitatione ſola; nec deeſt ad hoc dicendum coniectura, ex eo quòd hæc mulier eſſet tam ſancta, quòd Deus hoſpitalitate S. Eliæ voluerit eam benedicere, & quòd ipſa tam facilè Sanctum prophetam quaſi nationalem ſuſceperit. Secunda verò via eſt, ſi dicatur quòd hæc vidua fuit natiuitate, & etiam natione Sarephtana, & quòd pater Ionæ egreſſus de Geth eam duxit vxorem, peccando tamen contra legem, quæ Iudæis cum Gentilibus coniugia prohibebat; ſed tunc idololatria prędominante in Iſrael, vix vlla legis erat obſeruantia: Et in hoc caſu Ionas diceretur oriundus ex Geth, non natiuitate ſua, ſed paterna progenie.

AD Tertium dicendum, quòd quidem Elias multum dilexit Ionam: Sed tamen Sanctus Eliſęus fuit Eliæ datus expreſſa Dei prouidentia in comitem indiuiduum ſuarum peregrinationum, & electus ſucceſſor eius in officio Generalis, nec enim in his electionibus obſeruatur ſemper antiquitas, in qua licet cederet Ionæ, in alijs tamen multis pręeminebat. Notandum tamen, quòd ſi Elias in torrente Carith non ſolùm iecit fundamenta Carmelitanæ religionis, ſed eam verè inſtituit, tunc Ionas non fuit abſolutè primus Diſcipulorum eius, ſed tantum primus inter nominatos.

ARTI-

Digitized by Google

Articvlvs II.

Vtrum Sanctus Eliſæus fuerit prcipuus Diſcipulorum Sancti Eliæ.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Eliſæus non fuerit precipuus diſcipulorum Sancti Eliæ. Probatur: Illud eſt præcipuum in quolibet ordine vel genere, quod in illo eſt primum; primum enim eſt cauſa exemplaris cæterorum: Sed Sanctus Eliſæus non fuit primus diſcipulorum Sancti Elię; communitèr enim dicitur, quòd primus diſcipulorum eius fuerit Ionas Propheta: Ergo Sanctus Eliſeus non fuit præcipuus diſcipulorum Sancti Eliæ.

¶ 2. Prætera: Ex primis Sancti Eliæ diſcipulis inuenitur Micheas Propheta filius Iemla, qui fuit Protomartyr inter alumnos religionis ipſius; Et cum aliàs non fiat hic comparatio in interna ſanctitate ſoli Deo nota, poteſt hoc titulo Micheas preferri S. Eliſęo: Ergo Sanctus Eliſęus, cum nec martyr ſit, non fuit præcipuus diſcipulorum Sancti Eliæ.

¶ 3. Preterea: Inter quatuor primos Sancti Eliæ diſcipulos, alij tres aliquam habent excellentiam ſupra Sanctum Eliſæum; de Iona & Michea dictum eſt, de Abdia traditur quòd fuit Præfectus domus Regis Achab, & inſuper fuit Scriptor ſacer; Sanctus autem Eliſæus fuit moderatæ conditionis, nec fuit Scriptor ſacer: nec vlla eius apparet excellentia ſupra prædictos: Ergo Sanctus Eliſęus non fuit precipuus diſcipulorum Sancti Eliæ.

SED CONTRA eſt antiquiſsima & vniuerſalis traditio Religionis Carmelitanæ, & communis ſenſus Carmelitarum cum fundamento Sacræ Scripturæ, qui Sanctum Eliſæum velut præcipuum S. Eliæ diſcipulum in diuinis officijs venerantur.

Conclvsio.

Cum Sanctus Eliſæus fuerit expreſſo Dei mandato aſſumptus à Sancto Elia, velut eius ſucceſſor futurus, ac hæres ſpiritus, fuit præcipuus diſcipulorum ipſius.

RESPONDEO dicendũ, quod Sanctus Eliſæus Propheta fuit multis titulis præcipuus diſcipulorum Sancti Eliæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Sanctus Eliſæus fuit filius Saphat, natus in oppido Abelmeula, ſeu Abelmanta in in regione Zelmaan: De natiuitate ipſius miraculoſa legitur, ac refertur a noſtro Ioanne Ieroſolymitano libro de Inſtitutione monachorum cap. 13. quid mirabile; nam *ipſo naſcente magnum contigit prodigium, vnum quippè idolum ex vitulis aureis, quos filij Iſrael adorabant, in ortu Eliſæi acutè mugiuit; quod cum Sacerdos Domini in Ieruſalem audiſset, diuino nutu ait, Propheta natus eſt in Iſrael, qui ſculptilia deorum deſtruet & fuſilia*; nihil de eius inſantia, & pueritia ſcimus: Adoleſcens erat, cum in Vrbe ſua Abelmeula arabat in duodecim iugis boum, cum ab Elia de ſpelunca montis Horeb reuertente aſſumitur in Prophetam & religioſum; ex tunc enim vale dicens Patri & matri adhæſit inſeparabiliter Eliæ, ſub cuius diſciplina monaſtica plurimum profecit: magiſtrum ſuum vſque ad raptum ſequutus eſt, & hæres ſpiritus ipſius in ſucceſſorem relinquitur, & aſſumitur vt Generalis Carmelitanæ Religionis: Duplici ſpiritu miraculorum & prophetię fuit conſpicuus, vt conſtat ex libro 4. Regum; Naaman Principem Syriæ mundauit à lepra, dicens ei, *Vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis*; Prædixit mulieri Sunamitidi famem dicens, *Surge vade tu, & domus tua, & peregrinare vbicumque repereris, vocauit enim Dominus famem, & veniet ſuper terram ſeptem annis*; multa alia prædixit, & mira quoque plurima operatus eſt, quæ longum eſſet adducere: Tandem ple-

Digitized by Google

plenus dierum ac bonorum operum ægrotauit infirmitate, qua & mortuus eſt; *deſcenditque ad eum Ioas Rex Iſrael, & flebat coram eo, dicabatque; Pater mi, pater mi currus Iſrael & auriga eius:* Cumque Regi triplicem victoriam contra Syriam prædixiſſet, mortuus eſt, & ſepelierunt eum; latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipſo anno, quidam autem ſepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſæi, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. Non ſolùm S. Eliſæus poſt vocationem ſeruauit tria eſſentialia religionis vota, nempè obedientiæ, caſtitatis & paupertatis, vt conſtat ex alibi dictis; ſed etiam ante vocationem fuit virgo, talem vocat S. Hieronymus ſæpe citatus, ſicut & S. Ignatius epiſt. 9. ad Philad. & S. Althelmus de laude Virg. dicens:

Virgineo flagrãs Eliſæus flore Propheta.
Quod ita ſuadetur: Ante vocationem non habuit vxorem, & filios, quia ſi habuiſſet, vocatus ab Elia eos fuiſſet oſculatus, ſicut oſculatus eſt patrem & matrem, vt notat Abulenſis; Vnde tunc habuit Virginitatem externam & materialem in integritate membri corporalis conſiſtentem; quam poſtea non ſolùm propoſito, ſed etiam voto conſecrans, fecit internam & virtuoſam.

Probatur concluſio ſigillatim, adducendo titulos, propter quos S. Eliſæus eſt præcipuus Eliæ diſcipulus. Primus titulus eſt, quia expreſſo & authentico Dei mandato fuit deſignatus Eliç diſcipulus iu vita religioſa, ac ſucceſſor propheta ab ipſomet inſtitutus, iuxta illud 3. Regum cap. 19. *Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges prophetam pro te; profectus ergo inde Elias reperit Eliſæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum, & ipſe in duodecim iugis boum arantibus vnus erat; Cumque veniſset Elias ad eum, miſit pallium ſuum ſuper illum; qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam, & ait, Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te; dixitque ei, vade, & reuertere, quod enim meum erat feci tibi.* Circa quod ait Gaſpar Sanchez libro 1. cap. 22. *Dum pallium inijcit, ad ſuum inſtitutum vocat; vnctio igitur fecit prophetam, pallium autem contubernalem & monachum*: de alijs autem Eliæ diſcipulis non habetur tale diuinum mandatum, ſaltem authenticũ in Sacra Scriptura.

Secundus titulus eſt: quia Sanctus Eliſæus ex illo tempore fuit comes indiuiduus Eliæ, vt conſtat ex ipſa Sacra Scriptura; quod ita verum eſt, vt cum Elias vellet ante raptum dimittere illum vel in Galgalis, vel in Bethel, vel in Iericho, noluerit ipſe conſentire dicens, *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia nõ derelinquam te*: In cuius obſequij tam fidelis præmium meruit fieri hæres duplicis eius ſpiritus, vt ſtatim dicetur: hoc autem indiuiduo comitatu demonſtratur quòd Sanctus Eliſæus fuit præcipuus Sancti Eliæ diſcipulus, tum mutua dilectione ipſius, tum inſtructione ſpeciali, tum continuo virtutum magiſtri ipſius exemplo.

Tertius titulus eſt: quia Sanctus Eliſæus fuit hæres duplicis ſpiritus Eliæ, nempè ſpiritus miraculorum, & ſpiritus prophetiæ, ſic factum narrat Sacra Scriptura 4. Regum 2. *Cumque tranſiſsent* (ſcilicet Iordanem per ſiccum) *Elias dixit ad Eliſæum; Poſtula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar a te: Dixitque Eliſçus, obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus: Qui reſpondit; Rem difficilem poſtulaſti, attamen ſi videris me quando tollar a te, erit tibi quod petiſti; ſi autem non videris, non erit: Cumque pergerent, & incedentes ſermocinarentur; ecce currus igneus & equi ignei diuiſerunt vtrũque, & aſcendit Elias per turbinem in cælum; Eliſæus autem videbat & clamabat, Pater mi, pater mi, currus Iſrael & auriga eius: Et non vidit eum amplius, apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes; Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei, reuerſuſque ſtetit ſuper ripam Iordanis.* Quòd verè obtinuerit duplicem Eliæ ſpiritum Eliſæus, vt hæres illius, præter inditium

pallij

Digitized by Google

pallij relicti, confirmatur exercitio illius etiam ſubitaneo, in iiſdem miraculis & prophetijs: nam ſtatim Eliæ pallio diuiſit aquas Iordanis, ſicut Elias eodem pallio priùs eas diuiſerat; puellum ſuſcitauit à mortuis, ſicut Elias alium ſuſcitauerat; prædixit ſterilitatem ac famem mulieri Sunamitidi, ſicut Elias prędixerat Achab Regi: &c.

Quartus titulus eſt: quia Sanctus Eliſæus fuit ſucceſſor immediatus Eliæ, non ſolùm in officio Prophetæ, ſed etiam in in munere Superioris Generalis noſtræ religionis, vel electione ipſiuſmet Eliæ ſuis diſcipulis indicata, vel inſtinctu diuino: nam eodem capite 2. libri 4. Regum ſic habetur de Eliſæo; *Et pallio Eliæ quod ceciderat ei, percuſsit aquas, & non ſunt diuiſæ; Et dixit, vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? percuſsitque aquas, & diuiſæ ſunt huc atque illuc: Videntes autem filij prophetarum, qui erant in Iericho è contra dixerunt; Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum, & venientes in occurſum eius adorauerunt eum proni in terram*, Et hoc modo receperunt eum, vt Eliæ ſucceſſorem in munere Superioris ſupremi, ſicut conſtat ex immediatè ſequentibus in citato capite, ipſum namque conſulebant in ſingulis, & ex eius obedientia procedebant in omnibus; nec multò poſt ipſe receſsit ad montem Carmelum caput religionis Elianæ, velut ad propriam ſedem, vnde ad aliorum conuentuum viſitationem, & ad publicas neceſsitates deſcendebat.

Quintus titulus eſt: quia Sanctus Eliſæus fuit ſingularis imitator Eliæ, non ſolùm in exercitio virtutum, ſed etiam in zelo gloriæ Dei: Sicut Elias Regem Achab arguit liberè, minitans ipſi in nomine Domini: ſic & Eliſæus arguit liberè Ioram Regem filiũ eiuſdem Achab, dicens ei aliquando: *Quid mihi & tibi eſt? Vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ: Viuit Dominus exercituum, in cuius conſpectu ſto, quòd ſi non vultum Ioſaphat regis Iuda erubeſcerem, non aſcendiſsem quidẽ ad te, nec reſpexiſsem.* Hi priuilegiorum, ac prærogatiuarum tituli reddiderunt Sanctum Eliſæum precipuũ diſcipulorum Sancti Eliæ, ac præ cæteris eminentem: Vnde ſpeciali titulo cæteri vocabant Eliam Dominum ipſius, vt vt habetur ex illo dicto cæterorum ad ipſum relato 4. Regum 2. *Nunquid noſti, quia Dominus hodie tollet Dominum tuum a te?* non obſtante quòd Elias communis Patriarcha eſſet Dominus omnium.

Ad Primùm ergò dicendum, quòd quidem ratio illa probat, de illo quod eſt ſimpliciter primum in aliquo ordine vel genere: In ordine autem ſiue genere religionis Patriarcha ſiue fundator illius eſt primus reſpectu cæterorum omniũ, & hic debet eſſe præcipuus, quia eſt cauſa exemplaris, quod concedimus Eliæ reſpectu diſcipulorum ipſius: Quòd autem vnus ſit primus tempore diſcipulus, hoc eſt per accidens ad eminentiam ipſius.

AD ſecundum dicendum, quòd Michæas Propheta hoc titulo quãdam habet eminentiam ſupra Sãctum Eliſæum: ſed in præadductis alijs titulis ſupereminet ipſi Sanctus Eliſæus, ſicut & alijs, quòd verè eſt præcipuus diſcipulorum Sancti Elię.

Ad Tertium dicendum, quòd prima Abdię dignitas eſt admodum materialis, vnde non eſt multum attendenda: ſecunda verò dignitas Scriptoris Sacri (Et idem dicendum de Iona &c.) dat ipſi ſuper Eliſæum aliquam eminentiam, cum tamen in tot alijs ſupereminеat ei Eliſæus, quamuis etiam aliqui faciant S. Eliſęum Scriptorem ſacrum eorum, quæ ad ipſum pertinent in libro tertio, & quarto Regum; libri namque Regum ex diuerſorum relationibus ſcriptis & ſimul collectis dicuntur compoſiti. Excellentiæ autem S. Eliſæi ſuper alios Eliæ diſcipulos apparent in prædictis titulis.

AR-

Digitized by Google

Articvlvs III.

Vtrum Michaas Propheta filius Iemla inter Eliæ Diſcipulos fuerit Protomartyr.

AD Tertium ſic proceditur. Videtur quòd Michæas filius Iemla non fuerit Protomartyr inter Diſcipulos Eliæ. Probatur: Non legitur, quòd hic Micheas Propheta fuerit martyr, ſolùm habetur libro 3. Regum capite 22. quòd iniurias & carcerem paſſus fuerit à falſis Prophetis: Ergo non fuit Protomartyr inter Diſcipulos Eliæ.

¶ 2. Præterea: Tempore Eliæ vigebat plurimum idololatria in toto regno Iſrael, & Sancti Prophetæ filijque Prophetarum reputabantur vt inſani, ſicut conſtat ex libro 4. Regum cap. 9. dicto ducum illorum ad Iehu de Iona, *Quid venit inſanus iſte ad te?* Et quæcumque dicebant, habebantur vt falſa, vt ibidem ſubditur his verbis, *Noſtis hominem, & quid locutus ſit*, at illi reſponderunt, *Falſum eſt, ſed magis narra nobis*: Ergo ex illis potuit aliquis occidi ante hunc Michæam in odium fidei; Vnde Michæas ipſe non meritò dicitur Protomartyr inter diſcipulos Eliæ.

¶ 3. Præterea, Diſcipuli Eliæ, hæreditario ſui magiſtri & patris zelo corripiebant idololatras, etiam Regem Achab & Reginã Iezabel, ſicut & Ochoziam eorum filium: Ergo credibile eſt, quòd & odio, & intereſſe falſorum Prophetarum, qui Regibus aſſiſtebant, aliqui fuerint in odium fidei trucidati, ante hunc Michæam, qui tantùm ſub Rege Ioram Ochoziæ fratris ſucceſſore dicitur martyrio coronatus: Et ita Michæas non fuit Protomartyr inter diſcipulos Eliæ, vel ſaltem hoc aſſeritur ſine fundamento.

SED CONTRA eſt antiquiſſima traditio noſtræ Religionis Carmelitanæ, & communis ſententia Doctorum ipſius.

Conclvsio.

Michæas Propheta filius Iemla inter Eliæ diſcipulos fuit Protomartyr.

RESPONDEO dicendum, quòd Michæas Propheta filius Iemla inter diſcipulos Eliæ fuit Protomartyr. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic Sanctus Propheta Michæas diſtinctus eſt ab alio Michæa item Propheta, qui in numero duodecim Prophetarum minorum ponitur, diuerſo enim tempore prophetarunt: Hic Micheas filius Iemla ex libro 3. Regum cap. 22. vel filius Hyempſa ex noſtro Ioanne Ieroſolymitano cap. 14. quia pater eius erat binomius, prophetauit in diebus Achab, Ochoſię & Ioram Regum Iſrael, & ſub Ioſaphat Rege Iuda, vt conſtat ex capite citato libri 3. Regum: Alter verò Michæas vocatus Moraſtites multò poſt prophetauit, nempè in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda, dicitur enim in principio prophetię eius; *Verbum Domini quod factum eſt ad Michæam Moraſtitem, in diebus Ioathan, Achaz, & Exechiæ regum Iuda, quod vidit ſuper Samariam & Ieruſalem*: conſtat autem, quòd inter Ioſaphat regem Iuda & Ioathan multi fluxerunt anni, nam quinque mediarunt reges, nempe Ioram, Ochozias, Ioas, Amaſias, & Ozias ſiue Azarias pater Ioathan, vt docet S. Hilarius in cap. 1. Matthæi, quamuis apud Sanctum Matthæum quatuor ex illis regibus intermiſſi ſunt ob rationem adductam ab eodem S. Hilario; non autem poteſt naturalitèr eſſe, quod idem Michæas ſit, qui iam maturæ ætatis cœperit prophetare a diebus Ioſaphat Regis Iuda vſque ad Ezechiam; nam ſolum tempus prophetię eius duraſſet penè per centum nonaginta & octo annos; inuenimus enim prophetaſſe annis ſeptem ante mortem Ioſaphat, quibus ſucceſſiſſent octo Ioram, vnus Ochozię, quadraginta Ioas, viginti nouem Amaſiæ, quinquaginta duo Oziæ ſeu Azarię, ſedecim

decim Ioathan, item ſedecim Achaz, Ezechias autem regnauit viginti nouē; & cum alias eſſet vir maturæ ętatis, & iam antiquus in ſpiritu prophetię in prędicto Ioſaphat anno, exceſſiſſet ducenteſimum vitę annum, quòd naturalitèr eſt impoſſibile: Vnde debemus dicere, quòd non eſt idem Michęas filius Iemla cum Moraſtite inter minores Prophetas numerato, maximè quia hic filius Iemla prophetauit in regno Iſrael, Moraſtites autem in regno Iuda, qui non tacuiſſet ptophetiam ſuam ſub Ioſaphat, & alios reges, nominans tres poſteriores. Et inſuper Michęas filius Iemla fuit occiſus a Ioram Rege filio Achab, Michęas autem Moraſtites legitur propheta ſſe multos poſt annos ſub poſterioribus regibus.

Probatur & explicatur concluſio: Michæas filius Iemla ſeu Hyemſa, vt ait noſter Ieroſolymitanus loco citato, adhæſit Eliæ, cum Elias de ſpelunca montis Horeb fuiſſet iuſſu Dei reuerſus ad terram Iſrael, qui inſtructus per Eliam in diſciplina propphetica monaſticæ vitę, cum eſſet ipſe ex filijs Prophetarum, tandem accepit a Deo ſpiritum prophetiæ. Quàm fidelis eſſet Michæas in obſequio Domini, quam liber in prophetando verbum ipſius, quàm paratus ad tolerandum labores, iniurias ipſamque mortem pro zelo gloriæ Domini, quaſi diſcipulus, & filius ſpiritualis zelatoris Eliæ, conſtat euidentèr ex eo quòd ipſi contigit cũ Ioſaphat rege Iuda & Achab rege Iſrael, ac ſic refertur libro 3. Regum cap. 22. his verbis; ac penè ijſdem lib. 2. Paralip. cap. 18. quæ referuntur quaſi radix & occaſio martirij eius: *Dixit autem Ioſaphat; non eſt hic propheta Domini quiſpiam vt interrogemus per eum? Et ait Rex Iſrael ad Ioſaphat; Remanſit vir vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum, ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum, Michæas filius Iemla, cui Ioſaphat ait; ne loquaris ita Rex: vocauit ergo rex Iſrael eunuchum quendam, & dixit ei; Feſtina adducere Michæam filium Iemla: Rex autem Iſrael & Ioſaphat rex Iuda ſedebant vnuſquiſque in ſolio ſuo veſtiti cultu regio, in area iuxta oſtium portæ Samariæ, & vniuerſi Prophetæ prophetabant in conſpectu eorum: Fecit quoque ſibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait; Hæc dicit Dominus, his ventilabis Syriam, donec deleas eam, omneſque prophetæ ſimiliter prophetabunt dicentes, Aſcende in Ramoth Galaad, & vade proſperè, & tradet Dominus in manus regis: nuntius verò qui ierat vt vocaret Micheam, locutus eſt ad eum dicens; Ecce ſermones prophetarum ore vno regi bona prędicant, ſit ergo ſermo tuus ſimilis eorum, & loquere bona: Cui Michæas ait; Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar: Venit itaque ad regem, & ait illi rex; Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad prǽliandum, an ceſſare? cui ille reſpondit; Aſcende & vade proſperè, & tradet Dominus in manus regis: Dixit autem rex ad eum; Iterum atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi niſi quod verum eſt, in nomine Domini: Et ille ait; vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oues non habentes paſtorem: Et ait Dominus, non habent iſti Dominum, reuertantur vnuſquiſque in domum ſuam in pace: Dixit ergo rex Iſrael ad Ioſaphat; nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum? Ille vero addens ait; Propterea audi ſermonem Domini; vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei a dextris & a ſiniſtris, & ait Dominus; Quis decipiet Achab regem Iſrael, vt aſcendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter: Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait; Ego decipiam illum: cui locutus eſt Dominus; In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius: Et dixit Dominus; Decipies, & praualebis, egredere, & fac ita: nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacÿ in ore omnium prophetarum tuorum qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum: Acceſſit autem Sedecias filius Chanaana, & percuſſit Micheam in ma-*

P

maxillam, & dixit; me ne ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi? Et ait Michæas; viſurus es in die illa quando ingredieris in cubiculum intra cubiculum, vt abſcondaris: Et ait rex Iſrael; Tollite Michæam, & maneat apud Amon principem ciuitatis, & apud Ioas filium Amelech, & dicite eis; Hæc dicit rex, mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis & aqua anguſtiæ, donec reuertar in pace: Dixitque *Michæas; ſi reuerſus fueris in pace, non eſt locutus in me Dominus: Et ait, Audite populi omnes.* Hactenus hiſtoria Sancti Michææ, deinde ſequitur infelix euentus prædictionis eius in morte Achab; Ex quibus habetur inchoatum Prophetæ martyrium, quòd non multò poſt completum eſt; nam cum regnaret Ioram filius Achab, zelo planè filiorum Eliæ redarguebat eũ Michæas de cultu idolorum, vnde rex impius illum præcipitio interemit, & ita martirio coronatus, ſepultus eſt in Moraſti ſolus iuxta ſepulturam Senachmi; propterea poteſt tantùm dici de morte & ſepultura Moraſtites, cum alter Micheas numeratus inter minores Prophetas Sacros Scriptores dicatur Moraſtites origine ſeu natiuitate: Cum autem hic Michæas legatur apud Ioannem Ieroſolymitanum, & alios authores primus ex diſcipulis Eliæ, qui in odium veræ fidei ab idololatris occiſus eſt; ideò dicitur meritò inter Eliæ diſcipulos Protomartyr. De ipſo habet Chronicon Hebręorum cap. 20. quòd quinquies prophetauit Achab 1. de nece Syrorum obſidentium Samariam: 2. de eorum reditu anno ſequenti: 3. de victoria Achab contra eos: 4. de morte ipſius Achab quia pepercerat Benadab regi Syriæ. 5. de eadem morte in conflictu ad Ramoth Galaad. In prima, ſecunda & quinta ex his propheticis prædictionibus vocatur Propheta; In tertia vocatur Homo Dei, qui titulus vulgo Prophetis concedebatur: In quarta verò vocatur Filius Prophetarum, qui eſt titulus religioſorum Eliæ Diſcipulorum; vnde Chaldaicus verſu 35. vocat eum Diſcipulũ Prophetarum.

AD primum ergo dicendum, quòd legitur apud probatos authores Michęas propheta filius Iemla eſſe martyr; quamuis non habeatur expreſſum eius martyrium in Sacra Scriptura, ſed tantùm inchoatio martyrij referatur; & occaſio eius indicatur ex perſecutione pſeudo prophetarum.

AD ſecundum dicendum, quòd Elias noſter inſtituit ſuam religionem Carmelitanam ſub finem Achab regis Iſrael, cui ſuccedens Ochozias regnauit tantùm duobus annis; vnde ſucceſsit Ioram frater Ochoziæ, & filius minor Achab, ſub quo coronatus eſt martyrio Michæas; Cumque Ioram duodecim tantùm annis regnauerit, non potuit diù fuiſſe dilatum huius Sancti Prophetæ martyrium ab inſtitutione Religionis Carmelitanæ, vtrum ante raptum Eliæ ſucceſſerit, ignoratur; ſaltem non legitur alius eiuſdem religionis alumnus ante ipſum in odium fidei martyrio coronatus.

AD Tertium dicendũ ſimilitèr, quòd ſi propter adductam rationem zeli gloriæ Dei aliquis alius ex diſcipulis Eliæ fuit martyrio coronatus ante Michęam filium Iemla, non tamen legitur: nam illi Prophetæ, qui dicuntur interfecti a Iezabel, de quibus ait Elias Domino in Horeb, *Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus*, non erant religioſi, quia nondum Elias fundauerat ſuam Religionem, etſi fortè iam eam in torrente Carith fuiſſet meditatus; quòd ſi tales Prophetę dicantur diſcipuli Eliæ ab aliquibus, debet intelligi quantùm ad vitam ſpiritualem & doctrinam legis non autem quantùm ad diſciplinam monaſticam vitæ religioſę. Denique, & ſi concederetur aliquos ex diſcipulis religioſis Eliæ fuiſſe martyres ante Michęã ſemper concluſio eſſet vera de diſcipulis nominatis, quòd inter illos Michæas eſt Protomartyr; ſicut Ionas eſt primus Eliæ diſcipulus inter alios nominatos, licet fortè pręceſſerint alij non nominati in torrente Carith.

AR-

Digitized by Google

Articvlvs IV.

Vtrum Abdias Propheta fuerit religioſus Sancti Eliæ Diſcipulus.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Abdias Propheta non fuerit religioſus Sancti Eliæ diſcipulus. Probatur: Abdias Propheta fuit Diſpenſator regis Achab, ſicut & Ochoziæ filij eius, vt habetur libro 3. Regum cap. 18. his verbis, *Vocauitque Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ*, quòd officium correſpondet officij Præfecti Palatij regij; Et perſeueraſſe ſub Ochozia, fuiſſeque principem illum tertium quinquagenarium, qui miſſus fuit ad Eliam in Carmelum, communitèr docent authores: Ergo non fuit religioſus Sancti Eliæ diſcipulus.

¶ 2. Præterea: non legitur in Sacra Scriptura, quòd Abdias Propheta adhæſerit Eliæ, quaſi religioſus ſcholæ ipſius diſcipulus; ſolum habetur libro 3. Regum cap. 18, citato, & libro 4. cap. 1. quòd fuerit Eliæ affectus, ac meritorum ipſius venerabundus: Ergo ſine fundamento dicitur, quòd fuerit religioſus Sancti Eliæ diſcipulus.

¶ 3. Præterea: Abdias habuit vxorem, quæ ſuperuixit ei, ſicut & filios; nam cum fundamento Sacrę Scripturæ Ioannes Ieroſolymitanus cap. 15. & alij de eius vidua relicta intelligunt illud libri 4. Regum cap. 4. *Mulier autem quædam de vxoribus prophetarum clamabat ad Eliſæum dicens; Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti quia ſeruus tuus fuit timens Deum, Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi:* Quæ mulieris verba indicant Abdiam prophetam, de quo dictum fuerat libro 3. Regum cap. 18. *Abdias autem timebat Dominum valde*: Ergo Abdias Propheta non fuit religioſus Sancti Eliæ cum non potuerit ſimul eſſe coniugatus & religioſus.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiquiſsima Carmelitanæ Religionis traditio, & communis ſententia Doctorum ipſius.

Conclvsio.

Abdias Propheta fuit religioſus Sancti Eliæ diſcipulus.

RESPONDEO dicendum, quòd Abdias Propheta fuit religioſus Sancti Eliæ diſcipulus. Ad cuius euidentiam ſcieudum eſt, quod Abdias Propheta ex citato Ioanne Ieroſolymitano fuit de de terra Sichem, ortus in agro Bechutaram; honorificum ipſius habetur elogiū libro 3. Regum cap. 18. ibique narratur colloquium quod habuit cum Elia noſtro, & quod fuit fundamentum vocationis eius ad ſtatum religioſum, vnde referendum eſt totum, & ſic habetur: *Vocauitque Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ, Abdias autem timebat Dominū valde: nam cum interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas & abſcondit eos quinquagenos & quinquagenos in ſpelūcis, & pauit eos pane, & aqua: Dixit ergo Achab ad Abdiam, vade in terram ad vniuerſos fontes aquarum, & in cunctas valles, ſi fortè poſſimus inuenire herbam, & ſaluare equos & mulos, & non penitùs iumenta intereant: Diuiſeruntque ſibi regiones, vt circuirent eas; ibat per viam vnam, & Abdias per viam alteram ſeorſum: Cumque eſſet Abdias in via, Elias occurrit ei, qui cum cognouiſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam & ait; non tu es, Domine mi, Elias? cui ille reſpondit, Ego*: Vade, *& dic domino tuo, Adeſt* Elias: Et ille; *Quid peccaui, inquit, quoniam tradis me ſeruum tuum in manu Achab, vt interficiat me? Viuit Dominus Deus tuus, quia non eſt gens aut regnum, quò non miſerit dominus meus requirens; Et reſpondentibus cunctis, non eſt hic; adiurauit regna ſingula & gentes, eo quod minimè repertreris; Et nunc tu dicis mihi, vade & dic domino tuo, Adeſt* Elias: *Cumque receſſero a te, Spiritus Domini aſportabit te*

Digitized by Google

in locum quem ego ignoro: & ingreſſus nũtiabo Achab, & non inueniens te interficiet me; ſeruus autem tuus timet Dominum ab infantia ſua: Nunquid non indicatum eſt tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, quòd abſconderim de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis, & pauerim eos pane & aqua? Et nunc tu dicis; Vade, & dic domino tuo, Adeſt Elias vt interficiat me: Et dixit Elias; Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum ſto, quia hodie apparebo ei: Abijt ergo Abdias in occurſum Achab, & indicauit ei, venitque Achab in occurſum Eliæ, &c.

Probatur concluſio, tum adducta vniuerſali antiquiſsima traditione Religionis Carmelitanæ, tum authoritate Doctorum ipſius, præſertim Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani libro de Inſtitutione Monachorum cap. 15. cum fundamento Sacræ Scripturę: Dicit enim quòd mortuo Achab rege, cum filius eius Ochozias rex principes duos quinquagenarios ad capiendum Eliam in Carmelo exiſtentem miſiſset, orante Elia fuerunt cum ſuis militibus ab igne de cœlo deſcendente combuſti: Rursùs miſit rex Abdiam cũ quinquaginta viris, qui & naturali ſua pietate motus, & aliorum punitione doctus, non loquitur arrogantèr & ironicè ad inſtar illorum, ſed vt refertur libro 4. Regum cap. 1. cũ veniſſet, curuauit genua contra Eliam, & precatus eſt eum & ait; *Homo Dei, noli deſpicere animam meam, & animas ſeruorum tuorum qui mecum ſunt*; *Ecce deſcendit ignis de cælo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos qui cum eis erant; ſed nunc obſecro, vt miserearis animæ meæ: locutus eſt autem Angelus Domini ad Eliam dicens; Deſcende cum eo, ne timeas; ſurrexit igitur, & deſcendit cum eo ad regem.* Subdit igitur noſter Ieroſolymitanus, quòd Elias cernens Abdię humilitatem, & recolens quòd centum ſuis diſcipulis vitam reſtaurauerat, viciſſitudinem ei rependit, quoniam ipſi & ſuis quinquaginta vitam clementèr ſeruauit: Hanc igitur gratiam ab Elia obtentam Abdias recognoſcens, relicto obſequio regis Ochoziæ, factus ſicut diſcipulus Elię, dimiſsis filijs ſuis in domo ſua cum vxore; Igitur quia centum Prophetas Eliæ diſcipulos pauerat, accepit & ipſe à Deo ſpiritum prophetiæ, in quo ſpiritu prę-uidit Idumæos adiuturos exercitum Aſryriorum contra Hebræos; propter quod prophetauit, dictos Idumæos tandem per exercitum Nabuchodonoſor regis Aſsyriorum & Chaldæorum diſſipandos. Eius prophetia continetur vnico capite: mortuus eſt hic Sanctus Propheta Samariæ, & ibidem ſepultus, in cuius ſepulchro, licèt in diuerſis vrnis, etiam ſepulti fuerunt Sancti noſtri Eliſeus & Ioannes Baptiſta, quorum trium reliquiæ ſub Iuliano Apoſtata combuſtę fuerunt, etſi partes ipſarum ereptæ, aliò translatæ ſint. Hęc dicta noſtri Ieroſolymitani confirmantur authoritate aliorum Sanctorum Patrum, & Illuſtrium Doctorum. S. Hieronymus in 4. Regum cap. 1. de eo ſic ait; *Quia centum Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem*: Quod etiam habetur in parua Chronica Hebræorum, dicta Sederolam Zuta, quæ reperitur in fine Chronologię Genebrardi: Ex qua etiam veritatem hanc accepit Lyranus in Abdiam, docens hanc mercedem ipſi fuiſſe conceſſam, iuxta factam poſtmodum in lege gratię promiſsionem Chriſti dicentis; *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*. Quòd iſte Abdias Propheta fuerit Diſpenſator domus Achab, affirmat idem Lyranus ibidem dicens; *Secundùm Doctores Hebraicos & Latinos iſte Abdias fuit diſpenſator domus Achab Regis Iſrael &c.* Qnod etiã aſſerit Clemens Alexandrinus libro 1. ſtromatum. Quòd fuerit tertius ille dux quinquagenarius, cui modeſto & humili pepercit noſter Elias, affirmat Hieronymus in Abdiam dicens, *De Duce exercitus fit Dux Eccleſiæ*: Affirmat etiam S. Epiphanius de vitis Prophetarum dicens; *Palatinæ militiæ renuntians,*

ad

Digitized by Google

ad Prophetam Eliam adhæſit, eiuſque ſe diſcipulum fecit: Et tandem affirmat S. Dorotheus de vitis Prophetarum, de eo ſic dicens; *Diſcipulus Eliæ &c. miniſterio Regis ſui poſtea relicto, Prophetię gratiam acquiſiuit.*

AD primum ergo dicendum, quòd licet Abdias habuerit prædicta officia Diſpenſatoris & Ducis in Curia Regum Iſrael Achab & Ochoziæ: dimiſſis tamen illis, mundoque renuntians factus eſt religioſus Eliæ diſcipulus occaſione iam dicta, & ſanctè ſub eius diſciplina perſeuerauit.

AD ſecundùm dicendum, quòd ſi hoc haberetur expreſſum in Sacra Scriptura, eſſet de fide, quod vt tale non proponimus; ſed tantùm vt moraliter certum, propter vniuerſalem & antiquiſſimam noſtræ religionis Carmelitalitanę traditionem, ac ſimul authoritatem Doctorum ipſius, qui valde conſequenter loquuntur ex fundamento Sacræ Scripturæ.

AD Tertium dicendum, ſicut iam dictum eſt, quòd Abdias dimiſit vxorem & filios, vt ſequeretur Eliam, ac fieret religioſus eius diſcipulus. Quod factum ſupponitur de conſenſu vxoris, vt nunc fieri ſolet in Eccleſia, vbi mutuò conſenſu coniuges ad vitam tranſeunt religioſam; Tunc tamen non tanta fuit cirumſpectio, Et ita ſuam Abdias dimiſit vxorem in domo propria, quæ curam gereret filiorum.

QVAESTIO VII.

De Sacris Prophetis Carmelitanæ Religionis alumnis.

QVAMVIS in principio Religionis Carmelitanę ſinguli eius alumni dicerentur Prophetæ, ſed ordinarij a canendis laudibus Diuinis ſic nominati: fuerunt tamen in ea plures extraordinarij Prophetæ, quos hic ſacros vocamus, illuſtres ſpiritu prophetiæ. Circa quos qræruntur quinque.

¶ Primo, vtrum Prophetæ ſacri antiquæ legis fuerint alumni religionis Carmelitanæ.

¶ Secundo, vtrum Iſaias Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ Tertio, vtrum Ieremias Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ Quarto, vtrum Ezechiel Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ Quinto, vtrum Daniel Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum Prophetæ Sacri antiquæ legis fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Prophetæ ſacri antiquæ legis non fuerint alumni religionis Carmelitanæ. Probatur: nec in Sacra Scriptura, nec in Sanctis Patribus, nec in hiſtorijs fide dignis eſt ſufficiens fundamentum hoc aſſerendi: Ergo prophetæ

ſacri

Digitized by Google

ſacri antiquę legis non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Pręterea: Alumni religionis Carmelitanę ſub antiqua lege erant religioſi ſolitarij, viuentes in ſacra communitate ſub obedientia vnius ſuperioris; hæc enim ſemper fuerunt obſeruata in religione Carmelitana: Sed prophetæ ſacri antiquæ legis non fuerunt ſolitarij, imò ſæpiùs erant in Curia Regum Iuda, & Iſrael; viuebant ſeorſum in propria domo; nec leguntur habuiſſe ſuperiorem: Ergo non fuerunt alumni religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: In religione Carmelitana obſeruabantur tria vota eſſentialia ſtatus religioſi vt aſſerunt Doctores Carmelitæ & plures alij: Sed prophetæ ſacri antiquæ legis non obſeruarunt tria vota eſſentialia ſtatus religioſi, vt colligitur euidenter ex Sacra Scriptura; Et quidem de Iona propheta quantùm ad votum obedientiæ, ſi fuiſſet aſtrictus obedire, non ſic reſtitiſſet expreſſo Dei mandato mittentis ipſum ad conuerſionem Niniuitarum; Deinde de Oſea propheta quantùm ad votum caſtitatis, dicitur enim cap. 1. prophetiæ ipſius quòd duxerit vxorem, quòd etiam poteſt affirmari de alijs; Denique de Daniele quantùm ad votum paupertatis, legimus enim ipſum fuiſſe ditiſſimum & potentiſſimum in Curia Regis Babylonis, & etiam Regis Perſarum: Ergo prophetæ ſacri antiquæ legis non fuerunt alumni religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiquiſſima traditio noſtræ religionis Carmelitanę, ac communis ſententia Doctorum ipſius, præſertim noſtri Franciſci a Sancta Maria libro 2. Hiſtoriæ propheticæ cap. 16. quam etiam externi ſequuntur.

CONCLVSIO.

Cum ſacri Prophetæ antiquæ legis eodem nomine prophetarum, eodem quoque habitu pænitentiæ inſignirentur, quo Carmelitanæ religionis alumni, ac viuerent a ſecularibus negotijs remoti ad inſtar illorum, fuerunt Carmelitanæ religionis alumni.

RESPONDEO dicendum, quòd ſacri prophetæ antiquę legis poſt Eliam, maiori ex parte fuerunt alumni religionis Carmelitanę. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod in Sacra Scriptura ſępe fit mentio Prophetarum, qui diuiduntur in bonos & malos: Prophetæ mali, qui dicuntur aptiùs Pſeudoprophetæ ſeu falſi prophetę, ſubdiuiduntur in duas claſſes; Aliqui enim deſeruiebant Idolis quales erant prophetę Baal, & prophetę Lucorum, quos S. Elias occidit, vt refertur 3. Regum cap. 18. Alij verò ſequentes quidem extrinſecus verum Dei cultum, fingebant ſe prophetas ſiue diuinatores futurorum, cum tamen non eſſent tales, de his fit mentio frequens in ſcriptura, & maximè toto capite 13. Ezechielis comminatorio ipſis, & Michææ 3. Hi non vocabantur prophetę Domini, vt colligitur ex 3. Regum cap. 22. nam cum Ioſaphat Rex Iuda audiſſet prophetas Achab Regis Iſrael promittentes victoriam ex iniuſto bello contra Syriam ſuſcepto, intelligens eos non eſſe veros prophetas, ait ad Regē Iſrael; *Non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, vt interrogemus per eum?* Et ait Rex Iſrael ad Ioſaphat; *Permanſit vir vnus, per quē poſſumus interrogare Dominum, ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum, Michæas filius Iemla.* Prophetę boni ſubdiuiduntur in ordinarios & extraordinarios: Prophetę ordinarij vocabantur omnes illi viri pij, qui in collegijs Deo deſeruiebant, quales fuerunt diſcipuli Samuelis, & maximè diſcipuli Eliæ, qui etiā filij prophetarū dicebantur; vnde Concilium Nicenum dicit

S.Spi-

Digitized by Google

S. Spiridionem fuiſſe de ordine prophetarum: prophetę extraordinarij dicuntur illi, qui a Deo inſpirati prædicunt ea, quę naturaliter ſciri non poſſunt præcipuè futura; Et quia ſemper tam in antiqua lege quam in noua fuerunt ſimiles prophetę, de quibus non ita conſtat fuiſſe diſcipulos Eliæ, ſicut conſtat de alijs, ideò præſens dubium excitamus de prophetis ſacris inter alios præcipuis, quorum ſcilicet prophetiæ habentur vt canonicę in Sacra Scriptura; Hi diuiduntur in maiores & minores, qui tamen non ſucceſſerunt ſibi tempore vitę eo prorsùs ordine, quo habentur in ſacra Scriptura, ibi enim quatuor maiores præponuntur minoribus, cum tamen certum ſit aliquos prophetas minores precęſſiſſe tempore aliquos ex maioribus.

Probatur concluſio generaliter authoritate ſacrę ſcripturæ, Sanctorum Patrum, & Doctorum inſignium. Libro 3. Regum cap. 19. habetur, quomodo Deus dederit poteſtatem S. Elię fundatori noſtrę religionis Carmelitanę vngendi Eliſęum prophetam pro ſe ſiue ſucceſſorum ſui, aſſumendo ipſum ad ſuam religionem propheticam: Et hæc poteſtas concedendi ſpiritum propheticum, Elię propria ſe extendit ad plures quam ad Eliſęum, vt conſtat ex illo Eccleſiaſtici 48. de Elia; *Qui Prophetas facis ſucceſſores poſt te*: Item, *Elias in turbine tectus eſt, & in Eliſæo completus eſt ſpiritus eius*: Vnde ſpiritus prophetiæ Videtur quaſi fuiſſe tūc appropriatus ordini prophetico ſiue diſcipulis Elię. Quòd confirmatur ex eo quòd de facto tempore Eliæ in conuentibus Bethel & Iericho ex diſcipulis Eliæ multi fuerunt prophetę extraordinarij, qui ex Diuina reuelatione prænouerant futurum ipſius Elię raptum, vt legitur 4. Regum cap. 2. Hanc veritatem docent etiam generaliter aliqui Sancti Patres, vt Theodoretus q. 14. in 1. libr. Regum, & in vita S. Marciani: Et D. Thomas 2. 2. q. 17. ar. 4. vbi rationem aſſignans ſic ait; *Nam ad prophetiam requiritur maxima mentis eleuatio ad ſpiritualium contemplationem, quæ quidem impeditur per vehementiam paſſionum, & per inordinatam occupationem rerum exteriorum*; *Vnde & de filijs prophetarum legitur 4. Regum 4. quòd ſimul habitabant cum Eliſæo, quaſi ſolitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus impedirentur a dono prophetiæ*: Ex quo loco habemus, quòd illi qui habebant donum prophetiæ, ac ita erant prophetæ extraordinarij, maiori ex parte erant ex filijs prophetarum, & conſequenter alumni religionis Carmelitanæ; Hæc ratio D. Thomę poſtea expendetur. Plures alij Sancti Patres poſſent adduci, quorū aliqui hunc prophetam ſacrum reducūt ad ordinem propheticum ſeu ad religionem Carmelitanam, alij alium; Et ita ſimul ſumpti ad noſtram religionem reducunt penè omnes prophetas ſacros: Sed de hoc agetur tertio loco. Hanc quoque veritatem tenuerunt multi Doctores eximij, vt Abulenſis 1. Regum 19. q. 31. Genebrardus libro 1. Chronologiæ anno 2066. Torniellus anno 2545. Sanchez lib. 1. Regum cap. 10. Iacobus Bolduc de Eccleſia aute legem lib. 1. cap. 4.

Secundò Probatur etiam generaliter triplici ratione. Prima petitur ab etymologia nominis: nam prophetæ extraordinarij & ſacri dicebantur prophetæ; ac ita inſigniebantur eodem nomine quo alumni ordinis Eliani prophetici ſiue religionis Carmelitanæ: quòd denotat eos maiori ex parte fuiſſe ex ipſorum numero & familia. Secunda ratio deſumitur ab habitu: nam Prophetæ extraordinarij & ſacri, vt plurimum erant induti melote & pellibus caprinis, vt aſſerit S. Paulus ad Hebræos 11. qui habitus tunc fuit proprius religionis Carmelitanæ ab Elia introductus, vt dictum eſt. Tertia tandem ratio procedit ex coniectura, quam adducit D. Thomas: nā licet Deus poſſit ad libitum eleuare ad donum prophetiæ quemcumque voluerit, ſicut eleuauit Amos paſtorem, quem iuxta ſuam confeſſionem fatemur non fuiſſe alumnum ordinis prophetici Carmelitani; ipſe enim dixit ſe non eſſe

Pro-

Prophetam, nec filium prophetę: Tamē quia via ordinaria ſuauiter agit Deus, id eſt medijs proportionatis; cum ad donum prophetiæ requiratur maxima mētis eleuatio ad ſpiritualium contemplationem, quæ impeditur per vehementiam paſſionum, & per inordinatam occupationem rerum exteriorum; Inde ſequitur, quòd vt plurimum Deus eleuabat ad donum prophetiæ alumnos ordinis prophetici Carmelitani, qui continuo religioſorum actuum exercitio moderatas habebant paſſiones, & a ſæcularium ac exteriorum rerum occupatione & ſtrepitu per religioſam ſolitudinem remoti viuebant; quòd confirmatur ex hiſtoria S. Emerentianæ matris S. Annæ alibi relata: Et ſic ſacri prophetæ legis antiquæ poſt Eliam, maiori ex parte fuerunt alumni ordinis prophetici ſiue religionis Carmelitanę, cum nulla tunc alia eſſet.

Tertio probatur inductione ſpeciali ferè per ſingulos prophetas ſacros, quorum mentio habetur in ſacra ſcriptura. Sanctus Epiphanius, Sanctus Hieronymus, & noſter Ioannes 44. Ieroſolymitanus capit. 12. & 15. dicunt Ionam & Abdiam fuiſſe diſcipulos Eliæ. Idem Ioannes docet Michæam filium Iemla fuiſſe diſcipulum Eliæ, ſicut cap. 25. dicit Ionadab filium Rechab patrem Rechabitarum fuiſſe diſcipulum Eliſæi. S. Ignatius attribuit Ieremiam ordini prophetico; Sicut & S. Clemens Romanus Ezechielem. Sanctus Ambroſius epiſtola ad Vercellenſes attribuit eidem ordini Danielem cum ſocijs; Ait enim, *Monachi inter condenſa montium pelliceis tunicis induti, Elias, Eliſæus, Daniel, Ananias, Miſael, Azarias, Ioannes Baptiſta vixerunt, quorum conuerſatione orbis terrarum dignus non erat*: Sed de his tribus vltimis dicetur fuſius articulis ſequentibus, ſicut & de Iſaia. Traditiones Hebraicæ aſſerunt Aggæum & Zachariam fuiſſe alumnos ordinis prophetici. De Sancto Ioanne Baptiſta Præcurſore ſuo loco demonſtratur. De alijs ſacris prophetis ſigillatim non habetur tā ſpecialis & expreſſa Sanctorum Patrum authoritas, quòd fuerint alumni ordinis prophetici Carmelitani; non deſunt tamen aliquæ coniecturæ ex eorū ſcriptis deſumptæ. Quamuis autem concedatur, quod non omnes poſt Eliam prophetam extraordinarij & ſacri fuerint alumni noſtrę religionis Carmelitanæ; manet tamen firma concluſio, qua dicitur quod maiori ex parte fuerint.

AD primum ergo dicendum, quòd ſatis conſtat ex probatione concluſionis, quomodo ſit ſufficiens fundamentū in ſacra ſcriptura, in Sanctis Patribus, & in hiſtoricis fide dignis, aſſerendi quod Prophetę ſacri antiquę legis poſt Eliam maiori ex parte fuerint alumni religionis propheticę Carmelitanę.

AD ſecundum dicendum, quòd licet ordinariè alumni religionis Carmelitanę viuerent ſolitarij in communitate, ſub obedientia vnius ſuperioris: tamen ad exemplum Eliæ & Eliſęi ſuorum parentū, dū vrgebat zelus gloriæ Dei & ſalutis proximi, pręſertim ex mandato ipſius Dei, prodibant in publicum, adibant curias Regum ex licentia ſuperiorum: nec proprias habuerunt domos, ſed finita legatione redibant ad priſtinam conuentus ſolitudinem, in quo fuiſſe ſemper aliquem Superiorum, conſtat ex dictis.

AD Tertium dicendum, quòd Prophetę ſacri poſt Eliam, maiori ex parte ſeruarunt vota eſſentialia religionis, ſicut alumni ordinis prophetici, vt ſpecialiter de Ieremia & Daniele affirmat Sanctus Iſidorus libro 2. de officijs cap. 15. & 17. Vnde ad illud quòd dicitur de Iona, dicendum quòd non mirum ſi aliquando viri religioſi deficiant, maximè in re tam ardua, qualis erat miſſio ad infideles, pręcepta Ionę cum tanto labore, detrimento honoris, & periculo vitę; Conditionis enim humanę eſt deficere: Sed Sanctus Propheta propria vexatione, & naufragio correctus & purificatus perfectiſſimè obediendo ſuam miſſionem impleuit, & Niniuitas ad pœnitentiam conuertit. Ad illud quòd obijcitur de Oſea, dicendum quòd expreſſo publico

& au-

& authentico Dei mandato duxerit vxorem: quod poteſt fieri etiam poſt votum ſolemne caſtitatis, in quo Deus ſupremus Dominus poteſt diſpenſare; Et idē dicendum de alijs, ſi qui fuerint: Et licet concedatur ob illam rationem, quòd Oſeas non fuerit religioſus, manet tamen firma concluſio. Ad illud quod obijcitur de Daniele, dicendum quòd inuitus accepit ab illis Regibus diuitias & honores, vt conſtat ex ipſa ſacra ſcriptura: Vnde pręſumendum eſt, quòd non habuit dominium diuitiarum, ſed tantū vſum cum licentia ſaltem interpretatiua ſufficiente pro illo tempore captiuitatis; Et hęc ſolum admiſit Sanctus hic Propheta in bonum totius populi fidelis, vt ſic poſſet eum iuuare apud Reges, & ſua potentia contrarios eius coercere, ne ipſi nocerent.

ARTICVLVS II.

Vtrum Iſaias Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd Iſaias Propheta non fuerit alumnus religionis Carmelitanæ. Probatur authoritate S. Ignatij martyris Patriarchę Antiocheni epiſtola ad Philadelphienſes, vbi ſic ait; *Non detraho autem cæteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt, quorum nunc memini; opto enim Deo dignus ad veſtigia eorum in regno ipſius inueniri, ſicut Abraham & Iſaac & Iacob, ſicut & Eſaias & cæteri Prophetæ, ſicut Petrus & Paulus & reliqui Apoſtoli, qui nuptijs fuerunt ſociati, qui non libidinis cauſa, ſed poſteritatis ſubrogandæ gratia coniuges habuerunt*: Ergo Iſaias Propheta non fuit alumnus religionis Carmelitanę, in qua caſtitas perpetua ſeruabatur.

¶ 2. Præterea: Ex vna parte non omnes ſacri Prophetæ fuerunt alumni religionis Carmelitanę, vt conſtat de fide de Amos, qui confitetur ſe non eſſe Prophetam, nec filium prophetę: Ex alia verò parte nullus Sanctorum Patrum annumerat Iſaiam Prophetam diſcipulis Eliæ, alumnis Carmelitanę religionis: Ergo Iſaias Propheta non fuit alumnus religionis Carmelitanę.

¶ 3. Præterea: Iſaias Propheta fuit nobiliſſimus & ditiſſimus, fuitque ſocer Manaſſis Regis, a quo coronatus eſt martyrio, quę ſatis indicant ipſum non duxiſſe vitam pauperem religioſā; nec aliunde vllum eſt huius rei fundamentum: Ergo Iſaias Propheta non fuit alumnus religionis Carmelitanę.

SED Contra eſt fundamentum Sacræ ſcripturę, & traditio noſtrę religionis Carmelitanę.

CONCLVSIO.

Iſaias Propheta fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quod Iſaias propheta fuit alumnus religionis Carmelitanę: Ad cuius euidentiam ſciēdum eſt, quòd hic propheta dicitur Eccleſiaſtici 48. *Sanctus, Magnus & fidelis in conſpectu Dei*; habetur enim ſic, *Purgauit eos in manu Iſaiæ Sancti Prophetæ*; Et poſt pauca habetur, *Fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid patris ſui, quam mandauit illi Iſaias Propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei*: Solet etiam vocari Propheta Euangelicus, quia ſic euidenter vitam, miracula & paſſionem Chriſti cum pluribus circumſtantijs prophetico ſpiritu prænuntiat, quòd videatur iam geſta narrare, & eius prophetias appareat Euangelium; Ita dicunt S. Hieronymus prefatione in Iſaiam, & S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 27. Fuit filius Amos; quidam volunt quòd Amos Prophetæ, qui fuerat paſtor; Alij communius, quòd alterius Amos nobiliſſimi, & multis probant, maximè quia nomen patris Iſaię ſcribitur Amots, nomen verò Prophetæ Hhamos: mira ſcripſit, & tam ſublimi ſtilo, quòd nihil

amplius eloquentię deſiderari poſſit: Fuit ſolamen populi fidelis, & oraculum Ezechielis, dum premerentur exercitu Sennacherib, Et fecit illud miraculum tam inſigne contra naturam, quòd vmbra ſolis retrocederet in Ezechielis horologio quindecim gradibus ad confirmandam ipſi prorogationem vitę promiſſam, quòd miraculum fuit toti mundo notorium: Fuit coniugatus, & filiam procreauit, quam accepit coniugem Manaſſes Rex Iuda factus gener Iſaiæ: Hic Rex in principio fuit peſſimus, idololatra, in omnes inhumanus, & in bonos pręſertim Prophetas Domini crudeliſſimus, ex quibus plures occidit, vt ait Ioſephus libro 10. Antiquitatum Iudęorum cap. 3. Et inter illos ſocerum ſuum Iſaiam, a quo ſalubriter de tot exceſſibus monebatur; dicitur enim in Martyrologio Romano, quod tempore Manaſſis mortuus eſt diuiſus in duas partes, & ſepultus ſub quercu Rogel circa viam aquarum: Ad eius mortem alludit Apoſtolus in epiſtola ad Hebręos, dum referens mortes prophetarum, inter alia dicit, *Alij ſecti ſunt*: Habetur in hiſtoria Eccleſiaſtica, & apud S. Epiphanium multa ſucceſſiſſe mira in morte huius Sancti Prophetę, & inter alia quod dum ſerra lignea ſecaretur, prę nimia ſiti paululum aquæ petijt, quam cum ei negaſſent miniſtri iuſtitiæ, Deus cœleſtem conceſſit pluuiam, quæ in ſacrum os ipſius decidens mirabiliter recreauit. His paucis deſcripſimus Iſaiam magnū prophetam, quem dicimus fuiſſe alumnum noſtræ Religionis Carmelitanę.

Probatur concluſio triplici ratione. Prima eſt, quia Sanctus propheta Iſaias inducitur in Sacra Scriptura indutus ſacco velut habitu ordinario; ſic autem veſtiebantur diſcipuli Elię alumni religionis Carmelitanę, quaſi pœnitentes religioſi: Habetur enim capite 20. prophetæ ipſius; *In anno quo ingreſſus eſt Tharthan in Azotum, cum miſiſſet eum Sargon rex Aſſyriorum, & pugnaſſet contra Azotum, & cepiſſet eam: In tempore illo locutus eſt Dominus in manu Iſaiæ filii Amos, dicens; vade & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua (id eſt ſandalia) tolle de pedibus tuis: Et fecit ſic vadēs nudus, & diſcalceatus: Et dicit Dominus; ſicut ambulauit ſeruus meus Iſaias nudus & diſcalceatus, trium annorum ſignum & portentum erit ſuper Aegiptum & ſuper Aethiopiam; ſic minabit rex Aſſyriorum captiuitatem Aegypti, & tranſmigrationem Aethiopiæ, iuuenem & ſenem, nudam & diſcalceatam, diſcoopertis natibus ad ignominiam Aegipti.* Ex quibus conſtat, quòd veſtitus ordinarius Iſaię erat ſaccus, ſimilis melotę S. Eliæ, vt communiter docent expoſitores: Vnde Clemens Alexandrinus libro 3. ſtromatum dicit quòd Elias vtebatur pelle ouina pro veſte, quam zona pellicea cingebat; Sed quòd Iſaias fuit nudus ſine calceamentis, cum tamen ſæpius vteretur ſacco, qui eſt veſtis humilis: quod S. Propheta nobiliſſimus ſocer regius non potuit alio feciſſe motiuo, quàm profeſſione vitæ pœnitentis religioſis.

Secunda ratio deducitur ex hoc quòd tam clarè ac diſtinctè de Beatiſſima Virgine Deipara ſcripſit: nam capite 7. ſic ait; *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*: Conſtat autem, quòd tam clara & diſtincta Virginis Deiparæ tunc futuræ notitia fuit hęreditaria in religione Carmelitana, ſiue per maiorum traditionem continuata, ex quo Sanctus Elias eius fundator reuelationē illius habuit, ſub typo nubeculæ myſticæ de mari aſcendentis ipſi præmonſtratæ, in qua nouit hanc Virginem oriturā in ſua conceptione puriſſimam, & futuram Dei Matrem, aliaque plura eius myſteria, vt docet Ioannes Ieroſolymitanus, quæ Sanctus Patriarcha ſuis manifeſtauit diſcipulis, & hi ſucceſſoribus plenè communicarunt; non autem exteris, qui nondum erant capaces horum fidei myſteriorum, donec Iſaias & alij Prophetę moti a Spiritu Sancto ſimilem ſcripſere doctrinam, & ſic publicam fecerunt ſuę religionis Carmelitanæ traditio-

Digitized by Google

ditionem: Ergò Iſaias fuit alumnus huius religionis.

Tertia ratio deducitur ex his quę ſcribit capite 56. ſequentibus verbis: *Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit*: Hi Eunuchi non ſunt corporales, a natura, vel ab hominibus facti, ſed ſpirituales qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum, vt habetur ex dicto Chriſti cap. 19. Matthęi, & communiter exponunt interpretes; Et meritò propter præmium ipſis a Domino promiſſum, quod debet fundari in merito continentiæ per votum caſtitatis, nam continentia penitùs neceſſaria & naturali, vel omninò violenta non meremur; Vnde Bellarminus libro 2. de monachis cap. 23. ait, *Ipſa Eunuchorum appellatio perſpicuè indicat votum, non enim eſt Eunuchus qui ſolùm continet, ſed qui non poteſt non continere*: Imò communiter Sancti Patres, vt Cyprianus libro de diſciplina & habitu Virg. numero 18. Baſilius libro de vera Virg. pagina 776. Hieronymus & Cyrillus Alexandrinus in citatum locum Iſaiæ, Gregorius 3. parte paſtoralis docent eoſdem eſſe Eunuchos Iſaiæ & Euangelij: Et clarius Auguſtinus contra Adamantum Manicheum libro 1. cap. 3. ait; *In veteri Teſtamento habent apud Iſaiam Prophetam, quanta promittantur ſpadonibus, ne in nouo ſolo arbitrentur eſſe laudatos a Domino:* Et certè pręmiũ his promiſſum, nempe perpetuitas manendi in domo Dei, ſeu iuxta Chaldæã translationem, *In domo ſanctuarij mei, & in terra domus maieſtatis meæ*, propriè conuenit Virginibus Deo per votum conſecratis, qui continuò manent in monaſterijs Deo dicatis; pręſertim quia cap. 23. Deuteronomij corporales Eunuchi concludebantur a domo Dei, dicitur enim, *Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro Eccleſiam Domini*. Voluit igitur Dominus & Iſaiam Prophetam, & eius fratres Eunuchos ſpirituales, qui tunc ſolùm in religione Carmelitana viuebant, huiuſmodi legatione conſolari: Ergo Iſaias fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

Quarta ratio ſiue coniectura poteſt deduci ex hoc quod ei fuerit prænuntiatum a Deo de conſeruatione Religionis Carmelitanæ ſub tempore Salmanaſar Regis Aſsyriorum, deſtructo Regno Iſrael, in quo eſt mons Carmelus; Videtur enim Dominus hoc ei releuaſſe ad eius conſolationem, velut alumni huius religionis, quod ipſe ſic deſcribit capite 32. *Erit deſertum in Charmal, & Charmel in ſaltum reputabitur, & habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Charmel ſedebit, & erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum; & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*; Quia hæc alibi cum noſtro Ioanne Ieroſolymitano ponderauimus, non amplius hic immoramur: Ergo Iſaias Propheta fuit alumnus religionis Carmelitanę.

AD primum ergò dicendum quòd quidem Iſaias propheta fuit in ſtatu matrimonij, in quo dicitur filiam ſuſcepiſſe; tranſijt tamen poſtea ad ſtatum religionis, tunc vnicę in Carmelo, vel mortua vxore, vel ipſa dimiſſa, ſicut etiam contigit Abdiæ Prophetæ; nec contrarium ſuadet auctoritas adducta.

AD ſecundum dicendum, quòd quidem Amos Propheta non fuit alumnus religionis Carmelitanę, vt concedimus eius confeſſioni; de alijs autem ferè omnibus affirmant communiter Sancti Patres, vel in communi, vel in particulari; ſufficiunt pro Iſaia adductę rationes, aut coniecturæ ad probabilitatem, quam ſolùm hic intendimus.

AD Tertium dicendum, quòd ſemper in ſtatu religioſo fuerunt viri nobiliſſimi, qui contemptis mundi pompis, & relictis diuitijs elegerunt abiecti eſſe in domo Dei ſui.

Digitized by Google

Articvlvs III.

Vtrum Ieremias Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quod Ieremias Propheta non fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. Probatur: In religione Carmelitana ſeruabantur etiam tunc tria vota religionis eſſentialia, vt probant Carmelitæ: Sed Ieremias non ſeruauit ſaltem votum paupertatis, habuit enim dominium & pecuniarum & poſſeſſionum, vt demonſtratur ex capite 32. Prophetiæ ipſius, ibi enim dicitur quòd emerit a germano ſuo agrum cum omni ſolemnitate iuris, & inter alia ſic habet verſu 9. *Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui eſt in Anathot, & appendi ei argentum ſeptem ſtatores & decem argenteos &c.* Ergo Ieremias Propheta non fuit alumnus religionis Carmelitanæ; maximè quia talis emptio facta fuit ex Dei præcepto, qui non præcepiſſet ei facere contra votum.

¶ 2. Præterea: Si quid ſuaderet Ieremiam prophetam fuiſſe alumnum religionis Carmelitanæ, maximè quia Deus hoc ei dedit præceptum, vt habetur cap. 6. prophetię ipſius, *Non accipies vxorem, & non erunt tibi filij & filiæ in loco iſto:* Sed hoc non probat; Tum quia non accipere vxorem nec procreare filios, non eſt ſignum ſtatus religioſi, quia multi ſunt continentes in ſæculo; Tum quia nō abſolutè præcipitur ei non accipere vxorem & procreare filios, at tantū in loco determinato: Ergo Ieremias propheta non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Pręterea: multa leguntur de Ieremia, quæ non conueniunt viro religioſo illius temporis; nempe quòd geſtaret cingulum lineum, cum tamen veſtis religioſa eſſet lanea; quòd multas faceret peregrinationes, cum tamen virum religioſum deceat ſolitudo; quòd tempore captiuitatis manſerit ſolus in Palæſtina, abſque dependentia ſuperioris: Ergo Ieremias Propheta non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

SED Contra eſt authoritas Sanctorum Patrum, & aliorum Doctorum cum fundamento Sacræ Scripturæ.

Conclvsio.

Cum Ieremias Propheta fuerit Nazareus perpetuus, obſeruans tria Religionis vota, fuit alumnus religionis Carmelitanæ tunc vnicæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Ieremias Propheta fuit alumnus religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Sanctus propheta Ieremias fuit ſanctitate valde cōſpicuus, typus Chriſti Domini, oraculum fidelis populi, & ſolatium illius tempore captiuitatis: Fuit de Tribu Leui Sacerdos, Pater eius Helcias fuit ille, qui decimo octauo Ioſię Regis anno reperit in immunditijs templi librum Deuteronomij: Natus eſt in Oppido Anathoth Terræ Beniamin tribus ab Ieruſalem milliaribus ex Sancto Hieronymo: Fuit Sanctificatus in vtero matris ſummo priuilegio paucis conceſſo, quòd ſic habetur cap. 1. prophetię ipſius; *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens; Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua ſanctificaui te, & prophetam in Gentibus dedi te;* miſſus fuit à Deo præuaricanti populo, ad intimandam ei vicinam captiuitatem Babylonicam, quam ſibi demonſtratam ſic narrat cap: 1. *Et factum eſt verbum Domini ſecùndò ad me dicens; Quid tu vides? Et dixi; Ollam ſuccenſam ego video, & faciem eius a facie Aquilonis; Et dixit Dominus ad me; Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ, quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus, & venient & ponent vnuſquiſque ſolium ſuum in introitu portarū Ieruſalem, & ſuper omnes muros eius in circuitu, & ſuper vniuerſas Vrbes Iuda:* Hanc captiuitatē pręcepto Domini prædicauit,

Digitized by Google

dicauit, & propheticis geſtis prænuntiauit; propter quòd tam à Regibus, quam a populis, quibus comminatoria eius verba diſplicebant, multum paſſus eſt & carceris & laboris, vt habetur in toto decurſu prophetiæ ipſius: Accidit tandem captiuitas, quæ triplici tranſmigratione populi completa fuit: Poſt ſecundam tranſmigrationem, ſcripſit Babylonem captiuo populo conſolatoriam epiſtolam; exhortatus eum ad pœnitentiam, quæ ſic habetur cap. 29. num. 11. in nomine Domini: *Ego enim ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, ait Dominus, cogitationes pacis & non afflictionis vt dem vobis finem & patientiam &c.* Deinde mandato Domini geſtauit catenas a collo vſque ad pedes, vt refert cap. 27. vt ſic captiuitatis complementum indicaret; quod aliorum animos contra ipſum excitauit, quaſi animum bellatorum deijceret; Vnde carceri mancipatur, & in profundum putei demittitur: Capta ciuitate Ieruſalem à Nabuzardam duce Generali Nabuchodonoſor Regis, Sanctus Propheta benignè tractatur, & relinquitur in Palæſtina cum parte ſubiugati populi & Godolia duce; miſit tamen Baruch ſuum ſecretarium cum populo traſmigrante: Videns funeſtum deſtructæ Ieruſalem ſpectaculum, ſic amaro animo ſuas cœpit lamentationes ſuſpirans & eiulans; *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo, facta eſt quaſi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo*: Receſſit deinde in Maſpha, vbi Tabernaculum, altare incenſi, & arcam Teſtamenti ab incendio Chaldæorum præſeruata reperiens, detulit ad montem Nebo, vbi ea abſcondit: Cũ prædictus Godolias fuiſſet a quodam Iſmaele nobili Iudæo trucidatus, cæteri Iudæi timentes hanc ſibi necem imputari, receſſerunt in Aegyptum contra Ieremiæ conſilium, ipſumque ſimul tranſmigrare coegerunt: Cũque vir Sanctus populum ad idola declinantem corriperet, lapidibus obruitur, & in Aegypto ſepultus apud infideles venerationem inuenit, quam editis pluribus miraculis præmiauit; Ipſe Magnus Alexander capta Aegypto huius Sancti Prophetæ ſepulchrum venerabundus viſitauit, eiuſq; reliquias tranſtulit Alexandriã in magnificũ mauſoleũ.

Probatur Concluſio authoritate Sanctorum Patrum & aliorum Doctorum qui Ieremiam faciunt Nazareum perpetuum, & Virginem Deo conſecratum, ad inſtar Eliæ, Eliſæi, Ioannis Baptiſtæ, qui fuerunt religioſi Carmelitanæ Religionis. Sanctus Ignatius epiſt. ad Philadelphienſes ſic ait: *Virgines ſolùm Chriſtũ præ oculis habete, & eius patrem, in animabus veſtris illuminatæ à Spiritu Sãcto, memor ſum ſanctitatis veſtræ, ſicut Heliæ, ſicut Ieſu Naue, ſicut Melchiſedech, ſicut Eliſæi, ſicut Hieremiæ, ſicut Ioannis Baptiſtæ, ſicut dilectiſſimi diſcipuli, ſicut Timothei, ſicut Titi, ſicut Euodij, ſicut Clementis, vel eorum qui in caſtitate de vita exierunt.* Origenes homilia 6. ex octo quas Ghiſlerius ſuis inſeruit commentarijs in Ieremiam, ait: *Ieremias in cęlibatu vixit, dixit enim illi Dominus, nõ accipies vxorem, neque procreabis filios, & in caſtitate vitam duxit.* Sanctus Hieronymus libro 1. contra Iouinianum cap. 18. ſcribit Ieremiam fuiſſe ſanctificatum in vtero, quia Virginitatis erat beatitudini deſtinatus. In epiſtola ad Euſtochium ſic ait: *Paulatim verò increſcente ſegete meſſor immiſſus eſt; Virgo Elias Eliſæus virgo, virgines multi filij Propetarum; Ieremiæ dicitur, Et tu ne accipias vxorem, ſanctificatus in vtero captiuitate propinqua vxorem prohibetur accipere.* Et in præfatione ad Ieremiam ait: *Ieremias virginitate ſua Euangelicum virũ Chriſti Eccleſiæ dedicans.* Sanctus Althelmus de laudibus Virginitatis cap. 10. ait de Ieremia: *Ab ipſa rudi cunabulorum teneritudine virginitati conſecratus, de quo diuina promulgat ſententia, antequam procederes de vulua ſanctificaui te, pulchro videlicet virginitatis præſagio.* Olimpiodorus in Cat. Græc. apud Ghiſlerium ait de Ieremia, *Proditum eſt virginem fuiſſe Prophetam, cui nempè a Deo præceptum fuit ne vxorem duceret.*

Secun-

Digitized by Google

Secundò probatur multiplici ratione. Prima deducitur ex obſeruantia perpetua Ieremiæ circa Obedientiam, Caſtitatem & paupertatem, quæ fundatur in votis illarum virtutum eſſentialibus ſtatui religioſo, tunc in vnica Religione Carmelitana ſubſiſtenti; de eius obedientia penè connaturali ex vſu continuo, prompta vſque ad mortem, habetur illud cap. 26. prophetiæ ipſius dictum, *Ego autem ecce in manibus veſtris ſum, facite mihi quod bonum & rectum eſt in oculis veſtris*; de caſtitate ipſius ſufficienter patet ex dictis, & præſertim ex ſpeciali præcepto Dei; de paupertate eius eſt illud lamentationum 3. *Ego vir videns paupertatem meam*, circa quod ait Paſchaſius Ratbertus, *Licet Propheta plangenti congruere videatur, tamen vox Chriſti eſſe intelligitur, qui in manibus Prophetarum aſſimilatus eſt*. Secunda deſumitur ex deſcriptione quam facit Nazaręorum fratrum ſuorum cap. 4. lamentationum dicens; *Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores; denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis, adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignū*: In prioribus verbis deſcribit habitum ipſorum candidum & rubicundum ſiue ſubruſum; Vnde Origenes in Cat. Gręcor. dicit quod *Symmacus per Nazaræos intelligit eos qui ſe Deo dedicauerunt, qui exercitatione eorum quæ polliciti ſunt Deo vitæ genus ducunt cœleſte, eorum habitum Symmachus aſſimilat vt incorruptum & religione feruentem*. Hæc Origenes, quòd magis explicans Iacobus Boulduc de Eccleſia poſt legem cap. 14. dicit expreſsè Nazaræorum habitum fuiſſe ſimilem noſtro Carmelitano; ſic enim ait, *Videntur ſubruſis iſtis pellibus appoſuiſſe albas laneaſque veſtes, eo modo quo Patres Carmelitæ induuntur, vt illis ſub nomine Nazaręorum rectè conueniat illud dictū, Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, qui ſubruſi Carmelinique coloris eſt, ſapphiro pulchriores: In poſterioribus autem verbis eos deſcribit ſecum in miſerÿs illius captiuitatis ſocios*. Tertia ratio deſumitur ex hoc quod Ieremias habuit Baruch prophetam ſuum comitem & ſecretarium, quod indicat fuiſſe religioſum, & fortè ſuperiorem religionis; cum ipſum miſerit in Babylonem ad bonum populi transmigrantis, quaſi ſui vicarium cum eodem motiuo remaneret in Palæſtina. Quarta ratio deſumitur ex ſpiritu orationis & mortificationis proprio religionis Carmelitanæ, qui legitur connaturalis Ieremiæ; vnde fuit figura Chriſti patientis. Quinta ratio deſumitur ex zelo, quo Ieremias Eliam imitatus alloquebatur Reges & falſos Prophetas. Sexta ratio deſumitur ex ſimilitudine eius in ſanctificatione adhuc in vtero cum S. Ioanne Baptiſta, quod priuilegium tunc fuit Religionis Carmelitanę. Septima ratio dĕducitur ex notitia ſpeciali, quam habuit Ieremias Beatiſs. Virginis Deiparę, continua traditione conſeruata in Religione Carmelitana a tempore Eliæ, cui fuerat reuelata: dicitur enim in Chronicon Alexandrino, quod Sacerdotes Aegyptij tempore legis antiquæ effomabant figuram Virginis in manibus geſtantis filium, & ab Ptolomeo Rege cauſam interrogati, reſponderunt ſe hanc deuotionem a Venerabili Propheta Ieremia per traditionem maiorum ſuorum recepiſſe; vel viuæ vocis oraculo, cum ipſe Ieremias acceſſit in Aegyptum, vel in ſua prophetia cum prædixit deſtruenda fore Aegypti ſimulachra, quando ad illam intraret Virgo geſtans filium quem in Præſepio pepererat. Octaua ratio deducitur ex eo, quòd Ieremias erat Nazaræus perpetuus, ac proinde religioſus iuxta ſuperiùs dicta: nam vt habetur cap. 7. geſtabat capillorum comam Nazareatus propriam dicitur enim ipſi a Domino; *Tonde capillum tuum & proÿce*, ſiue iuxta Hebræos ex Pagnino, *Tonde Nazareatum tuum*: Et ita Lyranus in hunc locum ſubdit; *Eo quod erat Nazareus*.

AD primum ergò dicendum, quod præceptum Dei circa illam emptionem fuit

Digitized by Google

ſuit propheticum, voluit enim ſignificare Iudæis mox vendendam eſſe terram ipſorum: Et vt habetur cap. 37. S. Propheta breui dimiſit poſſeſſionem illius agri in conſpectu ciuium, vt ipſe ſine ſollicitudine remneret; ait D. Thomas in illum locum.

AD ſecundum dicendum, quod iuxta Sanctos Patres adductos, hoc prçceptũ Dei fuit abſolutum in Ieremia pro ſeruanda caſtitate Deo per votum conſecranda.

AD Tertium dicendum, quòd cingulum illud fuit ex tela cruda, ac proinde rigidum quaſi cilicium, quod illas peregrinationes aſſumpſit in illis temporum miſerijs ad bonum populi, quæ Sanctos etiam Anachoretas eduxerunt aliàs ab eremis, vt S. Antonium; quod Ieremias ipſe fortè erat ſuperior religionis, vt dictum eſt, & cum ipſo manſerunt plures alumni religionis, ſequutique ſunt eum in Aegyptum, ex quibus deriuatos aſſerunt Authores fuiſſe Eſſenos Alexandrinos, quorum principale monaſterium erat ædificatum propè lacum dictum Maria, vt ait Philo de vita contemplatiua; fortè à Beatiſsima Virgine Deipara ſingulari ipſorum Patrona.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Ezechiel Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Ezechiel Propheta non fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. Probatur: Nullus Sanctorum Patrum dicit aliquid, quod ſignificet, vel etiam indicet hunc Sanctum Prophetam fuiſſe diſcipulum Eliæ, vel ad eius congregationem pertinere; Cum tamen plures Sancti Patres aliquid ſimile de alijs Prophetis affirmant; nec Ioannes Ieroſolymitanus, diligens inquiſitor gloriæ & antiquitatis Carmelitanæ Religionis, cum inter alios Prophetas Eliȩ filios numerat in ſuo libro de Inſtitutione Monachorum: Ergo Ezechiel Propheta non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: Nullnm eſt, vel minimum fundamentũ in vita, vel etiam prophetia ipſius, quòd fuerit religioſus; cum tamen in vita, vel etiam in prophetijs aliorum Prophetarum tale fundamentum inueniatur: Ergo Ezechiel Propheta non fuit alumnus Religionis Carmelitanȩ.

¶ 3 Præterea: Si quid ſuaderet Ezechielem Prophetam fuiſſe alumnum Religionis Carmelitanæ, maximè quia aliqui dixerunt ipſum fuiſſe Pythagoram Philoſophum, qui diutiùs in Carmelo manſit inter Religioſos: Sed non poteſt dici, quòd Ezechiel Propheta ſit Pythagoras Philoſophus, cum hic fuerit Gentilis: Ergo Ezechiel Propheta non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ:

SED CONTRA eſt traditio Religionis Carmelitanæ, & communis ſententia Doctorum ipſius, cum fundamento Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum.

CONCLVSIO.

Ezechiel Propheta fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendũ, quod Ezechiel Propheta fuit alumnus Religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod Ezechiel fuit filius Buzi Sacerdos natus in oppido Serara ſiue Sarida, ex Sanctis Epiphanio, Iſidoro, Dorotheo & Chronico Alezandrino: cum fuiſset cum alijs captiui Iudæorum translatus in Babylonem, & conſtitutus in medio ipſorum, ad ripas fluminis magni cœpit prophetare. Fluuius ille Chobar Hebraicè & Arabicè, ſiue maguus Latinè, eſt vel Heuphrates, vel Tigris, vterque nãque denominatur fluuius Chobar & magnus in ſacra Scriptura, & Ciuitas Babylon illa magna tunc in medio ipſorũ erat, vtriuſque vndis irrigata,

rigata, hi enim duo fluuij ex Armenia & Meſopotamia procedentes, & ſimili curſu verſus meridiem decurrentes vix vnius diei itinere diſcernuntur, & aliquando mutuò accedunt, præſertim vbi tunc erat Babylon antiqua, nunc Babylon noua vltra Tigrim ſita eſt ad ripam eius ſiniſtram extra Meſopotamiam, quamuis eius ſuburbium ex altera fluuij parte ſitum ſit in Meſopotamia: Cœpit eius prophetia anno quinto captiuitatis Ioacim ſeu Ieconiæ, quarto menſe dicti anni, & quinta die menſis, cum ipſe Ezechiel eſſet triginta annorum ętatis: Quia tunc complebatur malitia Iudęorum, Deus oſtendit huic Prophetę cōplemētum captiuitatis futurę ſub Sedecia in pœnam peccatorum, vnde ſtatim a principio in viſione oſtendit illi currū igneum à vento turbinis impulſum ab Aquilone contra Ieruſalem, qui videtur in ſenſu litterali confirmatio feruentis ollæ quam viderat Ieremias,& erat comminatorius imminentis incendij & totalis ruinę Ieroſolymorum; quam attrahebant Rex ſignificatus per leonem, Sacerdotes ſignificati per bouem,falſi Prophetę ſignificati per aquilam,& Iudices ſignificati per hominem, hęc namque quatuor animalia currum illum myſticum trahebant: multas variaſque exinde viſiones ac reuelationes habuit, quę dictam captiuitatem pronuntiauit cum multis eius circunſtantijs: nempè obſidionis Ieruſalem, famis extremæ &c. Tandem poſt completam captiuitatem Iuda, Dominus Ezechieli promiſit populi ſui pęnitentis aliquando libertatem, ac paſtorem futurū ipſius, nempè Chriſtum ſub perſona Dauid patris ſui, & huic populo iam fideli & chriſtiano promiſit pacem ęternam, & mille benedictiones tam in ſpiritualibus quàm in temporaliaus, quę omnia refert Propheta cap.34. dicens; *Saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus; & ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum, qui paſcet eas, ſeruum meum Dauid* (in Chriſto ſcilicet filio eius) *ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem;ego autem Dominus ero eis in Deū, & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum, ego Dominus locutus ſum; Et faciam cum eis pactum pacis &c.* Cum quinquageſimum ſecundum ętatis annum excederet, martyr occubit in Babylone, vt refert S.Epiphanius libro de vita & interitu Prophetarum, & S.Ioannes Chryſoſtomus homilia 46. ad cap. 23. Matthæi dicit ipſum inter ſcopulos tractum eos cerebro reſperſiſſe: Martyrologium autem Romanum ad 10. Aprilis ſic habet: *Ezechielis Prophetæ; qui a Iudice populi Iſrael, quòd eum de cultu idolorum argueret, apud Babyloniam interfectus, in ſepulchro Sem & Arphaxat Abrahæ progenitorum ſepultus eſt,ad quod orationis cauſa multi confluere conſueuerunt.*

Probatur concluſio authoritate Sacræ Scripturæ: Capite 3. ipſius Ezechielis ſic ait ei Dominus; *Speculatorem dedi te domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me*: Idem repetit cap.33. dicens; *Et tu fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, audiens ergo ex ore meo ſermonem annuntiabis eis ex me*: Sed iuxta Sanctos Patres nomine ſpeculatores intelligitur Propheta viuēs in communitate; ſic intelligit Theophilactus apud Gloſſam in illud Oſeæ 1. *Quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi*; Et Theodoretus ſic locum iſtum exponit, *Speculationem Prophetarum collegium & Concilium vocat*:Conſtat autē ex Sacra Scriptura & Sanctis Patribus, quòd a tempore S.Eliæ collegia omnia Prophetarū fuerunt communitates religioſæ ab ipſo inſtitutæ, vt alibi probatum eſt; Et conſequentèr Prophetæ viuentes in communitate fuerunt Religioſi Religionis Elianæ in monte Carmelo fundatæ, ac proinde Carmelitanæ, iuxta iam dicta vel alibi dicenda: Ergo Ezechiel Propheta fuit alumnus Religionis Carmelitanæ,

Secundò probatur authoritate & ratione deducta ex S. Clemente Romano: libro 1.Recognitionem ad Iacobum fratrem Domini pag.14. & 15. aſſerit Reges, Prophetas & Pontifices in populo Iudæo-

Iudæorum fuiſſe vnctos Chriſmate, ait enim inter alia multa; *Sed & ſi quis alius ex ipſo vnguento pervnctus eſt, tanquam virtute inde concepta, etiam ipſe Rex, aut Propheta fiebat, aut Pontifex*: Conſtat autem, quòd ſicut Aaron fuit primus Pontifex vnctus Chriſmate viſibili, ſic & Eliſæus fuit primus Propheta mandato Domini vnctus ab Elia; vt habetur ex illo, *Vnges Eliſæum filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, Prophetam pro te*; Vnde videtur, quòd alij Prophetæ poſt Eliſæum ſimilitèr vncti fuerunt diſcipuli Eliæ, ac proinde alumni Religionis eius Carmelitanæ, iuxta illud Eccleſiaſtici 48. de Elia, *Qui Prophetas facis ſucceſſores poſt te*: Ergo Ezechiel Propheta fuit alumnus Religionis Carmelitanæ. Citatur etiam ad hoc probandum eiuſdem S. Clementis authoritas: ſed expreſſam nondum inueni.

Tertio probatur generalibus rationinibus articulo 1. adductis: quibus poteſt adiungi frequentia & ſublimitas viſionum & reuelationum, quas hic Sanctus Propheta habuit, quæ cum ſtatu ſęculari non videntur compoſsibiles, & exigunt ſtatum religioſum perfectiſſimum & quietum: Ergo Ezechiel Propheta fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD primum ergo dicendum, quòd citatur ab Authoribus S. Clemens Romanus, vt attribuens Congregationi Elianæ Prophetarum, Ezechielem Prophetam, ac proinde Religioni Carmelitanæ: ſaltem habemus fundamentum in ipſo, & in alijs Patribus adductis. Noſter autem Ioannes 44. ſolùm adducit quatuor primos Eliæ diſcipulos, columnas nouæ religionis ab eo fundatæ; Et ſubiungit S. Ionadab, & Præcurſorem Chriſti S. Ioannem Baptiſtam, cum eorum diſcipulis in communi, quod ſufficiebat eius intentioni, de continuanda Religione Carmelitana ab Eliæ tempore vſque ad monachos Eccleſiæ primitiuæ.

AD ſecundum dicendum, quod ſufficiens eſt fundamentum in prophetia Ezechielis aſſerendi fuiſſe religioſum, quia vocatur ſpeculator domus Iſrael, cùm frequentia & ſublimitate viſionum ac reuelationum ipſius; Deinde ſufficerent rationes generales.

AD tertium dicendum, quòd quidem affirmarunt aliqui eundem fuiſſe Ezechielem prophetam, & Pythagorā Philoſophum, quem dicunt priùs prophetaſſe inter Hebræos, & poſtea docuiſſe Gentiles; quos impugnat Clemēs Alexandrinus libro 1. Stromatum, quia Ezechiel Propheta iam mortuus erat in Babyloue, cum nondum eſſet natus Pythagoras, & non detur tranſmigratio animarum: Si hoc illorum dictum eſſet verum, faueret noſtræ concluſioni, quia dicetur infra diutiùs in Monte Crrmelo commoratum fuiſſe Pythagoram inter Religioſos Carmelitas, & ab illis edoctum fuiſſe; nam ipſe diſcedens inde prædicauit caſtitatem & votum ipſius, inſtituit collegia vbi caſtitas ſeruabatur, fundauit inter diſcipulos ſuos abſtinentiam & ſilentium, eiſque candidum dedit habitum, vt referunt authores alibi citati, quæ ſingulas ſunt inditia Religionis, & profeſsionis Carmelitanæ; maximè quia ex S. Ambroſio epiſtola 6. ad Iræneum, Pythagoras fuit Iudæus: Sed tamen noſtra concluſio non innititur huic identitati Ezechielis Prophetę cum Pythagora.

ARTICVLVS V.

Vtrum Daniel Propheta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Tertium ſic proceditur. Videtur quòd Daniel Propheta non fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. Probatur: Daniel Propheta habuit filios, vt dicitur in Ezechiele cap. 14. his verbis; *Et Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius, viuo ego dicit Dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt, ſed ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas*; ſi Daniel filios habuit, vtique fuit coniugatus tempore captiuitatis Babylonicæ, & con-

& conſquentèr non fuit religioſus: Ergo nec alumnus Religionis Carmelitanę.

¶ 2. Præterea: non apparet quando potuit Daniel eſſe religioſus; nam ante captiuitatem in Palæſtina, vbi florebat Religio Carmelitana, adhuc nimis erat iunior, vt conſtat ex Scriptura, Babylone verò in captiuitate omnia erant confuſa, nec apparet quod ibi fuerint Carmelitæ Religioſi, a quibus fuerit receptus: Ergo Daniel Propheta non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Prętereà: Legitur in Prophetia ipſius Danielis, quòd fuerit indutus purpura a Balthaſare rege Babylonis, quòd fuerit declaratus Princeps tertius regni ipſius, & conſequentèr quòd fuerit ditiſſimus: ſed hæc omnia repugnant viro religioſo, qui pauper & humilis eſſe debet: Ergo Daniel Propheta non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt authoritas Sanctorum Patrum, & traditio Religionis Carmelitanæ cum fundamento Sacrę Scripturę.

CONCLVSIO.

Daniel Propheta fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Daniel propheta fuit alumnus Religionis Carmelitanę. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd fuit de ſanguine regio Iudæorum, vt habetur ex capite 1. proqhetię ipſius: Pater eius ex S. Epiphanio hęreſi 55. vocabatur Sabaa; ſocios habuit Eunuchos Regis Babylonis nobiliſſimos, Ananiam, Miſaëlem & Azariam, quibus ſicut & Danieli Prępoſitus Eunuchorum Aſphenez mutauit nomina, ita quod Daniel dictus ſit Balthaſar, Ananias verò Sidrach, Miſaël Miſach, & Azarias Abdenago: Ab ipſa iuuentute fuit ſapientia cœleſti perfuſus, vt diuino habetur oraculo apud Ezechielem cap. 28. vbi dicitur; *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens, Fili hominis dic principi Tyri, Hæc dicit Dominus Deus, eo quod eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris; cum ſis homo, & non Deus, & dediſti cor tuum quaſi cor Dei; Ecce ſapientior es tu Daniele, omne ſecretum non eſt abſconditum à te.* Cum captiuus in Babylonem ductus eſt, erat duodecim annorum, vt docet S. Ignatius epiſtola ad Magneſianos: Poſt annum captiuitatis, decimo tertio ętatis ſuę mirabilem ſuam oſtendit ſapientiam in liberatione S. Suſannę de adulterio a duobus ſenibus accuſatę, quos Sanctus Iuuenis conuicit, & innocentē liberauit, vt narratur c. 13. prophetię ipſius, quo facto maximam ſui venerationem apud omnes cauſauit; Cum ſeptendecim eſſet annorum electus fuit vt eſſet Eunuchus ſeu Ephebus regis Nabochodonoſor, vnà cum prędictis tribus ſocijs: Cum Nabuchodonoſor rex ex ſuis victorijs & triumphis ſuperbiam aleret in corde ſuo, Deus ipſum volens humiliare miſticam oſtendit viſionem, quam ſibi diuinitùs manifeſtatam ſic ipſimet Regi oblito retulit Daniel, vt habetur cap. 2. *Tu rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis, ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis; huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis &c.* quam viſionem Daniel interpretatus eſt de quatuor mū̄di monarchijs, & de ęterno Chriſti regno: Aliam quoque viſionem habuit Nabuchodonoſor cap. 4. Danielis relatam, quam ipſemet Daniel interpretatus eſt de eiectione regis ab hominibus, qui velut bellua in ſiluis ad tempus vixit, ſed poſt ſeptem annos regno reſtitutus Dęū agnouit, & palam confeſſus eſt: Cum Balthaſar rex filius Nabuchodonoſor in ſolemni conuiuio vaſa Templi Ieroſolymitani prophanaſſet, laudans deos ſuos, in pęnam impietatis intimatur ei ſententia diuina in pariete cubiculi deſcripta manu apparente, quam ſimilitèr interpretatus Daniel, purpura meruit indui

iuſſu

Digitized by Google

iuſſu regis: Cum iuxta Danielis interpretationem capta fuiſſet Babylon illa magna, & interfectus eſſet Balthaſar à Perſis, eorum monarchæ Dario deinde Cyro fuit chariſſimus, & venerabilis hic Sanctus Propheta; ſed ab æmulis accuſatus Dario Regi mittitur in lacum leonum, quia Deum verum ſæpius in die præcibus adorabat, quamuis inuito Rege & caſum eius deflente; Sed incolumis diuina protectione eductus maiorem obtinuit Regis totiuſque populi venerationem: Poſt alias reuelationes diuinas habuit tandem illam quam refert cap. 9. de aduentu Chriſti & redemptione populi, tam clarè expreſſam, quòd multas eius circunſtantias adducat, ait enim: *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in viſione a principio, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini: Et docuit me, & locutus eſt mihi, dixitque; Daniel nunc egreſſus ſum vt docerem te & intelligeres: Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo, ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es; tu autem animaduerte ſermonem & intellige viſionem: Septuaginta hebdomades abbreuiatę ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur pręuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & Prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum: Scito ergo & animaduerte, ab exitu ſermonis vt iterum ædificetur Ieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum: Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus qui eum negaturus eſt; Et ciuitatem & ſanctuariùm diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio: confirmauit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio:* Tandem Sanctus Propheta centenario maior mortuus eſt Babylone, vbi eius ſepulchrum perduraſſe ſuo tempore ſcribit Sanctus Epiphanius; de eo meminit martyrologium Romanum die 21. Iulij

Probatur concluſio authoritate Sanctorum Patrum. Sanctus Ambroſius epiſtola ad Vercellenſes ſic ait: *Monachi inter condenſa montium pelliceis tunicis induti, Elias, Eliſæus, Daniel, Ananias, Mizael, Azarias, Ioannes Baptiſta vixerunt, quorum conuerſatione orbis terrarum dignus non erat.* Sanctus Anaſtaſius Sinaita loquens de Eunuchis Euangelicis q. 66. ponit inter eos Apoſtolos & monachos; Et addit, *Sicut Elias & Daniel in veteri Teſtamento, & alij multi.* Sanctus Auguſtinus in pſalmum 132. ait: *Daniel vitam quietam elegit in cælibatu ſeruire Deo.* Sanctus Bernardus ſermone 35. ſic habet: *Daniel vir ſoli Deo vacans, continentium & pænitentium ordo.* Denique communiter Sancti Patres, vt Epiphanius in vita ipſius, Hieronymus contra Iouinianum, Theodoretus in Iſaiæ 56. Dorotheus in Synopſi, & alij plures docent Danielem fuiſſe ſpiritualem Eunuchum iuxta Iſaiam, aut Virginem Deo conſecratum: in antiqua verò lege Virgines & Eunuchi tales ſolùm inueniebantur inter diſcipulos Elię alumnos Carmelitanæ religionis. Vnde lepidè dixit Sanctus Ioannes Damaſcenus lib. 4 de fide cap. 25. *Danielis corpus virginitate ita obduratum eſt, vt ferarum dentes ei infigi nequiuerint.* Et S. Althelmus de laudibus, virginitatis ait.

Scriptorum veterum liquidò monumenta loquuntur,
Quòd Daniel ſemper Virgo floreſceret almus;
Qui nobis normam ſacratæ virginitatis
Imbuit, & ſpeculum vitę monſtrauit alumnis.

Secundò probatur teſtimonio ipſiuſmet Danielis, qui ſuo tempore agnouit religioſos, vtique diſcipulos Eliæ alumnos religionis Carmelitanæ, & annumerat eis Sanctos comites ſuos, & conſequenter ſeipſum. Dicit igitur cap. 3. in illo vniuerſali Benedicite, ex perſo-

Digitized by Google

na ſociorum excitantium ſe ad laudandū Dominum: *Benedicite Anania, Azaria, Mizael Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula; quia eruit nos de inferno, & ſaluos fecit de manu mortis, & liberauit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos, Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius; Benedicite omnes religioſi Domino Deo deorum, laudate & confitemini ei, quia in omnia ſæcula miſericordia eius*.

Tertio Probatur ex regularibus obſeruantijs ipſius Danielis, quæ propriæ erant Diſcipulorum Eliæ alumnorum Carmelitanæ Religionis, prҿſertim ex oratione & mortificatione: De oratione dicit cap. 6. quòd *Tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & orabat, confitebaturque coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat*; Sic faciebant ter in die Filij Prophetarum in monte Carmelo, vt referunt Authores; De mortificatione ſocia orationis ait cap. 9. *Poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari in ieiunijs, ſacco & cinere*; Tandem ipſe & ſocij dixerunt capit. 1. *Dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum*, qui erat vſitatus victus Nazareorum perpetuorum filiorū prophetarum; propoſuitque Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus eius; ex quo deducitur, quòd vinum & cibi menſæ regiҿ, nempe carnes erant illiciti reſpectu illius, & vt apparet, non aliunde quàm ex profeſſione Religionis Carmelitanҿ.

Quartus probatur ex quadam reuelatione, quam referunt authores fide digni, & inter alios Nicolaus Bertrand in libro ſuo de Geſtis Tholoſanorum tractatu de inuentione B. Suſannҿ Babylonicæ, latinè ſcripto & Tholoſæ impreſſo anno 1515. dicit hic Author iuriſconſultus illuſtris, quod anno Domini 1478 menſe Aprili Ioannes de Boſcobono, ſiue Iean du bois Præsbyter Sacriſta parrocchialis Eccleſiæ S. Michaelis Burdegalæ falsò fuit accuſatus, quaſi pecuniā aliquam eiuſdem Eccleſiæ ſubripuiſſet: De falſitate attonitus ad S. recurrit Suſannam falsò ſimiliter accuſatam, & Danielis iudicio iuſtificatam, promittens ſe in prædicta S. Michaelis Eccleſia tam B. Suſannæ quàm Danielis Prophetæ imagines appoſiturum: Facto huiuſmodi voto B. Suſanna apparuit ei, promiſit auxilium, eique iuſſit vt procuraret eleuari corpus ſuum, quòd Tholoſæ in Eccleſia S. Saturnini ſub columna iacebat: Cumque ad lectum receſſiſſet, circa vndecimam iterum apparuit ei B. Suſanna cum Daniele Propheta in habitu Carmelitano, de quo in teſtimonio iuridico ſic ait dictus Sacerdos; *Reſpiciens vidi ſpecioſum iuuenem & habitu tamen Carmeli ſeu Eliæ a ſummo vſque deorſum eum circundante &c.* Terrefactus autem ſacerdos tandem petiuit quis eſſet: Cui dixit; *Ego ſum Daniel: Cui ego*, ſubiungit Sacerdos; *Alienum eſt mihi credere quòd ſis Daniel, cum videam te Carmelo habitu indutum, & de tali habitu nihil in Daniele reperitur &c. miror te Carmelo veſtitū*: Et ille inquit; *Ego accepi hunc habitum tempore quo fui captiuatus in Babylone, certiſſimè ſum Daniel &c.* Hæc reuelatio relata a dicto Sacerdote D. Andreæ d'Eſpinay, & examinata a P. Andrea Auguſtiniano Prouinciali Aquitaniæ fuit ex effectibus veris & bonis approbata, quaſi procedens a Deo; quia quarta die falſi teſtes ſe retractarunt ad iuſtificationē accuſati, qui auxilio prҿdicti Archiepiſcopi procurauit eleuari corpus B. Suſānæ, quòd tandem anno 1511. repertum in loco indicato, honorificè ſublimatū eſt, & fuerat in hac Eccleſia a Carolo Magno redeunte ab oriente depoſitum.

Ad Primùm ergò dicendum, cum S. Hieronymo libro 1. contra Iouinianū cap. 23. quòd non eſt inferendum inde Danielem habuiſſe filios: Sed quod propheta Ezechiel loquitur ex hypotheſi, & intelligit quòd licet hi tres viri eminentis ſanctitatis habuiſſent tunc filios, eorū tamen merita non liberaſſent illos a malis, quæ peccata populi Iudaici merebātur: Ex quo colligitur Danielem tunc ſex-

Digitized by Google

ſexdecim annorum iam fuiſſe eminentis ſanctitatis a Deo canonizatus per prophetam ſeniorem, ipſi tamen coæuum.

AD Secundum dicendum, quòd Daniel factus eſt religioſus in Babylone, vt conſtat ex adducta eius reuelatione; Iam autem erat religioſus cum Suſannam liberauit, ſtatus enim religioſus,ipſi iuueni conciliauit authoritatem: Tunc verò in Babylone plures erant religioſi Carmelitæ, qui ſequuti fuerant populum transmigrantẽ ad bonũ ſpirituale ipſius.

Ad Tertium dicendum, ſicut ſupra dictum eſt, quòd Daniel accepit ab illis Regibus diuitias & honores inuitus, vt patet ex Sacra Scriptura,& ſolùm acceptauit ad bonum populi ſui.

QVAESTIO VIII.

De Continuatione Religionis Carmelitanæ toto tempore legis antiquæ.

DEMONSTRATA iam fundatione Religionis Carmelitanæ in ſuo fundatore,ac primitiuis eius alumnis; ſequitur conſiderandum de eiuſdem continuatione, Et primò quidem toto tempore legis antiquæ, ſub diuerſis alumnorum in communi nominibus. Circa quod quæruntur ſex.

¶ Primo, vtrum religio Carmelitana perdurauerit toto tempore legis ſcriptæ.

¶ Secundo, vtrum Rechabitæ fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ Tertio, vtrum Eſſeni fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ Quarto,vtrum Aſſidæi fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ Quinto,vtrum Nazaræi perpetui fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ Sexto, vtrum Druidæ Galli poſſint verè dici Carmelitanæ Religionis alumni.

ARTICVLVS I.

Vtrum Religio Carmelitana perdurauerit toto tempore legis ſcriptæ

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Religio Carmelitana non perdurauerit toto tempore legis ſcriptæ. Ita tenent illi, qui negant S. Eliam Prophetam eſſe eius patriarcham. Probatur: Si religio Carmelitana perduraſſet toto tempore legis ſcriptæ, perueniſſet vſque ad tempus legis gratiæ,quia nullum fuit medium inter vtramque legem: Sed religio Carmelitana non peruenit vſque ad tempus legis gratiæ, vt colligitur a poſteriori; quia nulla fit mentio illius in Euangelio, & tamen facta fuiſſet mentio, ſi tunc extitiſſet,ſicut facta fuit mentio Scribarum & Phariſeorum, quaſi de ſecta plurimùm inclyta: Ergo religio Carmelitana non perdurauit toto tempore legis ſcriptæ.

¶ 2. Præterea: Poſt fundationem religionis Carmelitanæ fuerunt multæ hoſtium irruptiones in Iudæam; præſertim ſub Salmanaſſar Aſſiriorum & Chaldæorum monarcha, qui decem tribus Iſrael tranſtulit in Aſsyrios; Et ſub Nabuchodonoſor, qui reliquas duas tribus poſtmodum etiam tranſtulit: Sed non eſt credibile, quod in hac vniuerſali deſolatione populi Iudaici, apud quem ſolum florebat religio Carmelitana,manſerint eius alumni in Carmelo vel in alijs campeſtribus Palæſtinæ locis, cum in fortiſſimis Vrbibus cæteri non fuerint tuti: Ergo religio Carmelitana non perdurauerit toto tempore legis ſcriptę.

¶ 3. Præterea: Si quid ſuaderet dicendum quod religio Carmelitana, perdurauerit toto tempore legis ſcriptę; maximè, quia in Euangelio leguntur fuiſſe diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ, & in Ioſepho reperiuntur tunc celebris Eſſeni: Sed neutri fuerunt religioſi Carmelitani; nã diſcipuli Sancti Ioannis erant ſæculares

eius

eius auditores, inter quos erant milites & alij peccatores quos arguebat, vocans genimina viperarum, vt conſtat ex Euangelio; Eſſeni verò conſtituebant quandam congregationem non religioſam, ad inſtar Scribarum & Phariſeorum: Ergo religio Carmelitana non perdurauit toto tempore legis ſcriptæ.

SED CONTRA eſt authoritas Sanctorum Patrum, & illuſtrium Doctorum, qui Eſſenos verè religioſos faciunt ſucceſſores Filiorum Prophetarũ, ac proinde alumnos ordinis prophetici ab Eliæ Sanctiſſimo propheta in Carmelo inſtituti.

CONCLVSIO.

Cum Religio Carmelitana abſque interruptione per Rechabitas, *Eſſenos & Aſſideos, ac deinde per monachos primitiuæ Eccleſiæ continuata perſeueret nunc ſubſtantialiter in Carmelitis, perdurauit toto tempore legis ſcriptæ.*

RESPONDEO dicendum, quòd religio Carmelitana ſemper continuata ab inſtitutione Eliæ perdurauit abſque vlla interruptione toto tempore legis ſcriptæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd religio Carmelitana, ſeu ordo noſter Carmeliticus varijs nominibus fuit inſignitus: Dictus eſt primò Elianus, alumni eius Eliani ſeu Eliotæ vel diſcipuli Eliæ, a ſuo fundatore: Secundò denominatus eſt ordo Propheticus, vel quia eius alumni ſpiritu prophetico pollebant, vel quia in canendis laudibus diuinis erant occupati, nam ex vtroque munere vocabantur Prophetæ: Tertiò dicta eſt congregatio Eſſenorum ſeu Eſſeorum, aliqui denominant a S. Eliſęo, Eſſeni namque videntur dici velut Eliſſeni, & Eſſei velut Eliſſei; alij verò denominant a Sanctitate: Quartò dicta fuit congregatio Aſſidæorum, de quibus fit mentio in libris Machabęorum, Aſſidæi verò denominantur a ſanctitate ſicut Eſſeni: Quintò dictus eſt ordo Carmelitanus, vel Beatiſſimę Virginis Mariæ de monte Carmelo, ſic denominatus ab illo monte ſacro natali ſolo ſuę fundationis, & a prima capella in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ ibidem a noſtris religioſis fundata.

Probatur concluſio demonſtratiuè ex infra dicendis, vbi multiplici via oſtenditur religionem Carmelitanam hęreditaria ſucceſſione ab Elia Sanctiſſimo propheta, abſque vlla interruptione proceſſiſſe: Vnde manifeſtè ac neceſſariò ſequitur, ipſam ſemel ab eodem Elia ſemel inſtitutam perduraſſe toto tempore legis antiquæ ſeu ſcriptæ, ac tranſiſſe de Synagoga ad Euangelium. Deinde probatur ex dictis & ſupra probatis: Elias noſter Sanctiſſimus Propheta religioſam inſtituit in monte Carmelo congregationem Filiorum prophetarum, quæ poſtmodum ab ipſo ſuæ inſtitutionis loco dicta fuit religio Carmelitana; quorum hæreditarij ſucceſſores dicti ſunt, tum Rechabitæ, tum Eſſeni, tum Aſſidei, quos omnes probabimus alumnos fuiſſe religionis ab ipſomet Elia in Carmelo fundatæ: Et Eſſeni perdurarunt toto tempore legis ſcriptæ a ſua fundatione, vt conſtat ex Ioſepho eorũ contemporaneo; ſimiliter Aſſidæi perdurarunt toto tempore legis ſcriptæ, vt habetur in libris Machabæorum, qui floruerunt ſub finem legis ſcriptę; Ac tandem Rechabitæ toto illo tempore perdurarunt, nam vt referunt Authores, & inter alios noſter Ieroſolymitanus cap. 27. dum Beatum Iacobum Alphæi, qui paulo ante ruinam ciuitatis Ieruſalem deceſſit, Iudæi in dicta ciuitate lapidibus obruerunt, ſacerdos quidam ex Rechabitis, alumnis ſcilicet ordinis Carmelitani (vtrum iam ad fidem Chriſti conuerſus an non; ignoratur) nitebatur eum a morte eruere, quoniam Iacob vinum nunquam bibit, & alias abſtinentias grandes, ſimiles Rechabitarum obſeruantijs ſecutus fuit: Ergo religio Carmelitana ſemper continuata ab inſtitutione Eliæ perdurauit abſque vlla interruptione toto tempore legis ſcriptæ. Confirmatur & amplius declaratur inductio-

ne

Digitized by Google

ne plurium conuentuum, qui a Sanctis Prophetis noſtris Elia & Eliſæo fundati ſunt, tum in eremis, tum in ſuburbanis ciuitatum, quorum ſaltem aliqui perdurarunt toto tempore legis antiquæ: nam vt ait S. Antoninus in hiſt. titulo 15. cap. 1. *Elias Anachoreticam vitam duxiſſe videtur, habitans in monte Carmeli ſolitarius; cuius diſcipulus Eliſæus cœnobiticam amplexari viſus eſt*: Vnde dicit noſter Ieroſolymitanus de Inſtit. cap. 22. quòd in ſuburbanis quarumdam ciuitatum habuerunt cuneos filiorum Prophetarum virorum religioſorum; & illos de populo, quos ad ſuam Propheticam religionem trahere poterant, primò quidem in his conuentibus faciebant erudiri, quos poſtmodum ad eremos transferebant. Primus ordinis conuentus fuit montis Carmeli, vt toties dictum eſt. Secundus fuit in Galgalis inter Iordanẽ & Iericho, vt colligitur ex illo Sacræ Scripturę; *Ibant Elias & Eliſæus de Galgalis*, 4. Regum 2. vnde ait Abulenſis ibidem q. 13. *Non viſitauit Galgalam propter ſanctitatem, ſed propter collegia Prophetarum quæ ibi erant, ſicut in Bethel & Iericho*. Tertius fuit in Bethel, vt ait Lyranus in 4. Reg. 2. *In Bethel & Iericho manebant filij Prophetarum, & iſti erant viri religioſi ſimul collegiati, vacantes orationi & contemplationi*: Quartus fuit in Iericho, vt conſtat ex adductis authoritatibus. Quintus fuit factus Samariæ ab Eliſæo poſt raptum Eliæ, de quo conſtat ex illo 4. Reg. 6. vbi dicitur; *Eliſæus ſedebat in domo ſua, & ſenes ſedebant cum eo*; Cum enim Eliſęus votum feciſſet paupertatis, non habebat aliam domum propriam quàm ordinis vt ſuperior ipſius. Sextus fuit in monte Ephraim, vt conſtat ex illo 4. Regum 5. *Modo venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim ex filijs Prophetarum*: Vnde Abulenſis ibidem q. 27. ait *Erant in monte Ephraim aliqua collegia Prophetarum, ſicut in Iericho, & Bethel, & Galgala*. Septimus fuit ille ad ripas Iordanis ædificatus ſub Eliſæo, de quo fit mentio 4. Regum 6. in quo poſtea tempore Chriſti viuebat S. Ioannes Baptiſta cum ſuis diſcipulis Eſſenis filiorum Prophetarum ſucceſſoribus. Octauus fuit in Galaad Tribus Gad, vt colligitur ex S. Gregorio Nyſſeno homilia 7. in Cantica, vbi ait; *Elias longo tempore verſatus in monte Galaad, inſignia vitæ continentis exempla præbuit*: Et etiam ex Ruperto, qui exponens illud Cantic. 4. *Capilli tui ſicut greges caprarum, qui aſcenderunt de monte Galaad*, ſic ait; *Greges rationales, greges caprarum rationalium tunc apparuerunt, quando cœperunt homines eiuſmodi eſſe, de quibus Apoſtolus dicit; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, & rectè dicitur apparuiſſe, quia iam dictus inſtitutor illorum Elias &c.* Dicimus igitur, quòd toto tempore legis antiquę perdurauit noſtra religio Carmelitalitana in alumnis horum Conuentuum: Et quamuis concederetur, quòd tempore captiuitatum fuiſſent omnes tranſlati in Babylonem, adhuc ſubſiſteret concluſio; nam tempore illarum continua ſucceſſione multiplicati ſunt alumni, vt dictum eſt in Daniele & ſocijs, qui redierunt in Palęſtinam cum Eſdras, & perſeuerarũt vſque ad tempora Chriſti: In primo ſæculo fundationis Carmelitanę religionis noſtrę, multiplex fit mentio illius in alũnis ſuis filijs Prophetarum. In ſecundo ſęculo fit mentio eius in his verbis Oſee 5. *Audite hoc ſacerdotes, & attendite domus Iſrael, & domus Regis auſcultate, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi*: Quòd ſic exponit Theophylactus relatus á Gloſſa ordinaria, *Id eſt Prophetis meis omnes vos facti eſtis laqueus*; Prophetis ſcilicet in communi viuentibus ex Theodoreto dicente ſuper Oſee, *Speculationem prophetarum cœtum vocat*: Quibus verbis exprimitur perſecutio filiorũ Prophetarum, qui contra mandatum Regis Iſrael idololatræ pergebant in Ieruſalem ad ſolemnitates; Vnde Oſee cap. 6. habetur, *Galaad ciuitas operantium Idolum, ſupplantata ſanguine, & quaſi fauces virorum latronum, particeps ſacerdotium in via interficientium pergentes in Sichem*. In tertio ſæculo Iſaias facit mentione

Digitized by Google

tionem Eunuchorum ſpiritualium ſiue Virginum religioſorum Carmeli, iuxta alibi dicta, cap. 56. Et cap. 32. deſcribit iuſtitiam & ſecuritatẽ ipſorũ in ipſo Carmelo tempore belli Salmanaſar & Sennacherib, dicens; *Erit deſertum in Charmel, & Charmel in ſaltũ reputabitur, et habitabit in ſolitudine iudiciũ, & iuſtitia in Charmel ſedebit, & erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in taberuaculis fiduciæ, & in requie opulenta*: Michæas autem Moraſthites cap. 7. ſic de illis ad Deũ loquitur; *Paſce populũ tuũ in virga tua, gregẽ hæreditatis tuæ, habitantes ſolos in ſaltu in medio Carmeli paſcentur Baſan & Galaad iuxta dies antiquos*: Ita intelligit Ioannes Ieroſolymitanus cap. 29. In ſæculo quarto inuenimus Ieremiam, & Ezechielem Prophetas inter Eliæ Diſcipulos. In ſeculo quinto viuebat Daniel cum tribus ſocijs Carmeli religioſis, vt conſtat ex alibi dictis; Et Pythagoras Philoſophus in Carmelo cũ noſtris Carmeli religioſis degit. In ſæculo ſexto, quo fuit reædificata Ieruſalem, fit mentio Rechabitarum, quos religioſos eſſe Carmeli infra probatur; habetur enim 2. Eſdræ 4. *Portam Sterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacaram*, Id eſt ſuperior Rechabitarum filiorum ipſius ſpiritualium in vico Bethacaram. In ſeptimo ſæculo inualuit nomen Eſſeorum, quia ex Genebrardo libro 2. chronol. anno 3911. erant ante Machabæos & Phariſeos Eſſeni; conſtat autem quòd Machabæi fuerunt ſæculo ſequenti; & aliàs in hoc ſæculo prædicta Sterquilinij porta dicta fuit porta Eſſenorum: Eſſenos autem fuiſſe religioſos Carmelitas, oſtendetur infra, de quibus ait Henriquez in Summa tom. 2. lib. 12. cap. 5. *Ab Elia fertur Eſſæorum Religio ortum habuiſſe in monte Carmelo*. In octauo ſæculo ſub regimine Machabeorum celebre fuit nomen Aſſidæorum, de quibus ſic ait Rupertus libro 4. in Regulam S. Benedicti cap. 12. *Monachi filij Prophetarum, & poſt alijs nominibus Aſſidæi ſiue Eſſeni dicebantur*. In nono tandem ſæculo, quòd antiquã legem terminauit, inuenimus Eliæ filios in monte Carmelo, vt infra dicetur; ſicut & in ripis Iordanis, qui tempore prędicationis Euangelicę vocati ſunt Diſcipuli Ioannis Baptiſtę, a tam Sancto Magiſtro denominati ſic in Euangelio, cõmuniter tamen à Ioſepho & alijs dicuntur Eſſeni, Et Sanctus Ioannes a Sanctis Patribus dicitur princeps Eſſenorum.

AD primum ergo dicendum, quòd fit mentio religionis Carmelitanæ in Euangelio ſub nomine diſcipulorum Sancti Ioannis Baptiſtæ, qui propter maximam ſuam ſanctitatem potuit nomen dare diſcipulis ſuis Eſſenis: fit etiam mentio in alijs authoribus, prȩſertim Ioſepho ſub nomine Eſſeno; ſed ſemper in bonam partem, quia nunquàm reſtiterunt Chriſto, ſicut ordinariè reſiſtebant Scribæ & Phariſȩi.

AD ſecundùm dicendum cum noſtro Ioanne Ieroſolymitano capit. 26. quòd Deus ſpeciali prouidentia tempore illarum perſecutionum conſeruauit filios Eliæ ordinis Carmelitani alumnos, tum in Carmelo, tum in alijs Palæſtinæ locis minùs tutis, ob eximiam eorum ſanctitatem; Cum tamen Iudæi diuinæ legis præuaricatores in locis tutiſſimis captiui fuerint effecti: Et licet Carmelitanæ religionis alumni ſimul fuiſſent in Aſſyrios translati, perduraſſet in illis regiònibus religio Carmelitana.

AD Tertium dicendum, quòd Sanctus Ioannes Baptiſta diſcipulos habuit in duplici claſſe, quoſdam domeſticos & commenſales, alios autem acceſſorios, vt colligitur ex Euangelio, & alibi oſtenditur: Impugnatio procedit de ſecundis, non de primis, qui verè fuerunt religioſi Eſſeni Carmelitanæ religionis alumni. Eſſeni verò ſecundùm Sanctos Patres & communiter interpretes, conſtituebant congregationem religioſam. Non autem Scribȩ & Phariſæi, qui fuerunt in principio boni zelatores legis, ſed poſtea in hypochriſim degenerarũt, vt conſtat ex multiplici increpatione

Chri-

Digitized by Google

Chriſti. Non amplius hic immoramnr: quia eędem authoritates ac rationes inferiùs adducendæ, ad probandum quòd Religio Carmelitana tranſierit de antiqua lege ad legem gratię, & quod hactenus in Carmelitis perſeueret ſubſtantialitèr, probant etiam euidentèr, quod durauerit toto tempore legis antiquę: Quę poſſunt ibidem videri.

ARTICVLVS II.

Vtrum Rechabitæ fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quod Rechabitæ non fuerint alumni Religionis Carmelitanæ. Probatur: Alumni Religionis Carmelitanæ in omni tempore verè & ſubſtantialitèr fuerunt religigioſi cum tribus votis eſſentialibus religionis, vt ab ipſis dicitur: Sed Rechabitæ non fuerunt verè & ſubſtantialitèr religioſi cum tribus votis eſſentialibus religionis, nam vt conſtat ex Ieremiæ 35. habebant vxores, filios & filias; cum matrimonio autem non eſt abſolutè votum caſtitattis,& vix poteſt intelligi votum obedientiæ ac votū paupertatis: Ergo Rechabitæ non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: Carmelitæ vocant Ieremiam alumnum Religionis Carmelitanæ, ſicut & plures alios ex Sacris prophetis: Sed vt conſtat ex citato Ieremiæ capite, ipſe Ieremias fuit admodum diuerſæ profeſſionis a Rechabitis, ſic enim eos alloquitur; *Hęc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, pro eo quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa quæ præcepit vobis, propterea hoc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, non deficit vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus*: Ergo Rechabitæ non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiquiſſima traditio noſtri Ordinis Carmelitani, authoritas S. Hieronymi annumerantis Rechabitas inter filios Prophetarum, & plurium Doctorum ſententia tum noſtratum quàm exterorum, vt Carthagenæ lib. 17. homiliarū hom. 2. contra nonam obiectionem, Lezanæ tom. 1. Franciſci a S. Maria in hiſtotia prophetica.

CONCLVSIO.

Rechabitæ fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Rechabitæ fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ. 2. cum hac differentia, quòd plures ipſorum cum duce ſuo Ionadab ad illam tranſierunt ſub Eliſęo propheta. 3. tota verò Rechabitarum congretio ſicut ei annexa. 4. vnde illi ſimplicitèr, iſti verò ſecundùm quid dicuntur alumni dictæ Religionis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd in Sacra Scriptura fit mentio plurium ſacrarum congregationum, videlicet filiornm Dei, Cinæorum, Prophetarum, Filiorum Prophetarum, Rechabitarum, Eſsenorum, Nazaræorum, Aſsidæorum &c. Inſtitutor congregationis Filiorum Dei fuit Enos filius Seth filij Adam, qui cœpit inuocare nomen Domini cultu externo ſpeciali, quem eius ſucceſſores imitati ſunt præ filijs Cam. Inſtituror Congregationis Prophetarum, qui diuinis laudibus canendis erant occupati in collegijs congregati, videtur fuiſſe Samuel, ſaltem eius tempore fuerunt nominatiſſimi, & plura leguntur extitiſſe eorum collegia; De alijs ſacris congregationibus indicatis agetur infra: In præſenti autem de Cinæis ac Rechabitis, ijdem enim ſunt, qui etiam vocabantur Scribæ, vt habetur Paralipomenon 1. his verbis; *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Iabes, canentes atque reſonantes, & in tabernaculis commorantes; hi ſunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domns Rechab*. De ijſdem etiam dicitur libro

S Iudi-

Iudicum cap. 1. *Filij autem Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum cum filijs Iuda in deſertum ſortis eius, quod eſt ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo*. Ex quibus conſtat, quòd ijdem ſunt Cinæi ac Rechabitæ, qui iuxta diuerſum nomen ſui inſtitutoris diuerſo nomine fuerunt inſigniti, ita vt priùs Cinæi, poſtea Rechabitæ fuerint dicti. Colligitur etiam euidentèr, quòd inſtitutor Cinæorum ſiue Rechabitarum fuit Rechab, qui dicebatur quoque Hobab, filius Iethro ſeu Raguelis, cognatus Moyſi, qui cognominabatur Cinæus à nobili cognomento familiæ Cineæ inter Madianitas & Amalecitas clariſsimæ ex qua erant Rechab ſeu Hobab & Iethro ſeu Raguel pater eius ſocer Moyſi. Vnde Liranus in Ierem. 35. ſic ait; *Dicunt Doctores Hebræi & Latini, quòd Rechabitæ deſcenderunt de Ietro ſocero Moyſi*. Cinæi igitur ſeù Rechabitę inceperunt ſtatim poſt aduentum Iudæorum ex Aegypto in terram promiſſionis, ipſos enim Rechab cognatus Moyſi in illa profectione comitatus eſt, vt habetur libro numerorum cap. 10. Poſt acquiſitionem Terræ promiſſionis Cinæi ſiue Rechabitæ receſſerunt in deſertum Engaddi propè mare mortuum, quod erat ſortis Iudæ, vt ibi ſolitariam & quodammodo religioſam vitam ducerent, vt ex adducto libri Iudicum teſtimonio patet. Hæc igitur ſacra congregatio Cinæorum ſiue Rechabitarum, relicta ciuitate palmarũ ſitæ Hierichunte (ſic denominata a multitudine palmarum, quæ in amœna eius planitie vireſcebant) receſſerunt deuotionis cauſa ad dictum deſertũ Engaddi propè fluenta Iordanis vbi ad mare mortuum defluit, ibique ſub diſciplina Othoniel ſiue Iabes inclyti legiſlatoris piè viuebant, tangendo inſtrumenta deuota, & canendo diuinas laudes, vt refert S. Hieronymus libro Traditionum Hebraicarum, & Noſter Ioannes Ieroſolymitanus libro de Inſtitutione monachorum cap. 25. Sunt tamen aliqui, qui Rechab patrem Rechabitarum diſtinguunt ab Hobab prædicto Raguelis filio, & hunc dicunt eſſe filium Hemath cuius ſic deducunt originem. Dicunt ex libro Iudicum cap. 4. quòd Haber Cinæus recedens a fratribus ſuis Cinæis (quia ob nimiam multiplicationem ſimul habitare non poterant) venit in vallem Sennim prope Cedes in Tribu Nepthali; ex quo ſucceſſu temporis proceſſit dictus Hemath pater naturalis Reehab; Hic relicta Tribu Nephtali tranſijt cum Rechab filio ad dimidiam Tribum Manaſſe quæ eſt vltra Iordanẽ in monte Galaad propè deſertum Iabes: iſte Rechab mortuo Hemat patre, ſuos deſcendentes Cinæos renouauit in pijs obſeruantijs, vnde ab eo deinceps nominati ſunt Rechabitæ, eiuſque filius inſignis reformator Rechabitarum fuit Ionadab ſaltem mediatus. Suum probant dictum ex illo 1. Paralip. 2. *Hi ſunt Cinæi qui venerunt de calore patris domus Rechab*, inſcripto Calore cum maiori C. quòd denotat eſſe ibi nomen perſonæ, & non qualitatis igneæ (nomina enim perſonarum apud Hebræos & alios Orientales ordinariè rem aliquam ſignificant) calor autem hebraicè dicitur Chamat aut Hemath: Vnde textus Hebræus habet; *Iſti Chini venientes de Chamath patre domus Rechab*. Concludunt quòd duplex illa ſignificatio nominis Hebraici Chamath ſeu Hemath fuit cauſa ęquiuocationis, & quod interpres aptius poſuiſſet Chamath aut Hemath hebraice, quã Calor latinè, licet idẽ ſit: Hæc dicũt illi Authores. S. Hieronymus in Tradit. Hebraicis in 1. Paral. 2. de Cinæis ſic habet: *Iabes filius Zobeda fuit doctor, in cuius conſpectu ſedebant filij Cinæi, qui & Obab cognati Moyſi, qui in hoc libro Scribæ vocantur; canentes atque reſonantes ideo ſcribuntur, eo quod aſsiduè in lege Dei, & in Prophetis verſabantur: in Tabernaculis autem eos commoratos & Regũ hiſtoria ſcribit; Hi venerunt de Calore patris domus Rechab, id eſt de ſtirpe Rechab*. Sed cum ex humana conditione propter bella à primæuo feruore defeciſſent, fuerunt reformati a Ionadab filio ſpirituali, & etiã naturali ſed non immediato prædicti

dicti

Digitized by Google

dicti Rechab, & iam facto diſcipulo Eliſæi propter miraculum prophetæ quo filium Sunamitidis a mortuis ſuſcitauit, vt docet idem Ioannes loco citato, & cum eo Salianus anno mundi 3204.

Probatur prima pars concluſionis tū vniuerſali traditione, tum communi ſententia Doctorum Ordinis noſtri, qui Rechabitas vocant Eliæ & Eliſæi diſcipulos, & medijs ipſis ac Eſſenis ſeu Aſſidæis Religionem Eliæ fundatam in Carmelo continuant toto tempore legis antiquę, & perducunt ad legem gratiæ, hoc probant ex profeſſo noſter Franciſcus à S. Maria in hiſtoria prophetica, & Lezana tomo 1. Annalium, quos etiam exteri doctores ſequuntur. Deinde probatur authoritate Sanctorum Patrum: S. Hieronymus in epiſtola ad Paulinum Rechabitas annumerat filijs Prophetarum diſcipulis S. Eliæ, ac proinde alumnis Carmelitanæ Religionis ab ipſo fundatæ, loquens enim de ſeipſo & monachis primitiuæ Eccleſię filiorum prophetarum & Eſſenorum ſecundùm ipſū ſucceſſoribus ſic ait: *Noſter princeps Elias noſter Eliſęus, noſtri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus: & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis; De his ſunt & illi filij Rechab, qui vinum, & ſiceram non bibebant, qui morabantur in tentorijs, qui Dei per Ieremiam voce laudantur, & promittitur eis, quod non deficiet de ſtirpe eorum vir ſtans coram Domino*. S. Nilus diſcipulus S. Ioannis Chryſoſtomi in ſermo de Aſcetico Rechabitas vocat Eſſenos ob continuam rerum cœleſtium contēplationem, conſtabit autem ex dicendis, quòd Eſſeni fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ. Denique probatur ex promiſſo Dei per Ieremiam facto Rechabitis in præmium ſuæ obſeruantiæ, capite 35 ſic habetur: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, pro eo quod obediſtis precepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa quæ præcipit vobis: propterea hoc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus*: Quod non aptius poteſt intelligi quàm de diſcipulis Elię alumnis Carmelitanæ Religionis, quæ ex illo tempore hactenus perſeuerauit, & perſeuerabit vſque in finem mundi; Et ſic intelligit Carthagena lib. 17. homiliarum homilia 2. circa nonam obiectionem.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate multiplici. S. Hieronymus epiſt. 13. ad Paulinum iam citatus ſic ait: *Noſter princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces filij Prophetarum &c. de his ſunt & illi filij Rechab*: intelligit autem de illis Rechabitis, qui cum Ionadab ipſorum duce facti ſunt veri monachi religioſi ſub Eliſæo: nā in illo loco agit de veris monachis religioſis: Abulen. in 1. Paralip. c. 2. q. 21. loquens de Rechabitis ſic ait: *Iſti erant veri Religioſi in veteri teſtamento, ſicut nunc ſunt monachi*. Suidas author grauis & antiquus docet quòd Eſſeni fuerunt maiores, patres & authores Iuſti Ionadab filij Rechab; quia ſcilicet Elias & Eliſęus verè fuerunt Eſſeni ſiue Sancti, & authores inſtituti Eſſeni. Iacobus Boulduc libro 3. de Eccleſia ante legem cap. 6. plus dicit pro nobis, quàm intendimus, ſic enim ait: *Conſtat ex libris Regum, multa ac frequentia filiorum Dei, qui poſtea filij Prophetarum ſunt appellati, in illa aut circa illam tribum extitiſſe cænobia; nempè in Galgalis, Bethel & Ishericho, præter illud celebrè Haberis in Querceto, quod dicebatur Sennim iuxta Cades, atque in illis maximam fuiſſe multitudinem vtriuſque ſexus (vt colligere eſt ex ſtrenua illa Iabel uxore Haber Cinæi, quæ peremit Siſaram) quorum Archimandritam poſterioribus ſæculis fuiſſe Eliam, cui ſucceſſit Eliſæus, ambigendi non datur locus: Eliæ autem & Eliſæo ſucceſſit in officio vir ſapientia, & ſanctitate celeberrimus Ionadab, qui paſſim in ſcriptura dicitur filius Rechab; non vt multi putant, quòd à quodam huius nòminis viro (quem Staliger militarem virum fuiſſe contra illa quæ de illo habet Ieremias audet aſſerere, propter Iehu ad eum verba, & quia in eius currum fecerit eum aſcendere,*

dere ; nempè horreret Scaliger Sanctum aliquem monachum ſimili honore a rege præueniri) ſecundùm carnem genitus ſit, cum talis non reperiatur, & tam illuſtris familiæ parentem & caput non inueniri incongruum planè videatur, ſed quia filius, id eſt diſcipulus fuit eorum, qui primi hoc nomine Rechab honoris cauſa vocati ſunt; Iſti autem fuerunt Elias & Eliſęus, ille quidem ab iſto quando ſurſum ferebatur per turbinem in cælum vidente, iſte verò a Ioas rege Iſrael, cum ægrotaret infirmitate qua mortuus eſt (currus enim Hebraicè dicitur Recheb ſiue Rechab) ab illo ergo die nomen Rechab honorabile factum eſt, itavt præcipuus filiorum prophetarum Archimandrita, qui hoc munere ſucceſſit Eliſæo, filius Rechab, quaſi vtriuſque Rechab ; nempè Eliæ & Eliſæi diſcipulus appellatus ſit, & omnes ſodalitatis illius alumni, qui primò Enoſcæi, deinde Cinæi, poſtea Cenezæi, ad hæc Hebræi, Nazaræi & filij prophetarum nuncupati fuerant, deinceps Rechabitæ ſunt appellati ; quod idem eſt, ac ſi Eliaitæ vel Eliſaitæ dicerentur: Quæcumque alia fabricari poſſet huius nominis etymologia, multiplici abſurditate ſcatere videbitur ; confirmat quæ dicimus nuper citatus Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus, qui docet dictum Ionadab fuiſſe diſcipulum Eliſæi *Prophetæ*. Hactenus hic author erudiditus de Rechabitis, quæ vel non ſunt vera omnia, vel indigent explicatione: nam quod dicit filios Dei poſtea filios prophetarum appellatos fuiſſe, debet intelligi ſuppoſita mutatione, quod illi nō erant verè religioſi, at tantùm ſpeciem quandam religionis profitebantur, iſti verò erant religioſi ſtrictè dicti cum tribus votis eſſentialibus, vt ſupra dictum eſt; Deindè etymologia nominis eſt ſubtilis, ſed noua, nec vera, ſi neget verum hominem dictum Rechab, diſtinctum ab Elia & Eliſæo, patrem ſaltem ſpiritualem Ionadab, a quò denominati ſunt Rechabitæ: Quòd omnes aſſignatas congregationes ſolo nomine diſtinguat, cōtrariatur ijs quæ ſtatuimus ; nam ante Eliam quæcumque congregationes in Scriptura nominatę non fuerunt religioſæ cum tribus votis eſſentialibus, ſed tantum piæ, ſtatus quippè religioſus incepit ſub Elia. Deinde probatur : non ſolùm adductus author, ſed etiam plures alij, & communitèr noſtri docent Ionadab ſucceſſiſſe in officio Generalis noſtræ Religionis S. Eliſęo: Ergo Ionadab ad illam tranſijt ſimplicitèr & abſolutè obſeruans vota & regulam ipſius, non enim eſt credibile, quòd aliter fuiſſet aſſumptus in primarium eius ſuperiorem, ipſumque ſequuti ſunt plures ex congregatioue Rechabitarum maioris perfectionis gratia, qui priùs vſitato nomine Rechabitarum etiam deinceps vocati ſunt, & nouæ Religioni Carmelitanæ communicauerunt. Confirmatur hic tranſitus fundamento Sacrę Scripturæ, colligitur enim ex eo quòd Iehu rex Iſrael Ionadab caſu in agro repertum aſſumpſerit in ſuum currum ; cuius non aptior adducitur ratio, niſi quòd ille rex cum agnouit diſcipulum Eliſæi, a quo regnum habebat, & fortè ipſum agnouit a quo in regem fuerat vnctus ex mandato Eliſæi ; & propterea eum aſſumpſit, quaſi teſtem executionis diuini mandati per Eliſæum intimati contra domum Achab; licet probabilius ſit vnctum fuiſſe a Iona.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate noſtri Ioannis Ieroſolymitani cap. 25. vbi ſic ait : *Cinæi verò progenitores Rechab hominis Dei, qui ab inclyto Iabes legis Doctore fuerant profundè in Dei lege eruditi, ſuos poſteros legem Dei canere, & laudes eius reſonare docuerunt. Ionadab autem in his omnibus planè inſtructus ad maiorem perfectionis cumulum fuit Eliſæum prophetam in monaſtica vita eremitica imitatus: Et quamuis in virginali caſtitate Eliſæum ſecutus non fuerit : volens propter fragilitatem carnis tam ſe, quàm ſuos vti coniugio & prolem ad cultū Dei licitè procreare : tamen exemplo Eliſæi, relictis omnibus, extra vrbes cum Cinæis ab eo dæſcendetibus habitauit: De quipus in libro Paralipomenon legimus ; Hi ſunt Cinæi, qui venerunt de calore (id eſt de feruore vitæ religioſæ) domus Rechab cancn-*

Digitized by Google

canentes atque reſonantes, & in tabernaculis commorantes. Cinæi itaque ab hoc Rechab deſcendentes, & cum Ionadab filio eius religionem Eliſæi eremiticam ſequentes dicti fuerunt Rechabitæ: Quorum pater (ſcilicet Ionadab) per Eliſæum prophetam in diſciplina prophetica monaſtica vitæ eremiticæ, iniunxit ipſis Rechabitis & cunctis eiuſdem propoſiti per affinitatem eis coniunctis, cætera præter continentiam in inſtitutione Eliſæi conſulta: vt videlicet patri eorum ſemper obedirent, & vinum in ſempitenum non biberent, & domos non ædificarent, & ſementem non ſererent, & agros non poſſiderent, & vineas non plantarent nec haberent, ſed in ſolitudine iuxta vrbes cunctis diebus in tabernaculis habitarent, prout hæc & alia de ipſis pleniùs teſtatur Ieremias propheta. Hæc ſunt Ioannis noſtri Doctoris antiqui & eximij de Rechabitis ſeù Cinæis inſtitutis a Rechab ſeu Hobab filio Iethro ſeu Raguelis (vtroque ſiquidem nomine vocabatur tam pater quam filius, vt ſæpius accidit in Sacra Scriptura) Iethro ſeù Raguel fuit Sacerdos Madian ſocer Moyſi, Rechab autem ſeu Hobab filius Iethro fuit cognatus Moyſi ducis filiorum Iſrael, quem in tranſmigratione Iſraelitarum ab Aegypto in Terram promiſsionis per deſertum Madian tranſeuntem ſecutus eſt, tum ductus amore ipſius, tum vt in medio populi fidelis, & electi, cuius cauſa tot Deus miracula fecerat, moraretur ex libro Numerorum cap. 10. Notandum tamen quòd etſi Ionadab in principio non fuerit amplexus caſtitatem religioſam, vt habetur in hoc Ioannis teſtimonio, poſtmodum tamen illam eſt amplexus cum pluribus è ſuis Rechabitis iuxta ſuperiùs dicta, tranſiens ad ordinem propheticum Carmelitanum, relicta Rechabitarum congregatione cum obſeruantijs ab ipſo introductis, quæ valde ſimiles erant ijs quibus diſcipuli S. Eliſei vtebantur, adductæ in hoc Ioannis noſtri teſtimonio, & ſic ab ipſiſmet referuntur data occaſione Ieremiæ cap. 35. his verbis: *Ionadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis dicens, non bibetis vinum vos & filij veſtri vſque in ſempiternum, & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis; ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, vt viuatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini: obedinimus ergo voci Ionadab filij Rechab patris noſtri in omnibus quæ præcipit nobis &c.* Quæ obſeruantiæ erant omninò in vſu apud diſcipulos Eliæ & Eliſæi, qui non longè aberant a deſerto Rechabitarum; nam legimus lib. 4. Regum, quòd Eliſæus cum filijs prophetarum ſuis diſcipulis fundauerit conuentum eremiticum ad ripas Iordanis; Vnde ex duplici hac congregatione; nempè filiorum prophetarum, qui ſeruabant vota eſſentialia religionis; Et Rechabitarum, qui ſaltem votum caſtitatis non ſeruabant (alia namque ſeruaſſe conſtat ex hoc decreto 9. Concilij Senonenſis de votis monaſticis; *Si quis votum aliquod huiuſmodi vouerit Domino, etiamſi perpetuum fuerit, non faciet irritum verbum ſuum, ſed Deiparæ Virginis, Annæ Samuelis matris, Rechabitarum exemplo omne quod promiſerit implebit*) fiebat quodammodo vna religio, ſicut nunc in ordine S. Franciſci ex mendicantibus cœnobitis & Tertiarijs coniugatis: Ex quibus manet probata & explicata tertia pars concluſionis, quòd tota Rechabitarum congregatio fuit annexa Religioni Carmelitanæ,

Probatur quarta pars concluſionis ex dictis: nam ex qua parte Ionadab cum alijs ſequacibus Rechabitis tranſijt ad Religionem Carmelitanam ſub S. Eliſæo, tam eſſentialia vota quam obſeruantias eius omnes amplexatus, ſimpliciter dicuntur alumni ipſius: Ex qua verò parte tota congregatio Rechabitarum non eſt amplexata cuncta religionis Carmelitanæ vota, nec omnes obſeruantias regulares, ſed tantum aliquas, eius diſcipuli dicuntur tantùm ſecundùm quid alumni dictæ religionis Carmelitanæ, quo ſenſu Tertiarij ſæculares dicuntur ſecundùm quid, & non ſimpliciter

alum-

Digitized by Google

alumni Religionis Franciſcanæ.

AD primum ergò dicendum, quòd totùm probat Rechabitas, qui in ſua remanſerunt congregatione, fuiſſe tantùm ſecundùm quid alumnos Religionis Carmelitanæ, ex defectu voti caſtitatis; quicquid ſit de alijs votis, certiſſimum eſt illos ſiue cum voto, ſiue abſque voto ſeruaſſe maximam obedientiam erga ſuos maiores, & ſummam paupertatem non ſolùm in particulari, ſed etiam in commmuni, vt conſtat ex adducta authoritate Sacræ Scripturæ & alijs.

AD ſecundum dicendum, quòd non ampliùs probat quàm primum: nam poſita differentia, quòd Ieremias Propheta eſſet ſimpliciter alumnus religionis Carmelitanæ cum tribus votis eſſentialibus; & quòd Rechabitæ eſſent tantùm alumni eius ſecundum quid; Sanctus propheta petuit ipſos ſic alloqui quaſi viros diuerſæ profeſsionis. Quòd autem dixit eis; Ionadab pater veſter, non tollit quin agnoſceret ipſum vt patrem ſuum ſpiritualem ſuæ Religionis; ſed hoc ideò dixit, vel quia Ionadab erat ſimul pater naturalis Rechabitarum, vel quia locutus eſt ad eos eo modo quo Chriſtus ad Hebræos dicens, Abraham pater veſter exultauit &c. quem tamen Chriſtus vt homo agnoſcebat vt patrem.

ARTICVLVS III.

Vtrum Eſſeni fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quod Eſſeni nō fuerint alumni Religionis Carmelitanę; Ita tenent, qui negant eius antiquitatem. Probatur: Ioſephus teſtis oculatus tres numerat ſectas ſeu congregationes Iudęorum in communi viuentiū, nempè Phariſeorum, Seducæorum & Eſſenorum, de quibus ſingulis eodem prorsùs modo loquitur; Sed nec Phariſæi, nec Saducæi fuerunt religioſi, imo reprehenduntur in Euangelio a Chriſto velut mali; Ergo nec Eſſeni fuerunt Religioſi, ac proinde nec alumni Religionis Carmelitanæ, maximè quia Ioſephus lib. 13. Antiquitatum loquens de tempore Ionathæ has tres ſectas vocat hæreſes.

¶ 2. Præterea: Errores circa fidem non poſſunt ſtare cum vera, & propriè dicta Religione. Sed Ioſephus libro 18. Antiquitatum cap. 2. multos refert Eſſenorum errores, vt quòd omnia fato attribuerent, quòd non loquerentur ante ortum ſolis, quòd ſoli quædam offerrent vota rogātes vt oriretur, quod crederent animas defunctorum deferri vltra Oceanum, quod viuerent ad inſtar Pythagoricorum Gentilium. Ergo Eſſeni non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Ex Ioſepho loco citato, & ex Philone libro Quod omnis probus ſit liber, conſtat Eſſenos habuiſſe diuitias quibus ſuſtentarentur, cum quo non ſtat votum paupertatis: Deinde Eſſeni & Rechabitæ pro iiſdem ſumuntur apud authores; Conſtat autem, quòd Rechabitæ non habuerunt vota obedientiæ & caſtitatis, nam habebant vxores & filios ex Ieremiæ 35. Ergo Eſſeni non fuerunt alumni religionis Carmelitanæ, in qua ſeruabantur tria vota eſſentialia.

SED CONTRA eſt vniuerſalis traditio antiquiſsima noſtrę Religionis Carmelitanæ, ac plurium Doctorum ſententia etiam exterorum.

CONCLVSIO.

Eſſeni fuerunt alumni religionis Carmelitanæ ab Elia inſtitutæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Eſſeni ſimpliciter & abſolutè fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Eſſeni a Sanctitate denominati, vt aliqui volunt, vel ab Eliſæo quaſi Eliſſeni, vt dicunt alij magis ad intentum noſtrum, communi-

Digitized by Google

muniter a Sanctis Patribus & antiquis hiſtoricis habentur vt religioſi, & eorũ inſtitutum refertur vt religioſum, ſicut ex mox dicendis conſtabit. Vnde Philo Hebræus libro de vita contemplatiua ait; *Eſſeni a ſanctitate dicti, horum pietati quos meritò comparabimus, verſantes ſacra volumina euaſerunt ad ſupremum fælicitatis faſtigium*: Eſſeni quidam dicuntur Palæſtini a Palæſtina, in qua floruerunt; alij verò dicuntur Alexandrini, ab illa celebri ciuitate Aegypti, vbi ſub S. Marco Euangeliſta fuerunt nominatiſſimi: de primis loquitur Ioſephus, de ſecundis autem Philo: Quia tamen in inſtituto religioſo fuerunt omninò ſimiles, ac penitùs ijdem; ideò de illis omnibus abſque diſtinctione agimus.

Probatur Concluſio authoritate: communiter Doctores noſtri, & præſertim Franciſcus a Sancta Maria, & Ioannes Baptiſta Lezana; Similiter plures externi, vt Trithemius, Carthagena, & alij docent Eſſenos eſſe ſucceſſores filiornm prophetarum: Ergo ſicut illi fuerunt alumni religionis Carmelitanæ, ſic iſti. Imò Genebrardus dicit quòd ſunt ijdem Eſſeni ac filij prophetarum: ſic enim ait libro 1. Chronologiæ anno mundi 3272. *Eliſæus conſtruxit cellas prophetis in Hierichuntis ſolitudine: manauit inſtitutum & loci religio ad poſteros, fuitque deſertum hoc vſque Engaddi ab Eſſenis habitatum, hominibus continentiæ incredibilis*: Ecce qualiter hic author doctiſſimus affirmat Eſſenos eſſe poſteros filiorum prophetarum, quibus noſter Eliſęus ædificauit conuentum eremiticũ ad ripas Iordanis in ſolitudine Hierichuntis, vt habetur 4. Regum 6. propè Engaddi, quem Eſſeni ipſorum poſteri inhabitarunt. Henriquez in Summa tomo 2. lib. 12. cap. 5. ſic ait: *Ab Elia fertur Eſſæorum Religio ortum habuiſſe in monte Carmelo.*

Probatur ratione. Eſſeni non aſſignetur ſpecialis Patriarcha diſtinctus ab Elia Patriarcha Carmelitanæ Religionis, cum fuerint antiquiſſimi & cœtanei filiorum Prophetarum Eliæ diſcipulorum: Eorum inſtitutum fuit imago perfectiſſima Religionis Carmelitanæ, in obſeruantia trum votorum eſſentialium, in faciendo nouitiatu, in emittenda profeſſione, in cuſtodia cæterarum obſeruantiarum regularium, in veſte candida; & inſuper habitarunt idem deſertum Hierichuntis propè Engaddi, vbi fuit ab Eliſæo fundata colonia Carmelitarum filiorum Prophetarum: Ergo Eſſeni ſimpliciter & abſolutè fuerunt alumni religionis Carmelitanæ. Conſequentia eſt manifeſta: nam qui probaret aliquos religioſos non habuiſſe ſpecialem Patriarcham diſtinctum a S. Frãciſco, cœtaneos primis eiuſdem Sancti diſcipulis, ſimilis in cunctis regularibus obſeruantijs ac in habitu religioſo, & habitatores conuentus ab ipſo fundati, rectè demonſtraret ipſos eſſe alumnos religionis Franciſcanæ. Antecedens ſigillatim quòad omnes eis partes oſtenditur: Quòd Eſſeni in antiqua lege celebres fuerint antiquiſſimi cœtanei filiorum prophetarum, nec eis aſſignatur Patriarcha ſpecialis diſtinctus ab Elia religionis Carmelitanæ Patriarcha habetur ex hiſtoricis fide dignis; nam de ipſis dicit Plinius, qui floruit 1. Chriſti ſæculo, libro 5. Hiſtorię naturalis cap. 17. *Per ſæculorum millia (incredibile dictu) gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur*; Solinus qui ſecundo Chriſti ſęculo floruit, ſic ait, *Itaque per immenſum ſpatium ſæculorum (incredibile dictu) æterna gens eſt ceſſantibus puerperijs*; Et tandem Ioſephus libro 13. Antiquitatum loquens de tempore Ionathæ Machabęi, qui centum ſexaginta annis Chriſtum præceſſit, refert Eſſenos tunc celebres, ait enim, *Eodem tempore tres hæreſes Iudæorum fuerunt, quæ de rebus humanis diuerſa credebant, quarum vna Phariſæa dicebatur; altera Saducæa, tertia verò Eſſenorum*; Et libro 18. cap. 2. ait. *Iudæi patrię ſapientiæ ſtudioſi, iam inde a multis retro ſæculis in tres ſectas erant diuiſi, Eſſenorum, Saducæorum & Phariſæorum*: Vnde patet, quòd Eſſeni a tempore Eliæ & Eliſæi, quamuis ſub alijs nominibus, puta filiorum prophetarum, inceperũt;

Quòd

Digitized by Google

Quòd Eſſenorum inſtitutum non habuerit alicui ſpecialem patriarcham ab Elia diſtinctum, fatentur omnes, nec vllus talis aſſignatur: Quòd tale inſtitutum fuerit perfecta imago religionis Carmelitanæ, patet inductione in omnibus: Et quidem in obſeruantia trium votorum eſſentialium; nam de eorum obedientia ſic ait Ioſephus libro 2. de bello Iudaico, *Veneratio quoque apud eos magna legiſlatoris eſt, ſenibus quoque obedire, & plurium quoque decreto probabile arbitrãtur officium*; Item *nihil ſine præcepto faciunt curatoris*; Et Philo in libro de vita contemplatiua ait, *Senioribus iuniores debitam curam, honorem & reuerentiam exhibent*: De eorum caſtitate ait Ioſephus libro citato cap. 7. *Nuptias quidem faſtidiunt*; Et libro 18. Antiquitatum cap. 2. ait, *Vxores non ducunt*; Philo libro citato ait, *Caſtitatem in tota vita perpetuam ſeruant*; Plinius libro 5. citato cap. 17. ait, *Hæc gens* (Eſſenorum ſcilicet) *Sola & in toto orbe præter cætera mira, ſine vlla femina, omni Venere abdicata*; Et Solinus cap. 36. ait, *Nullæ ibi fæminæ, Venere ſe penitùs abdicarunt*: De eorum paupertate excludẽte dominium particulare ſic ait Ioſephus libro 18. Antiquitatum cap. 2. *Omnes illis opes in medio ſunt, & ab eis omnia communia poſſidentur, nihil amplius inter illos ditior fruitur, nihil pauperior defraudatur*; Idem repetit & fuſiùs libro 2. de bello Iudaico cap. 7. vbi inter alia dicit, *Deſignatos autem communium rerum procuratores habent, & ad vſus omnium ſingulis indiuiſos*; Idem docẽt Philo libro citato, Porphyrius & alij. Nouitiatum per tres annos integros faciebant, & ſolemnem emittebant profeſſionem: De nouitiatu docet his verbis Ioſephus loco citato de bello Iudaico; *Per annum integrum extrinſecus commoranti cuique eundem victus ordinem tribuunt, dolabellam quoque, & quod prædictum eſt perizoma, & albam veſtem tradentes*; Item *duobus annis alijs mores eius* (ſcilicet nouitij in conuentũ introducti) *probantur; cumque dignus apparuerit, tunc demum in conſortium aſſumitur* (emiſſa videlicet profeſſione;) Et ſimiliter Solinus cap. 36. ait; *Nullus admittitur, niſi quem caſtitatis fides & innocentiæ meritum proſequatur*: De profeſſione ſolemni (ea ſolemnitate quæ tunc poſſibilis erat, ſcilicet minori ac imperfectiori quàm nunc in lege gratiæ) docet Ioſephus ibidem, dicens eam ſolitam fieri cum iuramento; quòd quantũ ad hoc idem eſt ac votum, vt docet Sanchez libro 3. Summæ cap. 9. & alij: ſic enim ait Ioſephus; *Cumque dignus apparuerit, tum demum in conſortium admittitur; priùs verò quàm incipiat communẽ habere cibum, magnis execrationibus adiurat ſe primum quidem colere Deum; deinceps quoque erga homines ſeruare iuſtitiã, & neque propria ſponte nocere cuiquam neque ex præcepto obeſſe; quin imò iniquos omnes odiſſe, & collaborare ſemper iuſtitiæ ſectatoribus, fidem omnibus ſeruare &c.* ſubdit quoque; *Super hoc autem adiunt, nihil ſe de dogmatibus quàm ipſi ſuſceperint, tradere & conſeruaturum ire dogmatis ſui libros*: Sed breuius Cedrenus in compendio hiſtoriæ in Claudio Imperatore, de eadem Eſſenorum profeſſione, ait enim; *Iurant huic diuinæ religioni vnicè vſque ad ſanguinem ſe piè ac reuerenter operam nauaturos*; Quamuis autem in hac Eſſenorum profeſſione non fiat expreſſa mentio de tribus votis eſſentialibus religionis; non inde ſequitur quòd ea non fuerint, vt ſupra dictũ eſt, ſaltem virtualiter ac implicitè, per hoc quòd iurarent ſe culturos Deum, & victuros eſſe iuxta ſuas regulas; qui modus profitendi ſeruatur vt ſufficiens in aliquibus religionibus; vel authores prædicti, cum iam dixiſſent Eſſenos ſeruaſſe perpetuam obedientiam, caſtitatem ac paupertatem; ſuperfluum iudicarunt dicere, quòd hæc promitterẽt obſeruare, cum ſit incredibile tot alumnos in vna congregatione perpetuò ac vniformiter hæc obſeruaſſe ſine voto vel iuramento; Vnde in eorum profeſſione ſolùm adducunt ea, de quibus, non fuerant locuti: De cuſtodia cæterarum obſeruantiarum regularium religionis Carme-

Carmelitanæ, quas refert noſter Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus in ſuo libro de Inſtitutione monachorum, & nunc ſtrictè obſeruantur, cuius finis præcipuus eſt contemplatio, ad quàm maximè conducit ſolitudo & ſilentium, ſic oſtenditur: De contemplatione ſeu oratione Eſſenorum ita loquitur Ioſephus loco citato; *Præcipuè circa Deum religioſi ſunt*; Et Philo item libro ſępe citato ait, *Eſſæi a ſanctitate dicti, quia ſumma religione Deo ſeruiunt*: Et inde erat, quod vt ait Ioſephus ibidem, non comedebant niſi pręcederet & ſubſequeretur oratio; ait enim; *Vocem cibum ſacerdos anteuenit, neque guſtare quemquã fas eſt, niſi prius Deo celebretur oratio*; Item, *cum incipiunt & cum deſinunt, quaſi datorem victus Deum laudibus canunt*; Imò ex hac oratione continua & adhęſione ad Deum quaſi perpetua proueniebat, quòd omnia ſua in Deum dirigerẽt; Vnde Ioſephus libro 18. Antiquitatum cap. 1: ait, *Eſſeni ad Deum cuncta redigunt*: De ſolitudine eorum conſtat ex dictis quòd frequentiùs morabantur in deſertis, & ſolùm inde exibant, cũ charitate proximi vocabantur ad publicum; quòd etiam verum eſt, dum morabãtur in conuentibus ad vrbes aut oppida extructis ad bonum proximi: De ſilentio eorum mira dicit Philo libro de vita contemplatiua, ait enim; *Neque enim clamor vnquam tectum illud, neque tumultus inquietat, cum etiam loquendi ordine alijs alij cedant, eorumque ſilentium extra tectum conſtitutis arcanum quoddam videatur venerabile*; Quòd etiam rigidius obſeruarent ſilentium in cænaculi loco, docet ibidem his verbis, *Ibi ſilentium maius quàm antea, ita vt ne mutire cuiquam liceat, aut reſpirare vehementius*; Et Ioſephus libro citato de bello Iudaico ait, *Ante ſolis ortum nihil prophani loquuntur* (quaſi tunc ſolùm diuinas laudes canere, & non de alijs loqui liceret, (quòd eſt præceptum Carmelitanæ regulæ:) De eorum veſte ſuperiori candida, tunc propria religionis Carmelitanę, ſuperius dictum eſt ex Ioſepho libro 2. de bello Iudaico cap. 7. De eorũ habitatione in deſerto Hierchuntis ad ripas Iordanis prope Engaddi, vbi filij prophetarum alumni religionis Carmelitanę coloniam ex Carmelo ſub Eliſęo fundauerant, patet ex adducta ſuperius authoritate Genebrardi & aliorum plurium:

AD primum ergo dicendum, quòd tempore Chriſti Domini, & paulò poſt ſub Ioſepho tres erant illæ aſſignatæ cõgregationes, ſed differentes: nam Eſſeni erant boni religioſi, non autem Phariſæi & Saducæi: Eſſeni ſub nomine diſcipulorum S. Ioannis Baptiſtę) ipſe namque vocatur a Sanctis Patribus princeps Eſſenorum) laudantur in Euangelio quaſi orationi & ieiunio dediti, nec in vllo reprehenduntur, ſicut meritò reprehenduntur velut hypocritæ & malitioſi zelatores ipſi Phariſæi, & Saducæi: ſecta verò & hæreſis ſecundùm ſe ſignificant congregationem, & ita vſurpantur a Ioſepho, nunc autem malè ſonant.

AD ſecundum dicendum, quòd tam ante, quàm poſt aduentum Chriſti Eſſeni habuerunt veram fidem, ſtatim enim a principio Eccleſiæ conuerſi ſunt, vt ſuo loco dicetur; nec prudenter credi poteſt, quòd viri ab omnibus antiquis authoribus laudatiſſimi, vt a Philone, Ioſepho, Euſebio, Sozomeno, Nicephoro, & Sancto Hieronymo, aliquos in fide habuerint errores: Vnde quamuis eorum congregatio dicatur aliquando ſecta & hæreſis; hęc tamen nomina non ſumuntur ibi in malam partem, ſicut nunc ſumuntur a Catholicis, vt dictum eſt: circa hoc ait Serrarius in Trihæreſeo libro 3. cap. 5. *Neque quod ſciam, veterum vllus eſt, qui turpiſſimam ijs hæreſeos notam inuocat; quin a multis valde, prout partim huc vſque vidimus, partim ſi vt ſpero, annuerit poſtea votis Dominus videbimus, laudantur; neque vnquam a Chriſto Domino, Phariſæorum vel Saducæorum inſtar, vel ab Apoſtolis reprehenſi, cum eo tamen vigerent tempore & loco*. Vnde ad ſingula obiecta reſpondendo

Digitized by Google

dicendum, quòd per fatum intelligebāt diuinam prouidentiam & voluntatem, ſine cuius decreto nihil euenire affirmabant; fatum ſic intellectum eſt tenendū, ſed non nominandum ex S. Auguſtino. Quòd non loquerentur ante ſolis ortum, erat obſeruantia religioſa legitima, & nunc a Carmelitis inuiolabiliter cuſtodita, cum ex præſcripto regulę a dicto completorio ſeruent ſtrictum ſilentium vſque ad primam dictam ſequentis diei circa ortum ſolis. Quòd offerrent ſoli vota rogantes vt oriretur; certum eſt quòd non ſiſtebant in ſole materiali, ſed attendebant ad ſolem ſpiritualem ſcilicet Chriſtum: nec mirum, ſi vultu verſo ad orientem orabant, cum hoc diu in Eccleſia primitiua laudabili fuerit in vſu, & nunc etiam hic vſus viget inter Chriſtianos orientales: eorum orationes ac preces ſic declarat Philo; *Quotidie bis precari ſolent, mane ac ſub veſperam, oriente ſole precantes* (ſcilicet a Deo) *diem fælicem, vtque mentes eorum cæleſti repleantur lumine*: Et Cedrenus ait; *Preces & pſalmorum cantum a media nocte ad lucem vſque Deo religioſè ac cum grauitate offerunt, eo facto quiſque ad ſuum munus a præſide dimittitur*. Quòd crederent animas defunctorum deferri vltra oceanum, non ita conſtat, quamuis fortè aliјs hoc dicerent; Et dato quòd crederent, non erat tunc error fidei, nam expreſsa cognitio de beatitudine in Paradiſo, & de damnatione in Inferno ſolum incepit in lege gratię. Quantùm ad vltimum dicendum cum S. Ambroſio epiſt. 6. quòd Pytagoras fuit Iudęus, & venit in Italiam paulò poſt captiuitatem Babylonicam; ibique vt refert Serrarius lib. 3. cap. 4. fundauit conuentus cum voto perpetuo caſtitatis, paupertatis & obedientię; Poſtea vt referunt Eugubinus & Lippomanus, rediјt in Iudæam, & viſitauit ſapientes qui erant in Carmelo, vtique Eſſenos Eliæ diſcipulos, a quibus modum viuendi didicit; Vnde non mirum, ſi Eſſeni in multis fuerunt illi ſimiles.

AD Tertium dicendum, quòd ſiue Eſſeni habuerint diuitias ex redditibus, ſiue aliquas pecunias ex eleemoſyna datas, adhuc habuerunt votum paupertatis, quam dato primo caſu ſeruauerunt in particulari, dato verò ſecundo caſu eam etiam in communi ſeruauerunt. Ad aliud dicendum, quod non omnes Rechabitæ dicti ſunt Eſſeni, ſed illi ſoli, qui ſequuti Ionadab tranſierunt ad religionem filiorum prophetarum, vbi tria Religionis vota eſſentialia ſeruabantur, relicta congregatione Rechabitarū qui ducebant vxores & procreabant filios. De his intelligendus eſt Villapandus in apparatu verbis libro 3. cap. 14. dicens eoſdem, qui olim a primo familiæ parente Rechabitæ dicebantur, poſtmodum propter vitæ probitatem integerrimoſque mores Eſſæos, vel Eſsenos, hoc eſt Sanctos, dictos fuiſse Docent tamen aliј, Eſsenos ſignificare contemplatiuos, vt S. Nilus in Aſcet. dicens; *Iudæi, qui talem viuendi rationem inſtituerunt a Ionadab ſunt oriundi, & omnes qui ad ſe, vt eodem modo viuant, accedunt, ad eadem ducunt inſtituta; In tabernaculis perpetuò habitant, a vino atque omnibus cibis delicatis abſtinent victu tenui contenti corpus affligunt; magnam igitur morum curā gerunt, & contemplationi vacant aſſiduè, ex quo Eſſæi appellantur*: Item Serarius in Trihæres. libro 3. cap. 1. dicens; *In contemplatione plerumque perſeuerant, vnde etiam Eſſæi vocantur (hoc enim nomen hoc ſignificat) hoc eſt contemplatores.* Quòd Eſseni fuerint valde contemplatiui, dicit S. Hieronymus his verbis; *Cæleſtia contemplantur, & ſemper Deum orant*: Et indicat Philon, dum ſcribens de illis præfigit operi titulum de vita cōtemplatiua. Tandem Suidas pag. 1049. ſic ait honorificè illos deſcribens: *Eſſæi Iudæi Aſcetæ, maiores Ionadab filiј Rechab illius iuſti, inter ſeſe amantes, voluptatem vt vitium auerſantur, temperantiam verò, & continentiam, & ab animi perturbationibus vacuitatem virtutem putant; Coniugium apud ipſos deſpicitur, alienos filios adhuc iuuenes aſſumunt & docent, & ſuis moribus informant, omnem turpitudinem abiјciunt,*

Digitized by Google

ciunt, & cæteras omnes virtutes exercent; In contemplatione plerumque perſeuerant, vnde Eſſæi vocantur, hoc eſt contemplatores.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Aſſidæi fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Aſſidęi non fuerint alumni religionis Carmelitanæ: Ita tenent, qui eius hæreditariam ſucceſſionẽ ab Elia negant. Probatur: Aſſidei non fuerunt viri Religioſi, at potiùs ſęculares, ſicut erant Scribæ; nam vt habetur libro 1. Machabæorum cap. 2. & 7. ſe immiſcebant in dandis conſilijs bellicis, & in alijs negotijs ſtatus; capite quidem 2. dicitur, *Congregata ad eos* (ſcilicet Mathathiam & ſocios) *congregatio Aſſidæorum*; Et cap. 7. dicitur, *Conuenerunt ad Alcimum & Bachidem congregatio Scribarum, & primi Aſſidæi*: Ergo Aſſidæi non fuerunt alumni religionis Carmelitanę, hi quippe erant religioſi.

¶ 2. Præterea: libro 2. Machabęorum cap. 14. Iudas Machabæus dicitur fuiſſe dux Aſſidæorum, habetur enim, *Ipſi qui dicuntur Aſſidæi Iudæorum, quibus prǫeſt Iudas &c.* Vnde rei militari & conſilijs, & ſimul opera vacabant militando: Sed ex vna parte Iudas Machabæus non fuit religioſus, at ſæcularis, vt conſtat; ex alia verò parte non poteſt præſumi quòd Aſſidęi, ſi fuiſſent alumni religionis Carmelitanę, rei militari vacaſſent in dandis conſilijs, & multò minùs opera militando, hoc enim dedecet profeſſionem religioſam: Ergo Aſſidęi non fuerunt alumni religionis Carmelitanę.

¶ 3. Præterea: Aſſidæi ducebant vxores, quia nuptię erant laudabiles tempore Synagogæ, ac velut præcepta ad multiplicationem populi fidelis, ob quam etiam bigamia diuinitùs permittebatur: Sed ſtatui religioſo; eiuſque alumnis repugnat ducere vxorem, propterea votum caſtitatis eſt eſſentiale ſtatui verè ac ſtrictè religioſo: Ergo Aſſidæi non fuerunt alumni religionis Carmelitanę.

SED Contra eſt traditio vniuerſalis noſtrę religionis Carmelitanę, & communis authoritas Doctorum, qui Aſſidæos dicunt fuiſſe eoſdem ac Eſſenos.

CONCLVSIO.

Cum Aſſidæi ſint penitùs ydem ac Eſſeni verè fuerunt alumni religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quod Aſſidęi fuerunt alumni religionis Carmelitanę. 2. vltimis Synagogæ ſęculis celeberrimi. 3. quorum ſucceſſione religio Carmelitana florens peruenit vſque ad legem gratię, & attigit ad tempus Chriſti. Ad cuius euidentiam ſciẽdum eſt, quòd Aſſidęi ſic denominati fuerũt ab aſſiduitate cultus diuini, vt docent D. Thomas, Lyranus, Dyoniſius & alij: Vel a ſanctitate, vt volunt alij, nam vox Hebræa Chaſid ſeu Haſid, vnde denominari videntur, ſignificat Sanctum. De ipſis fit honorifica mentio in libris Machabæorum, tanquam de viris illuſtribus illius temporis, & in religioſam congregationem redactis, anno ſcilicet 160. ante Chriſti Domini natiuitatem: quamuis eorum nomen fuerit antiquus, & origo prior; nam inuenitur nomen Aſſidæorum a tempore reędificationis templi, vt affirmat Scaliger relatus a Scrorario in mineruali lib. 5. cap. 10. dicens; *Eorum origo iam inde a temporibus Eſdræ, auctoribus inſtitui ſanctis Prophetis, in quibus familiam ducebant Aggæus, & Zacharias nepos, Addo filius Barachiæ*; quòd etiam alij docent.

Probatur prima pars concluſionis: Eſſeni fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ, vt probatum eſt articulo pręcedenti: Sed Aſſidæi fuerunt penitùs ijdẽ ac Eſſeni, vt multiplici via demon-

 ſtratur;

Digitized by Google

ſtratur; Prima quidem eſt etymologia nominis, nam tam Eſſenus quàm Aſſidæus ſignificat ſanctum, vt dictum eſt; Secunda via eſt identitas habitus, nam ſicut Eſſeni ex Ioſepho Flauio vtebantur veſte candida, ſiue ependite aut pallio albo, ſic & Aſſidæi ille vtebantur ex alio Ioſepho dicto Gorionide, quæ veſtis erat pallium propheticum ex pellibus caprinis; Tertia via eſt vniformitas in modo viuendi religioſo, ſeu in ijſdem exercitijs & obſeruantijs religioſis, imò identitas in ijſdem rebus geſtis, nam qnicquid Ioſephus Flauius & Philo referunt de Eſſenis, hoc idem refert Ioſephus Gorionides de Aſſidæis, quòd adeò verum eſt, vt quidam Propheta nomine Iudas dicatur Eſſenus a primo Ioſepho, & a ſecundo dicatur Aſſidæus; Quarta via inde patet, quod cum notum eſſet Ioſepho Flauio tum ex libris Machabæorum, tum ex antiquiſſimis authoribus, vt Hegeſippo libro 1. cap. 1. fuiſſe ſectam ſiue congregationem inclytam Aſſidæorum ſub Machabæis, nullam tamen illius ſub ipſomet nomine facit mẽtionem, & dicit tunc fuiſſe tres ſectas inter Iudęos, videlicet Eſſenorum, Saducæorum & Phariſæorum, quo manifeſtè denotatur ipſum Eſſenos & Aſſidęos pro ijſdem reputaſſe, non enim præſumi poteſt, quod tam exactè res Iudaicas exprimens ad gloriam gentis ſuæ, tam nobilem Aſſidæorum congregationem ſciens & volens prætermitteret; Quinta denique via eſt communis authoritas Expoſitorum, qui Eſſenos & Aſſidæos pro ijſdem ſumunt, vnde Genebrardus libro 2. Chronologiæ ſub anno mundi 3911. ait, *Aſſidæos, id eſt Eſſæos (ſiue Eſſenos) quaſi ſanctos*, ipſum ſequuntur Serarius in Machabæorum Harmonia ſuper cap. 7. libri 1. Torniellus ſub anno 2549. Boulducus de Eccleſia poſt legem cap. 7. Et ferè omnes alij etiam ex ſectarijs, vt Sebaſtianus Munſterus in cap. 6. libri 4. Ioſephi Gorionidis, Ioannes Druſius in libello de Aſſidæis: Ergo Aſſidei fuerunt alumni religionis Carmelitanæ.

Probatur Secunda pars concluſionis authoritate Sacræ Scripturæ libro 1. Machabæorum cap. 7. vbi ſic habetur: *Et conuenerunt ad Alcimum & Bacchidem congregatio Scribarum requirere quæ iuſta ſunt & primi Aſſidæi qui erant in filijs Iſrael, & exquirebant ab eis pacem; dixerunt enim, homo ſacerdos de ſemine Aaron venit, non decipiet nos, Et locutus eſt eis verba pacifica, & iurauit illis dicens, non inferemus vobis malum neque amicis veſtris, & crediderunt ei, & comprehendit ex eis ſexaginta viros, & occidit eos in vna die ſecundum verbum quod ſcriptum eſt; carnes ſanctorum tuorum, & ſanguinem ipſorum effuderunt in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret.* In quibus apparet non ſolùm eorum ſanctitas, ſed etiam ſinceritas & candor religioſus Aſſidæorum, & amor proximi maximus, pro quo ſe expoſuerunt euidenti mortis periculo; ſi enim non fuiſſent religioſi, factum eorum fuiſſet valde temerarium, accedere ſcilicet ad hoſtes abſque mutuis obſidibus.

Probatur & explicatur tertia pars concluſionis: In Sacra ſcriptura legitur continua ſucceſſione nomen Filiorum Prophetarum ſub Elia, & Eliſęo, quando fuit ab eis in Carmelo primùm inſtituta religio Carmelitana: Paulò poſt cœpit nomen Rechabitarum ex acceſſu Ionadab ducis eorum cum multis alijs eiuſdem congregationis ad noſtram religionem; Simulque nomen Eſſenorum aut Eſſæorum, vel ab Eliſæo quaſi Eliſſęorũ, vel a ſanctitate deriuatum: Tandem vltimis Synagogæ ſæculis nomen Aſſidæorum, vel ab aſſiduitate cultus diuini, vel ab eadem ſanctitate dictum, poſt captiuitatem Babylonicam, perſeuerante tamen etiam nomine Eſſeno, vt conſtat ex dictis. Vnde credendum eſt, quòd princeps populi Iudæorum ex hac captiuitate reuertentes Eſſenos Eliæ ac Eliſæi ſucceſſores, ex miſeria & anguſtijs illorum temporum ex vrbibus pulſos, & ad eremos Carmeli ac Iordanis diſperſos ad ciuitates reuocarunt ad inſtructionem populi penè corrupti in fide & moribus

Digitized by Google

ribus, ex commercio Babyloniorum infidelium; refert enim S. Epiphanius hęreſi 10. 11. & 12: fuiſſe apud Samaritas aliquos Eſſenos tempore reædificationis templi per Eſdram & Nehemiam factæ: Et tunc eos Aſſidæos vocaſſe, qui de nouo multos conuentus in vrbibus & oppidis Iudeæ fundarunt, vt docet Philo in Apologia pro Iudæis dicens; *Incolunt Eſſeni (ſiue Aſſidæi, vtroque enim nomine ſub extremis antiquæ legis temporibus vocabantur) multas Iudææ vrbes, multos vicos, magnos numeroſoſque hominum cętus*: Et Ioſephus de bello Iudaico loco citato ait, *Non eſt illis vnica ciuitas certa, ſed in ſingulas multi domicilia transferunt*: Et paulò poſt ſubdit; *In ſingulis autem ciuitatibus ex eodem collegio ſpecialis curator hoſpitum conſtituitur*. Circa hæc notanda eſt diuina prouidentia erga Eliæ noſtri patriarchæ ſucceſſores & alumnos, quam ponderat Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus libro de Inſtitutione monachorum cap. 26. quod ſcilicet tota deſtructa Iudæa per exercitus Chaldæorum & Aſsyriorum, captiſque fortiſſimis vrbibus ipſi in ſua ſolitudine pacifici remanſerunt; huius affert rationem & confirmationem ex Iſaia, ac ſic eleganter his verbis proponit: *Quoniam igitur prædicti monachi dum regebantur per Eliſæum, & etiam poſt eius deceſſum quærebant ex totis præcordijs Dei regnum, pro quo facilius conſequendo terrenas diuitias & carnales delicias reſpuebant, humanaque conſortia & turbarum tumultus vitabant; ideò ſeruauit eos Deus a captiuitatibus, ad quas ante Incarnationem Chriſti Ieſu induxit populum Iudæorum propter peccata eorum. Quod tamen ad maiorem Iudaici populi ceſſit confuſionem, vt ipſe in fortiſſimis ciuitatibus & munitis ſaluari non poſſet, cum monachi in aperta montis Carmeli eremo & non munita, ab inſultibus Aſſyriorum exercitus Chaldaici per Deum tunc protegerentur: Sed cauſa huius diuerſitatis fuit ex parte quorundam illius populi legis diuinæ præuaricatio: E contra verò ex parte dictorum monachorum eiuſdem legis obſeruatio, Quod totum benè ſignificauit Propheta Dei Iſaias cap. 32. dum in perſona Domini captiuitatem & terræ diſſipationem populo Iudæorum venturam vaticinaretur, ita inter cætera dicens: Plangite ſuper regione deſiderabili, ſuper vinea fertili; ſuper humum populi mei ſpinæ & vepres aſcendent, quantò magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis: domus enim dimiſſa eſt, multitudo vrbis relicta eſt: Et paulò poſt de monachis Carmelitis illius temporis contrariam ſententiam ſubdens Propheta in perſona Domini ait: Et erit deſertum in Carmelo, & Carmelus in ſaltum reputabitur, & habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Carmelo ſedebit, & erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Hęc Patriarcha; Ex quibus omnibus probata manet quarta pars concluſionis infra fuſiùs probanda; quę ampliùs confirmatur ex S. Hieronymo, dum ad Euſtochiũ epiſt. 22. aſſerit monachos Aegyptios deſcendiſſe ab Eſſenis, & dum ibidem affirmat vitę monaſticę Paulum eremitam fuiſſe authorem, Antonium fuiſſe illuſtratorem, & Sanctum Ioannem Baptiſtam illius fuiſſe principem, a quo tanquam ab inſigni capite, & propter ſanctitatem nominatiſſimo, diſcipuli Elię mutato nomine Eſſeno vocabantur diſcipuli Ioannis Baptiſtę; de quibus aliquando fit mentio in Euangelio: Et ſic medijs Eſſenis & Aſſideis religio Carmelitana per Eliam inſtituta peruenit vſque ad legem gratię, & attigit ad tempus Chiſti.

AD Primùm ergo dicendum, quòd ibi Aſsidæi ponuntur diſtincti a Scribis, & quia ponuntur primi excellentia, colligitur fuiſſe religioſos, maximè quia de eis litteraliter intelligitur illud dictum prophetæ; *Carnes Sanctorum tuorum & ſanguinem ipſorum effuderunt in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret*. Nec illi Sancti ſe immiſcebant in dandis conſilijs bellicis, & in alijs negotijs ſtatus;

niſi

Digitized by Google

niſi vocati & coacti extremis illis anguſtijs temporum, quando agebatur de fide, tunc enim eſt licitum, imò & laudabile armis pugnare; Deinde potiùs egerunt officium mediatoris ad pacem, quàm militis, vt habetur in ipſo textu citato his verbis: *Conuenerunt ad Alcimum & Bachidem congregatio Scribarum requirere quæ iuſta ſunt, & primi Aſſidæi qui erant in filijs Iſrael, & exquirebant ab eis pacem &c.*

AD ſecundum dicendum, quòd ſi Iudas Machabæus fuit dux Aſſidæorum, non ſolùm temporalis, ſed etiam ſpiritualis, vt plures volunt, non fuit ſęcularis at religioſus, aſſumptus è monaſterio ad præliandum pro Domino, pro vera fide, & pro ſalute populi electi, quòd glorioſum eſt.

AD Tertium dicendum, quòd nullū eſt fundamentum in Sacra Scriptura, in Sanctis Patribus, aut in antiquis Scriptoribus, quod Aſſidæi ducerent vxores; imò manifeſtè conſtat ex dictis de contrario: nec tunc nuptię erant præceptæ, iam multiplicato fideli populo, quin potiùs erant multi & multę virgines, vt docet S. Hieronymus & alij. Vnde concludimus, quòd Aſſidæi fuerunt verè religioſi religionis Carmelitanę ab Elia inſtitutæ, tunc vnicę, continuatores eius vſque ad legem gratiæ & tempora Chriſti, vt dictum eſt.

ARTICVLVS V.

Vtrum Nazaræi perpetui fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd Nazarę̨i perpetui non fuerint alumni Religionis Carmelitanæ. Probatur: Nazaræi perpetui non fuerunt integræ & ſanę fidei, ſed multos habuerunt errores, vt aſſerit Suarez, & probat ex Sancto Epiphanio hereſi 18. Ergo non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ, cum alumni talis Religionis eſſent ſanę fidei, vt affirmant ipſi Carmelitæ.

¶ 2. Preterea: Nazarę̨i perpetui non ſeruauerunt tria vota eſſentialia religionis: nam Samſon fuit Nazarę̨us perpetuus, vt conſtat ex illo Angeli dicto ad matrem ipſius Iudicum 13. *Erit enim puer Nazarę̨us Dei ab infantia ſua ex vtero matris ſuæ vſque ad diem mortis ſuæ*: Similiter Samuel fuit Nazaræus perpetuus, iuxta votum matris ſuæ, quod habetur 1. Regum 1. his verbis, *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius*: Et tamen eſt certum de fide, quòd hi duo non ſeruauerunt vota eſſentialia Religionis, cum habuerint coniugem, & familiam: Ergo Nazaræi perpetui non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ. quæ huiuſmodi vota ſeruabat, vt aſſerunt Carmelitæ & alij.

¶ 3. Præterea plures erant Nazaræorum obſeruantiæ, quas non conſtat viguiſſe inter alumnos Religionis Carmelitanæ, nempè comam non radere, vinum non bibere &c. Ergo Nazaræi perpetui non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt traditio religionis Carmelitanæ, & communis ſententia Doctorum ipſius ex authoritate Sanctorum Patrum.

CONCLVSIO.

Cum Nazaræi perpetui fuerint veri Religioſi, fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendū, quod Nazarę̨i perpetui fuerunt alumni religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt; quod Nazaræatus in antiqua lege fuit pia quædam ſodalitas à Deo inſtituta, in qua viri & mulieres Domino ſacrificabantur & conſecrabantur, in cuius cultum aliquas regulares obſeruantias vouebant, vt habetur numerorum capite 6. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens, loquere ad filios Iſrael*

Digitized by Google

Iſrael, & dices ad eos; Vir ſiue mulier cũ fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, a vino & omni quod inebriare poteſt abſtinebunt; omni tempore ſeparationis ſuæ nouacula non trãſibit ſuper caput eius, vſque ad completum diem quo Domino conſecratus, Sanctus erit creſcente cæſariè capitis eius; omni tempore conſecrationis ſuæ ſuper mortuum non ingredietur, nec ſuper patris quidem & matris, & fratris ſororiſque funere contaminabitur, quia conſecratio Dei ſui ſuper caput eius eſt; omnibus diebus ſeparationis ſuæ Sanctus erit Domino. Ex Nazaræis aliqui erant temporanei, qui ſcilicet ad determinatum tempus voto prædictarũ obſeruantiarum erant obligati diuino cultui, quo finito diuerſis cæremonijs & ſacrificijs ad oſtium Tabernaculi purificabantur, ibique radebatur cæſaries, & igne ſacrificij comburebatur: Alij Nazarȩi erant perpetui, vt docent communiter Authores, præſertim Hugo Cardinalis, Lyranus, Abulenſis, Dionyſius Carthuſianus, Cornelius a Lapide, Aegydius Camartus &c. quos dicimus fuiſſe alumnos Religionis Carmelitanæ.

Probatur concluſio authoritate Sanctorum Patrum, qui Nazaræos perpetuos antiquæ legis vocant religioſos & monachos, religioſos illius legis vocant Nazarȩos. Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 16. de adoratione in ſpiritu p.577. loquens de Nazarȩis ait vixiſſe; *Ad imaginem Euangelicæ vitæ, excellentiſſimæ conuerſationis, & perfectæ iuſtitiæ:* Et p.578. agens de legibus Nazarȩorum quas ipſi vouebant, dicit quòd illis tenebantur ſe ſeparare ab omnibus, quæ poterant ipſos turbare, quales ſunt, ait, *terrenȩ cupiditates, ſollicitudines carnis, & vanæ diſtractiones*; ad quæ vitanda tendunt vota Religionis, vota ſiquidem obedientiæ tolluntur vanæ diſtractiones in ſui directione, per votum caſtitatis tolluntur ſollicitudines carnis, & per votum paupertatis tolluntur terrenæ cupiditates. S. Gregorius Magnus lib.13. moralium cap.17. dicit quod Ieremias Propheta ſub nomine Nazaræorum deflet ruinam monachorum. Suidas p.201. inquirens quid ſit Nazarȩus, ſic reſpondet, *Nazaræus, Deo gratus & conſecratus monachus.* His adiungimus D.Sonnium Siluæ ducis Epiſcopũ tract.12. de Conſilijs Euangelicis cap. 26. vbi ſic ait; *Monaſtice tum temporis eſt præformata in Nazaræis, Rechabitis, & filijs Prophetarũ:* Quibus verbis non ſolùm intelligit quãdam ſimilitudinem adumbratam vitæ monaſticȩ in Nazarȩis; ſed realitatem & ſubſtantiam ipſius, hoc enim ſignificat particula hȩc prȩformata: Concedimus tamen, quòd in illis non fuerit vita religioſa cum omnimoda perfectione, vt etiam alibi dictum eſt; propterea dixit S. Cyrillus iam citatus, quòd Nazaræi erant *ad imaginem Euangelicæ vitæ.* Hoc adeò verum eſt, quòd aliqui Sancti Patres continuarunt nomen Nazarȩorum in monachis Eccleſiȩ: Nam S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri patris ſui ſic ait de monachis; *Selectiſſimȩ & puriſſimȩ populi parti, noſtri temporis Nazaræis:* Et in alia oratione de diſceſſu ſuo ab vrbe Conſtantinopoli ſic ait; *Valete Nazaræorum chori, pſalmodiarum concentus: nocturnȩ ſtationes Virginum ſanctimonia*: Ac tandem Carmine Iambico 18. num.103. ait; *Hos Nazarȩos dico, qui nouo agmine omnes abundant conditis intus bonis &c.* Item Gregorius IX. in Bulla Canonizationis S.Dominici dicit, quòd hic Sanctus, cũ religionis habitum ſumpſit, fuit conſecratus in Nazarȩum. Tandem D.Thomas 2. 2. q. 186. ar.6. in argumento ſed contra, & ad 2. volens probare, quòd ad perfectionem ſtatus religioſi requiruntur vota paupertatis, caſtitatis & obedientiȩ, adducit vota quȩ faciebant Nazarȩi, quod non concluderet, ſi aliqui ex illis non feciſſent eadem vota perpetua, quȩ tunc faciebant alumni Religionis Carmelitanȩ, & nunc faciunt omnes religioſi.

Secundò probatur multiplici ratione. Prima deſumitur ab Etymologia nominis: Nazarȩus idem eſt ac Sanctus, vt inter alios docet S.Hieronymus in cap.2 Mat-

Digitized by Google

Matthęi; Alumni autem religionis Carmelitanę vocabantur Sancti, tum communi titulo Religioſorum, tum ſpeciali ſuo, nam etiam vocati ſunt Eſſeni & Aſſidęi, ideſt Sancti. Secunda ratio deſumitur a votis perpetuis quę faciebant ſuarum legum; cum enim conſtet ex fide, iuxta cap. 6. numerorum ſupra citatum, quòd Nazaręi temporanei vouebant ad tempus illas regulares obſeruantias, vt certum concluditur, quòd Nazaręi perpetui faciebant vota perpetua plurium obſeruantiarum, vt in diuino cultu firmarentur in perpetuum ad inſtar religioſorum; quia, vt ait D. Thomas loco citato, *Non aliter homo poteſt totam vitam ſuam Deo exhibere, niſi per voti obligationem*. Tertia ratio deſumitur ex eodem cap. 6. numerorum, vbi Nazaręi dicuntur ſanctificati & conſecrati Deo: Habetur enim; *Vir ſiue mulier cum fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint conſecrare*; ſed talis Nazaręorum ſanctificatio & conſecratio demonſtrabat ſtatum eorum religioſum, iuxta doctrinam D. Thomę in 4. d. 2. q. 1. ar. 2. ad 9. vbi ſic ait; *Ad quamlibet eminentiam ſtatus datur aliqua ſanctificatio, cum ſit ibi neceſſarium ſpeciale auxilium gratiæ, ſicut in conſecratione Regum, & Monachorum & Monialium*; Conſtat autem, quòd ſtatus Nazaręorum non fuit Regum, & ita fuit monachorum & Monialium: Ergò Nazaręi perpetui fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ tūc vnicę. Quarta ratio deſumitur ex eo quòd Nazaręi ex vi ſui ſtatus erant & vocabantur ſeparati, vt habetur his verbis eiuſdem cap. 6. Numerorum, *Omnibus diebus ſeparationis ſuę Sanctus erit Domino*: Sed huiuſmodi ſtatus ſeparationis, ſeu abſtractionis eſt religioſus ex doctrina D. Thomę 2. 2. q. 186. ar. 4. vbi ſic ait; *Ad ſtatum religionis requiritur abſtractio eorum per quę homo impeditur, ne feratur totaliter in Dei ſeruitium*. Confirmatur ex eo quòd S. Ioannes Baptiſta inſignis alumnus Religionis Carmelitanę vocatus fuit Nazaręus, iuxta dictum Eccleſię de ipſo; *Nazaræus vocabitur puer iſte, &c.*

AD primum ergo dicendum, quòd S. Epiphanius loquitur ibi de Nazaręis, qui perſeuerabant eius tempore, fortè etiam ſub lege Iudaica; Et hos fatemur non fuiſſe ſanę fidei, ſed habuiſſe errores: Quod tamen dici non poteſt de Nazaręis antiquę legis ante Chriſtum, de quibus hic agimus, qui non ſolùm in principio ſui inſtitutionis a Deo fuerunt boni; ſed etiam poſtea, vt conſtat ex illo, quod habetur Amos 2. vbi ſic inducitur Deus loquens; *Ego ſum, qui aſcendere vos feci de Terra Aegypti, & duxi vos in deſerto quadraginta annis, vt poſſideretis terram Amorrhęi, & ſuſcitaui de filijs veſtris in Prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazaræos; nunquid non ita eſt filij Iſrael, dicit Dominus? Et propinabatis Nazaręis vinum, & Prophetis mandabatis dicentes, ne prophetetis.*

AD ſecundum dicendum, quòd in preſenti loquimnr tantùm de Nazaræis perpetuis, qui ſubſequuti ſunt Eliam, hi namque ſoli potuerunt eſſe alumni Religionis Carmelitanę per Eliam fundatę, à quo fuerunt primùm introducta vota eſſentialia Religionis: Vnde Samſon & Samuel fuerunt Nazaręi perpetui quantùm ad aliquid, non autem quantùm ad vota Religionis, quia precesſerunt Eliam.

AD Tertium dicendum, quòd in Elia fundatore Religionis Carmelitanæ conſtat viguiſſe huiuſmodi obſeruantias, depingitur enim cum cęſarie, & dicitur vir piloſus: Cumque Angelus in neceſsitate cibum ei attuliſſet, non vini, ſed aquę vas tulit, eique priùs dictum fuerat, *Et ibi de torrente bibes*: Quod ſi ad mortuum viduę filium ingreſſus eſt, hoc fuit ex inſpiratione ac diſpenſatione diuina pro miraculo reſurrectionis: Idem poteſt dici de eius diſcipulis tempore legis antiquę.

ARTI-

Digitized by Google

Articvlvs VI.

Vtrum Druidæ Galli poſſint verè dici Carmelitanę Religionis alumni.

AD Sextum ſic proceditur: Videtur quòd Druidæ Galli non poſsint verè dici, Carmelitanę Religionis alumni. Probatur: Supponunt Carmelitę tanquam omninò certum, quod omnes alumni ſuę religionis, etiam in antiqua lege, fuerunt puri in fide vnius Dei; quia ſine fidei puritate non poteſt eſſe vera religio: ſed Druidę Galli non fuerunt puri in fide vnius Dei, adorabant enim pluralitatem Deorum, nam dicebantur *Vates Iouis & Berecinthię matris Deorum* Et nominati ſunt Druides à Dryos Gręcè, & Latinè quercu arbore Ioui ac Berecynthię ſacra, quam venerabantur, Et Mercurij ſacra celebrabant; Vnde Tyrius maximus in ſua diſſertatione 38. loquens de Celtis ſiue Carnutenſibus dicit quòd adorabant Iouem, eiuſque effigiem quę eſt alta quercus; Alij verò Authores vt Lucanus in fine primi libri belli Pharſalici, dicunt, quòd Druidę, & Galli a Druidis inſtructi adorabant hos deos, nempe Tautatem, Heſum, Taramim, & Belenum: Ergo Druidæ Galli non poſſunt verè dici Carmelitanę religionis alumni.

¶ 2. Pręterea: Druidę Galli fuerunt magi ſortilegijs execrabilibus intenti, vt referunt authores quamplurimi; ad quę principaliter vtebantur viſco quercus, quem prima die anni colligebant cum ſuperſtitioſis ritibus; Tacitus libro 14. Annalium, & Diodorus Siculus ibidem dicunt quòd immolabant homines Idolis, quòd prędicebant futura ex inſpectione viſcerum, & ex caſu ſeu ſitu immolati corporis humani, nec non & ex fluxu ſanguinis fuſi; Plinius libro 29. cap. 3. dicit quòd vtebantur ouis ſerpentum in ęſtate productis, vt eorum virtute ſuas lites lucrarentur, & Principum beneuolentię ſe inſinuarent; Et Poſtellus in compendio Coſmographię dicit quòd Cham cognominatus Saturnus venit in Italiam cum Iano, & cum eſſet maledictus a ſuo patre Noe, attendit ſortilegijs & arti magicę, quam docuit Italos & primos Gallos, ex quibus eam didicerunt Druidę & retinuerunt: Ergo Druidę non poſſunt verè dici Carmelitanæ religionis alumni, Carmelitæ enim non admittent quaſi ſuos ſimiles impios & ſacrilegos.

¶ 3. Præterea: Druidæ fuerunt crudeliſſimi, ſimul & ſuperſtitioſi; crudeliſſimi quidem, quia vt ait Strabo libro 4. hominem diuinationi deſtinatum ferientes, ex ipſo affligendi impatientiæque modo ſua vaticinia aſſumebant, & aliquando magnam ex fœno ſtatuam efformabant, in cuius circuitu rogum erigebant, ſupra quem viuentes homines & beſtias cremabant ad maiorem ſacrificij ſolemnitatem; ſuperſtitioſi verò fuerunt, tum quia Metempſicoſim ſeù transmigrationē animarum de vno corpore in aliud credebant, tum quia credebant etiam pro vita hominis tantùm hominis vitam redimi poſſe, tum quia mutuò dabant pecunias in alia vita poſt mortem reſtituendas velut ibi neceſſarias, vt ait Valerius Maximus lib. 2. c. 1. tum quia ex Diodoro Siculo lib. 6. ſcriptas epiſtolas in rogis mortuorum ponebant ad ſuos parentes & amicos deferendas; propter quas crudelitates & ſuperſtitiones Tiberius Cæſar Druidarum doctrinam vt Reipublicę pernicioſam prohibi Romæ, & Claudius Cæſar eorū ſectam deſtruxit: Ergo Druidæ Galli non poſſunt verè dici Carmelitanæ religionis alumni; Carmelitæ enim non admittent quaſi ſuos tam ſceleſtos homines.

¶ 4. Præterea: Druidæ Galli ex authorum relationibus potiùs apparent ſæculares quàm viri religioſi cum tribus votis eſſentialibus; nam primo habebant vxores, quia Aurelianus Imperator vna ipſarum conſuluit, vt ſciret an

imperium in ſua familia conſeruaretur, ex Flauio Vop. Et Diocletianus ab alia audiuit ſe futurum Imperatorem cum aprum occidiſſet,& ita ſucceſſit poſtquã occidit hominem qui vocabatur Aper; Deinde magnas habebant diuitias, quibus exercebant cõmercia ex citato Valerio Maximo; Itẽ cum eorũ ſuperior moriebatur, aliquando rixæ & pugnæ cum armis inter electores oriebantur circa ſucceſſorem eligendum; Denique exercebant iudicia omnia non tantùm ciuilia, ſed etiam criminalia ex Cæſare de bello Gallico libro 6. quæ ſingula denotant in ipſis ſtatum ſæcularem non religioſum: Ergo Druidæ Galli non poſſunt verè dici Carmelitanæ Religionis alumni.

SED CONTRA eſt traditio antiquiſſima, & fideliſſima relatio Carnutenſis Eccleſiæ, ex quibus deducitur euidenter Druidas Gallos fuiſſe Eſſenos fideles ex identitate regularium obſeruantiarum, & habitus religioſi, qui Eſſeni fuerunt alumni religionis Carmelitanæ.

CONCLVSIO.

Cum Druidæ Galli viuerent in communitate, rebus ſacris potiſsimum occupati, regulares Eſſenorum obſeruantias imitati, pallio candido amicti, & cultui Virginis pariturę adducti, verè poſſunt dici Carmelitanæ religionis alumni.

RESPONDEO dicendum, quòd eſt valde probabile Druidas Gallos fuiſſe verè religioſos Eſſenos, ac proinde dici poſſe Carmelitanæ religionis alumnos. Ad cuius euidentiã ſciendum eſt, Druidas fuiſſe nominatiſſimos olim in Gallia, & maximæ venerationis apud omnes aliquot ſæculis ante Chriſti natiuitatem, tum pietate tum doctrina, vt habetur ex Iulio Cęſare quaſi teſte oculato libro 6. de bello Gallico, vbi ait quòd *inter Gallos erant duo ordines admodum honorabiles, vnum ſcilicet Druidarum, & alium Equitum*; Et addit quòd Druidæ *præfecti erant rebus diuinis & religionis, & inſuper iudicio controuerſiarum omnium, & litium tam ciuilium quàm criminalium; ſi quis autem ipſorum iudicio non acquieſcebat, eum excommunicabant à diuinis interdicendo, quod erat ſeueriſſima apud ipſos punitio, qui enim ſic erant excommunicati, excludebantur ab omni hominum conſortio, nec ad vllos poterant honores aſpirare*: Propter hanc Druidarum authoritatem multitudo nobilium iuuenum eis adhærebat, eorum exercitijs & doctrinæ addicti, quam non ſcriptis, ſed ſola traditione ſuis communicabant alumnis, quamuis ad alia negotia litteris Græcis vterentur, vt ait Mela 2. lib. 3. Publicas habebant ſcholas non procul a Carnuto in vrbe nunc etiam ab ipſis denominata Dreux, & in circumuicinis pagis ad ingreſſum nemoris, quarum apparentes hactenus ruinæ vocantur domus Druidarum; has elegerant ſolitunes, vt ab hominum tumultibus remotiores quietiùs ſtudio Philoſophiæ vacarent: Præcipuam ſedem ſuam Carnuti habuerunt, conſeruantes ibi ſiluam quercuum in ſuperiori parte ciuitatis, vbi nunc eſt ædificata maior Eccleſia, in inferiori verò parte cauernas ad manſionem ſuam foderunt, vnde locum illum Ptholomæus 2. Geographiæ cap. 8. vocat *Antricum*; ibique capellam ſubterraneam adhuc extantem & inclytam erexerunt, quam Virgini parituræ dedicarunt, poſita ſuper altare eiuſdem Virginis ſtatua tenentis filium prę manibus, quæ videtur hactenus antiquiſsima: In hoc loco erat ſuprema authoritas, tam ſacra quam prophana, & certis anni diebus indicebantur ibi comitia, ad ius vnicuique reddendum in loco, ſeu luco conſecrato, vt ait Cæſar iam citatus: Cum hoc tamẽ ſtat, id quod aſſerit Caſſanæus in Cathalogo glorię mundi 1. p. conſ. 58. pag. 293. de laudibus & deſcriptione ſuæ Ciuitatis Heduenſis, nunc Auguſtodunenſis dictæ, quòd in eius parte Occidentali mons eſt ferè nubibus proximus diſtans ab ipſa vno milliari, & eſt quercubus plenus, qui nunc etiam mons Druidum appellatur, eo quod ibi Druides

Digitized by Google

des Gallorum Philoſophi & ſapientes etiam morabantur ſex menſibus æſtiuis, cum ſex alijs hyemalibus Carnuti morarentur, vt innuit Cæſar dicens de illis; *Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt in loco conſecrato*. Vocati ſunt Druidæ ſecundùm aliquos authores a Druio Rege, ſed hoc ſolet reijci tanquã fabuloſum; ſecundùm Plinium autem & alios denominati ſunt a nomine Græco Drus, quod quercum ſignificat, quia quercum in maxima tenebant veneratione, & maximè ſpeciem illam quæ dicitur Robur, cuius viſcum vt prætioſum ad medicinam colligebant, quam in inſignibus habebant, & ſub qua præcipua ſua celebrabant myſteria, ſed hanc etymologiam admodum veriſimilem ex citato Plinio libro 16. Hiſtoriæ naturalis cap. vltimo reijciunt aliqui, qui Druidas faciunt antiquiores lingua & Philoſophia Græca; ſecundùm alios ſic denominati ſunt a nomine Hebræo Deruſſin aut Druſſin in plurali, quod ſignificat ſpeculatores ſeu inquiſitores arcanorum ſublimium, ſic enim nominantur Hebraicè Magi Perſarum, quibus comparantur; Denique ſecundùm Sebaſtianum Rouuilard Melodunenſem aduocatum in Senatu Pariſienſi in ſua Parthenia ſeu hiſtoria noſtræ Dominæ Carnutẽſis impreſſa Pariſijs anno Domini 1609. denominati ſunt a nomine Gallico Drus, quod ſignificat frequentes ſiue perſonas ſimul in congregatione viuentes, vnde Marcellinus eos vocat Druſidas. Druidum inſignia componebantur ex ramò viſci quercinei in ſuperiori parte ſcuti aerea, in inferiori verò parte ex cumulo vel manipulo paruorũ anguium ſeu ſerpentium argenteorum in campo cæruleo, aut azuræo. Hæc neceſſariò præmittenda fuerunt ad huius difficultatis deciſionem.

Probatur concluſio multiplici ratione ſeu coniectura. Druidæ Galli fuerunt originaliter aduentitij ex Oriente in congregatione viuentes, ſub vnius ſuperioris electi ab ipſis directione, in fide puri, in rebus ſacris potiſſimum occupati, cultui Virginis parituræ ſingularitèr addicti, pallio candido amicti, ſapientes & recti communitèr habiti, degentes vt plurimum in ſolitudine, quamuis ad bonum proximi publica ſapientiæ collegia moderarentur, & auditorem dicuntur habuiſſe Pythagoram: Sed hic modus vitę & exercitiorum fuit in illis ſæculis proprius Eſſenorum, quos ſupra probauimus fuiſſe religioſos & alumnos religionis Carmelitanæ: Ergo eſt valde probabile Druidas Gallos fuiſſe verè religioſos Eſſenos, & poſſe dici Carmelitanæ religionis alumnos. Probatur maior ſigillatim quoad omnes partes: Quod Druidæ Galli fuerint originalitèr aduentitij ex Oriente, conſtat ex eo quòd ex Mela ſuperiùs citato litteris Græcis vtebantur, quas debuerunt introducere primi, qui venerunt ex Oriente in Galliam, quorum ſucceſſores eas continuarunt venerationis cauſa erga primos inſtitutores, & magiſtros ſuos: Quòd viuerent in congregatione, conſtat euidentèr ex dictis, maximè a Caſſanæo, qui conſtituit eos tum Carnuti, tum in monte Hedui, qui ſic erant venerabiles, vt exempti ac immunes eſſent ab omni ſubſidio & impoſitione, ſimulque b expeditione bellica, ſic maxima ſpiritus tranquillitate gaudentes, vt aſſerit Mela citatus: Quòd viuerent ſub vnius ſuperioris electi ab ipſis directione, conſtat authoritate Cęſaris, & Caſſanæi locis citatis dicentium; *Vnus omnibus præerat, in cuius defuncti locum ſuffragio alius ſufficiebatur*: Quod eſſent in fide puri, conſtat quia vnum ſolum Deũ colebant, immortalitatem animæ docebant; Primum indicat Lucanus ſub finem primi libri de bello Pharſalico dicens, quòd *Druidæ poterant ſe iactare, vel quòd ipſi ſoli cognoſcerent deos, vel ipſi ſoli eos ignorarent*, his verbis ſignificans quòd Druidæ adorarent vnum Deum Romanis ignotum, & quòd non adorarent deos a Romanis cultos, Deus Romanis ignotus a Druidis adoratus erat verus Deus, quem poſtmodum S. Pau-

Digitized by Google

lus Græcis manifeſtauit, dij verò Druidis incogniti erant falſi dij a Romanis culti, propterea dicit Tacitus quòd *Galli per Druidas iuſtructi credebant eſſe iniurioſum Deo ipſum effigiare figuris hominũ aut beſtiarum*; ſecundùm docet Cæſar citatus dicens de ipſis, *Animas credebant non interire, quòd Gallos docebant, propterea hi erant in bello generoſiſſimi cõtemnentes vitam corporis, certi quod ipſorum anima de corpore ſeparata fruebatur æterna vita, corpori rursùs vnienda per reſurrectionem*; Vnde Lucanus dicit illis loco citato, *Reditura parcite vitę*: Quòd Druidę eſſent in rebus ſacris plurimum occupati: refert citatus Caſſaneus p.12. Conſid. 17. pag. 251. de laudibus Gallorum, dicens; *Vt ſcribit Diodorus Siculus libro 5. fuit apud Gallos moris, nullum abſque Philoſopho ſacrificium facere, exiſtimabant enim per Diuinæ naturæ conſcios ſacra fieri oportere, tanquam dijs propinquiores, horum interceſſione bona a dijs cenſebant petenda, quorum conſilio in bello & pace vterentur; Vnde & Druidas (qui vetuſtiſſimi eorum ſacerdotes prædicantur) ſacrificia curare publica, & priuata ſolitos, religiones item interpretari, adoleſcentes diſciplinis inſtituere, rerum naturalium cauſas ſcrutari, de cæde, de finibus, cęteriſque controuerſijs cognoſcere fama eſt; ita vt ſi quis, ſiue publicam ſiue priuatam perſonam gerens decreto non ſtetiſſet, eidem ſacrificijs interdicerent.* Quòd Druidæ eſſent cultui Virginis parituræ ſingularitèr addicti; conſtat tum ex antiquiſſima traditione Carnutenſis Eccleſię, quæ dicitur fundata in honorem Virginis parituræ; tum expreſſo citati Caſſanæi teſtimonio, dicentis pagina 252. *Ante Chriſtum Galli iam de Chriſto prophetizauerunt facto & opere, cum ſit pluſquam notiſſimum Eccleſiam Carnotenſem factam fuiſſe & dedicatam in honorum* Virginis *parituræ*; ttum etiam authoritate magis expreſſa Sebaſtiani Rouillard citati: Quòd Druidæ pallio candido eſſent amicti, quò vtebantur in ſuis ſolemnitatibus, conſtat authoritate Plinij lib. 24. cap. 11. dicentis quòd *Druidæ volentes colligere herbam* Helagiã *aut Sabinam, ſcilicet venerabilem, lauabant pedes, veſtibus albis ſe induebant &c.* Quòd Druidę ſapientes & recti communiter haberentur, conſtat ex iam dictis, & ex citato Caſſanæo, qui ſic ait de illis; *Sapientes omnium ore iudicabantur, vnde publica & priuata negotia eorum fidei mandabantur, vt de ſacerdotibus antiquæ legis Machabęorum* 1. *&* 2. *& Deuterob.* 17. *legitur, & ex Cæſare habetur rùo Druidæ fuerunt ab omnibus ęſtimati velut admodum religioſi*: Quod Druidæ degerent vt plurimum in ſolitudine, non ſolùm in communitate, ſed etiam in particulari, conſtat ex adductis ſecundùm Ptholomeum, qui ſolitarium eorum locum in ſolitudine Carnutenſi vocat *Antricam*, quia ſeparatim ſinguli morabantur in antris, & cauernis; ſolitudinem autem tum Carnutenſem, tum Heduẽnſem habitabant ex Caſſanæo, *vt omnem hominem congreſſum & ſermonem declinarent, ne contagione polluerentur*: Quòd Druidę ad bonum proximi publica ſapientię collegia moderarentur, conſtat ex ſupra dictis; In his autem collegijs ex teſtimonio Cęſaris multa de ſyderibus diſputabant, de mundi & terrarum magnitudine, de rerum natura & poteſtate, de potentia Dei, de immortalitate animæ, & multa alia circa Aſtrologiam præcipuè; Vnde Clemens Alexandrinus libro 1. ſtromatum inter præcipuos Aſtrologię magiſtros ponit Druidas Gallos, & Cicero libro 1. de Diuinatione, dicit quòd in Gallia erãt Druidę excellentes in hac profeſſione, ex quibus vnum nouerat nomine Diuitiacum, qui multùm verſatus erat in ſcientia Phyſiologiæ, quę de natura rerum vniuerſi tractat, & ſubdit quòd hic Diuitiacus tàm ex augurijs quàm ex pronoſticis certis multa prædicebat futura; Vnde dicitur Druidæ in Galliam vltimi venientes magnam adepti ſunt authoritatem, & cum ordines Samotheorum & Sarronidarum in Gallia antiquiores fuiſſent deleti, *penes Druidas manſit honor ſcientiarum cum præfectura religionis ſacriſi-*

crifi-

Digitized by Google

criſiciorum & iuſtitiæ: Quòd habuerint Pythagoram auditorem, conſtat ex Clemente Alexandrino lib. 1. ſtromatum, vbi dicit quod Pythagoras fuit diſcipulus Philoſophorum Gallorum, citans quendam authorem Alexandrum nomine in libro quem ſcripſit de ſymbolis Pythagoricis, huiuſmodi autem Philoſophi Galli tunc non fuerunt alij quàm Druidæ. Probatur etiam minor argumenti ſigillatim, quod hic modus vitæ & exercitiorum fuit in illis ſęculis proprius Eſſenorum; Et quidem quòd vterentur lingua Gręca, certum eſt, hæc enim tunc erat communis in Syria & Palæſtina, alijſque Prouincijs, vbi morabantur Eſſeni; Et quamuis dicatur a Cæſare, quòd erat receptum doctrinam Druidarum proceſſiſſe ex inſula Britanię, ad quam aliqui eorum curioſiores traijciunt ad habendam exactiorem eius intelligentiam; hoc non obſtat dictis, nam potuit fieri, quòd aliqui Eſſeni nauigauerint ex oriẽte priùs in Britanniã, ex quibus proceſſerint primi Druidæ Galli, ſicut accidit noſtris Carmelitis, vt ſuo loco dicitur: Quòd Eſſeni fuerint religioſi viuentes in congregatione, ſub vnius ſuperioris electi ab ipſis, & quòd fuerint alumni Religionis Carmelitanę, conſtat ex dictis ſupra articulo 3. huius quæſtionis: Quòd fuerint in fide puri, & in rebus ſacris potiſſimum occupati, conſtat etiam ex ibidem dictis ex Ioſepho & Philone: Quòd Eſſeni fuerint cultui Virginis parituræ ſingulariter addicti, demonſtratur ex infra dicendis, vbi probatur quòd hic cultus fuit hæreditarius alumnis Carmelitanę religionis, ex quo hęc Virgo Deipara fuit Eliæ reuelata, ſub typo nubeculę de mari in Carmelum aſcendentis: Quod Eſſeni fuerint amicti pallio candido, probatum eſt etiam in articulo citato; pallium enim album pro diſtinctiuo Religionis Carmelitanę erat habitu, ac maximè proprio, antequam Beatiſſima Virgo tradidiſſet ei ſcapulare, quòd nunc Religio noſtra quaſi ſpecificatiuum colit habitum: Quòd fuerint habiti ſapientes & recti communiter, & deguerint in ſolitudine noſtri Eſſeni, conſtat etiam ex dictis: Quòd deniqúe ad bonum proximi publica ſapientię collegia moderati fuerint Eſſeni, & auditorem habuerint in monte Carmelo, Pytagoram, probatur inferiùs ſpeciali articulo; Vnde coniicitur, quòd Pytagoras qui noſtros Eſſenos in Palęſtina audiuerat, eorum ſapientia & probitate allectus, percurrens Europam ad eoſdem ſub nomine Druidarum acceſſerit in Gallia: Denique tam ſimilia traduntur & ſcribuntur fuiſſe Druidarum exercitia cum illis Eſſenorum, vt cum ab hinc duodecim annis infirmus Carnuti diligentiùs illa legiſsem in prędicto Sebaſtiani Rouillard libro, ſtatim ex vniformitate, vel etiam identitate huiuſmodi exercitiorum iudicauerim, Druidas verè fuiſse Eſsenos noſtræ Religionis Carmelitanæ alumnos idemque iudicabit, qui leget ea diligenter, & ſimul comparabit.

AD primum ergo dicendum, quòd Druidæ Galli fuerunt puri in fide, nec adorabant pluralitatem Deorum. Vnde ad primam obectionem in contrarium dicendum, quòd Druidę multi erat veri Prophetæ; Et quia dicebant ſe verum & ſummum Deum colere, eiuſque Matrem Sanctiſſimam, intelligentes Virginem Mariam Deum paritur am; inde eſt quòd ethnici, qui pro ſummo Deo intelligebant Iouem, & pro matre deorũ intelligebant Cybelem, dictam Berecynthiam a monte & oppido Pherygiæ Berecyntho, in quo pręcipuè colebatur ex Plinio libro 16. vocabant eos vates Iouis & Berecynthiæ: Dicebant autem eos Mercurij ſacra celebrare, per hoc quòd publica habentes gymnaſia, ſolemnes aliquos actus celebrabant; quos ethnici credebant dirigi ad Mercurium cultum ab ipſis vt Deum ſcientiarum. Ad ſecundam obiectionem dicendum, quantum ad quercus venerationem, quam ei tribuebant Druidæ, quòd in hac arbore dicta ab ethnicis Ioui Sacra, vnde eius effigies vocabatur, adorabant ſibi reuelatam crucem Chriſti ſummi Dei, tanquam

quam

Digitized by Google

quam eius triumphum & virtutem, quòd ſic magis declaratur iuxta intelligentiam plurium Doctorum : Dicitur ergo quòd Druidæ ſpecialiter quercum venerabantur, & quòd incipiente anno die ſexta lunæ ramos viſci eius amputabant aurea falcula, quos recipiebant in linteo candido credentes ac dicentes eos de cœlo miſſos, ac ſanantes omnia & omnibus ſalutares; quę cuncta apud Druidas erant fidei myſteria: In quercu repreſentatam adorabant crucem Chriſti, quæ dicitur a Lipſio & alijs facta ex quercu frequentiſſima in Iudæa: Simulque in ea adorabant Chriſtum Crucifixum pro redemptione hominum, quia ex Cæſare citato Druidæ in quercu appendebant trophæa bellica, ex quo crux & homo crucifixus figurabatur, vt expenòit Tertullianus in ſuo Apologetico dicens ethnicis; quòd *Adorabant victorias in modum trophæi, cuius interior pars repreſentat crucem; quòd expandebant vexilla cum haſtibus & velis tranſuerſis, quæ ſic erant figura crucis*: Imò Doctores Chriſtiani priorum Eccleſiæ ſæculorum qui ſcripſerunt in honorem crucis aduersùs ethnicos idem expenderunt; *Trophæa veſtra* dicunt, *arboribus appenſa, non ſolùm crucem repræſentant, ſed etiam hominem crucifixum*; Et ita de facto eſt, nam hominis arma in haſtili cum ligno tranſuerſo appenſa figuram hominis crucifixi exprimunt: Quòd Druidæ amputarent ramos viſci quercinei die ſexta lunæ, vt ait Plinius lib. 16. quę correſpondet ſextæ feriæ ſiue diei Veneris (Iudęi namque, ex quibus erant Druidæ, menſes & dies per lunam & non per ſolem numerabant) indicat quòd ipſi Druidę credebant filium Virginis pariturę crucifigendum fore die Veneris: Quòd Druidæ hos ramos amputarent aurea falcula, & reciperent in linteo candido, credentes ac dicentes eos de cœlo miſſos, ac ſanantes omnia & omnibus ſalutares; ſignificat Chriſtum de cœlo miſſum, crucifixum ex amore ſignificato per aurum, eodemque peremptum, & depoſitum de cruce in ſyndone candidã inuolutum ſanaſſe infirmitates omnes generis humani, omnibuſque eſſe ſalutarem: Quibus myſterijs aliud adiungimus ex Plinio dicente libro 24. cap. 11. quòd *Druidæ colligentes herbam Helagiam aut Sabinã, id eſt venerabilem, lauabant pedes, induebant ſe ſuis veſtibus albis, & faciebant ſacrificium panis & vini*; quod certè figurabat id quod Chriſtus fecit volens colligere fructum ſuæ paſſionis, nam lauit pedes Apoſtolorũ, præcinxit ſe linteo candido, & inſtituit diuinum ſacrificium corporis & ſanguinis ſui in pane & vino. Ad tertiam obiectionem dicendum, quod Tautates ex Euſebio libro 1. de pręparatione Euangelica cap. 16. erat Deus Taijt Phœnicium, dictus ab Aegiptijs Thogt, & Tothab Alexandrinis: de quo capite ſequenti dicit, quod Saturnus Rex Iſrael dederat ei regimen aut imperium Aegypti, quod fecerat eum ſecretariũ ſuorum ſublimium myſteriorum, quæ cum ipſe Taijt didiciſſet, librum ſcripſit de creatione mundi: Quibus ſignificatur vnus Moyſes, cuius libri erant tanquam ſacri in manibus Druidarum, ex Iudæa delati, & ex Hebræo tranſlati in alias linguas ex Ioſepho: Quantùm ad Heſum, dicimus quod Lucanus licentia poetica ſic appellauit, auferens litteram i. cum qua conficitur ſacrum nomen Iheſus; quod denotat Druidas hoc ſacratiſſimum nomen agnouiſſe, quaſi propriũ filio Virginis parituræ; Quod ſi legendum ſit Heſus, dicimus quo venit ab Hebręo nomine Iehus, quod ſignificat Deum exiſtentem aut conſiliarium; Vel tandem dicimus, quod eſt Iehud Phœnicium, quo intelligebant filium vnicum Dei, vt ſcribit Euſebius lib. 1. capit. 7. Quantùm ad Taramim, dicimus quod Taharamis Hebraicè, vel Taramis per contractionem poeticam, ſignificat purgantem aut lauantem homines; Vnde erat epithetum Dei Heſus, qui factus eſt homo, vt purgaret & lauaret homines ab iniquitatibus ſuis: Quantùm ad Belenum, dicimus quod eſt idem ac Belenos Hebraicè, & ſignificat Deum hominem

Digitized by Google

minem: Vnde per hos quatuor Deos Druidis imputatos a Gentilibus, ſolùm habetur quod ipſi Druidę ſequuti legē Moyſi, quem vt prophetam & legislatorem colebant, credebant in Ieſum filium Virginis pariturꝫ, qui cum eſset Deus, ad purgandos & lauandos homines a peccatis, per incarnationem futurus erat homo.

Ad Secundum dicendum, quòd ſi Druidæ fuiſsent magi ſortilegijſque intenti, hoc non tacuiſset Cæſar contemporaneus & teſtis oculatus; nec fuiſsent in tanta veneratione apud omnes Gallorum ordines, ſola enim virtus honoratur communiter: Hoc conuicium & vituperium magiæ fuit illis impoſitum ab authoribus Romanis qui ſcripſerunt poſt prædicatam fidem Chriſti, omnes enim Chriſtianos vocabant magos, & ipſorum miracula magicis artibus attribuebant, vt conſtat ex hiſtoria Eccleſiaſtica; Vnde non mirum, quod ſimiliter Druidas fideles & eorum dijs aduerſarios vocarent magos, & eorum myſteria dicerēt ſortilegia, maximè poſtquam facti ſunt chriſtiani ad prędicationem diſcipulorum Chriſti, cum audierunt Iheſum Deum ſuum factum hominem vt homines purgaret, inſtituiſse ſacrificium corporis & ſanguinis ſui ſub ſpecie panis & vini, pridie quam crucifigeretur: Iam dictum eſt, qualiter collectio viſci quercini non fuit ſuperſtitioſa, ſed myſterioſa. Quantùm ad illud Taciti & Diodori ſiculi dicendum quod hoc conuicium fuit Druidis & omnibus chriſtianis commune, quos accuſabant Gentiles quaſi ſacrificarent puerum, & crudum comederent, eiuſque ſanguinem biberēt; quia ipſimet chriſtiani dicebant ſe in Euchariſtia ſumere corpus & ſanguinem Chriſti; Et ex hoc Gentiles dixerunt Druidas immolaſse homines idolis: Cūque futura prædicerent ſpiritu popheti-co, ipſi Gentiles recurrentes ad ſua ſortilegia, dixerunt eos prædicere ex inſpectione viſcerum, & ex caſu ſeu ſitu immolati corporis humani, necnon & ex fluxu ſanguinis fuſi. Quantùm ad illud Plinij, dicendum quòd eſt commentum. Quantùm ad illud Poſtelli, dicendum ſimiliter quod eſt commentum ſaltem reſpectu Druidarum, quod ipſe legit apud authores ethnicos.

AD Tertium dicendum, quòd Druidę nec fuerunt ſuperſtitioſi, nec crudeles. Vnde illud quod aſserit ſtrabo de eorum crudelitate eſt commentitium & fictum circa vtrumque caſum: Ad illud verò quod aſserit de eorum ſuperſtitione, dicimus quod Druidæ non potuerunt tenere metempſicoſim, ex eo quod ex vna parte dicebant animam humanam eſse immortalem ac ſpiritualem, & ex alia parte futurā eſse vniuerſalem hominum reſurrectionem, vt dictum eſt; nam ex primo capite repugnat tranſmigratio animarum hominum in corpora beſtiarum, quæ non apprehendunt æternitatem; ex ſecundo autem capite repugnat earum tranſmigratio in alia corpora humana, quia illa admiſsa non eſset vniuerſalis reſurrectio omnium hominum, cum plures eadem anima ſucceſsiuè conſtitiſsent, quę ſimul non poteſt eſse in illis: ſecundùm quod adducitur non eſt magni momenti; tertium verò adductum a Valerio Maximo & Diodoro Siculo eſt fabella ab ethnicis conficta, ſed fundata in hoc quod Druidę aliam vitam & reſurrectionem credebant, Vnde ethnici ex hac eorum fide fingebant hoc pecuniarum & epiſtolarū commercium; poſsumus etiam dicere, quod Druidæ hic amore Dei pecunias huiuſmodi largiebantur in eleemoſynam, quaſi ſibi reſtituendas in ſpiritualibus & æternis gloriæ bonis; Et ſimiliter ſuas preces & vota dirigebant ad ſanctos in alia vita iam exiſtentes, quæ ethnici vocabant epiſtolas. Quod ſi primò Tiberius Cæſar Druidarum doctrinam prohibuit Rōmę, & Claudius Cęſar eorum ſectam perſecutus eſt ex parte deſtruens: hoc ideo fuit, quod talis doctrina contraria pluralitati deorum & alijs Romanorum ſuperſtitionibus, ab illis ethnicis iudicabatur pernicioſa Reipublicæ, & propterea etiam perſequebantur chriſtianos, maxi-

Digitized by Google

maximè vero religioſos, quales dicimus fuiſſe Druidas; qui tamen non fuerunt ita deſtructi, quin multi ex illis perſecutionem euadentes perſeuerauerint, vt docent Tacitus, Lamprides & alij.

AD Quartum dicendum, quòd conſtat euidenter ex dictis, Druidas fuiſſe viros Religioſos, & non ſæculares. Ad primum quod obijcitur in contrarium dicimus, quod inter Druidas maximè poſt Chriſtum fuerunt mulieres, non ipſorum vxores, ſed moniales, quæ frequẽter erant conſpicuę ſpiritu Prophetię, quales fuerunt illæ, quas Aurelianus & Diocletiauns conſuluerunt. Ad ſecundum quòd obijcitur, dicendum quòd non conſtat ex dicto Valerij Maximi Druidas habuiſſe magnas diuitias, ſed tantùm in communi; imputatum autem illud commercium eſt fictitium, vt dictum eſt. Ad tertium quòd obijcitur, dicendum quod ordinariè in electionibus ſuperiorum, religioſorum etiam, ſunt varietates opinionum; quòd autem inter Druidas fuerint rixæ & pugnę, fortè cõfictum eſt ab ethnicis, niſi dicatur quòd ſęculares illas ſuſcitauerint, qui hunc aut illum Druidarum in ſuperiorem volebant, propter maximam illius in Republica authoritatem. Ad quartum quod obijcitur, dicendum quod huiuſmodi iudicia moderatè exercita non repugnabant ſtatui religioſo. Ex adductis poſſumus inſignia Druidarum exponere, dicendo quod per angues paruulos argenteos ſimul vnitos in campo cæruleo ſub quercu cœleſti, ſeipſos intelligebant, quaſi germina Chriſti in quercu crucifixi, qui ſub figura ſerpentis ænei fuit manifeſtatus Moyſi, cuius virtute mundandi erant & purgandi ad inſtar argenti, ac transferendi ad cœlum, vnde erant in campo cęruleo ſiue coloris cœleſtis: Poteſt etiam dici, quod illis inſignibus ſignificabatur virga miraculoſa Moyſi, quem venerabantur ſpecialiter tempore Synagogæ; quæ virga quercina fuerat ei cœlitus collata, & non ſemel verſa in ſerpentem, qui ſerpentes magorum deuorauerat.

QVAESTIO IX.

De tranſitu Religionis Carmelitanæ ab antiqua lege ad legem Gratiæ.

IAM Religio Carmelitalitana nongentis & amplius annis decurrerat a ſua fundatione, cum aduenit Chriſtus Dominus, qui abrogata lege antiqua legem Gratiæ induxit; Ad quam tranſit religio Carmelitana, conſiſtens vna ex Petris tam Synagogæ quam Eccleſiæ vnitis in S. Ioanne Baptiſta lapide eius angulari: Circa hoc quæruntur ſex.

¶ Primo, vtrum S. Ioannes Baptiſta Præcurſor Chriſti fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ Secundo, vtrum diſcipuli S. Ioannis Bapptiſtæ fuerint alumni religionis Carmelitanæ.

¶ Tertio, vtrum monachi primitiuæ Eccleſię fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ Quarto, vtrum apud religioſos Carmelitas olim in Monte Carmelo fuerit Oraculum Diuinum.

¶ Quinto, vtrum religioſi Carmelitæ publicum olim habuerint in ipſo monte Carmelo ſapientiæ collegium.

¶ Sexto, vtrum Religio Carmelitana de antiqua lege tranſierit ad legem gratiæ.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum S. Ioannes Baptiſta Præcurſor Chriſti fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Primum ſic proceditur. Videtur quòd Sanctus Ioannes Baptiſta Præcurſor Chriſti non fuerit alumnus religionis Carmelitanę. Ita tenent quidam, quos ſuppreſſo nomine referens Carthagena lib. 10. homilia 2. obiectione 16. ſic ait: *Nonnullos audio irridere Carmelitanum Ordinem gloriari quòd Diuum Ioannem Baptiſtam inter profeſſores* Eliani *inſtituti & monaſticæ illius diſciplinæ connumeret; putant enim Ioannem minimè fuiſſe monachum; Sed hos irriſores meritò irrideo ego &c.* Probatur: Nullum habetur fundamentum in Sacra Scriptura, in Sanctis Patribus, aut probatis authoribus, quod Sanctus Ioannes Baptiſta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ: Ergo temerè id affirmatur.

¶ 2. Preterea: in Religione Carmelitana non fit aliquod officium, aut aliud particulare in honorem S. Ioannis Baptiſtæ, quod non fiat ab omnibus Chriſtifidelibus, vt conſtat. Ergo ſignũ eſt, quod Sanctus Ioannes Baptiſta non fuerit alumnus religionis Carmelitanæ; Cum certum ſit, in qualibet Religione fieri particulare aliquid in honorem propriorum Sanctorum, quod non fit in tota Eccleſia, vt poteſt inductione manifeſta probari.

¶ 3. Pręterea: S. Gregorius Magnus libro 1. Dialogorum cap. 1. dicit quod S. Ioannes Baptiſta non habuit magiſtrũ vitæ monaſticę, ſed quod fuit immediatè inſtructus a Spiritu Sancto: Ergo non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ; cum ſit impoſſibile, vt aliquis ſit alumnus alicuius Religionis, abſque eo quod in tali Religione habuerit magiſtrum vitæ monaſticæ ſeu religioſæ.

SED CONTRA eſt vniuerſalis traditio noſtræ Religionis Carmelitanę: expreſſa ſententia plurium Doctorum tam domeſticorum quàm exterorum, præſertim Carthagenæ loco citato, Frãciſci a S. Maria libro 3. hiſtoriæ Propheticæ cap. 15. & Lezanæ tomo 1. Annalium ad annum mundi 4052. qui hoc probant ex profeſſo.

CONCLVSIO.

Cum S. Ioannes Baptiſta Præcurſor Chriſti verè fuerit monachus, & vixerit in Spiritu & virtute Eliæ Religionis Carmelitanæ fundatoris ipſum imitatus in modo vitæ & habitu pænitentiæ, in conuentu filiorum eius; fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Ioannes Baptiſta Præcurſor Chriſti Domini fuit alumnus Religionis Carmelitanæ per Eliam inſtitutæ: Vnde verè eſt filius Eliæ, ſicut alij Carmelitæ, imò in ſpiritu & virtute eſt alter Elias. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, id quòd alibi probauimus, ſcilicet religionem Carmelitanam ſiue in Carmelo fundatam ab Elia, perſeueraſſe vſque ad legem gratiæ abſque interruptione, in Filijs Prophetarum, deinde in Rechabitis, tandem in Eſſenis & Aſſidæis: Vnde ſemel probato, quod Sanctus Ioannes Baptiſta fuerit ſuperior aut princeps Eſſenorum ſiue monachorum illius temporis, probatur ſimul quod fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

Probatur concluſio authoritae Sacrę Scripturę & Sanctorum Patrum. In Sacra Scriptura habetur dictum illud Archangeli Gabrielis ad Patrem S. Pręcurſoris Lucæ 1. *Ipſe* (ſcilicet Ioannes) *præcedet ante illum* (nempe Chriſtum) *in ſpiritu & virtute* Eliæ: Et Matthęi 11. habetur dictum Chriſti de S. Ioanne; *Ipſe eſt* Elias: Quę duo vix aliter poſſunt exponi, quàm ſi dicatur quod S. Ioannes imitatus ſit modum viuendi pœnitentem & religioſum Eliæ; ſic enim exponunt Liranus, Abulenſis, & alij in illis

X

illis locis. Sancti Patres tam Græci quã Latini docent quod S. Ioannes Baptiſta fuerit monachus, princeps Eſſenorum & monachorum, ac proinde alumnus religionis ab Elia in Carmelo fundatæ (quam probamus in Carmelitis hactenus perſeuerare) vt aſſerunt Bellarminus & Baronius. Primus libro 2. de monachis cap. 5. hæc habet. *Denique Ioannem Baptiſtam monachorum & eremitarũ principem fuiſſe, ſcribunt ferè omnes Patres*. Secundus tomo 1. Annalium ſub anno Chriſti 31. contra Magdeburgenſes ait: *Eò deuenerunt ſtultitiæ, vel potiùs meræ iniquitatis, vt malint corrumpere verbum Dei, & Ioannem vita otioſæ & delicioſæ infamare, quam monaſticam ab eodemmet Ioanne dimanantem vitam in Eccleſia, altiſſimis defixam radicibus Euangelica atteſtatione, vt ſubripi aut euelli vſquam poſſit, adſtipulari vel profiteri velle*. Antiqui monachi S. Ioannem Baptiſtam ſuum agnoſcunt principem poſt Eliam. S. Onuphrius contemporaneus S. Antonij dedit rationem ſui receſſus Paphnutio ſciſcitanti, quia ſcilicet audierat in ſuo monaſterio laudari vitã S. Patris ſui Eliæ, & exemplum B. Ioannis Baptiſtæ; quos proinde cognoſcebant vt Patres & anteſignanos vitæ monaſticæ: ſic enim ait; *Profectò vitam Beati Patris noſtri Eliæ Venerabiles fratres meos audiui frequenter laudare, qui ſe in eremo in tanta abſtinentia & oratione ſtuduit affligere, vt maximam virtutem a Domino meruiſſet accipere, & igneo curru tranſuectus Spiritus Sancti dona quæ habuerat, diſcipulo impartiri, ac adhuc longæuus ſenio mortis pœnam non videre; Inſuper ad exemplum Beatum Baptiſtam Ioannem protulerunt, qui in noui teſtamenti ſerie clariſſimus effulxit, perque plurima annorum ſpatia diuino mancipatus officio corpus ſuũ macerauit, donec in Iordanis vnda Redemptorem mundi baptizare dignus exiſteret, atque, ipſum Dei Agnum eſſe digito ſuo demonſtraret*. S. Ephrem in ſermone ad monachum nouitium inter plura alia ad propoſitum dicit, quòd *vita & mores S. Ioannis Baptiſtæ ſunt regula & exemplar monachorum*: Quòd non eſſet verũ, niſi S. Ioannes agnoſceretur eſſe monachus. Ad hanc veritatem probandam poſſent plures adduci Sancti Patres, vt Baſilius in epiſtola ad Quilonem. Gregor. Nazianzen. in pœmate ſuę vitæ. Gregorius Nyſſenus in oratione Baſilij fratris: Sed paucos ſufficiet adducere, qui clarius & expreſſius ſunt locuti. Chryſoſtomus homilia 1. in Marcum ait: *Sacerdotum principes ſunt Apoſtoli, ſic monachorum princeps Ioannes Baptiſta eſt*: Et in homilia eiuſdem S. Ioannis ſic ait; *Conſiderate monachi dignitatem veſtram; Ioannes Princeps veſtri eſt dogmatis, ipſe monachus*. Hieronymus epiſtola ad Euſtochium dicit expreſsè quòd S. Ioannes Baptiſta fuit princeps vitæ monaſticæ. Ambroſius epiſtola ad Vercellenſes ſic clariùs omnibus loquitur: *Cum ergo venit ſacri plenitudo temporis, fuit ad dictos monachos in deſertis miſſus homo a Deo, cui nomen erat Ioannes ſcilicet Baptiſta, monaſticæ vitæ eremiticæ ab Elia inſtitutæ cultor eximius: Ambo enim, tam Elias quàm Ioannes fuerunt indumentis hiſpidis induti luxu caſti, victu frugi, conuerſatione ſolitarij, & deſerta iugiter ſequuti: fuerunt etiam electi per Deum Præcurſores Chriſti, Ioannes quidem aduentus primi, Elias verò vltimi, dicente Domino; Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia: Dico autem vobis, quia Elias iam venit & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eum quæcumque voluerunt: Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis: Et propterea Sacerdotes & Leuitæ ab Hieroſolymis per Iudæos ad Ioannem miſſi, intuentes eum in omnibus conuerſationem monaſticæ vitæ Eliæ præcipuè ſequi, quærebant ab eo ſi ipſe erat Elias: Quin imò ſicut Angelus Gabriel de eo prædixerat, venit in ſpiritu & virtute Eliæ, ad exemplum cuius domo ſui patris & terrenis opibus derelictis, conuerſatus fuit iugiter in deſertis, & ad inſtar illius vinũ & ſiceram non bibens, habuit ad imitationem eius veſtimentum de pilis Camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos, vt teſtatur Mattheus Euangeliſta capit. 3.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc S. Ambroſius quibus nihil clarius. Tādē noſter Ioan. Ieroſolymitanus libro de Inſtitutione monachorū c.28. ſic ait: *Succeſſores igitur illorum Sanctorum Prophetarum, qui ſicut dictum eſt, in eremo montis Carmeli & in ſolitudinibus propè fluenta Iordanis, ac in alijs deſertis & in vrbibus terræ promiſſionis habitabant, ab ipſis Prophetis incunctanter traditum, vt præmittitur, tenebant Chriſtum pro humani generis redemptione incarnandum, moriturum, & glorioſè reſurrecturum; quem ex totis eorum præcordijs deſiderabant & ſperabant venturum: quos ſicut Deus per Eliam & cæteros eiuſdem propoſiti Prophetas inſtituere de Aduentu Chriſti futuro dignatus fuit; ita etiam, vt de præſenti Chriſti in mundo per eius Præcurſorem eos doceret, diſpoſuit quòd dictus Præcurſor ſic ante Chriſtum in ſpiritu Eliæ & virtute præcederet, vt iam in ſua præſentia monaſticam eorum vitam eremiticam ab Elia Propheta inſtitutam aſſumeret: quod nec Lucas Euangeliſta ſiluit de ipſo Præcurſore dicens; Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis: Notandum autem quòd ait Lucas (in deſertis) quia Ioannes tam in deſertis ſolitudinis Iordanis ſicut filij Prophetarum, quam in deſertis montium latuit ſicut Elias & Eliſæus*: Hæc ille. Qui ampliorem in hac re voluerit Sanctorum Patrum authoritatem, legat Auguſtinum ſermone 39. ad Fratres in eremo, Bernardum in ſermone de excellentia Ioannis Baptiſtæ, Iſidorum Hiſpalenſem libro 2. de officijs cap. 11. Iſidorum Peluſiotam libro 1. epiſt. 5. ad Nilum, Caſſianum collatione 18. cap. 7. Hæc authoritas Sanctorum Patrum maximi eſt ponderis Tum generali motiuo venerationis, in ſinceritate ipſorum fundatæ; Tum ratione antiquitatis, cum aliqui ex ipſis multum accedant ad tempora S. Ioannis Baptiſtæ, Vnde tam certò & euidenter ſcire potuerunt ipſum fuiſſe monachū, & alumnum religionis ab Elia in Carmelo inſtitutæ, quæ eſt noſtra Carmelitana, quàm certò & euidenter nunc ſcimus S. Angelum & Sanctum Albertum fuiſſe alumnos eiuſdem Religionis.

Probatur Secundò authoritate Illuſtrium virorum: Et præter Liranum, Abulenſem, & Bellarminum & Baroniū, priùs citatos, poſſent adduci penè innumeri tam ex antiquis quàm ex modernis, quos videre eſt apud N. Franciſcū a S. Maria loco citato, qui omnes vno ore docent S. Ioannem Baptiſtam fuiſſe monachum Eliæ ſucceſſorem, imitatorem, alumnum, in vita religioſa ſimillimum &c. Sed breuitatis cauſa pauci adducentur ex illis, qui clariùs & expreſſiùs ad intentum noſtrum locuti ſunt; & maximè ex alijs ordinibus religioſis, qui ſola veritate moti eſſe præſumuntur, dū noſtræ Religioni Carmelitanæ S. Ioannem Baptiſtam vt alumnum illius appropriant, quaſi in præiudicium ſuorum ordinum. Ex ordine S. Benedicti habetur Philippus Abbas Hierapolitanus in illud Ioannis 1. Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas, &c. ſic ait; *Ad Ioannem Baptiſtam habitantem cum Carmelitis confratribus ſuis.* Et Trithemius Abbas, qui in libro de Laudibus Carmelitarum ſæpe docet S. Ioannē Baptiſtam fuiſſe religionis ipſorum alūnum. Ex ordine S. Dominici habentur duo, ſcilicet Dominicus Soto & Dominicus Grauina: Primus in 4. d. 30. q. 2. ar. 1. ſic ait; *Ante Chriſti aduentum Eſſenorum collegium in deſerto Iudææ more noſtrorum Anachoretarum, ſanctiſſimam deguiſſe vitam, ab vxoribus prorsùs & omni fœmineo conſpectu ſemotiſſimam quorū inſtitutum ſequutus eſt Ioannes Baptiſta*: Secundus autem de flore ſtatus Religionis ſic ait; *O Carmelitæ Diſcalceati Angeli veloces, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum; Inſtitutum veſtrum de Elia, Ioanne Baptiſta, Andrea Apoſtolo, Marco Euangeliſta, & alijs meritò gloriatur*. Ex Ordine Sancti Franciſci habetur Carthagena lib. 17. homilia 2. ad obiectionem 10. vbi ait: *Sed hos irriſores meritò irrideo ego, cum ex Sanctis Patribus apertè colligatur, Diuum Ioannem Baptiſtam fuiſſe monachum, & monachum Carmelitam*; Deinde id probat

Digitized by Google

bat ex profeſſo. Ex Ordine Minimorum habetur Aegydius Camartus, qui ſępiùs id docet, indicat aut ſupponit in ſuo libro de rebus geſtis Eliæ prophetæ, & maximè cap.4. ſectione 5. Ex ſocietate Ieſu, præter alios plures, habetur Antonius, Fernandez in viſiones veteris Teſtamenti viſione 9. vbi ſic ait: *Spiritus ergo Eliæ cõtinuata ſerie in deſerto per homines religioſæ vitæ, denique in Ioannem tranſmiſſus illum quoque exhibuit mundo monachorum parentem.* His tandem adiungitur Iacobus Zeglerus in deſcriptione Palæſtinę in monte Adumini, vbi ſic ait: *In huius ſolitudinis parte ſedit Eliabu Propheta, & Eliaſub conſtruxit cellas prophetis; manauit inſtitutio, & loci religio ad poſteros, fuitque deſertum hoc vſque ad Anghadi habitatum ab Eſſenis hominibus incredibilis continentię, ſub quorum inſtitutis educatus fuit Ioannes Zachariæ, & habitus in Eſſenis vnus prædicatę ſanctitatis.*

Probatur Tertio ratione ex adductis authoritatibus deducta: Ex Sac. Scriptura ex Sanctis Patribus, & alijs Doctoribus grauiſſimis, S. Ioannes Baptiſta habuit ſpiritum & virtutem Eliæ; ſic imitando ipſum in omnibus, maximè in rigore vitæ religioſæ, vt alter Elias diceretur, imò ipſemet Elias a Chriſto dictus ſit; Geſtauit habitum pœnitentiæ religioſæ, quem Elias ſibi aſſumpſit, & ſuæ Religioni Carmelitanæ appropriauit, ſcilicet pelles caprinas ſiue melotem & zonam pelliceam; Habitauit locum propè Iordanem, in quo priùs S. Eliſæus habitationem ſiue coloniam filiorum prophetarum fundauerat, & in quo perſeuerabant adhuc ſub nomine Eſſeno; Ibi duxit vitam Eliæ in rigore & alijs obſeruantiis monaſticis ſimillimam, vt multi docent expreſsè, & clariùs Adricomius in Beniamin num. 97. dicens, *Quarentena deſertum inter Ieruſalem & Iericho, incipit iuxta Anathot, & extenditur ſuper Galgala vſque ad deſertum Thecue & Engaddi iuxta mare mortuum; Hic commoratus eſt Ioannes Baptiſta*: Ergo cum ſupra oſtenſum ſit, Carmelitas eſſe filios Eliæ, ac directos abſque interruptionē ſucceſſores Eſſenorum, S. Ioannes Baptiſta verè eſt filius Eliæ, ſicut alij Carmelitæ, fuit alumnus Religionis Carmelitanæ perſeuerantis hactenus in Carmelitis, vt ſuo loco probatur; Hæc conſequentia ex antecedenti eſt manifeſta, nam ſi probandum eſſet aliquem eſſe religioſum Ordinis V. G. Sancti Franciſci, hoc demonſtratiuè probaretur, ſi oſtenderetur quòd talis habuit ſpiritum & virtutem S. Franciſci, imitando ipſum in omnibus, maximè in rigore vitæ religioſę; Quòd geſtauit habitum Ordinis ipſius præcinctum Corda; quòd habitauit ſemper in aliquo conuentu dicti ordinis, & quod ibi duxit vitam S. Franciſco in rigore & alijs obſeruantijs regularibus ſimillimam. Vnde concludimus cum S. Ambroſio ſupra citato, quòd ex eadem religione B. V. Dei Genitricis Mariæ de monte Carmelo fuit electus vterque Præcurſor Chriſti; Ioannes quidem Baptiſta alumnus ipſius Religionis electus, fuit Præcurſor primi & humilis aduentus Chriſti Redemptoris; Elias autem Fundator & Patriarcha dictæ religionis electus fuit Præcurſor vltimi & glorioſi aduentus Chriſti Iudicis.

Ad Primùm ergò dicendum, quòd ex dictis ſufficienter conſtat, eſſe maximum fundamentum tum in Sacra Scriptura, ſimulque expreſſum ac communē ſententiam Sanctorum Patrum & grauium Authorum, quòd Sanctus Ioannes Baptiſta fuerit alumnus Religionis ab Elia inſtitutę in Carmelo monte. quę nunc eſt & dicitur Carmelitana.

AD Secundum dicendum, quòd in tota Eccleſia tantus honor exhibetur S. Ioanni Baptiſtę in diuinis officijs, vt nihil religioni Carmelitanæ remanſerit addendum: Plura autem alia facit in eius honorem, nam pręter ſpecialem religioſorum in eum deuotionem, in aliquibus prouincijs conuentus eremiticos eius nomini conſecrauit, & in plurimis conuentibus oratoria dicta eremitica pro ſpiritualibus exercitijs conſtructa ipſi dedicat, quorum vnum ipſe conſtruxi,

Digitized by Google

xi, & dedicaui iu noſtro conuentu Goano in Indijs Orientalibus.

Ad Tertium dicendum, quòd Sanctus Gregorius in illo loco potiùs eſt pro nobis, quàm contra nos:nam ibi cōparat S. Honoratum cum S.Ioanne Baptiſta, & dicit quòd ſicut S. Ioannes fuit immediatè inſtructus a Spiritu Sancto in vita monaſtica, ſic S. Honoratus: qui tamen ex D. Gregorio verè fuit monachus, & pater multorum monachorum, ac fundatur monaſterij Fundenſis in Campania: Vt autem comparatio S.Gregorij ſit legitima debet ſupponere quòd S.Ioannes Baptiſta fuerit monachus; Inſtructio eius per Spiritum Sanctum pręcipuum nouitiorum magiſtrum fuit in obſeruantijs regularibus Elianę Religionis Carmelitanæ, quæ inſtructio poſtea fuit completa per Sanctos Eſſenos Eliæ filios, ab Eliſæo propè fluenta Iordanis fundatos, ad quos receſſit S. Ioannes Baptiſta, vt dictum eſt,& docent plures vltra citatos; nempè Dominicus Soto in 4. d.30. q.2. ar.1. dicens; *Ante Chriſti aduentum Eſſenorum collegium in deſerto Iudææ, &c. quorum inſtitutum ſecutus eſt Ioannes Baptiſta*. Et Petrus Opmerus in ſua Chronographia dicens; *Habitabat Ioannes, vbi torrens Carith in flumen Iordanis decurrit &c. habitabant ijs in oris Eſſeni*. Imò Guillelmus Eiſengrenus in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica 3. parte diſt.2. Cent.1. affirmat ipſum aliquando vixiſſe in noſtro Carmelo, ait. enim; *Ioannes Baptiſta à tenera ætate vixit in Monte Carmelo*.

ARTICVLVS II.

Vtrum diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtę fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quod diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ non fuerunt alumni Religionis Carmelitanę. Ita tenent illi qui noſtræ Religionis antiquitatem negantes, eius originem ad tempora S.Albetti Legiſlatoris ſolùm extendunt. Probatur rationibus, præter alias generales: S.Ioannes Baptiſta diſcipulos quidem habuit, non tamen domeſticos, & commenſales, at tantùm aduentitios, qui prædicationibus eius intererant; qui proinde non erant religioſi, at potius peccatores, cū ipſe Sanctus Præcurſor vocet eos genimina viperarum, vt conſtat ex Euangelio: Ergo diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: Si quid ſuaderet diſcipulos S.Ioannis Baptiſtæ fuiſſe alumnos Religionis Carmelitanæ, maximè quia S. Præcurſor dicitur communitèr Princeps Eſſenorum a Sanctis Patribus: Sed Eſſeni non fuerunt religioſi Carmelitæ, nam congregatio Eſſenorum adducitur a Ioſepho & alijs pro quadam ſecta, ſicut & Phariſeorum ac Saducęorum, qoos tamen conſtat non fuiſſe religioſos: Ergo diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Si quis ex diſcipulis S.Ioannis Baptiſtæ fuerit alumnus religionis Carmelitanæ, maxime S. Andreas Apoſtolus cum ſocio, vt docent Carmelitæ, quia ipſis ſpeciali familiaritate S. Præcurſor Meſſiam ambulantem manifeſtauit: Sed S.Andreas Apoſtolus (Et idem dicendum de ſocio) non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ, imò erat arte ſua piſcator, & piſcantem inuenit Chriſtus cum fratre ſuo Simone Petro, cum ipſum ad Apoſtolatum vocauit dicens; *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores; hominum*: Ergo diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ non fuerunt alumni religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & cōtinuata traditio noſtræ Religionis Carmelitanæ, & authoritas Summorum Pontificum, plurium Sanctorum Patrum, ac inſignium Doctorum.

CON-

CONCLVSIO.

Cum S. Ioannes Baptiſta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ, eius quoque diſcipuli ipſiuſmet Religionis fuerunt alumni.

RESPONDEO dicendum, quòd diſcipuli S. Ioannis Baptiſtę fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd diſcipuli S. Præcurſoris fuerunt in duplici differentia: quidam tantùm erant aduentitij, qui non morabantur ordinariè, nec veſcebantur cum eo, ſed tantùm aliquando ad eum videndum & audiendum accedebant, vt eius prædicationibus inſtruerentur, inter quos erant peccatores, quibus dicebat; *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentię*, & omnes pro cuiuſque qualitate ad fidem Chriſti diſponebat: Alij verò erant diſcipuli commenſales & domeſtici S. Ioannis, cum quibus agens familiariùs S. Præcurſor Chriſtum iam præſentem demonſtrabat, dixit eis aliquando; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat, & ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans*; Et confirmans hanc veritatem ſubiunxit, *Quia vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum, & ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua ille mihi dixit, ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto; Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei*: Altera quoque die contigit, quòd ſtabat Ioannes, & ex his diſcipulis eius duo, & reſpiciens Ieſum ambulantem dixit; *Ecce Agnus Dei, & audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum*: Item alibi dicitur, quòd S. Ioannes exiſtens in vinculis duos ex huiuſmodi diſcipulis ſuis miſerit ad Ieſum, qui ei dicerent; *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*: Et tandem habetur quòd huiuſmodi diſcipuli S. Ioannis erant admodum pœnitentes, & inclyti opinione ſanctitatis apud Iudæos, qui diſcipulos Chriſti Domini increpabant, quia non ieiunabant ad inſtar diſcipulorum ipſius S. Ioannis. Dicimus igitur in præſenti, quod huiuſmodi diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ fuerunt alumni religionis noſtræ Carmelitanæ.

Probatur concluſio authoritate plurium Sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum, qui S. Ioannem Baptiſtam vocant Principem Eſſenorum, & inſtauratorem Ordinis prophetici ab Elia ſanctiſſimo propheta inſtituti, vt ſupra dictum eſt, cum demonſtrauimus ipſum fuiſſe alumnum dicti Ordinis Prophetici: Sed ex vna parte Eſſeni verè fuerunt religioſi Carmelitæ, vt ſuo loco dictum eſt; ex alia vero parte ordo propheticus ab Elia inſtitutus eſt idē ſubſtantialiter ac religio Carmelitana, vt infra dicetur: Ergo diſcipuli S. Io: Baptiſtæ fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ; non dicimus hic plura, ne eadem repetantur, hæc tamen ratio ex indicatis deducta eſt demonſtratiua. Confirmatur ex eo quòd iſti diſcipuli S. Ioannis ad imitationem magiſtri ſui vitam Eſſenorum religioſam ducebant in ieiunijs rigoroſis, in oratione, in paupertate, in caſtitate, & in alijs regularibus obſeruantijs. Ieiunia ipſorum erant maiora quā Apoſtolorum Chriſti: Vnde dixerunt aliquando Chriſto Matthæi cap. 9. *Quare nos & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli tui autem non ieiunant*: Et Lucæ 5. *Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſęorū; tui autem edunt & bibunt*: Theopyl. in cap. 1. Ioannis ait; *Diſcipuli Ioannis habebant ventrem minime oneratum, ſed ieiunijs aſſuetum, eo quod tempus quòd alij impendunt in quietem corporis cibis grauati, & non valentes ſerio operi intendere, hoc illi inſumebant in doctrinam; ita erant diſcipuli Ioannis*: Et D. Thomas in Matthæi cap. 9. ait; *Diſcipuli Ioannis ieiunabant*

Digitized by Google

bant exemplo magiſtri ſui, qui magnæ fuit auſteritatis. Oratio ipſorum fuit penè continua, vt conſtat ex adducto Lucæ teſtimonio; Item ex alio eiuſdem c.11. vbi inducit Apoſtolos ſic dicentes Chriſto; *Domine doce nos orare, ſicut docuit & Ioannes diſcipulos ſuos*. Paupertas ipſorum fuit in habitu, & cibis, alijſque rebus maxima, ad inſtar Ioannis, cuius extrema paupertas in Euangelio deſcribibitur: Et S.Baſilius in cap. 3. Iſaiæ ait; *Nonnulli ſunt pauperes beati dicti, qui ardore tuendæ religioſæ paupertatis omnia contempſerunt; cuiuſmodi erat pauper ille Ioannes; domum nullam poſſidens, non famulum, non bouem in quo araret, non agellum, non lectum, non menſam; non panem; cuiuſmodi & Elias &c.* Caſtitas ipſorum fuit puriſſima: Vnde Sophronius ſerm. de laboribus SS.Petri & Pauli ait; *Andreas cœlibem ducens vitam, Præcurſoris Domini factus eſt diſcipulus*: Ipſe autem S. Ioannes ex S. Chryſologo ſerm.127. fuit *Virginitatis ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum*: Et S.Hieronymus aduerſùs Iouinianum libro 1. cap. 13. ex Ioannis caſtitate probat caſtitatem Eliæ dicens; *Si Ioannes Baptiſta venit in ſpiritu, & virtute Eliæ, & Ioannes Virgo eſt, vtique non ſolum in ſpiritu eius venit, ſed etiam in corporis caſtitate*: Vnde S. Chryſoſtomus libro de Virgin. cap. 79. ait de Elia & Ioanne; *En terreſtres Angelos, en Virginitatis vim.* Regulares religioſæ ipſorum obſeruantiæ conſtant authoritate Sanctorum Patrum communiter dicentium, quòd Sanctus Ioannes Baptiſta fuit pater monachorum, & princeps inſtituti monaſtici in nouo teſtamento; quod ideò dicitur, quia ipſe regulares illius obſeruantias ſuos edocuit diſcipulos. S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium loquens de Cœnobitis & Anachoretis ait, quòd *illorum eſt princeps Ioannes Baptiſta*. Petrus Damianus ſerm.1. de S. Ioanne dicit quòd *eius vita eſt monachorum propoſitū, Anachoretarum principium, totius religionis aſſertio*.

AD primùm ergò dicendnm, quòd diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ quidam erant tantùm aduentitij, de quibus probat argumentum; alij verò erant domeſtici & commenſales, vt dictum eſt: Et hi fuerunt Religioſi Carmelitæ ſeu Eſſeni,

AD ſecundum dicendum. quòd congregatio Eſſenorum, quamuis dicatur ab aliquibus ſecta, non tamen accipitur tūc ſecta in malam partem, ſed prout idem eſt ac ſocietas: Et verè fuit religioſa, vt conſtat ex alibi dictis, ac relatis a Sanctis Patribus, hiſtoricíſque illius temporis, præſertim Ioſepho ac Philone; Et euidenter apparet, quòd non fuerunt maligni ad inſtar Phariſçorum, nihil enim contra ipſos dictum inuenimus in Euangelio: ſicut dictum inuenimus a Chriſto contra Phariſeos; iſti namque erant zelatores indiſcreti, ac cenſores peruerſi, ſuperbi & hypocritæ; Noſtri verò Eſſeni erant ſimplices, ac humiles admiratores operum Chriſti, cuius poſtea facti ſunt diſcipuli.

AD Tertium dicendum, quòd S. Andreas Apoſtolus verè fuit Religioſus Carmelita: Vnde ad rationem in contrarium dicimus, quòd priùs habitabat cū S. Ioanne Baptiſta in ſolitudine ad fluenta Iordanis: ſed poſtquam ipſum Ioannem audiuit dicentem de Chriſto; *Ecce Agnus Dei &c.* ab ipſo receſſit vt ſequeretur Chriſtum, a quo inſtructus ad domum fratris ſui Simonis Petri iuit, vt eum ad Chriſtum alliceret, dum a Chriſto dimittitur ad tempus, breui poſtea vocandus: nec mirum eſt, ſi occaſione fratris piſcatoris ad piſcandum acceſſerit, fortè neceſſitate victus, aut voluntaria a carnibus abſtinentia, eius namque patria Bethſaida adiacet mari Galilææ.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrum Monachi primitiuæ Eccleſiæ fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd Monachi primitiuę Eccleſiæ nō fuerint alumni Religionis Carmelitanæ. Ita tenent omnes illi, qui ſucceſſionem eius hęreditariā ab Elia negāt. Probatur: Inter monachos primitiuę Eccleſię fuerunt varia ſchiſmata, & in multis obſtinata contrarietas, vt conſtat ex hiſtorijs fide dignis; Sed hoc non accidiſſet, ſi fuiſſent omnes alumni eiuſdem Religionis Carmelitanę, non potiùs fuiſſent ſub eodem fundatore, ac in ijſdem regularibus obſeruantijs cōformes quaſi fratres: Ergo Monachi primitiuæ Eccleſiæ non fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: In primitiua Eccleſia multæ fuerunt monachorum congregationes ſub varijs ſuperioribus ſupremis, cum diuerſitate & obſeruantiarum regularium, & habitus religioſi, vt patet legenti librum de Vitis Patrum: Ergo non fuerunt omnes monachi primitiuæ Eccleſiæ alumni Religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Si Monachi primitiuæ Eccleſiæ fuerunt omnes alumni religionis Carmelitanæ, ſequitur quòd omnes etiam aliarum religionum fundatores fuerint alumni eiuſdem religionis Carmelitanæ, nam a primis illis monachis proceſſerunt: Sed hoc non poteſt admitti, quia aliàs etiam alumni omniū religionum ſimul eſſent alumni Religionis Carmelitanæ, & ſic omnes religiones confunderentur in Carmelitana: Ergo Monachi primitiuæ Eccleſiæ non fuerunt alumni Religionis Carmelitanę. Maximè quia Concilium Theonis villæ celebratum anno 844. ſicut & Meldenſe anno ſequenti habet; *Sacrum ac monaſticum Ordinem à Deo inſpiratum & ab ipſis Apoſtolis fundatum*. Et D. Thomas 2.2.q.187.ar.3.ad 2. ait de tempore Chriſti; *nondum erant tunc temporis Religiones inſtitutæ*: Et q. ſequenti ait; *A Diſcipulis Chriſti omnis religio ſumpſit originem*.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis & antiquiſſima noſtræ religionis Carmelitanæ, communis ſententia Doctorum ipſius, ac etiam exterorum, & hoc ſpecialitèr probant noſter Franciſcus à S.Maria in hiſtoria prophetica, & Lezana tomo 2. Annalium.

CONCLVSIO.

Cum Monachi primitiuę Eccleſiæ ſint ſucceſſores Eſſenorum, & hi filiorum prophetarum alumnorū Religionis in Carmelo per Eliam fundatæ, quæ nunc eſt Carmelitana, ſequitur quod fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd verè ac propriè monachi primitiuæ Eccleſiæ fuerunt alumni religionis Carmelitanæ, ſiue ab Elia in Monte Carmelo fundatæ; quæ ſucceſſione hęreditaria perſeuerat nunc in Carmelitis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, nullum eſſe qui neget antiquos Eccleſiæ primitiuę monachos, ſic in Palæſtina, Aegypto & Thebaidę celebres, ab Elia propheta, a filijs Prophetarum, & ab Eſſenis quodammodo deſcendere, ac ita per imitationem ſaltem ad Religionem Elianam in Carmelo fundatam (quam eſſe penitùs eandem ac nunc Carmelitanam probabitur) pertinere: Hoc enim enim ex hactenus dictis concluditur, & demonſtratur adducta ſuo loco S. Hieronymi authoritate. Sed aliquid amplius in præſenti volumus, & prętendimus quòd primis Eccleſiæ ſæculis, ante Sanctorū Antonij & Baſilij magni pręſertim inſtitutionem, Monachi Chriſtiani hæreditaria ſucceſſione ab Eſſenis immediatè ac directè, ipſiſque mediantibus a filijs prophetarū & ab Elia ipſorum Patriarcha

cha proceſſerunt, tanquam alumni eiuſdem Religionis Carmelitanę tunc abſque interruptione ac diuiſione perſeuerantis: Vnde non ſolùm imitatione, ſed etiam hæreditaria ſucceſſione ſectatores Elię in obſeruantijs regularibus vocandi ſunt; quaſi non tantùm eius opera fuerint imitati, ſed inſuper abſque interruptione in eius exercitijs religioſi fuerint ſubſtituti, imò & in eius domibus ac bonis. Dicimus igitur, quòd alumni religionis Carmelitanę, qui fuerant Apoſtolorum prædicatione conuerſi ad fidem Chriſti; partim eorum coadiutores effecti, ac per totum orbem cum eis diſperſi fideliter Euangelium prædicauerunt; partim ſolitudini ſuæ profeſſionis aſſueti, deſerta quæſierunt: primi ſimul cum fide Religionis inſtitutum & obſeruantias edocentes, vbique terrarum vitæ religioſæ ſemina reliquerunt: ſecundi in ſolitudinibus Palæſtinæ & Aegypti, præſertim in Thebaide plurima prorſùs innumerabilium monachorum collegia fundauerunt; in quibus religio Carmelitana perſeuerauit; & ad hæc vſque tempora peruenit: Quamuis poſtmodum inſignes viri ſurrexerint, qui reſeruatis principalioribus obſeruantijs Carmelitanæ religionis, maximè tribus votis adiunctiſque alijs nouas religiones tam in Oriente, quam in Occidente fundauerunt.

Probatur concluſio authoritate ipſorummet ſanctorum monachorum tunc viuentium, qui ſe noſtri Eliæ filios, ac proinde Religionis Carmelitanæ ab illo fundatæ vocant alumnos, ipſumque Eliā ſuum patrem, patriarcham & prototypum vitæ religioſæ confitentur. S. Macharius in quodam ſermone ad monachos ſic ait: *Duos viros magnificos exordium monaſtici ordinis prætuliſſe credimus; quorum vnus igneis equis in cælos raptus legitur, alter verò prophetaſſe antequam natus ſit: Primus Elias pater noſter extitit, in quo ſicut honoris Dei ignitus zelus adeò ardebat, vt vndequaque moleſtia afficerentur; ita ille idem ignis, Deo ſic diſponente, eundem corpore & animo in paradiſum ſuſtulit; nam ille qui in terris poſitus angelicam vitam duxerat, inter nos remanere Deus non eſt paſſus: Alter Ioannes Baptiſta fuit*. S. Honuphrius interroganti Paphnutio reſpondit: *Profectò vitam Beati Patris noſtri Eliæ venerabiles fratres meos (Hermopolitani ſcilicet cænobij, in quo fuerat ipſe educatus) audiui frequenter laudare; qui ſe in eremo in tanta abſtinentia & oratione ſtuduit affligere, vt maximam virtutem a Domino meruiſſet accipere, & igneo curru tranſuectus Spiritus Sancti dona, quæ habuerat, diſcipulo impartiri, ac adhuc longæuus ſenio mortis pœnam non videre*.

Secundò probatur authoritate Sanctorum Patrum. S. Athanaſius in vita S. Antonij ſic ait: *Igitur S. Antonius ſecum reputãs oportere Dei famulum ex inſtituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud exemplum vitam ſuam debere componere*. S. Hieronymus epiſtola ad Paulinum ait: *Nos autem* (ſcilicet monachi) *habemus propoſiti noſtri principes, Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios, Et vt ad ſcripturarum authoritatem redeam, noſter Princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces filij prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis*. S. Gregorius Nyſſenus oratione 7. in cap. 4. Canticorum ad illa verba: *Capilli tui ſicut greges Caprarum quæ aſcenderunt de monte* Galaad, ſic ait de Elia: *Inſignia vita continentis exempla præbuit forma ſquallidus, capilllis hirſutus, pro veſte molli pelle capræ tectus; Itaque omnes quotquot ad exempla vatis illius vitã ſuam inſtituunt, ornamentũ Eccleſiæ fiunt gregatim, qui philoſophandi mos hoc tempore in vſu cæpit* (id eſt refloreſcere quarto ſæculo ſub Antonio, Hilarione &c. ceſſantibus perſecutionibus imperante Conſtantino magno) *virtutem in conuerſatione mutua colentes*. Imò de S. Baſilio ſuo fratre germano, monachorum illuſtriſſimo Patriarcha, docet in oratione de laudibus ipſius, quòd in vita monaſtica fuerit ſimilis, & quodammodo ſucceſſor Eliæ, dicens: *An etiam audebimus*

Digitized by Google

ad ſublimem Eliam ſermone aſcendere, & oſtendere noſtrum doctorem ſua vita inſtituto illius gratiæ aſſimilari. S. Iſidorus Hiſpalenſis libro 2. de officijs cap. 15. ſic ait: *Vnde autem ad monachos ſtudium defluxerit paupertatis? vel quis huius conuerſationis extiterit auctor, cuius iſti habitum imitantur? quantum enim, inquam, pertinet ad auctoritatm veterum Scripturarum, huius propoſiti principes Elias & diſcipulus eius Eliſæus fuerunt, ſiue alij prophetæ, qui habitabant in ſolitudine, vrbibuſque relictis faciebant ſibi caſulas propè fluenta Iordanis: Huius deinde propoſiti in Euangelio Ioannes auctor extitit, qui eremum ſolus incoluit, locuſta tantùm & agreſti melle nutritus: Iam deinde progeniti ſunt conuerſatiouis huius nobiliſſimi principes, Paulus, Antonius, Hilarion, Macharius, cæterique Fratres:* Poſſent plures alij Sancti Patres adduci, quorum authoritates præſenti intento deſeruirent, ſed ad alia probanda reſeruantur.

Tertiò probatur authoritate ſubſequentium monachorum. Caſſianus libro 1. de Inſtitutione cap. 2. ait: *Itaque monachum, vt militem Chriſti in procinctu belli ſemper poſitum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere; hoc enim habitu etiam illos ambulaſſe, qui in veteri teſtamento huius profeſſionis fundauere primordia, Eliam ſcilicet & Eliſæum, diuinarum Scripturarum authoritate demonſtratur.* S. Petrus Damianus opuſculo 15. cap. 2. ſic ait: *Veruntamen ordo rei poſtulat, vt antequam conuerſationis attingam, ipſam radicis originem ſolertèr inquiram, & qui huius inſtitutionis auctores fuerint euidenter expediam, dignum ſcilicet arbitror fontem priùs aſpicere, vt poſt ſecuriùs valeam riuos haurire: Huius itaque vitæ normam, vt anteriora prætercam in veteri teſtamento Elias cœpit, Eliſæus verò aucto diſcipulorum collegio dilatauit; in nouo autem Paulus & Antonius non diſſimili ab ijs proportione creduntur.* S. Odilo Abbas in vita S. Maioli ſic ait: *Deinde cœpit ordo monaſticus pullulare, & vt veriùs dicam reuiuiſcere, quem a Beato Elia & Ioanne Baptiſta nouimus proceſſiſſe; & ita per Apoſtolicam conuerſationem & vitam, & incrementa virtutum, & exercitia Sanctorum ſpiritualium Patrum ad nos vſque guaudemus perueniſſe.* Author vitæ S. Pachomij ait: *Erat per id tempus Beati Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè propoſita, qui magni Eliæ atque Eliſei, nec non & Sancti Ioannis Baptiſtæ æmulator exiſtens &c.*

Quartò probatur authoritate aliorum Doctorum. Abbas Trithemius lib. de Laudibus Carmelitarum cap. 11. reducit ad Religionem Carmelitanam omnes Sanctos primitiuæ Eccleſiæ monachos: Vnde poſtea cap. 12. ſic concludit; *Tot Sancti ſub Ordine Carmelitano fuerunt, vt penitùs numerari nequeant, etenim ſi quis ſtellas cæli dinumeret, & Sanctos huius ordinis numerare poterit.* Ipſum ſequutus Leander Benedictinus Granatenſis in vita S. Gertrudis ait: *Exiſtimò quòd optimè & veriſſimè ad hanc Religionem reduci queant omnia Orientis cænobia, omnes viri illuſtres ſanctitate & doctrina, qui ex illis prodierunt, omnes Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui Orientalem Eccleſiam rexerunt, hi enim quaſi omnes religioſi fuere &c.* Laurentius Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ tomo 6. lib. 16. verbo Religio ſic ait: *Conſtat ex ſuperiori titulo de antiquitate huius Ordinis* (loquitur ibi de noſtro Carmelitano) *quomodo primæua ſua fundamenta ad Eliam & Eliſeum referat, tandemque per filios eorum ſpirituales creuerit inſtar lucis ſplēdentis, & ad perſectum diem paulatim deuenientis: ſiquidem ab Apoſtolis Chriſti Euangelium edocti, illius ſectatores primordijs naſcentis Eccleſiæ ſupra illius cadelabrum etiam poſiti fuere, normamque ab Elia præſcriptam; & a filijs prophetarum tot ſæculis obſeruatam, ſtrenuè ſibi ſeruandam exiſtimarunt, adiectis illis quæ lege euangelica addenda cenſuerunt viri Sancti & Apoſtolici: Itaque non aliam viuendi normam quàm veterem illam amplexi fuerunt primis quadringentis annis.* Clemens Reinerus Benedictinus in ſuo libro, cui titulus eſt, Apoſtolatus Benedictinorum in Anglia tractatu 1. ſectione 1.

Digitized by Google

ne 1. ſic ait: *Vnde conſtat & veriſimilitudo ſententiæ, quam ſuperius de primis monachis Brithonum & Scotorum diximus eos ex Aegypto & Palæſtina in Britannicas inſulas monachatum detuliſſe;* *Et illud etiã quod antea diſputauimus, meritò Carmelitas (cum ſucceſſionem minimè interruptam ab antiquis Palæſtinæ monachis deducant) earumdem prouinciarum Sanctos antiquos ſuo ordini aſcribere.* Didacus de Yepeſ. Turiaſonenſis Epiſcopus ex ordine Sancti Hieronymi in vita S M.N. Thereſiæ cap 1. poſtquam religionem Carmelitanam ab Elia inceptam ſub auſpicijs & tutela Beatiſſimæ Virginis, a filijs Prophetarum & Eſſenis in antiqua lege, & a Sãcto Ioanne Baptiſta ad legem gratiæ translatam docuit, loquens ad intentum noſtrum ſic ait: *Proceſſit poſtea religio iſta noua, luca prædicationis Euangelicæ perfuſa, eiſdem paſſibus quibus primitiua Eccleſia per deſerta loca; cryptas, cauernas ac remotas ſpeluncas gradiebatur. Fuerunt hæc fælicia tempora Eccleſiæ & huius religionis, quando Aegypti & Palæſtinæ deſerta tot monachis ornata, quot cæli ſtellæ erãt: Quę fælicitas quaſi trecentis annis in Elię prophetę ordine durauit, donec Homar & aliorum tyrannorum ſęua crudelitas tot Sanctornm vitis finem, & ipſorum gloriæ initium dedit.* Albertus Miræus Bruxellenſis Prothonotarius Apoſtolicus tractatu de origine ac incremento Carmelitani Ordinis, quem deducit ab Elia ex grauiſſimorum Patrum conſenſione, vt affirmat, ſic ait: *Nec Paleſtinę Syriæue tantùm finibus cæleſtis inſtitutio circumſcripta eſt; in Aegyptum enim temporis excurſu lectiſſimæ gentis Coloniæ, quos Eſſenos nuncupabant, deductę ſunt, vt Eliæ imitatione Alexandria quoque clareſceret: Quicquid enim Orientis Auſtrique primores, quorum genere monachorum cætus gloriantur, tradidere; quicquid etiam ab Oriente in Occidentem extat inuectum, non minima ex parte inſtitutionis Eliæ quędam expolitio, & ad nationes diuerſas coaptatio eſt, ſiue contemplationis ſtudium, ſiue ſolitudinem, ſiue auſteritatem, ſiue paupertatem velimus expendere.* Carthagena homilia de laudibus Carmelitarum cap. 10. ſic ait: *Tandem vt vno verbo abſoluam, nemo eſt qui ſcripto, nedum coniectura aſſequatur quot ab Elia in ſpeluncis, cauernis, montibus & deſertis Aegypti & Thebaidę, & aliarum regionum monaſticam vitam profeſſi; Eliani inſtituti fuerint cultores, ac huius ſacræ Religionis filij.* Poſſent alij quam plures adduci authores pro hac veritate, quæ confirmatur ex iam alibi dictis, & inferiùs dicendis.

Quintò probatur ratione ex prædictis authoritatibus deducta. S. Elias Propheta fundauit in Carmelo monte congregationem diſcipulorum cum tribus votis eſſentialibus religionis, quæ proinde fuit vera religio, dicta Carmelitana a natali ſolo ſuæ fundationis, vt iam dictum eſt; Cuius alumni ex Sacra Scriptura dicti ſunt filij prophetarũ ab initio, ab ipſis Prophetis Elia & Eliſeo ſuis fundatoribus; deinde ſub S. Eliſeo paulò poſt vocati ſunt Rechabitæ, ex acceſſu Ionadab & aliorum Rechabitarum; & etiam Eſſeni ac Eſſæi, vel a ſanctitate ipſorum, vel ab eodem S. Eliſeo quaſi Eliſſeni & Eliſſei; qui ſucceſſione hæreditaria pertingentes ad legem gratię cõuerſi ſunt ad fidem Chriſti Apoſtolorũ prædicatione, quorum effecti coadiutores fideliſſimi non ſolùm Euangelium, ſed etiam ſtatũ religioſum vbique ſparſerunt; qui proinde dicuntur Patres monachorum, & monachi dicuntur filij ſpirituales ipſorum: Ergo cum aliàs demonſtratur ipſam religionem ab Elia fundatam in Carmelo eandem eſſe ſubſtantialiter, ac noſtram Carmelitanam ſequitur manifeſtè, quòd monachi primitiuæ Eccleſiæ fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

AD primum ergo dicendum, quod etſi primus quatuor ſæculis Eccleſiæ tantùm eſſet vnica religio omnium monachorum ſub Elia fundatore militantium; erat tamen ampliſſima, plures habens congregationes, inter quas potuit eſſe contrarietas aliqua, faciliùs quippè pax conſeruatur in parua multitudine quàm in magna. Poteſt hoc decla-

clarari in Religione Benedictina, vel etiam in alijs habentibus plures congregationes, inter quas frequenter oriuntur ſchiſmata.

AD ſecundum dicendum, quòd pluralitas illarum congregationum compatiebatur vnitatem ac identitatem Religionis Carmelitanæ in ſingulis, ſub varijs ſuperioribus ſupremis, cum aliqua diuerſitate obſeruantiarum regularium & habitus religioſi, vt conſtat euidentèr in Religione Benedictina, vbi ſunt albi monachi & nigri &c.

AD Tertium dicendum quantùm ad fundatores Patriarchas aliarum religionum, quòd illi qui verè proceſſerunt à monachis primitiuæ Eccleſiæ per habitus religioſi ſuſceptionem, per monachatus profeſsionem, ac inſtructionem in vita monaſtica, verè fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ, vt ratio conuincit: Talem agnoſcimus Sanctos Antonium, Baſilium &c. non autem alios, qui diuina inſpiratione ſuas fundauerunt religiones abſque prædicta inſtitutione ac inſtructione. Quantùm ad eorum diſcipulos, dicendum quòd non poſſunt vocari alumni Religionis Carmelitanę, quia ipſi fundatores varias ſubſtantiales obſeruantias religionis Carmelitanę dimiſerunt, & differentes in ſuis ordinibus nouis introduxerunt, propter quam varietatem ſubſtantialem dicuntur nouę religiones a Carmelitana primitiua diſtinctæ. Ad illud quod ſubditur dicendum intelligi debere quantum ad omnimodam perfectionem ſtatus religioſi, vt ſuo loco explicamus. Eodem modo intelligendus eſt D. Thomas in ſecundo loco; in primo autem loquitur de diuerſitate religionum, quę poſtmodum fuerunt inſtitutę; non de Ordine religioſo in ſeipſo, vt ibidem notat Caietanus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum apud Religioſos Carmelitas olim in monte Carmelo fuerit Oraculum Diuinum.

AD quartum ſic proceditur: Videtur quòd apud Religioſos Carmelitas nō fuerit olim in monte Carmelo oraculum Diuinum. Probatur: vel hoc intelligitur de antiqua lege, vel de lege gratię; ſed ſub neutra lege potuit eſſe in monte Carmelo Diuinum Oraculū; non quidem ſub antiqua lege, quia tunc ſolum erat Hieroſolymis in Sancto Sanctorum propitiatorium reddens Oracula Diuina; nec etiam ſub lege gratiæ, quia nullum fuit Oraculum Diuinum poſt aduentum Chriſti, cum ipſe Chriſtus fuerit finis Oraculorum Dei: Ergo apud Religioſos Carmelitas non fuit olim in monte Carmelo Oraculum Diuinum.

¶ 2. Præterea: Apoſtolus dicit, quòd multifariã multiſque modis olim Deus locutus eſt in Prophetis, nouiſſimè locutus eſt in Filio; qui ſic res fidei declarauit (propter quas ſolùm in antiqua lege fuit Oraculum Diuinum) vt ideò ſciſſum fuerit velum templi in paſsione ipſius tegens propitiatorium Oraculi diuini, quaſi non ampliùs neceſſarium: Ergo apud Religioſos Carmelitas non fuit olim in monte Carmelo Oraculum Diuinum, quia ſolùm fuiſſe dicitur poſt aduentum Chriſti.

¶ 3. Preterea: Si quid ſuaderet quod apud Religioſos Carmelitas olim in monte Carmelo fuerit Oraculum Diuinum, maximè authoritas tàm Suetonij quàm Taciti id aſſerentium: Sed hæc authoritas nulla eſt, quin potiùs probat Oraculum illud Carmeli, ſi quod fuerit, non fuiſſe Diuinum, at potius Gentilicum & Sacrilegum; nam Tacitus inducit Baſilidem huius Oraculi Sacerdotem vt Ethnicum, nempè ſacrificantem

tem

Digitized by Google

tem animalia; & inſpectis extis reſpondentem; ſimilitèr Suetonius illum dicit attendiſſe ad ſortes: Ergo apud religioſos Carmelitas non fuit olim in monte Carmelo Oraculum Diuinum.

SED CONTRA eſt antiquiſſima noſtræ Religionis Carmelitanę traditio, & plurium Doctorum tam ipſius quàm exterorum authoritas.

CONCLVSIO.

Apud Religioſos Carmelitas fuit olim in Monte Carmelo Oraculum Diuinum.

RESPONDEO dicendũ, quòd apud Religioſos Carmelitas fuit olim in mõte Carmelo Oraculum Diuinum in antiqua lege. 2. Et etiam in lege gratiæ. Ad cuius euidentiam ſciendũ eſt, quòd Oraculum Diuinum poteſt accipi dupliciter; vel ita quod ſit permanens & ordinarium, vel quòd ſit tranſiens & extraordinarium: Priori modo fuit Ieroſolymis in propitiatorio ſub lege antiqua, Deus enim ibi conſultus ordinariè reſpondebat, & ſacrum huiuſmodi reſponſum vocabatur oraculum; Illud autem tunc Deus introduxit, vt populum Iudæorum contineret ne ad Idola Gentium conſulenda declinaret; ſicut induxit ſacrificia externa, ne ad ſacrificia Idolorum deflecteret; Propterea per Eliam increpauit Ochoziam Regem Iſrael, quia miſerat nuntios ad conſulendum Beelzebub Deum Philiſtinorũ, dicens eis, *Nanquid non eſt Deus in Iſrael vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron?* Ad cuius ſacrilegij punitionẽ, ei mortem intulit: Poſteriori modo eſt in prophetis, qui moti a Deo Diuina promunt Oracula. Nunc in Eccleſia non eſt Oraculum Diuinum priori modo; nec etiam poſteriori quaſi ſit authenticum, ſicut tunc erat: Vtriuſque ratio eſt, quia huiuſmodi oracula reddebantur ad myſteria fidei promulganda paulatim; quæ nunc ſufficientiſſimè manent à Chriſto reuelata; Poſteriori tamen modo perſeuerat in Eccleſia Diuinum Oraculum per Prophetas, ſed eſt particulare & non authenticum. Diabolus olim volens Deum æmulari, ſua introduxerat Oracula, tam permanentia & ordinaria per ora Idolorum, quàm tranſeuntia & extraordinaria per arreptitios homines: quę tamen virtute paſſionis Chriſti Domini fuerunt deleta, ita quod vix aliquid huiuſmodi nunc audiatur, ſaltem communiter & publicè. Dicimus igitur, quòd apud Religioſos Carmelitas fuit olim in monte Carmelo Diuinum Oraculum poſteriori modo, quia ſub lege antiqua, & in principio legis gratiæ fuerunt ibi Prophetæ: Vtrũ autem ſub antiqua lege fuerit ibi quoque Diuinum Oraculum priori modo, quidam affirmant, dicentes quòd ſicut Deus cum S. Elia diſpenſauit, vt in Carmelo eſſet altare iuxta illud 3. Regum 18. *Et accendete ad ſe populo curauit altare Domini quod deſtructum fuerat, &c.* ac ſimul offerret holocauſtum, quod de iure non poterat offerri extra Templum Ieroſolymitanum; ſic diſpenſauit quòd in Carmelo foret permanenter oraculum, vt ad illud potius quàm ad Idola populus accederet, in regno vbi fuerat introducta idololatria; Alij verò id negant, & melius. Quantùm ad legem gratiæ, ſolùm ponimus in monte Carmelo Diuina Oracula per ora prophetarum, quæ ſatis frequentia erant, propter multos prophetas Carmelitanæ religionis alumnos, qui inter alios Carmelitas religioſos viuebant.

Probatur prima pars concluſionis: toto tempore legis antiquæ fuerunt in monte Carmelo inter religioſos Carmelitas inſignes viri Prophetico ſpiritu illuſtrati ad bonum fidelium; hoc enim Elię conceſſum fuit priuilegium vt prophetas faceret ſucceſſores poſt ſe: Ergo in iuſtis occaſionibus per ora ipſorum diuina reddebantur oracula. Deinde probatur illo mirabili ſucceſſu S. Emerentianæ matris S. Annæ & Auiæ B. V. Marię (quem referunt S. N. Cyrillus Alexandrinus qui vixit circa annum Domi-

Domini 428. Petrus Dortandus Carthuſianus in vita S. Annæ ſcripta Coloniæ Agrippinę anno 1490. Henricus Mauroy Minorita Doctor Pariſienſis in Apologia ad Iulium III. parte 1. cap. 36. anno 1553. & Guillelmus Pepinus Dominicanus item Doctor Pariſienſis ſermone 2. de S. Anna, citantes alios antiquiores, & dicentes ſe illum ex vetuſtiſſimis codicibus extraxiſſe) Dicitur ergo quod S. Emerentiana Virgo nobilis ex Tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid floruit in Iudæa anno 77. ante Diuini Verbi Incarnationem, quam cum parentes eius vellent in matrimonium tradere ad generis ſui propagationem, Et ipſa Deo promiſiſſet in occulto ſeruare virginitatem, recurrit ad Filios Prophetarum noſtræ Religionis alumnos, in Carmelo commorantes, narrans ipſis ſuorum parentum voluntatem, pariter & ſuam: Qui cum rem illam Domino in ieiunio & oratione commendaſſent, Senior & alij duo in ſpiritu rapti radicem viderunt pulcherrimam, duas ex ſe emittentē arbores; ex quarum vna natus eſt ramus ſpecioſiſſimus inter alia duo ramalia, producens florem puriſſimum atque fragrantiſſimum, ac optimo cœlum & terram odorem perfundentem: Ex reliquis quoque huius arboris ramalibus flores nati ſunt, ſi ſeorſum ſpectentur, pulcherrimi, ſed ad primi comparationem in nullo comparabiles, nihilque redolentes: Ex altera verò arbore orta eſt virga ſanè pulchra pulchriorem producens florem, nec tamen primo comparabilem: Inſuper audita eſt vox dicens; Hęc radix eſt Emerentiana noſtra magnæ propagationi deſtinata: eiſque manifeſtatum eſt, quod arbor prima ſignificabat quandam filiam ſacratiſſimam, quam in ſtatu matrimoniali Deus ipſi daturus erat; ramus eius ſpecioſiſſimus deſignabat Virginem Caſtiſſimam, quam filia ipſius Emerentianæ foret productura, quę virgo permanens florem Paradiſi & fructum vitæ æternæ, id eſt filium Dei naturalem eſſet clauſura in ſuo virginali vtero, & tandem tempore debito ſine dolore paritura. His auditis S. Emerentiana Stolano nupſit.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Suetonij Tranquilli & Cornelij Taciti. Primus agens de Veſpaſiano ſic ait: *Apud Iudęam Carmeli Dei Oracalum conſulentem, ita confirmauere ſortes, vt quidquid Veſpaſianus cogitaret volueretque animo, quantumlibet magnum, id eſſe prouenturum pollicerentur.* Secundus autem ſic ait: *Eſt Iudæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem Deumque, nec ſimulachrum Deo aut templum, ſic tradidere maiores, aram tantum & reuerentiam; Illic ſacrificante Veſpaſiano, cum ſpes occulta verſaretur animo, Baſilides Sacerdos inſpectis extis; Quidquid eſt, inquit, Veſpaſiane quod paras, ſeu domum extruere, ſeu prolatare agros, ſiue ampliare ſeruitia, datur tibi magna ſedes, ingentes terminos, multum hominum.* De hoc oraculo ſic loquuntur authores Chriſtiani. Gilbertus Genebrardus libro 1. Chronologię ad annum 3284. *Ei poſt mortem* (ſcilicet Eliæ poſt raptum) *Synagoga, ſiue ſacellum in Carmelo monte, vulgato ipſius habitaculo dicatum eſt, in quo vigebat oraculum, de quo Suetonius in Veſpaſiano cap.* 5. Baſilius Anguiſſola Theologus & Orator Apoſtolicus ait: *Hoc verò Dei Oraculum non fuiſſe Gentilium, qui ibi non commorabantur, certum eſt; neque a Iudæis, contra quos tanquam hoſtes procedebat, petijſſe manifeſtum eſt: Vnde reliquum eſt confirmari, ibi religioſos Carmelitas commoratos eſſe; de ſortium verò confirmatione loquitur Suet. Gentiū more.* Leuinus Torrentius commentario in Suetonium, recitato Cornelio Tacito ait: *Carmelum vocant Tacitus & Suetonius Deum, qui ſine nomine eſt, & regnat in æternum.* De hac Veſpaſiani & Titi miſſione a Nerone Imperatore contra Iudęos anno Chriſti 69. eorumque aſcenſu in montem Carmelum, cum audiſſent mirabilia de Prophetis & oraculis Carmelitarum religioſorum, ſic ait Franciſcus Petrarcha apud Palæonydorum libro 2. cap. 3. *Veſpaſianus ſub Nerone rem Hieroſolymis*

gerens

Digitized by Google

gerens, *vicinum Carmelum montem experiendi deſiderio acceſſit: Vnde in immenſum auctus eſt accepto reſponſo, quòd quidquid ageret, & mente conceptiſſet, & attentaſſet, ſucceſſurum fœliciter, quamuis arduum & laborioſum videretur*: Subditque; *Veſpaſianus Carmelitas muneribus honoratos illæſos permiſit*. Tandem ſic ait Arnoldus Boſſius in ſpeculo hiſtoriali libro 5. cap. 14. *Titus & Veſpaſianus Imperatores cum ingenti exercitu Ieroſolymam, ob vindictam mortis. Chriſti debellantes, prędictos Carmelitas filios Prophetarum honoratos muneribus, propter reuerentiam Chriſti illæſos dimiſerunt, ſicut in hiſtoria Ieroſolymitana apertiſſimè declaratur*.

AD primum ergo dicendum, quòd procedit de oraculo permanenti & ordinario, quòd non ponimus in Carmelo apud Carmelitas Religioſos: ſed ſolùm ibi ponimus oraculum tranſiens & extraordinarium in Proheticis reſponſionibus ipſorum, tam in antiqua lege, quàm in lege gratæ.

AD Secundum dicendum, quòd Apoſtolus eſt intelligendus quantùm ad reuelationem myſteriorum fidei per huiuſmodi locutiones; non autem quantùm ad alias reuelationes particulares, quæ continuantur in Eccleſia in viris ſanctis luce prophetica illuſtratis.

AD Tertium dicendum, ſicut iam dictum eſt, quòd in his authoritatibus Suetonij & Taciti ſolùm admittimus ſubſtantiam, ſcilicet nomen Sacerdotis in S. Baſilide, & ſacrificium vel agni immaculati in miſſa, vel etiam piarum precum: recuſamus autem accidentia ſortium & extorum; ſolebant enim Gentiles ſcriptores audiendo nomen ſacrificij, ad ſuas cæremonias gentilicas aruſpicũ aut aliorum ſacrificatorum recurrere, quòd in præſenti dicimus accidiſſe. Quãuis etiam poſſit dici, quòd nomine ſortium apud antiquos Gentiles intelligebantur oracula ipſa, ſeu reſponſa Sacerdotum; Et ſic in præſenti reſponſa Sancti Baſilidis dicuntur ſortes: Poteſt etiã dici, quòd ſi tunc fuit ſacrificium animalium (vt ait Tacitus, & de quo non loquitur Suetonius) factum fuit ab illo Imperatore ethnico, non conſentiente Baſilide Sancto Sacerdote, quam Petrus Apollonius Collatius Præsbyter Nouarę de excidio Ieroſolymorum libro 3. vocat Mathathiadem, inducens quendam Veſpaſiani ducem ipſum Imperatorem ſic alloquentem.

Matathiademque locutum.
Vera tibi vatum & Carmeli oracula diſces,
Credere te ſuperius vltro poſcentibus aude,
Nec pronos animos populi ſeruire volentis
Aſpernare tibi.

ARTICVLVS V.

Vtrum Religioſi Carmelitæ publicum olim habuerint in ipſo monte Carmelo Sapientiæ Collegium.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd religioſi Carmelitæ non habuerint olim in ipſp monte Carmelo publicum ſapientię collegium. Probatur mons Carmelus erat olim in deſertum, vt conſtat ex Sacra Scriptura, & valde remotus ab Vrbibus, propterea fuit electus ab Elia Propheta, quaſi locus aptus receſſui ſuorum diſcipulorum; Vnde non apparet qualiter ad eum confluerent iuuenes ſtudiorum cauſa: Ergo religioſi Carmelitę non habuerunt olim in ipſo monte Carmelo publicum Sapiẽtiæ Collegium.

¶ 2. Pręterea: religioſi Carmelitæ habitabant ſolitarij in monte Carmelo, non ſolùm a ſæcularibus, ſed etiam ab inuicem ſeparati, vt conſtat ex cauernis ipſorum olim habitaculis in toto monte diſperſis: Ergo non habuerunt tunc ibi publicum ſapientiæ Collegium.

¶ 3. Præterea: Primarius & principalis religioſorum Carmelitarum ſpiritus eſt contemplationis, qui repugnat publi-

publico & continuo docendi exercitio, quod conſtat etiam a poſteriori; nam Carmelitę, maximè primitiui, qui primarium illum ſequuntur ſpiritum, non tenent publica collegia: Ergo Religioſi Carmelitæ non habuerunt olim in ipſo monte Carmelo publicum ſapientię collegium.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiqua traditio noſtrę religionis Carmelitanę, plurium Doctorum authoritas, & fidelis hiſtoriarum relatio.

CONCLVSIO.

Religioſi Carmelitæ publicum olim habuerunt in ipſo monte Carmelo Sapientiæ Collegium.

RESPONDEO dicendũ, quod religioſi Carmelitę publicum olim habuerunt in ipſo monte Carmelo Sapientiæ Collegium, tam in antiqua lege, quàm in lege gratię primis Eccleſiæ ſęculis. Ad cuius euidentiam ſciẽdumeſt, quòd in antiqua lege non erat inter ſæculares qui ſcientias coleret, quia omnes etiam Sacerdotes, ipſeque Summus Pontifex, ducebant vxores ac filios procreabant; occupatio autem huiuſmodi domeſtica vix permittit hominem alijs vacare quã familiam negotijs. Similiter in noua lege gratiæ, primis ipſius ſæculis per totum Orientem ſæculares Sacerdotes nubebant, & nunc etiam nubunt, ſoli Epiſcopi vitam ducunt cœlibem: Et propter eandem rationem vix ſęculares poterant vacare ſtudijs, & aſſumi ad Epiſcopatũ. Vnde ſequitur, quòd noſtri Carmelitę religioſi ad inſtruendum fidelem populum ſtudijs Sapientię tam Diuinę quàm humanę vacabant, qui tunc erant vnici religioſi: ſic enim Elias noſter in ſua Religione Carmelitana primarium contemplationis ſpiritum introduxit, vt etiam Spiritum actionis charitatiuæ erga proximum introduxerit quaſi ſecundarium, vt ſuo loco probatur; tunc præſertim quando neceſſarium erat inſtruere populum, ad veram fidem conſeruandã & defendendam, quæ ſine ſapientia ſiue ſacra doctrina conſeruari ac defendi non poteſt; ad hoc enim requiruntur Doctores, qui fideles inſtruant, & obiecta cõtra fidem dubia reſoluant. Dicimus igitur, quòd noſtri Carmelitę ſapientiã diuinam, & etiam humanam non ſolùm alumnis ipſius religionis, ſed etiam aduenis legebant, tum in alijs conuentibus, tùm præſertim in ipſo monte Carmelo; id eſt tam ſacrę ſcripturę myſticã & litteralem intelligentiam, explicantes myſteria fidei, quàm etiam ſcientias naturales Philoſophiæ, quę a creatis mentem ad Creatorem, velut ab effectibus ad primam & vniuerſalem cauſam eleuant.

Probatur concluſio quantum ad antiquam legem authoritate Abulenſis in 4. Reg. 6. q. 1. vbi ſic ait: *Erant filij Prophetarũ coniuncti viuentes conuentualiter per diuerſa collegia, & ibi vacabant laudibus Dei & vitæ religioſiori quam cæteri homines; Et cum iſtis erant aliqui non filij Prophetarum, qui erudiebantur ab eis in doctrina legis, & in rectitudine morum.* Deinde conſtat in perſona Pythagoræ ſummi Philoſophi, qui ad Carmelum aſcendiſſe ſcribitur, ibique diu commoratus a Carmelitis tam in ſpeculatiuis ſcientijs maximè diuinis, quàm in moralibus & monaſticis exercitijs inſtructus fuiſſe: imitatus igitur Sanctos illos Carmelitas religioſos, recedens ab ipſo mõnte Carmelo ſcholam diſcipulorum inſtituit Carmelitarum noſtrorum congregationi valde ſimilem in obedientia, paupertate, caſtitate, ſilentio, abſtinentia a vino, diſcuſſione quotidiana conſcientiæ, vita communi, & denique in albis veſtibus ſiue pallijs: Hæc habentur apud Authores, Iamblicus Chalcedonenſis Philoſophus in eius vita cap. 3. ſic ait: *Ab Aegyptijs quibuſdam nautis opportuniſſimè in littera quę ſubſunt Carmelo monti Phœniciæ, appellentibus tranſuectus fuit Phytagoras, vbi ſolus in templo vt plurimum degebat* (Ad imitationem noſtrorum Carmelitarum, qui templum Semnion in honorem Eliæ conſtructum fre-

Digitized by Google

frequentabant, Semnion autem ſignificat monaſterium.)Hic aduentus Pythagoræ in montem Carmelum ſucceſſit anno circiter ſeptuageſimo poſt captiuitatem Babylonicam Iudæorum : Subiungit Iamblicus ; *Goncines autem loci illius benignè ipſum datis dextris exceperunt &c. Si quid contuliſſent rerum, ſummam hominis æſtimationem pretiumque præuidentes, libenter conferebant*: Et tandem ait; *Iam tunc deſcendens a ſummis extimiſque Carmeli collis viſus &c.Hic mons multis inacceſſus erat*. Hinc Ioſephus contra Appionem hæc habet de Pythagora : *Pythagoras igitur Samius , cum ſit antiquus quidem ætate, ſapientia verò & diuina pietate Philoſophos omnes excellens, non ſolū quæ noſtra ſunt , agnouiſſe manifeſtum eſt, ſed etiam æmulatus ea ex multis apparet*. Ex Hormippo de eodē Pythagora ſcribit ſic; *Dicitur enim verè, quod ille vir multas Iudæorum leges in ſuam tsanſtulit Philoſophiam* : Quòd autem hæ leges fuerint vitæ religioſæ (preter authoritatem Iamblici, qui cap. 21. vitæ ipſius concedit eius diſcipulis pallium album) eſt ſententia Doctiſſimi Genebrardi lib. 2. Chronologiæ ad annum mundi 3944 vbi ſic ait ; *Eſſeni valde augentur, affines Pythagoreis* : Conſtat autem ex alibi dicta , quod Eſſeni fuerunt Carmelitanæ religionis alumni . Vnde meritò concludit ſic Lezana tom. 1. Annalium ad annum mundi 3515. ante Chriſtum 538. *Et vt vno verbo plura concludamus, legat qui volet Pythagoræ vitam , carmina, ſymbola, hieroglyphica & documenta, & pleraque prorſus ijs ſimilia, quibus Carmeli incolę & alij Prophetæ imbuti erant , reperiet*.

Secundò probatur quantùm ad legem gratiæ authoritate Ioannis 44. libro de Inſtitutione monachorum cap. 31. vbi ſic ait de noſtris Carmelitis:*Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, in communione fractionis panis, quotidie quoque perdurantes in orationibus vnanimiter in templo, cum exultatione & ſimplicitate cordis collaudantes Deum; quibus omne ſpatium diei in ſtudiorum exercitijs & eruditione ſacri Euangelij ducebatur: habebant quoque tractatus ſacrorum voluminū, leges Patrum in allegoricam intelligentiā deducentes; quoniam omnis lex vetus eis videbatur animali eſſe ſimilis, eo quod intrinſecè nihil niſi corpus habeat ipſam litteram, & ea quæ ſecundùm alteram deſignatur; intrinſecè autem ſub littera tanquam anima lateat cuiuſdam profundi diuiniqut myſterijs ſenſus inuiſibilis & ſpiritalis ; quem illi ab Apoſtolis edocti , ſublimius & nobilius velut per ſpeculum inſpicientes, & ex ipſis litteræ nominibus admirandas quaſdam ſpecies intelligentiæ corripientes , diuina & profundiore ſapientia ſacrorum voluminum tanquam copioſis dapibus imbuebantur*. Confirmatur ex hoc quòd Sanctus Baſilius cum Eubolo Magiſtro ex Vniuerſitate Athenienſi celeberrima proceſſerunt ad montem Carmelum ſtudijs florentiſſimum ſub Euſticio Priore, & Sanctus Cyrillus Alexandrinus ex eadem vniuerſitate rediens illuc etiam acceſſit ſub Capraſio Priore, vt Carmeli ſapientiam audiret : qui poſtmodum ibidem facti ſunt religioſi ſanctorum illorum Carmelitarum exemplo moti; quod multis iuuenibus contingebat. Hoc autem Carmelitanum Sapientiæ Collegium floruit plurimum ſub magno noſtro Ioanne 44. Patriarcha Ieroſolymitano adhuc in monte Carmelo reſidente, ad quem audiendum ex toto orbe chriſtiano concurrebant.

AD Primùm ergo dicendum , quod in monte Carmelo plura erant oppida, & circumquaque plures vrbes, vnde poterant accurrere iuuenes, imò de longè accurrebant; quamuis in eodem Carmelo eſſent alia loca magis deſerta, ad quæ recedebant Religioſi contemplationis amore, præſertim ad ſaltum Carmeli nominatum in Sacra Scriptura.

Ad Secundum dicendum, quòd licet religioſi Carmelitæ manerent vt plurimum ſolitarij in cauernis ſeparatis , erat tamen Semnion ſiue monaſterium, vbi morabantur aliqui, & cæteri congregabantur ſæpiùs tum ad capitulum tum ad ſtudium &c.

Digitized by Google

AD Tertium dicendum, quòd ſtudia illa ſapientiæ in monte Carmelo moderatè ſumpta non oberant ſpiritui contemplationis, ſicut obeſſent, ſi publica haberent Carmelitæ ſtudia in Vrbibus, ob nimiam ſtudentium ſæcularium frequentiam.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Religio Carmelitana de antiqua lege tranſierit ad legem gratiæ.

AD Sextum ſic proceditur: Videtur quòd Religio Carmelitana non tranſierit de antiqua lege ad legem gratiæ. Ita tenent qui negant eius antiquitatem ab Eliæ fundatione. Probatur: Sanctus Bernardus Abbas Caſſinenſis in regula Sancti Benedicti ait; *Attende benè quod in veteri Teſtamento Elias & Eliſæus, tandem tempore Apoſtolorum Paulus & Antonius horum monachorum inuentores extiterunt*: Quòd manifeſtè indicat religionem Carmelitanam ab Elia fundatam non tranſiſſe de antiqua lege ad legem gratię, cum enim talis religio fuerit monaſtica, ſi tranſiens ad legem gratiæ in ea perſeueraſſet, Paulus & Antonius non dicerētur inuentores monachorum tempore apoſtolorum; at potiùs dicerentur ſucceſſores aut continuatores monachorum.

¶ 2. Præterea: Si religio Carmelitana ab Elia inſtituta tranſiſſet de antiqua lege ad legem gratiæ, fieret mentio de ipſa in ſacra ſcriptura, & in antiquis authoribus ac Sanctis Patribus, qui accuratè de primis Eccleſiæ temporibus ſcripſerunt; imò ſi fuiſſent tunc monachi, non eſt dubium quin Chriſtus eos aliquando viſitaſſet, qui toties ad montes & ad ſolitudines pergebat, & ex illis vt pote benè diſpoſitis aſſumpſiſſet aliquos Apoſtolos & diſcipulos: Sed nulla penitus horum fit mentio in ſacra ſcriptura, nec alibi: Ergo religio Carmelitana ab Elia inſtituta non tranſijt de antiqua lege ad legem gratiæ.

¶ 3. Præterea: Si quid ſuaderet religionem Carmelitanam de antiqua lege tranſiſſe ad legem gratiæ, maximè quia ſtatim in principio Eccleſię leguntur eſſe aliqui monachi, ſcilicet Eſſeni tam Palæſtini quàm Alexandrini: Sed hæc ratio nulla eſt, quia Eſſeni Alexandrini fuerunt Chriſtiani monachi inſtituti a S. Marco Euangeliſta, vt docet S. Hieronymus; Et ſimiliter poteſt dici, quod Eſſeni Palæſtini fuerint primo inſtituti ab aliquo Apoſtolo: Ergo religio Carmelitana ab Elia inſtituta non tranſijt de antiqua lege ad legem gratiæ; maximè quia in lege gratie priores ſunt clerici quàm monachi.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiquiſſima traditio noſtræ religionis Carmelitanæ: Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, ac illuſtrium Doctorum authoritas.

CONCLVSIO.

Cum Eſſeni diſcipuli Sancti Ioannis, Carmelitanæ Religionis alumni, ab ipſo præparati, fuerint ad Chriſti fidem conuerſi Religio Carmelitana de antiqua lege tranſiit ad legem gratiæ.

RESPONDEO dicendum, quod Religio Carmelitana florens in vltimis Synagogæ temporibus, præſertim in monte Carmelo, & circa fluenta Iordanis, S. Ioannis Baptiſtæ magiſterio præparata ad fidem Chriſti, & Apoſtolorum prædicatione conuerſa tranſijt de antiqua lege ad legem gratiæ, & quatuor primis Eccleſiæ ſæculis perſeuerauit indiuiſa in monachis. Ad cuius euidentiã ſciendum eſt, quòd in aduentu Chriſti Domini Redemptoris noſtri ceſſauit lex antiqua Iudæorum, & incepit lex noua Chriſtianorum, quæ dicitur lex gratiæ; Vtraque a Deo proceſſit, prima per Moyſem promulgata, ſecunda per Chriſtum data: Notandum tamen quod in

Digitized by Google

in antiqua lege præcepta erant in triplici differentia; quædam erant moralia, quæ principaliter continebantur in Decalogo, & hæc de lege antiqua tranſierunt ad legem gratię, & in ea perſeuerant; Alia erant cæremonialia, quæ in externis cæremonijs, oblationibus & ſacrificijs conſiſtebant, & hæc ceſſarunt cum antiqua lege, quia erant vmbra & figura Chriſti venturi, & eorum quæ per ipsũ gerenda erant, & ſic adueniente luce ac veritate deſierunt; Alia denique erant iudicialia in ordine ad regimen ciuile Reipublicæ, & hæc partim ceſſarunt cũ antiqua lege, partim perſeuerarunt cum lege gratiæ; quia enim ex vna parte leguntur in ſacra ſcriptura populo Iudæo tantum data, ideò non obligãt populum Chriſtianum; Et quia non ſunt futurorum figura, & aliunde ſunt valde idonea bono regimini, inde eſt quòd in Republica chriſtiana meritò plura ex ipſis fuerunt admiſſa: Vnde cum dicitur, quòd lex antiqua ceſſauit, debet intelligi quoad præcepta cæremonialia, ſimpliciter & abſolutè loquendo, quæ reſpiciebant opera dicta legis; non autẽ debet intelligi quòad præcepta moralia, quæ reſpiciebant opera virtutum fidei, valde diſtincta & ſeparata ab operibus legis: & ſic cum Religio Carmelitana fuerit principaliter fundata in operibus virtutum, & maximè in tribus votis eſſentialibus Religionis, vt dictum eſt; ideò non fuit neceſſe quòd ceſſauerit cum antiqua lege, & in præſenti dicimus quod aliunde non ceſſauit, ſed tranſijt ad legem gratiæ.

Probatur & declaratur concluſio. Iam ſupra probatum eſt religioniem Carmelitanam, ſiue fundatam in Carmelio ab Elia Sanctiſſimo Propheta perſeueraſſe toto tempore legis antiquæ in filijs prophetarum, Rechabitis, & Eſſenis, qui principaliter florebant in principio Eccleſiæ, tam in Carmelo iuxta dictum Ioſephi Antiocheni ſtatim citandi, quàm circa fluenta Iordanis ſub diſciplina S. Ioannis Baptiſtę: Quæſtione verò ſequenti articulo probabitur in die Pentecoſtes fuiſſe conuerſam ad fidẽ Chriſti quòd eſt ipſam tranſiſſe de antiqua lege ad legem gratiæ; quod autem deinceps perſeuerauerit indiuiſa quatuor primis Eccleſiæ ſæculis in monachis iam ex parte dictum eſt, & amplius dicetur in ſequentibus: Vnde ex his concluſio noſtra maneret ſufficienter probata, que tamen de nouo probatur in præsẽti authoritate multiplici, tum Sanctorum Patrum, tum aliorum Doctorum; quorum tamen plurimi nunc omittuntur, ne ſæpiùs eadem repetantur S. Hieronymus epiſtola 22. docet monachos coæuos ſuos eſſe ſucceſſores Eſſenorum, de quibus loquuntur Philo & Ioſephus, qui florebant extremis Synagogę temporibus ſub diſciplina S. Ioannis Baptiſtæ, quorum primum principem & ducem vocat Eliam. Sanctus Bernardus Clareuallenſis epiſtola ad Fratres de monte Dei, loquens de ſtatu religioſo, quem aliqui nouitatem vocabant, ſic ait: *Hæc nouitas non eſt nouella vanitas, res enim eſt antiqua, hereditas Eccleſiæ Dei a tempore Prophetarum premonſtrata, iãque noua gratiæ ſole exorto in Ioanne Baptiſta inſtaurata & innouata, & ab ipſo Domino familiariſſimè celebrata, & ab eius diſcipulis ipſo preſente concupita &c.* Ioſeph Antiochenus, qui in fine primi ſæculi & principio ſecundi poſt Chriſtum natum vixit, in ſpeculo perfectæ militiæ Eccleſiæ primitiuæ capit. 12. ait: *Perfectorum militum Chriſti, Apoſtolorum coadiutores ſurrexerunt ſtrenuiſſimi viri ſolitarij contemplationi dediti Sanctorum Prophetarum Eliæ & Eliſæi imitatores, qui de monte Carmelo deſcendentes per Galilæam, Samariam & Palæſtinã fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt, quique in Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli decliuio fabricantes oratorium Saluatoris Matri ſpecialiſſimè ſeruierunt.* Hic liber reperitur in Bibliotheca Salmaticenſis, vt ſcribunt authores; ego ita eſſe reperi ex fideli relatione ad me miſſa, ſed maiorem eius notitiam expecto, vt illum reddam celebriorẽ mea atteſtatione authentica. Aegidius Camartus olim Minimorum Generalis de rebus geſtis

Digitized by Google

Eliæ prohetæ cap. 5. ſect. 10. ait: *Si tot & tam celebres diſcipulorum ſcholas reliquit Propheta* (ſcilicet Elias) *in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis, cur non in Galaad? credibile certè eſt Eliæ diſcipulos dici in illa viguiſſe, nec defuiſſe donec ad Chriſti diſcipulos Euangelicamque doctrinam confluerent*. Aubertus Mireus in prooemia ad tractatum de origine Carmel. ſic ait: *Illi verò Prophetarum filij Eſſeniue Palæſtinam incolentes (quemadmodum & Eſſeni poſtea in Aegiptum traducti) miris exemplis captam inſtitutionem vſque ad Virginis partum produxerunt; neque enim Chaldæorum, aut aliorum hoſtium feritas, quæ vindictam ſpoliaque ſitiebat, in homines innoxios & nihil mortale curantes deſæuijt, Deo ſic agente vt tanti vatis eruditio ad eum, cuius typum prætulit, illæſa pertingeret*. Armacanus in ſermone de Cõceptione B. V. ait: *Carmelitę a tempore Eliæ ad Chriſti tempora Carmelum habitarunt, & cum Apoſtolis prædicantes Euãgelium ſtrenuè laborabant; meritò igitur præ cæteris gaudent antiquitatis honore*. Author hiſtoriæ Romanæ ſic loquitur: *A tempore Eliæ & Eliſæi prophetarum religioſi de numero eorum, qui morabantur in monte Carmelo, iuxta ciuitatem Dominæ noſtræ Nazareth ſecretiùs ſolebant inhabitare vſque ad tempora Saluatoris, qui tandem prędicantibus Apoſtolis in fide confirmati, in vno latere ipſius montis primi Eccleſiam in honorem Virginis Mariæ cõſtruxerunt*. Carthagena lib. 17. homiliarum homil. 1. docens religionem Carmelitanam ab Elia fundatam, & vſque ad tempora Chriſti perductam, de eius tranſitu ad legem gratię innuens ſic ait: *Ecce illuſtriſſimam hanc nomenclaturam Beatę Virginis de monte Carmelo nacti ſunt religioſi Carmelitani, quia verè illi primi fuerunt, qui Virgini Mariæ in primo Eccleſiæ ſæculo oratorium conſtruxerũt, primi qui eius obſequio & amore inter cæteros Religioſos addicti ſunt, primi qui tantæ Virginis conuerſationem & familiare colloquium meruere*. Trithemius Abbas de Laudibus Carmelitarum cap. 2. ait: *A tempore ſiquidem Eliæ & Eliſęi Prophetarum Dei vſque ad Chriſti natiuitatem, plures montem Carmeli amore ſolitudinis incoluerunt, ſicut ex veterum hiſtorijs apertè demonſtratur: nam poſt paſſionem Domini prædicantibus fidem Apoſtolis, inter multos qui tunc conuertebantur, etiam Carmeli montis eremitæ conuerſi ſunt, qui deinde creſcente numero fidelium in Carmeli montis latere in honorem Dei Genetricis & Virginis Mariæ capellam extruxerunt, vnde vocabulum loci & Religionis recipere meruerunt: nec mireris ſi monachos etiam ante Chriſti natiuitatem in Iſrael fuiſſe dixerim, qui montem Carmeli & deſerta ſolitudinis inhabitarunt*. Sigebertus Gemblacenſis in Hiſtoria Ieroſolymitana ait: *Cum Carmelitæ in ſancta pœnitentia perſeueraſſent a tempore Sanctorum Eliæ & Eliſæi Prophetarum, tandem Chriſtum prædicantem audierunt, qui religioſi fidem catholicam confitentes in Chriſto baptizati ſunt; deinde perſeuerantes in Doctrina Apoſtolorum habentes gratiam ad omnem plebem*. Leander Abbas Hiſpanus ait: *Innumeri pene Sancti Patriarchæ, Epiſcopi, Anachoritæ, & monachi primitiuæ Eccleſię veriſſimè dici poſſunt eſſe Carmelitanę Religionis, vnum enim patrem Eliam omnes & viuendi finem tenuere*. Luitprandus Epiſcopus in fragmentis ait: *Magna pars eorum, qui diſperſi in perſecutione S. Stephani ad varias partes traiecerant, & ad Hiſpaniam plurimi venerant, erat ex monachis montis Carmeli, prædicationibus Chriſti & Apoſtolorum ad fidem conuerſi, in quibus Elpidius, & ſocij Pontifices a Sancto Iacobo creati, & poſt martyres effecti*. Ioannes Bonifacius de Hiſtoria Virginis libro 2. cap. 1. ait. *Mirabiles quidam ſolitudinis amatores, Eliæ & Eliſæi veſtigia proſecuti, rerum diuinarum attentiſſimi meditationi ſe totos dediderunt; ad quorum tamen aures cum Apoſtolorum primæ de Chriſto mundi per crucem ſeruatore Euangelicæ voces perueniſſent, continuò veteri legi nuncium remittentes, ſeſe ad nouam tranſtulerunt; neque ſolùm ſe Apoſtolorum beneuolos & dociles auditores, ſed etiam adiutores præbuerunt, & cum ex monte Carmelo*

melo deſcendiſſent &c. In chronica compendioſa Generalium Ordinis Prædicatorum, poſita ſub finem conſtitutionum ſic habetur: *Fuerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ in terra Sancta, maximè in Carmelo eremitæ multi, ſicut patet ex chronicis & multorum Sanctorum vitis horum conuerſationem videns fœlicis recordationis D. Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus, multos eos ſpiritualiter in Domino nutriebat, & in ſcriptis modum vitę eorum redigens, ſeparatim in cellis per totum montem Carmeli antea habitantes &c.* Paleonydorus lib. 1. cap. 2. ait: *Tempore prædicationis Apoſtolorum ſunt Carmelitæ conuerſi ad euangelicam perfectionem, atque humiles fidem in primordijs naſcentis Eccleſiæ conſtantiſſimè defenderunt & prædicauerunt.*

AD primùm ergò dicendum, quòd quia ſecundùm conditionem humanam ordo monaſtichus a feruore perfectionis & regularis obſeruantiæ aliquantum defecerat, propter continuas perſecutiones infidelium Imperatorum vſque ad conuerſionem Conſtantini Magni, a quibus monachi præcipuè tanquam fidelium duces trucidati & diſperſi fuerunt, ac nullibi potuerunt ſubſiſtere congregati; Sed adueniente pace Eccleſiæ ſub ipſo Conſtantino cœpit iterum ordo monaſticus tempore Pauli & Antonij reflореſcere in Aegypto & alibi, eorum induſtria & labore: propterea hi duo dicuntur monachorum inuentores tempore Apoſtolorum, ſiue poſt tempora legis antiquæ.

AD Secundum dicendum, quòd fit mentio Religionis Carmelitanæ ab Elia inſtitutæ in ſacra ſcriptura, in Sanctis Patribus, & in antiquis authoribus, vt oſtenſum eſt: nam in Euangelio fit mentio diſcipulorum S. Ioannis Baptiſtæ, & in Sanctis Patribus ac antiquis authoribus fit mentio Eſſenorum, qui omnes fuerunt alumni Religionis Carmelitanę, vt dictum eſt, & amplius dicetur. Conſtat autem aliquorum authoritate, quod Chriſtus Dominus ſæpe conſcendit montem Carmelum, & ibi viſitauit Religioſos Carmelitas, aliquando cum ſua Matre Sanctiſſima ſub tenera ætate, aliquando cum ſuis diſcipulis; Ita docet inter alios Martinus Italus in ſuis chronicis dicens; *Ad eos autem, qui ineunte tempore ſuperioribus ex Prophetis originem traxerunt, Sanctam Dei Genitricem cum in humanis ageret, ſicut matrem ad filios ſępe veniſſe legimus; Ad iſtiuſmodi etiam viros Chriſtum cum diſcipulis quibuſdam perueniſſe didicimus:* Et Antonius Medina in Itinerario Terrę Sanctę ait; *In hunc Sancti Carmeli montem ſæpe aſcendebat Chriſtus Ieſus ad plangēdum pro nobis.* Conſtat etiàm, quod ex religione Carmelitana ſiue ex diſcipulis S. Ioannis aſſumpſit S. Andream in Apoſtolum; Et credibile valde eſt, quod ex eadem religione plures aſſumpſerit in diſcipulos, non autem fuit conueniens, quòd Chriſtus Dominus omnes Apoſtolos & diſcipulos aſſumeret ex illis ſapientibus & doctiſſimis Carmelitanæ religionis alumnis, ne ſapientia & doctrina potiùs videretur conuertiſſe mundum, quàm diuina virtute; Et ideò ad illam diuinam virtutem oſtendendam *elegit infirma mundi, vt confunderet fortes; & elegit ſtulta mundi* (id eſt diſcipulos ſapientia & ſcientia humana non præditos, at vt plurimum piſcatores (*vt confunderet ſapientes*, ſicut docet Apoſtolus.

AD Tertium dicendum, quòd aſſignata ratio eſt optima. Vnde ad eius impugnationem dicendum, quod Eſſeni tam Palæſtini, quàm Alexandrini in principio Eccleſiæ fuerunt Iudei, ſed poſtea ad prædicationem Apoſtolorum conuerſi ſunt ad fidem Chriſti: De his loquitur S. Hieronymus; Et omnes fuerunt alumni religionis Carmelitanæ. Ad illud quod ſubditur, negatur in lege gratiæ clericatum eſſe priorem monachatu, vel clericos eſſe priores monachis; etiam ſi concederetur ſtatum religioſum & monachatū incepiſſe in lege gratiæ: nã, vt optimè dicit S. Vincentius Ferrerius, non fuerunt clerici vſque in diem cęnę; & tamen prius fuere religioſi, ſcilicet Apoſtoli, qui tria vota religionis emiſerũt.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO X.

De conuerſione Religionis Carmelitanæ ad fidem Chriſti, ac eius cooperatione in prædicando Euangelio.

SANCTVS S. Ioannes Baptiſta viam Domino præparauit in eremo, præſertim ſuis diſcipulis Carmelitis; Vnde non mirùm, quod ſtatim poſt aduentum Spiritus Sancti Religio Carmelitana fuerit conuerſa ad fidem Chriſti, & in eius prædicatione multum cooperata: Circa quæ quæruntur ſex.

¶ Primo, vtrum Religio Carmelitana fuerit in die Pentecoſtes ad fidem Chriſti conuerſa.

¶ Secundo, vtrum religio Carmelitana in prædicanda Chriſti fide fuerit Apoſtolorum coadiutrix fideliſſima.

¶ Tertio, vtrum Sanctus Andreas Apoſtolus Chriſti fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ Quarto, vtrum Sanctus Marcus Euangeliſta fuerit alumnus religionis Carmelitanę.

¶ Quinto, vtrum Religio Carmelitana ſemper magna fecerit pro gloria Dei, & bono Eccleſię.

¶ Sexto, vtrum Eſſeni Carmelitanæ religionis alumni, iam Chriſtiani continuauerint vſque ad tempora S. Antonij.

ARTICVLVS I.

Vtrum Religio Carmelitana fuerit in die Pentecoſtes ad fidem Chriſti conuerſa.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Religio Carmelitana non fuerit in die Pentecoſtes ad fidem Chriſti conuerſa. Ita tenent qui eius negant antiquitatem ac ſucceſſionem hęreditariam ab Elia propheta: Probatur; ſi Religio Carmelitana fuiſſet in die Pẽtecoſtes ad fidem Chriſti conuerſa, facta fuiſſet huius conuerſionis mentio in Actibus Apoſtolorum, vbi tam exactè ſinguli ſucceſſus illius diei deſcribuntur: ſed nulla fit ibi mentio huius conuerſionis; nam licet referantur tunc viri religioſi, non tamen erant veri religioſi, at viri pij & deuoti; nec dicitur illos fuiſſe conuerſos: Ergo Religio Carmelitana non fuit in die Pentecoſtes ad fidem Chriſti conuerſa.

¶ 2. Præterea: Vix alius loquitur de hac conuerſione religionis Carmelitanæ, quàm Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus; Et hic etiam videtur ad placitum finxiſſe quę circa hoc dicit, nempè quòd Carmelitę domum habuerint propè cœnaculum Apoſtolorum, & quòd accurrerint facto ſonitu vehementi Spiritus Sancti aduenientis; Et quòd S. Petrus Apoſtolus illos ſpecialiter eſt allocutus dum ait, *Vos eſtis filij Prophetarum*: quæ ſingula potiùs commentitia & fabuloſa quàm vera ſtatim apparent: Ergo ſine fundamento dicitur, quòd Religio Carmelitana fuerit in die Pentecoſtes ad fidem Chriſti conuerſa.

SED CONTRA eſt authoritas Summorum Pontificum, vniuerſalis traditio religionis ipſius Carmelitanæ, & & plurium Doctorum ſententia.

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Religio Carmelitana fuit in die Pentecoſtes ad fidem Chriſti conuerſa.

RESPONDEO dicendum, quòd etſi plures alumni noſtræ Religionis Carmelitanę fuerint tempore prædicationis Chriſti ad eius fidem conuerſi. 2. Ipſa tamen religio fuit tantùm plene conuerſa in die Pentecoſtes. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd S. Ioannes Baptiſta ſuos diſcipulos (quos probauimus fuiſſe Religioſos Carmelitas) ad fidem Chriſti ſuſcipiendam diſpoſuit; ſi enim alios omnes iuxta munus Præcurſoris Chriſto preparabat, vt conſtat eius dicto in prophetia Iſaiæ fundato, quo ait; *Ego vox clamantis in deſerto, parare viam Domini, rectas facite ſemitas eius &c.* Item, *Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorũ eius, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*: multò magis diſponebat ad fidem Chriſti diſcipulos domeſticos Carmelitas, vt præceptor ac Magiſter, de Meſſia non futuro, ſed præſenti non venturo ſed ſæpius adſtante; Vnde quadam die videns Ieſum venientem ad ſe dixit eis, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir qui ante me factus eſt, quia prior me erat, & ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans; quia vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum, ego neſciebam eum, ſed qui miſit me babtizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu Sancto, Et ego vidi & teſtimonium perhibui quia hic eſt filius Dei.* Alia die cum, videns Ieſum ambulantem dixiſſet; *Ecce Agnus Dei*: Audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum, quorum vnus erat Andreas frater Simonis Petri, qui perſuaſus à Ieſu de aduenlu Meſſiæ, cœpit ex tunc Apoſtoli munus exercere, nam fratrem ſuum conuertit, & adduxit ad Ieſum: Tandem cum ipſe Ioannes videret ſpiritu prophetico ſe morti proximum eſſe, voluit efficaciùs diſcipulorum ſuorum ſaluti prouidere; Vnde cum in vinculis conſtitutus, ipſiſmet ex communi voce & applauſu refeferentibus, audiſſet opera vtique mirabilia Chriſti, tunc opportunam nactus occaſionem conuerſionis ſuæ congregationis, imo & totius religionis Carmelitanæ ad Chriſtum electos duos ad ipsũ mittit diſcipulos; non vt ipſe veritatem adipiſceretur; iam enim voce ac viſione cœleſti confirmatus agnouerat eſſe Chriſtum, ſed vt illi Chriſtum audientes, & miracula Meſſiæ propria videntes ſuos condiſcipulos ad fidem Chriſti ſuſcipiendam maturè diſponerent. Dicimus igitur quòd Religio Carmelita ſic a S. Ioanne Baptiſta diſpoſita, fuit in die Pentecoſtes ad fidem Chriſti conuerſa.

Probatur prima pars concluſionis: Sanctus Andreas, eiuſque ſocius in Euangelio indicatus, quem aliqui faciunt S. Ioannem Euangeliſtam, alij verò vel S. Iacobum minorem vel S. Philippum Apoſtolum: Similitèr S. Marcus Euangeliſta, S. Enoch de Amathim, S. Agatus propheta, multique alij fuerunt alumni noſtræ Religionis Carmelitanæ, vt ſuis locis probamus: Sed hi tempore prædicationis Chriſti fuerunt ad eius fidem conuerſi, traduntur enim fuiſſe de numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum, quas ipſe Dominus deſignauit: Ergo plures alumni noſtrę Religionis Carmelitanæ fuerunt tempore prædicationis Chriſti ad eius fidem conuerſi.

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis: Diſcipuli S. Ioannis Baptiſtę noſtri Carmelitę, viſis prius tot Chriſti miraculis, ſuppoſita tam glorioſa ipſius confeſſione per S. Ioannem ipſorum principem, cuilibet eligendi & tranſeundi ad Chriſtum facultas dabatur: ſed ad totius religionis conuerſionem, ad fœlicem eius de Synagoga in

Eccle-

Eccleſiam tranſitum (cum eſſet res omnium grauiſsima quæ noſtræ religioni poterat contigere) manifeſtatio illius iuxta S. Ioannis prophetiam expectabatur, qui baptizaturus erat in Spiritu Sancto & igne; quod accidit in die Pentecoſtes, cum Spiritus Sanctus in forma ignis ſupra diſcipulos deſcendit, & cum Apoſtolis in nomine Chriſti baptizantibus idem Spiritus Sanctus viſibiliter in forma ignis ſuper baptizatos apparebat: Cum igitur S. Ioannes ſuis dixiſſet diſcipulis; *Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos ſpiritu Sancto & igne*, innuebat per hoc eis, quo tempore eſſent ipſi baptiſmo Chriſti baptizandi, vt ritè põderat noſter Ieroſolymitan. c.29. quia ſcilicet tunc Apoſtoli baptiſmum conferebant in nomine Ieſu Chriſti, & Spiritum Sanctum in ſpecie ignis viſibilis accipiebant illi, qui ab eis baptizabantur ſub inuocatione nominis Chriſti reſurrectionem & glorioſam eius in cœlos aſcenſionem factum non fuiſſe Sanctus Ioannes Euangeliſta clarè teſtatur dicens *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*. Habebat noſtra Religio Carmelitana Ieroſolymis conuentum, ſeu ſaltem hoſpitium, vbi religioſi decentèr & peramanter recipiebantur, cum in ipſam Regni Metropolim Ieruſalem accedebant iuxta præſcriptum legis maioribus anni ſolemnitatibus, preſertim Paſchæ, Pentecoſtes ac Scenopegiæ; quæ domus fuit vicina cœnaculo, vbi congregati erant diſcipuli, cum Spiritum Sanctum receperũt: Facta igitur voce ſeu ſonu aduenientis Spiritus vehementis, accurrerunt religioſi ad cœnaculum Apoſtolorum, & audientes ipſos loqui varijs linguis nationum vbi nati fuerant ex parentibus Iudeis illuc diſperſis ſub Imperatoribus Salmanazar & Nabuchodonoſor; ac ſimul addiſcentes ab Apoſtolis tunc adueniſſe Spiritum Sanctum in figura ignis, concluſerunt aduenisse tempus ſuæ conuerſionis ad Chriſtum, a quo baptizandi erant in Spiritu Sancto & igni. Vnde vnanimi conſenſu Religioſorum ac ſuperiorum Religionis, præſertim Prioris Montis Carmeli, qui tunc Ieroſolymis aderant decreuerunt fidem Chriſtianam eſſe admittendã in tota religione; quod decretum omnes religioſi poſtmodum acceptarunt. Hæc pars concluſionis ſic explicata probatur authoritate Summorum Pontificum, qui media ſacræ congregationis de Ritibus approbatione hanc doctrinam confirmarunt in officio, quod in die commemorationis ſolemnis Beatiſsimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo recitamus; Prima enim lectio ſecundi nocturni ſic habet; *Cum ſacra Pentecoſtes die Apoſtoli cælitus afflati varijs linguis loquerentur, & inuocato auguſtiſſimo Ieſu nomine mira multa patrarent viri plurimi qui veſtigijs Sanctorum Prophetarum Eliæ & Eliſæi inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti aduentum comparati fuerant, rerum veritate perſpecta atque probata euangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt*. Deinde probatur authoritate plurium Doctorũ, qui Carmelitas in Palæſtina conuerſos ab Apoſtolis fuiſſe docent, ac proinde circa dies Pentecoſtes, nam paulò poſt Apoſtoli per vniuerſum orbem ad prædicandum diſperſi ſunt: Trithemius Abbas libro de laudibus Carmelitarum c.2. iam ſupra citatus ſic ait; *A tempore ſiquidem Eliæ & Eliſæi prophetarum Dei vſque ad Chriſti natiuitatem plures montem Carmeli amore ſolitudinis incoluerunt, ſicut veterum hiſtorijs apertè demonſtratur; nam poſt paſſionem Domini prædicantibus fidem Apoſtolis, inter multos qui tunc conuertebantur etiam Carmeli montis eremitæ conuerſi ſunt, qui deinde creſcente numero fidelium in Carmeli montis latere in honorem Dei genitricis, & Virginis Mariæ capellam extruxerunt, vnde & vocabulum loci & Religionis recipere meruerunt; non mireris, ſi monachos etiam ante Chriſti natiuitatem in Iſrael fuiſſe dixerim, qui montem Carmeli & deſerta ſolitudinis inhabitarunt*: Sigebertus Gemblacenſis in Hiſtoria Hieroſolymitana ait; *Cum Carmelitę in ſancta pænitentia perſeueraſſent a tempore Sanctorum Eliæ & Eli-*

Digitized by Google

& Eliſai prophetarum, tandem Chriſtum prædicantem audierunt, qui religioſi fidem Catholicam *confitentes, in Chriſto baptizati ſunt, deinde perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum habentes gloriam ad omnem plebem &c.* Et Palæonidorus libro 1. cap. 2. ait; *Tempore prædicationis Apoſtolorum ſunt Carmelitæ conuerſi ad euangelicam perfectionem, atque humiles fidem in primordijs naſcentis Eccleſiæ conſtantiſſimè defenderunt, & prædicauerunt* De- niquè probatur authotitate noſtri Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani libro de Inſtitutione monachorum cap. 30. qui totam huius conuerſionis ſeriem exactè deſcribit; Cũque floruerit quarto Chriſti ſæculo, & viderit aliquos qui ad illud tempus multum acceſſerunt, habuit traditiouem puriorem, quæ enim a ducentis aut trecentis annis geſta deſcribuntur admodum certa reperiuntur, ac ſine contradictione recipiuntur, vt conſtat in Chronicis aliarum religionum ac omnibus hiſtorijs: Hæc autem inter alia plurima refert: *Religioſi Viri filij Prophetarum Eremitæ Montis Carmeli, & alij iuxta fluenta Iordanis, & in cæteris Eremis & ſuburbanis ciuitatum terræ promiſſionis habitantes, ne præcepta Regis tranſgrederentur, annis ſingulis in Hieruſalem venire conſueuerant, vt iuxta legis præceptum feſtiuitates peculiares Paſchę, Penteçoſtes, & Scenopagię illic celebrarent: & ob hoc quam maximè manſionem Religioſorum filiorum Prophetarum habebant in* Hieruſalem, *vt in dictis feſtiuitatibus conuenirent ad eam. Anno ergo in quo Chriſtus Ieſus aſcendit ad cælum, omnes prædicti Religioſi mox poſt eius aſcenſionem conuenerunt in Hieruſalem, vt ibi inſtans feſtum Pentecoſtes celebrarent. Habitabant autem tunc in Hieruſalem Apoſtoli Domini Noſtri Ieſu Chriſti propè manſionem dictorum Religioſorum; ſcilicet in cęnaculo grandi, & ſtrato in quo Chriſtus in die cœnæ fecit ſibi parari Paſcha, vbi Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, & corpus ſuum ſub ſpeciebus panis ſumendum diſcipulis tradidit, eoſque Sacerdotes ordinauit, quod cænaculum erat in monte Syon; in illius montis parte, quæ dicitur mello, vbi olim erat palatium, quod Rex Dauid ſibi conſtruxerat. Et ita prædicti Religioſi fuerunt habitationi Apoſtolorum tunc vicini: in die itaque Pentecoſtes, ſicut Beatus Lucas refert, factus fuit de cælo repente ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum illius Cænaculi, vbi erant Apoſtoli Chriſti, & diſcipuli ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Repleti ſunt autem omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui varijs linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Religioſi autem præfati in monte Syon non multum remotè à prædicto cænaculo (vt præmittitur) habitantes obſtupuerunt, audientes prædictum ſonum inſolitum reſonare in Cænaculo Apoſtolorum: Et ſcire cupientes quidnam hoc eſſet ad illud Cænaculum Apoſtolorum acceſſerunt: qui cum illinc perueniſſent, ſtupebant omnes & mirabantur; quoniam non ſolum illi ex Religioſis, qui in terram promiſſionis, ſed etiam omnes illi ex eis, qui extra dictam terram in diuerſis Regionibus fuerant nati, audiebant Apoſtolos linguis ſuarum Regionum loquentes & Deum magnificantes. Et propterea Religioſi magis ſtupebant ſcientes Apoſtolos Galilæos qui nunquam extiterant in eorum Regionibus, neque a quoquam homine docti fuerant, loqui eorum linguis ſeu idiomatibus . . . . multi ergo ex prædictis Religioſis videntes quod illi, quos Apoſtoli baptizabant in nomine Ieſu Chriſti recipiebant in ſpecie ignis viſibilis Spiritum Sanctum, recordati fuerunt adueniſſe tempus, de quo dux eorum B. Ioannes Baptiſta, Chriſtum prophetans, eis prædixerat; ille (ſcilicet Chriſtus) baptizabit vos in igne, & ſpiritu Sancto: quamobrem acceperunt ſermones Apoſtoli Petri, & baptizati ſunt ipſa die in Chriſto; recipientes in ſigno ignis viſibilis, Spiritum Sanctum.*

AD primum ergo dicendum, quòd ſi facta fuiſſet expreſſa mentio huius cõuerſionis in Actibus Apoſtolorum, eſſet de fide tenenda, quòd non aſſerimus; dicimus tamen ibidem indicari ſufficiẽter per hoc quod adducantur viri Reli-

 gioſi

gioſi, qui ſtrictè ac propriè ſumi debent iuxta regulam S. Auguſtini, quia in hac Sacræ Scripturæ intelligentia nullum eſt inconueniens; Et ita ſumunt Dionyſius Carthuſianus in hunc locum, & noſter Ieroſolymitanus cap. 30. id eſt pro hominibus ſæculo renuntiantibus per ordinis religioſi ingreſſum: Et colligitur euidenter conuerſos fuiſſe viſo tam manifeſto miraculo, quo Apoſtoli loquebantur varijs linguis.

AD Secundum dicendum, quod non ſolus Ioannes noſter Ieroſolymitanus, ſed plures alij de hac conuerſione locuti ſunt; Ita quod ſacra congregatio de Ritibus maturo & graui ſuo iudicio hanc vt legitimam admiſerit loco ſupra citato intelligentiam: Et licet ſolus Ioannes hoc dixiſſet, tam fundatè & aptè loquitur, vt conſtabit pio & ęquo lectori, quod eius authoritas ſufficeret pro tuenda huiuſmodi veritate. Nec attendendum eſt quibuſdam criticis, qui audaciùs impugnant omnia quę neſciunt.

ARTICVLVS II.

Vtrum Religio Carmelitana in prædicanda Chriſti fide fuerit Apoſtolorum coadiutrix fideliſſima.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quod religio Carmelitana in prædicanda Chriſti fide non fuerit Apoſtolorum coadiutrix fideliſsima. Ita tenent illi, qui Religionis Carmelitanæ originem ab Elia Sanctiſsimo Propheta negant. Probatur ex ſuppoſito huiuſmodi principio: Tempore Apoſtolorum non erat Religio Carmelitana: Ergo Religio Carmelitana in prędicāda Chriſti fide non fuit Apoſtolorum coadiutrix fideliſsima.

¶ 2. Præterea: Nullum eſt huius prædicationis Carmelitarum fundamētum; nec in Euangelio & Actibus Apoſtolorum, cum tamen res tanti momenti non fuiſſet à Sacris Scriptoribus prætermiſſa; nec in alijs Authoribus approbatis: Ergo Religio Carmelitana in prædicanda Chriſti fide non fuit Apoſtolorum coadiutrix fideliſsima.

¶ 3. Præterea: Si quid ſuaderet Religionem Carmelitanam in prædicanda Chriſti fide fuiſſe Apoſtolorum coadiutricem fideliſsimam, maximè citata authoritas cuiuſdam Ioſephi Antiocheni: ſed hæc authoritas non conuincit, quia citatus liber eius nullibi comparet, & à ſolis citatur Carmelitis, de quorum fide poteſt in hac parte dubitari: Ergo religio Carmelitana in prædicāda Chriſti fide non fuit Apoſtolorum coadiutrix fideliſsima.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & immemorialis traditio Ordinis noſtri, & authoritas plurium Doctorum tam externorum quam noſtratum.

CONCLVSIO.

Cum noſtra Religio Carmelitana fuerit ab initio Eccleſiæ ad Chriſti fidem conuerſa fuit in prædicanda eadem fide Apoſtolorum coadiutrix fideliſsima.

RESPONDEO dicendum, quod Religio Carmelitana in prædicanda Chriſti fide fuit Apoſtolorum coadiutrix fideliſsima. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex dictis religionem noſtram in principio Eccleſiæ floruiſſe in alumnis ſanctitate conſpicuis: nec dubium quin huiuſmodi virorum ſanctitas & pœnitentia conuerſioni tam Iudæorum quàm Gentilium fuerit plurimum cooperata: licet enim opus conuerſionis mundi ad fidem Chriſti ſit opus Spiritus Sancti, qui infirma primitùs Apoſtolorum elegit inſtrumenta; poſtea tamen conuerſis per ipſos Carmelitis tunc inter alios ſapientibus, doctiſsimis ac ſanctitatis opinione celeberrimis, operante cum tot talentis Sancti Spiritus virtute, magnum habuit incrementum: experientia quippè conſtat, quantùm in prædicatoribus Euangelij aſperitas vitæ & rigor habitus religioſi conferant ad perſuadendum auditoribus veritates

quas

Digitized by Google

quas prædicant, prædictis enim piam ſibi conciliant eorum affectionem; certũ eſt autem, quòd tunc Carmelitarum maxima fuit aſperitas vitæ & rigor habitus religioſi: Vnde ſemel probato, quod Religio Carmelitana in prędicanda Chriſti fide fuerit Apoſtolorum coadiutrix fideliſſima, ſequitur manifeſtè quòd plurimum cooperata fuerit hominum conuerſioni.

Probatur concluſio vniuerſali, ac immemoriali traditione Religionis noſtræ quę duo probat: primum quidem, id quod in concluſione aſſeritur: ſecundùm verò, quod inter ſeptuaginta Chriſti diſcipulos aliqui fuerunt in Ordine Carmelitano aſſumpti, vt S. Marcus Euangeliſta, S. Agabus, & S. Henoch de Amathim, de quibus alibi in hoc opere agimus: Vndè ſaltem medijs iſtis Religio Carmelitana in prædicanda Chriſti fide fuit Apoſtolorum coadiutrix fideliſſima.

Probatur ſecundò authoritate Doctorum externorum & antiquiſſimorum: quamuis autem plurimi poſſent adduci, quia tamen eorum authoritates alibi citantur, ne moleſtia lectori generetur ex illarum repetitione, tres tantùm hic adducimus. Primus eſt teſtis penè oculatus, qui floruit in primo Chriſti ſæculo, Ioſephus Antiochenus in ſpeculo perfectæ militiæ Eccleſiæ primitiuæ cap. 12 vbi ſic ait; *Perfectorum militum Chriſti, Apoſtolorum coadiutores ſurrexerunt ſtrenuiſſimi viri ſolitarij contemplationi dediti, Sanctorum prophetarum Eliæ & Eliſæi imitatores qui de Monte Carmelo deſcendẽtes per Galilæam, Samariam & Palæſtinam fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt, quique in Virginis Mariæ honorem in montis* Carmeli *decliuio fabricantes oratorium Saluatoris matri ſpecialiſſimè ſeruierunt*: Hactenus hic auctor cuius mẽtionem faciunt noſter Philippus Ribotti in ſpeculo Ordinis, quem legit, & ex eo prędictam deſumpſit authoritatem; Geſnerus, qui indicat ſe eum legiſſe, dum citans hunc eius librum ait, *Cætera non vidi*, id eſt eiuſdem opera; Poſſeuinus Ieſuita, & alij plures etiam ex hæreticis. Secundus eſt Luitprandus Epiſcopus in fragmentis, vbi ſic ait; *Magna pars eorum, qui diſperſi in perſecutione S. Stephani ad varias partes traiecerant & ad Hiſpaniam plurimi venerant, erat ex monachis Montis Carmeli, prędicationibus Chriſti & Apoſtolorum ad fidem conuerſi, in quibus Elpidius, & ſocij Pontifices a S. Iacobo creati, & poſt martyres effecti*: Idem poteſt dici de illis primis, qui in Galliam & aliæ Europæ regna venerunt. Tertius eſt Leander Abbas, qui docet ex Religione Carmelitana plures aſſumptos fuiſſe naſcentis Eccleſiæ Prelatos, qui tunc ex officio fidem Chriſti prædicauerunt: ait enim; *Innumeri penè Sancti Patriarchæ, Epiſcopi, Anachoritæ, & monachi primitiuæ Eccleſię veriſſimè dici poſſunt eſſe Carmelitanę Religionis, vnum enim patrem Eliam omnes, & viuendi finem tenuere.*

Probatur tertiò authoritate Doctorum Ordinis, quorum teſtimonium eſt plurimum venerabile, vt potè inſtructorum in eius traditionibus & monumentis, & maximè ſi fuerint ſanctitate, & ſcientia conſpicui, ſi enim domeſtici Scriptores excluderentur ab alijs religionibus & ab Eccleſia, poſſent omnia negari, negantes autem conuinci non poſſent. Primus eſt noſter Ioannes 44. Patriarcea Ieroſolymitanus, qui 4. Chriſti ſæculo floruit, Sanctorum Hieronymi & Auguſtini contemporaneus: Hic cap. 31. libri de Inſtitutione monachorum, loquens de alumnis religionis Carmelitanæ ſic ait diffusè. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, in communione fractionis panis, quotidie quoque perdurantes in orationibus vnanimiter in templo cum exultatione & ſimplicitate cordis collaudantes Deum; quibus omne ſpatium dici in ſtudioium exercitijs & eruditione ſacri Euangelij ducebatur: habebant quoque tractatus ſacrorum voluminum, leges Patrum in allegoricam intelligentiam deducentes; quoniam omnis lex vetus eis videbatur animali eſſe ſimilis, eo quod intrinſecè nihil niſi corpus habeat ip-*

Digitized by Google

litteram, & ea quæ ſecundùm alteram deſignatur; intrinſecè autem ſub littera tanquam anima lateat, cuiuſdam profundi diuinique myſterij ſenſus inuiſibilis & ſpiritualis, quem illi ab Apoſtolis edocti, ſublimius & nobilius velut per ſpeculum inſpicientes, & ex ipſis litteræ nominibus admirandas quaſdam ſpecies intelligentiæ concipientes, diuina & profundiore ſapientia ſacrorum voluminum, tanquam copioſis dapibus, imbuebantur: Denique eorum multi ea quæ ab Apoſtolis hauſerant, cæteris effundentes, fidem Christi per Phœniciam & Palæſtinam prædicabant, dilatantes dogma fidei, & moribus vitæ monaſticæ conuerſationem Eccleſiæ Dei inſigniſſimam demonſtrantes. Noſter Baptiſta Mantuanus libro 5. Parthenices Marianæ de religioſis Carmelitis in principio naſcẽtis Eccleſiæ canit.

Namque ipſi ſeſe, mox vt vulgata ſalutis
Fama fuit, Chriſti magnis iunxere miniſtris;
Fautores operis ſancti, ſocioſque laborum.

Prędictis annumerari debet Ioannes Bonifacius de Hiſtoria Virginis libro 2. cap. 1. vbi ſic ait: *Mirabiles quidam ſolitudinis amatores, Eliæ & Eliſæi veſtigia proſecuti rerum diuinarum attentiſſimæ meditationi ſe totos dediderut; ad quorum tamen aures cum Apoſtolorum prima de Chriſto mundi per crucem ſeruatore Euangelicæ voces perueniſſent, continuò veteri legi nuntium remittentes, ſeſe ad nouam tranſtulerunt; neque ſolùm ſe Apoſtolorum dociles auditores, ſed etiam adiutores præbuerunt; Et cum ex monte Carmelo deſcendeſſent &c.*

Probatur quartò ſequenti ratione: Ex vna parte iam probatum eſt, tunc extitiſſe noſtros Carmelitas religioſos, & fuiſſe ad fidem Chriſti conuerſos in die Pentecoſtes per Apoſtolos varijs linguis loquentes: Ex alia verò parte noſtri religioſi poſt primarium finem contemplationis, ſemper attenderunt animarum conuerſioni ac ſaluti, iuxta ſpiritum ordinis, in hoc ſuos fundatores Eliam & Eliſæum imitati: Ergo in illa naſcentis Eccleſiæ neceſſitate noſtra Religio Carmelitana in prædicanda Chriſti fide fuit Apoſtolorum coadiutrix fideliſſima.

AD primum ergo dicendum, quòd Religio Carmelitana erat tempore Apoſtolorum, & multis ſęculis eos præceſſit, vt iam probatum eſt.

AD Secundum dicendum, quòd tam in Euangelio quàm in Actibus Apoſtolorum eſt fundamentum huius prædicationis Carmelitarum: In Euangelio quidem, dum fit mentio diſcipulorum S. Ioannis Baptiſtæ, qui fuerunt Eſſeni, ac proinde Religioſi Carmelitæ iuxta ſuperiùs dicta; ex quibus plures fuerunt aſſumpti tam a Chriſto quàm ab Apoſtolis in diſcipulos, & hi prædicando Chriſti Euangelio attenderunt, & confratres ſuos Carmelitas ad fidem conuerterunt, & ad eius prædicationem excitarunt; In Actibus autem Apoſtolorum capite 11. & 21. fit mentio S. Agabi Prophetæ Ordinis Carmelitani, vt alibi dicitur: Quod etiam ſit fundamentum in alijs authoribus approbatis conſtat ex dictis.

AD Tertium dicendum, quòd hic liber Ioſephi Antiocheni aliquando fuit, quia citatur à multis authoribus tam domeſticis quàm extraneis; Domeſtici ſunt Thomas VValdenſis tom. 1. Doctrinalis fidei libro 4. ar. 2. cap. 27. Philippus Ribotti, Ioannes Palæonydorus & alij citati a Lezana tum tomo. 1. in apparatu cap. 6. tum tomo 2. in apparatu cap. 5. Extranei ſunt Aubertus Miręus libro de origine & incremento Ordinis Carmelitani cap. 7. vbi hæc habet; *Ioſeph Antiochenus vetuſtiſſimus Author ſcripſit librum prænotatum Speculum perfectæ militiæ Eccleſiæ primitiuæ, in quo multoties de hoc ordine tractat, atque inter alia docet Carmelitas coadiutores fuiſſe Apoſtolorum in diſſeminanda fide Chriſti*; Poſſeuinus in apparatu, Aſcenſus Badius, Siluester Marulus &c. Vtrum alicubi nunc reperiatur, non mihi conſtat; Et licet non reperiretur, non infirmat eius fidem, cum plures libri iniuria tempo-

rum

rum perierint, vt certum eſt: nec noſtra concluſio ſolùm in huius libri teſtimonio fundatur, cum alij quamplurimi hic citati idem doceant: Et noſter Ioannes 44. qui ſpecialiter illam docet, vidit antiquos Carmelitas accedentes ſatis ad illa tempora; & qui potuerunt audire alios huius prædicationis contemporaneos: Vnde nullus in hac parte poteſt eſſe dubij locus.

ARTICVLVS III.

Vtrum S. Andreas Apoſtolus Chriſti fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd S. Andreas Apoſtolus Chriſti non fuerit alumnus Religionis Carmelitanę. Ita tenent, qui huius Religionis antiquam ſucceſſionem negant: Probatur; Sanctus Andreas antequam vocaretur a Chriſto, erat piſcator, vt habetur ex Euangelio, nam actu piſcabatur in mari Galilææ cum Simone Petro fratre ſuo, dum vocatus fuit ab ipſo Chriſto, quod etiam confirmat dictum ipſius Chriſti vocantis, *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*: Ergo S. Andreas non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ, cuius alumni non vacabant piſcationi, at potiùs contemplationi & prædicationi; nam ſi fuiſſet alumnns huius religionis, hoc fuiſſet ante vocationem Chriſti.

¶ 2. Pręterea: Si quid ſuaderet S. Andream Apoſtolum Chriſti fuiſſe alumnum religionis Carmelitanę, maximè quia dicitur fuiſſe S. Ioannis Baptiſtæ diſcipulus: Sed hoc non ſuadet intentum; Tum quia diſcipuli S. Ioannis erant ſæculares, vt conſtat ex reprehenſionibus ipſis ab eo factis; Tum quia religio Carmelitana multo poſt incepit; Ergo S. Andreas Apoſtolus Chriſti non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Pręterea: Si Sanctus Audreas fuiſſet alumnus Religionis Carmelitanę fuiſſet ipſi per vota eſſentialia adſtrictus vt prætendunt Carmelitæ: Sed ex receſſu eius abſque vlla licentia manifeſtè colligitur eum non fuiſſe votis ligatum; nam quicquid acciderit de ſocio eius, ipſe tamen non amplius redijt ad ſocietatem S. Ioannis Baptiſtæ, ac diutiùs cum ſuo fratre manſit Bethſaidæ, donec à Chriſto vocaretur: Ergo S. Andreas Apoſtolus non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt vniuerſalis, & antiquiſſima traditio Ordinis noſtri, & communis ſententia omnium illorum, qui diſcipulos S. Ioannis Baptiſtę vocant Eſſenos, & hos faciunt alumnos Religionis Carmelitanæ, quam ab Elia deducunt.

CONCLVSIO.

Cum S. Andreas Apoſtolus fuerit Eſſenus S. Ioannis Baptiſtæ diſcipulus, fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendũ, quòd Sanctus Andreas Apoſtolus Chriſti, antequam ab ipſo Chriſto vocaretur, fuit alumnus Religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd S. Andreas fuit Galilæus natus Belhſaidæ ad mare Tiberiadis, frater maior natu S. Petri Apoſtoli, vt habetur ex Euangelio ac Sanctis Patribus, qui deuotionis cauſa factus eſt S. Ioannis Baptiſtæ in eremo ſolitudinis Hierichuntis ad ripas Iordanis diſcipulus, vtique ex domeſticis eius; diſcipuli namque Sancti Præcurſoris quidam erant ſolùm aduentitij & ſęculares, & alij domeſtici ac religioſi, vt manifeſtè habetur ex Euangelio ac docent Sancti Patres, & hos vocant Eſſenos, vt conſtat ex dictis ſupra in ſpeciali articulo.

Probatur concluſio non ſolùm vniuerſali & antiqua traditione ordinis noſtri, ac communi ſententia Doctorum

Carmelitarum, ſed etiam exterorum, qui diſcipulos conuiuales S. Ioannis Baptiſtæ vocant Eſſenos, & hos faciunt alumnos religionis Carmelitanæ: Vnde cum Sanctus Andreas Apoſtolus Chriſti fuerit vnus ex his S. Ioannnis diſcipulis, fuit etiam alumnus eiuſdem religionis.

Probatur ſecundò ſpeciali authoritate Dominici Grauinæ ex ſacro ordine Prædicatorum viri doctiſſimi ac pijſſimi qui libro de flore ſtatus religionis ſic ait: *O Carmelitæ Diſcalceati Angeli veloces, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum; Inſtitutum veſtrum de Elia, Ioanne Baptiſta, Andrea Apoſtolo, Marco Euangeliſta, & alijs meritò gloriatur.*

Probatur tertiò ſequenti ratione multum efficaci: Ex vna parte communiter Sancti Patres vocant diſcipulos, vtique domeſticos S. Ioannis Baptiſtæ Eſſenos, ipſumque vocant principem Eſſenorum, vt ſupra probatum eſt: Ex alia verò parte Eſſeni fuerunt alumni religionis Carmelitanæ; nam fuerunt ſucceſſores filiorum prophetarum, alumnorum religionis in Carmelo per Eliam fundatę, vt etiam ſupra probatum eſt: Sed Sanctus Andreas Apoſtolus Chriſti, antequam vocaretur ab ipſo Chriſto, fuit diſcipulus S. Ioannis Baptiſtę, vtique domeſticus; Quod fuerit eius diſcipulus, eſt de fide, nam dicitur cap. 1. Euangelij S. Ioannis quod quadam die S. Pręcurſor vidēs Ieſum ad ſe venientem & cum plures ad baptiſmum accederent, coram omnibus ex diuina reuelatione, ex apparitione Spiritus Sancti, ex voce Patris cœleſtis intonante, & ex cœli apertione ſuper Ieſum affirmauit ipſum eſſe Chriſtū ac Filium Dei; Et cum altera die iterum ſtaret Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, reſpiciens Ieſum ambulantem dixit; *Ecce Agnus Dei*, & audierunt eum diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum, erat autem Andreas Frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierant a Ioanne, & ſecuti fuerunt eum; Quòd autem S. Andreas fuerit diſcipulus domeſticus ipſius S. Ioannis, communiter docent Expoſitores, & ſuadetur ex hoc, quòd cum eſset maior natu S. Petri, cœlibem vitam ducebat, cum S. Petrus eſſet coniugatus minor natu, quòd debuit procedere ex profeſſione Religioſa S. Andreę, aliàs enim nec viri nec fœminæ minores natu ſolebant nubere in illa lege ante maiores ſuos: Ergo S. Andreas Apoſtolus Chriſti fuit alumnus religionis Carmelitanæ. Primum igitur chriſtianitatis ſemen cœpit in religione Carmelitana, tam ſecundum in S. Andrea quod ſtatim factus Chriſti pręco, & quodammodo Apoſtolus ante electionem, primò Petrum fratrem, deinde Philippum, poſtmodum alios plures ad Chriſtum adduxerit, præſertim ex religione Carmelitana.

AD Primum ergo dicendum, quòd S. Andreas fortè fuit piſcator in iuuentute, quales erant vt plurimum incolæ vrbis Bethſaidę, propter commoditatem maris adiacentis: Sed poſtquam factus fuit diſcipulus S. Ioannis, hanc vacationem reliquit, vt contemplationi, & pœnitentijs attenderet; donec ab illo recedens, & Chriſtum ſecutus ab illo perfectè fuit inſtructus, ſed ad tempus dimiſſus redijt in domum paternā, vt Petrū fratrem ſuum ad Chriſtum adduceret, cum quo manens aliquandiu vocationē Chriſti expectans, ad piſcationem rediit, vt congruum abſtinentiæ ſuæ cibū quęreret; ſupponitur enim quòd ab eſu carnium abſtinebat, hęc enim abſtinentia fuit hæreditaria ſēper in Religione Carmelitana ab eius prima inſtitutione vſq. ad mitigationem: nec mirum, ſi factus Religioſus iuit aliquando ad piſcationē, cum ipſe Petrus etiam religioſus poſtea piſcatus fuerit, vt conſtat ex Euangelio.

AD ſecundum dicendum, quòd quidem aduentitij diſcipuli S. Ioannis fuerunt ſæculares, vt probat ratio: Sed domeſtici eius diſcipuli fuerunt verè religioſi Eſſeni alumni Religionis Carmelitanæ, quæ cœpit ſub Elia Propheta.

AD Tertium dicendum, quod Sanctus Ioannes Baptiſta iuxta munus ſuū

Præ-

Præcurſoris, omnes ad Chriſti fidem preparabat; & præſertim ſuos diſcipulos, quos ad ipſum frequenter dirigebat, vt ipſum agnoſcerent Meſſiam in lege promiſſum, eique adhererent: Vnde S. Andreas non ſolùm habuit licentiam S. Ioannis, ſed etiam conſilium recedendi ab ipſius congregatione, cui votis eſſentialibus religionis adſtringebatur, vt Chriſti ſocietati adhæreret: Et ita S. Ioānis Magiſtri teſtimonio tam illuſtri de Chriſto conuictus, ſtatim ipſum ſecutus eſt, & tota illa die manens cum Chriſto, colloquijs eius fuit perfectè inſtructus; propterea firmiſſimè credens ipſum eſſe Meſſiam, cepit ex tunc ipſi per affectum adhærere, deinde poſt vocationem etiam ſequela & miniſterio fuit eius diſcipulus & Apoſtolus, ſeruato tamen erga S. Ioannem adhuc viuentem amore filiali & reuerentia diſcipuli.

ARTICVLVS IV.

Vtrum S. Marcus Euangeliſta fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD quartum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Marcus Euangeliſta non fuerit alumnus religionis Carmelitanæ: Ita tenent qui huius religionis antiquam ſucceſſionem ab Elia negant. Probatur: Apud nullum authorē probatæ fidei reperitur quod S. Marcus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ; nec ipſe Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus hoc affirmat, cum alias ſit exactiſſimus in recenſendis rebùs Carmelitarum: Ergo fruſtra dicitur, quòd Sanctus Marcus Euangeliſta fuerit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Preterea: Carmelitae nullum ſpecialem cultum S. Marco Euangeliſtæ exhibent ab alijs Chriſtianis: Ergo ſignum eſt, quòd non fuerit alumnus Religionis Carmelitanę.

¶ 3. Preterea: Si quid ſuaderet S. Marcum Euangeliſtam fuiſſe alumnū religionis Carmelitanæ, maximè quia fuit dux Eſſenorum Alexandrinorum: Sed hoc non ſuadet, quia quicquid illi agebant, erat deuotionis ſæcularis, & non Religioſæ profeſſionis, ait enim Sanctus Hieronymus circa hoc in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis loquens de relationibus Philonis, quòd *Quomodo Lucas narrat Ieroſolymæ credentes omnia habuiſſe communia, ſic & ille quod Alexandriæ ſub Marco fieri doctore cernebat, memorię tradidit*; hoc autem Sanctus Doctor attribuit toti Eccleſiæ Alexandrinæ, & nō alicui congregationi religioſæ, vt patet tum ex adductis verbis, tum ex immediatè pręmiſſis, dixerat enim; *Denique Philo diſertiſſimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Iudaizantem* (non enim ſtatim a principio cunctæ legis cæremoniæ fuerunt ablatę, ſed paulatim) *quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum conuerſatione ſcripſit*: Ergo S. Marcus Euangeliſta non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis & antiquę noſtræ religionis Carmelitanę, ac communis ſententia Doctorum ordinis exterorum.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Marcus Euangeliſta fuerit dux Eſſenorum Alexandrinorum, verè fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Marcus Euangeliſta fuit alumnus religionis Carmelitanæ. 2. & dux Eſſenorū Alexandrinorum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quòd Eſſeni diſtinguntur in Palęſtinos & Alexandrinos, de primis egit Ioſephus, de ſecundis Philo: Ex vtriſque proceſſerunt monachi primitiuæ Eccleſiæ, non ſolùm per imitationem, ſed etiam per hereditariam ſucceſſionem vt alibi dictum eſt, & docet euidenter S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium ſequenti diſcurſu, loquens de religioſis Cœno-

Digitized by Google

Cœnobitis primitiuę Eccleſiæ. *Prima apud eos conforderatio eſt obedire maioribus, & quicquid iuſſerint facere; diuiſi ſunt per decurias atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus preſit, & rurſùs decem præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat; maneant ſeparati, ſed iunctis cellulis. Vſq; ad horam nonam, vt inſtitutum eſt, nemo pergit ad alium exceptis his decanis quos diximus, vt ſi cogitationibus fortè quis fluctuat, illius conſoletur alloquÿs. Poſt horã nonam in commune concurritur, pſalmi reſonant, ſcripturæ recitantur ex more: & completis orationibus, cunctiſque reſidentibus, medius quem patrem vocant; incipit diſputare; quo loquente tantum ſilentium fit, vt nemo alium reſpicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu eſt audientium: Tacitæ voluuntur per ora lachrymę, & nec in ſingultus quidem erumpit dolor. Cum verò de Regno Chriſti, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annuntiare ventura, videas cunctos moderato ſuſpirio, & oculis ad cœlum leuatis intra ſe dicere; Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Poſt hęc conciliũ ſoluitur, & vnaquæque decuria cum ſuo parente pergit ad menſas, quibus per ſingulas hebdomadas viciſſim miniſtrant; nullus in cibo ſtrepitus eſt, nemo comedens loquitur. Viuitur pane, leguminibus & oleribus, quæ ſale ſolo condiuntur: vinum tãtum ſenes accipiunt, quibus & paruulis ſæpè fit prandium, vt aliorum feſſa ſuſtentetur ętas, aliorum non frangatur incipiens. Dehinc conſurgunt pariter, & hymno dicto ad præſepia redeunt, & ibi vſque ad veſperam cum ſuis vnuſquiſquè loquitur & dicit; Vidiſtis illum & illum, quanta in ipſo ſit gratia? quantum ſilentium? quàm moderatus inceſſus? ſi infirmum viderint, conſolantur; ſi in Dei amore feruentem, cohortantur ad ſtudium: Et quia nocte extra orationes publicas in ſuo cubili vnuſquiſque vigilat, circumeunt cellulas ſingulorum, & aure oppoſita quid faciant diligenter explorant: quem tardiorem deprehenderint, non increpant, ſed diſſimulato quod norunt, eum ſæpiùs viſitant, & priùs incipientes prouocant orare quàm cogunt. Opus diei ſtatutum eſt, quod Decano redditum fertur ad œconomum, qui & ipſe per ſingulos menſes Patri omnium cum magno tremore reddit rationem; a quo etiam cibi, cum facti fuerint prægustantur: Et quia non licet dicere cuiquam; Tunicam & ſagum, textaque iuncis ſtrata non habeo, ille ita vniuerſa moderatur, vt nemo quid poſtulet habeat. Si quis verò cœperit ægrotare, transfertur ad exedram laxiorem; & tanto ſenum miniſterio confouetur, vt nec delicias vrbium, nec matris quærat affectum. Dominicis diebus orationi tantùm & lectionibus vacant; quod quidem & omni tempore completis opuſculis faciunt: quotidie aliquid de ſcripturis dicitur. Ieiuniũ totius anni ęquale eſt, excepta quadrageſima, in qua ſola conceditur diſtrictius viuere: Ad Paſcha ad Pentecoſten cœnę mutantur in prandia, quo & traditioni Eccleſiaſticæ ſatisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato. Tales Philo & Platonici ſermonis imitator, tales Ioſeph Græcus Liuius in ſecunda Iudaicæ captiuitatis hiſtoria Eſſenos refert.* Hæc D. Hieronymus, quę demonſtrant monachos illos cęnobitas naſcentis Eccleſiæ fuiſſe Chriſtianos Eſſenos; quod amplius manifeſtabitnr, ſi hæc dicta a Hieronymo conferantur cum his quæ de Eſſenis docent Philo & Ioſephus.

Probatur prima pars concluſionis: traditionæ noſtræ Religionis, & authoritate Doctorum Carmelitarum, ſicut & exterorum, inter quos Dominicus Grauina ex ordine Prædicatorum in libro de flore ſtatus Religionis, iam articulo immediatè præcedente citatus, ſic ait: *O Carmelitæ Diſcalceati Angeli veloces, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, inſtitutum veſtrum de Elia, Ioanne Baptiſta, Andrea Apoſtolo, Marco Euangeliſtæ, & alÿs meritò gloriatur.* Deinde probatur authoritate Paleonydori libro 2. cap. 2. vbi ſic ait: *Itaque Marcus aſſumpto Enoch eremita montis Carmeli, cum Euangelio quod ipſe conſcripſerat perrexit in Aegiptum; vbi conſtructis monaſterÿs, & fratribus religioſè conſtitutis, Enoch ad Terram Sanctã*

poſt

Digitized by Google

poſt martyrium S. Marci reuerſus in monte Carmeli contemplationi, & orationibus vacans die ſeptima menſis Iulij diem clauſit extremum, ibique anno Domini ſexageſimo quarto a fratribus digno cum honore traditus eſt ſepulturæ. Sanctus hic Enoch cognominatur de Amathim, cuius quaſi Carmelitanæ religionis alumni mentionem facit Sixtus IV. in ſua bulla data anno 1577. quæ incipit, vt laudes, vbi ſic ait: *Nos igitur ordinem ipſum, illiuſque perſonas inter cæteros regularium ordinum profeſſores in Catholica Eccleſia militantes, tanquam Religionis exemplar* ſpeciali charitate fulgentes, ſanctorumque Prophetarum Eliæ & Eliſæi, & Enoch, *Necnon & aliorum Sanctorum Patrum, qui montem ſanctum Carmeli iuxta fontem Eliæ inhabitarunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes*: Dicitur hic S. Enoch fuiſſe numero ſeptimus Chriſti diſcipulus, qui cum alijs ad prædicandum Euangelium perrexit in Italiam, deinde S. Marco aſſociatus iuit Alexandriam Aegypti, vbi cum Eſſenis Chriſtianis Religionis Carmelitanæ alumnis aliquandiu ſanctiſſime vixit: Deinde a S. Marco Patriarcha Alexandriç factus eſt Nicopolis Aegypti Epiſcopus, vbi & fidem Chriſtianam & Religionem Carmelitanam valde promouit: Denique ſolitudinis priſtinæ deſiderio motus ad ſuũ redijt Carmelum. Hæc fusè de S. Enoch Carmelita retulimus, quia eius ſocietas cum S. Marco Euangeliſta confirmat ipſum etiam fuiſſe Carmelitanæ Religionis alumnum.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate S. Hieronymi præadducta, vbi mentionem faciens eorum quæ fiebant Alexandriæ in primitiua Eccleſia, vtique ab Eſſenis, vt ſtatim dicetur, aſſerit facta fuiſſe ſub Marco Doctore: Et conſequenter S. Marcus debuit eſſe dux Eſſenorum Alexandrinorum. Deinde Probatur authoritate S. Antonini par te 2. titulo 15. cap. 1. qui loquens de Eſſenis Alexandrinis, quos vocat Bucolinos, & dicens qualiter ſub S. Marco congregati ſunt, ſic ait: *Quos ſequti ſunt Bucolini, qui ſcilicet a Marco Euangeliſta conuerſi ad fidem, apud Alexandriã mox quaſi perfectionem perfectionis monaſticæ adepti, in cauernis & ſpeluncis centeni habitabant, orationibus & vigilijs ſimul incumbentes, de labore manuum victitantes.* Circa quæ Petrus Maturus eiuſdem S. Antonini Scholiaſtes hæc notat: *Bucolia, teſte D. Hieronymo in vita D. Hilarionis, Aegypti loca ſunt feritate & Barbarie maximè horrenda, a quibus Bucolinus fortè D. Antoninus (id enim nomen apud nullum alium authorem legi) nominat eos, qui D. Marco Inſtitutore & auctore vitam omninò religioſis noſtris ſimilem degebant, quos Iohetas Græci id eſt ſupplices, & Therapentas id eſt cultores vocabant, de quibus Hebræorum diſertiſſimus, Philo Iudæus, quaſi in laudem gentis ſuæ libros condidit teſte omni antiquitate.* Ex quibus conſtat, quòd ſancti illi Religioſi aliàs dicti Eſſeni, vocabantur Bucolini, quia huiuſmodi loca ſolitaria & horrenda, partim ſaltem incolebant; vel etiam fortè, quia S. Marcus cuius fuerunt diſcipuli, in loco dicto Bucolus ſiue Bucolis paſſus & ſepultus fuit, quem fideles diſcipuli amoris ac reuerentiæ tanti magiſtri cauſa frequentiùs viſitabant.

AD primum ergo dicendum, quod adducti Authores, ex quibus probauimus Sanctum Marcum Euangeliſtã fuiſſe ducem Eſſenorum, ac proinde alumnum Religionis Carmelitanæ, ſunt probatæ fidei, nec refert, quod Ioannes noſter 44. non faciat mentionem illius, non enim omnia dixit explicitè ac particulariter.

AD ſecundum dicendum, quòd competentem cultum tota Eccleſia S. Marco exhibet, ad hoc vt Carmelitana religio non exhibeat ei ſpecialem. Deinde cum ex Trithemio ſint innumeri Carmelitanæ Religionis ſancti, non poteſt ſingulis debitum exhibere cultum.

AD Tertium dicendum, quòd ibi S. Hieronymus loquitur de Alexandrina primitiua Eccleſia principaliter quoad præcipua eius membra, ſcilicet

Digitized by Google

Eſſenos: quòd autem hi fuerint verè religioſi, conſtat ex alia eiuſdem S. Hieronimi authoritate priùs adducta, & ex Philone tam in libro de vita contemplatiua, quàm in libro de viri probi libertate; de ipſis enim tum contemplatiuis tum practicis loquens, plurimos refert eorum obſeruantias, quæ ſunt regulares non ſæculares, ac omninò ſimiles pluribus earum, quas antiqui Eſſeni & filij prophetarum olim ſub lege obſeruabant: De ipſis enim ſcribit, quòd extra mœnia degunt in hortis ac villis ſolitarijs amantes ſolitudinem; ſubdit tamen eorum domicilia non eſſe longè ab inuicem remota, quia ſocietatem diligunt, vt ſibi poſſint inuicem ſuccurrere; Vnde ſeptima quoque die in commune Semneum (ſiue Seunion & Sennion, quod eſt locus orationis, apud filios Prophetarum olim tempore legis vſitatum) Et poſt ſeptem hebdomadas in cœtum communem conuenire dicit ad feſta celebranda, conuiuia ſolemnia, & ſacra peruigilia habenda; dicit omnibus vnum eſſe promptuarium, vnde veſtibus & menſa communis ſumitur; quicquid enim lucrantur a quotidianis operæ mercedibus, non ſibi quiſque ſeruat, ſed conferendo cuique volenti fruendi poteſtatem faciunt, in medium paratum habentes è publico infirmitati ſubſidium.

ARTICVLVS V.

Vtrum Religio Carmelitana ſemper magna fecerit pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ.

AD Quintum ſic proceditur. Videtur quòd religio Carmelitana non fecerit magna pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ. Probatur: Nullus ex exteris authoribus ſcribit Carmelitas magna feciſſe pro gloria Dei & bono Eccleſiæ, nec in communi, nec in particulari: Ergo ſignum eſt, quod religio Carmelitana non fecerit magna pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ; nam ſi talia feciſſet, non defuiſſent hiſtorici fideles.

¶ 2. Preterea: Nec ipſi Carmelitæ ſcribunt, ſaltem in particulari, ſe magna feciſſe pro gloria Dei, & bono Eccleſię, cum plures alij religioſi in ſcribendis ſimilibus ad honorem ſuarum religionum libros compleuerint: Sed ſi Religio Carmelitana feciſſet magna pro gloria Dei, & bono Eccleſię, ſaltem ipſi Carmelitæ hæc ſcripſiſſent; aliàs nimiæ negligentię damnandi forent: Ergo religio Carmelitana non fecit magna pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ.

¶ 3. Præterea: Ex his, quæ dicantur feciſſe Carmelitę pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ, multa ſibi attribuunt alij religioſi, vt inductione plurium poſſet probari, & ita ſunt incerta: Ergo ſine fundamento dicitur, quòd religio Carmelitana fecerit magna pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ.

SED CONTRA eſt authoritas Annalium Carmelitarum, & veridica plurium authorum relatio, tàm ordinis Carmelitani quàm exterorum.

CONCLVSIO.

Religio Carmelitana ſemper magna fecit pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ.

RESPONDEO dicendum, quòd religio Carmelitana ſemper fecit magna pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ, tum in Concilijs. 2. tum in conuerſione Gētium. 3. tum in legationibus publicis. 4. tum in reformatione aliarum religionū. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod in præſenti ſolùm loquimur de magnis quæ communem applauſum & admirationem præ ſe ferunt, & non de alijs ordinarijs quæ ſuccedunt quotidie, & quorum non eſt numerus: ſi namque ſigillatim cuncta forent referenda, quę in noſtris conuentibus, aut in reſidentijs noſtrarum miſſionum in obſequium Dei & Eccleſiæ fiunt, vix numerari poſſent; cum pręcipua ſolùm pluſquam decem

tomos

Digitized by Google

tomos Annalium impleant, & ego in meo Itinerario Orientali de fructu noſtrarum miſſionum librum octauum edidi: Claritatis autem gratia refero dicenda ad aſſignanda quatuor capita.

1 Probatur prima pars concluſionis: In antiqua lege Sanctus Elias Patriarcha noſtrę religionis Carmelitanæ iuſſu Domini congregauit populum Iſrael in Monte Carmelo, quæ congregatio fuit per modum Concilij generalis, agendũ enim erat de vero Dei cultu & religione Catholica: In qua noſter Elias vt Concilij Præſes miraculoſum propoſuit modum diſcernendi veram religionem a falſa, & miraculi ſucceſſu eam ſtabiliuit, damnata idololatria, & punitis morte per ipſius ſententiam principalioribus idololatris: Non dubium, qu in toto tempore Synagogæ, Eliſæus noſter poſt raptum S. P. N. Eliæ, ſucceſſores fili prophetarum, Prophetę extraordinarij, *Eſſeni* & Aſſidæi ad congregationes de rebus fidei vocarentur, cum eſſent præcipuè tum doctrina tum Sanctitate, vt expreſſum habetur in libris Machabęorũ de Aſſidæis, qui propter fidem occiſi fuerunt; omnes iſti autem fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ. In primo Eccleſiæ generali Concilio Ieroſolymis congregato, cui Sanctus Petrus pręſidebat, ſupponitur vt certum aſtitiſſe plures ex Chriſti diſcipulis primarijs ſeptuaginta duobus ex Carmelo aſſumpti, inter quos numeramus S. Marcum Euangeliſtam, Agabum Prophetam, & Enoch de Amathim. In primò Concilio Niceno inter alios fuit noſter S. Spiridion Trimituntis vrbis Cypis Epiſcopus, qui Philoſophum Ethnicum aſſiſtentem, inſultantem alijs ſua virtute ad fidem Chriſti conuertit, in hoc Concilio damnatus fuit Arius. Interfuit Liddenſi ſeu Dioſpolenſi Concilio noſter Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus, quod dicitur etiam communius Palæſtinum & in ipſo damnatus fuit Pelagius, cuius dolo deceptus ipſe Ioannes adhæſerat ei, quia rectè fidei videbatur; ſed eum poſtea damnauit, vt affirmat Sanctus Auguſtinus epiſt. Iob. eum dicens, *Pelagium non ſentire idem quod vos, qui Catholicā regula ſapitis*. In Concilio Conſtantinopolitano plures interfuere religonis Carmelitanæ Pręſules, tunc ſanctitate & doctrina conſpicui, in quo damnatus fuit Eutiches & Macedonius: In illo hęc habetur ſubſcriptio; *Euſebius Præsbyter & Archimandrita monaſterij* Eliæ *ſubſcripſi in depoſitione* Eutichis. In alio Concilio Conſtantinopolitano duo ex noſtris inueniuntur ſubſcripti. Primò quidem ſic, *Silas præsbyter & prior monaſterij Eliæ rogatus ſubſcripſi*; Actione verò 5. fortè ob mortem præcedentis habetur ſic, *Babulas præsbyter & Archimandrita monaſterij nominati ſanctæ memoriæ Elię ſubſcripſi*: Hoc monaſterium dicunt Authores fuiſſe in monte Carmelo. In Concilio Epheſino, in quo damnatus fuit Neſtorius, Præſes fuit loco Cœleſtini 1. Summi Pontificis S. N. Cyrillus Alexandrinus, vbi & ſua authoritate & ſcriptis demonſtrauit Virginem Mariam eſſe verè Dei Genitricem. In Concilio Chalcedonenſi, in quo damnati fuerunt Eutiches iterum & Dioſcorus, interfuit Generalis noſtræ Religionis Carmelitanę; in actibus enim ipſius dicitur, quod inter alios Patres aderat *Eliotarum Archimandrita*; ſiue vt interpretantur non ſolùm domeſtici, ſed etiam externi Doctores; & inter eos maximè Baſilius Sanctotus in ſuo prato ſpirituali parte 2. lib. 5. c. 2. *Eorum qui Eliæ progenies erant, Archimandrita, ſic enim generalis ſuperior a Græcis vocabatur*: Tunc autem alumni Religionis Carmelitanę cœperunt vocari Eliolę, cum facta diuiſione ſtatus religioſi in plures Religiones per nouos fundatores ab ipſis denominatas, noſtra Carmelitana quaſi radix aliarum firma manſit ſub Patriarchatu Eliæ fundatoris in Carmelo & alibi, cuius tunc nomenclaturam aſſumpſit, vt ab alijs diſtincta dignoſceretur: in huius Concilij ſeſſione *C*. dicitur, quod Patres ſuſcipientes epiſtolas Synodicas Beatiſſimi Cyrilli Alexandrinę Eccleſię Præſulis decreuerunt Chriſtum ex Maria Virgine Dei-

para ſecundùm humanitatem, in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiuiſè, inſeparabiliter agnoſcendum, non in duas perſonas partitum atque diuiſû. In ſecundo Concilio Niceno celebrato anno 787. item duo ex noſtris ita ſubſcripſerunt; *Nicetas Hegumenus Sancti Eliæ. Theophitarcus Hegumenus Sancti Eliæ*. In Concilio Claramontano ſub Vrbano II. noſter Petrus eremita perſuaſit belli ſacri expeditionem contra Saracenos in Terra Sancta. In Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. fuit S. Simon Stoch tunc Generalis noſtræ Religionis Carmelitanę, vbi ad bonum totius Eccleſiæ publicam habuit orationem. Et ita ſi percurramus alia Concilia generalia, ſemper in ſingulis aliquos inueniemus alumnos noſtrę Religionis Carmelitanæ ſanctitate & doctrina claros interfuiſſe.

Probatur ſecunda pars concluſionis inductione generali. Noſter Elias Patriarcha ſub Achab rege Iudæos idololatras miraculo inſigni conuertit ad veram fidem: Et ſub Antichriſto in fine mundi reliquias eorum conuertet ad Chriſtum. Eius diſcipulus S. Eliſæus cũuerſos Iudæos in vera fide conſeruans ab idololatria præſeruauit. Alius eius diſcipulus Ionas Aſsyrios Niniuitas ad pœnitentiam reducens ab imminenti perditione liberauit. Similes fructus alumni Religionis Carmelitarum produxerunt in infidelium conuerſione ſub antiqua lege. Sub initio legis Gratiæ S.Ioannes Baptiſta Præcurſor Chriſti, veniens in ſpiritu & virtute Elię præparauit corda Iudęorum ad lucem Euangelij. S. Marcus Religionis Carmelitanæ alumnus Euangeliorum vnum ſcripſit. Prædicauit S.Andreas Apoſtolus, & plures ex ſeptuaginta diſcipulis Chriſti; ac ex diſcipulis Apoſtolorum ex noſtra Religione aſſumpti, inter quos Sanctus Elpidius in Hiſpania ex Luitprando, & alij in Gallia. Palladius eiuſdem religionis filius Scotos & Hibernos ad fidem Chriſti conuertit. S. Cirillus noſter Conſtantinopolitanus a S. Baſilio monitus perrexit in Armeniam, quem ad fidem Chriſti reduxit. Noſtri Diſcalceati primi omnium regna Congo in Aphrica penetrantes quàm plurimos ad Chriſti fidem conuerterunt, ſicut & gentem chriſtianorum S.Ioannis in Arabia fœlici multorum millium animarũ. Cnm ſimili fructu nunc laborans conuerſioni Græcorũ, Armenorum & Iacobitarum Aleppi, conuerſis eorum Patriarchis: Patriarcha etiam Neſtorianonorum noſtros ad ſuæ gentis conuerſionem aduocauit. Plura in hoc genere ſimilia hic omitto poſtmodum referenda.

Probatur tertia pars concluſionis etiã inductione generali. Noſter Elias fuit a Deo miſſus ad Regem Achab non ſemel, Eliſæus ad Benadab Regem Syriæ in ciuitatem Damaſci, Ionas ad Aſsyriorum monarcham in Niniuem ciuitatem grandem, Ioannes Baptiſta ad Herodem. Petrus Eremità miſſus fuit Legatus ad Imperatorem Orientis pro bello ſacro, S. Brocardus ad Principes Saracenorum pro bono Terræ Sanctæ, Sanctus Cyrillus Conſtantinopolitanus ad Summum Pontificem a Michaële Paleologo Imperatore, & a Sultano Ichonij per ipſum conuerſo. S. Petrus Thomas à Summo Pontifice pro bello ſacro cum Rege Cypri ad varias legationes; Thomas Vualdenſis a Rege Angliæ ad aliquos Principes, Paulus Simon a Ieſu Maria a Clemente VIII. ad Regem Perſidis apud quem ideò vocamur nuncij Pontificis Romani, V. P. Dominicus a Ieſu Maria tam a Paulo V. pro bello Germaniæ, quàm ab Vrbano VIII. pro pace Italię ad Imperatorem Ferdinandum II. Hæc, alijs vltrò dimiſſis, indicaſſe peritis hiſtoriæ ſufficiet.

Probatur quarta pars concluſionis etiam inductione, ſed in breui noſtra Diſcalceatorum Religione. V. P. N. Petrus à Matre Dei trium Summorum Pontificum concionator Apoſtolicus, quo vix ſanctior Romæ teſte Baronio reperiebatur, fuit a Clemente VIII. cõſtitutus Commiſſarius Apoſtolicus Diſcalceatorum S.Auguſtini. Sicut & noſter

ſter Ferdinandus a S. Maria cuiuſdam congregationis S. Franciſci a Paulo V. noſter Dominicus a Ieſu Maria multum concurrit ad inſtitutionem congregationis Patrum de Scholis pijs, quibus maximè dilectus æmulos eorum ſolebat vocare maledictos. Noſter Agathangelus à Ieſu Maria cum P. Aloyſio a S. Ioſepho miſſus fuit ab Vrbano VIII. ad maiorem Camaldulam, vbi diutiùs ad illorum Patrum ędificationem laborauit. Noſter Paulus Simon à Ieſu Maria ab eodem Vrbano VIII. præpoſitus fuit reformatis Patribus Sanctiſſimæ Trinitatis. Noſter Gregorius Nazianzenus cũ alijs diu commoratus eſt in quibuſdam conuentibus Galliæ reformationis nouę Ordinis S. Benedicti. Noſter Laurentius a S. Elia miſſus ab Innocentio X. cũ ſocijs vacauit reformationi Patrum montis Virginis. Et noſter Hiacinthus a Sancto Vincentio electus fuit priùs ab Alexandro Commiſſarius Apoſtolicus miſſionis chriſtianorum S. Thomæ in Indijs Orientalibus, vbi exiſtens cõſtituitur Viſitator Apoſtolicus omnium miſſionum Aſiæ; ſed honorificum ſupra modum hoc officium morte pręuentus exequi non potuit, & ſolum deſeruit ad condecorandum eius tumulum. Noſter Cæleſtinus Polonus nuper ex mandato Sacræ Congregationis de Propaganda fide deſtinatus eſt ad Ruthenos S. Baſilij religioſos ad inſtantiſſimè petentes ad ſuam reformationem.

AD primum ergò dicendum, quòd etiam externi authores ſcripſerunt de rebus geſtis noſtræ religionis Carmelitanæ, qui paſſim in hoc opere citati ſunt: Et ex profeſſo Trithemius Abbas, & Carthagena, de Diſcalceatorum noſtrorum miſsionibus in Oriente ſcripſit etiã honorificè quaſi teſtis oculatus Petrus a Valle nobilis Romanus, P. Grauina &c.

AD Secundum dicendum, quòd antiqui Carmelitæ noſtri potiùs attendebant heroicis operibus pro gloria Dei, & bono Eccleſiæ, quam ſcribendis eorum relationibus; proprerea perierunt multa religionis noſtræ monumenta: Vtrum autem vel nimiæ modeſtię, vel negligentiæ potius damnandi ſint, iudicet lector; melius tamen eſt ſic damnari quam de nimia vanitate, quam aliqui in mendacibus, aut nimium exaggeratiuis relationibus ſuarum rerum profitentur, vnde multoties publicam patiuntur confuſionem; plura mihi forent in hac parte dicenda, ſed nihil in particulari dicã, ne lædam quemquam, ſolùm dicam in communi, quòd anno præterito duos reperi mercatores Gallos, qui ex Perſide redeuntes mira de ſimilibus impoſturis iã omnibus notis dicebant: Vnus retulit quod cum ex Europa relationes impreſſas de rebus Perſidis accepiſſet, videns earum infidelitatem, acceſſit cum alijs ad eum, qui ſcriptor ipſarum ex Perſide nominabatur, dixitque ei; *Vel hoc ſcripſiſti, vel non; ſi ſcripſiſti, falſum ſcripſiſti, ſumus in loco, & omnes ſcimus non ita eſſe quæ ſcripſiſti; ſi non ſcripſiſti, tui ſunt impoſtores, qui te talia ſcripſiſſe iactant*: Alius mihi retulit, quòd cum mercatores Angli & BatBatavi conquererentur de illo, quòd ſimilia ſcriberet, ipſe reſpondebat facere, vt ſimiles querimonias reſcinderet, quæ in dedecus veritatis Catholicæ vertebantur; *Bibamus nos, & ſinamus illum ſcribere quod voluerit*. Quãuis autem noſtri ſint admodum ſobrij in ſcribendis ſuis rebus; ſcripſerunt tamen ex parte tum in Annalibus ſeu Chronicis, tum alibi.

AD Tertium dicendum, quòd non deſunt qui ſimili mòdo, furandi res alienas, ſeipſos aliorum ſpolijs ditare volunt; quod furtum in aliquibus miror, qui proprijs diuites ſatis eſſe poſſent: Tandem veritas apparet, & ſimiles fures cum rubore tenentur aliena reſtituere etiam cum detrimento propriorum. Vnicum refero in confuſo: quidam ſibi ſuiſque attribuit cuncta mira miſſionis Syriacæ, & inter alia quòd Dominum Andream Patriarcham Iacobitarum inſignem nunc miſsionarium, ad fidem Catholicam conuerterint: Et ego habeo authenticum eiuſdem Illuſtriſſimi Domini

Digitized by Google

mini ſcriptum, quò ſolemnitèr declarat tres tantùm concurriſſe ad ſuam ipſius conuerſionem, qui ſunt noſtri Carmelitæ, nempè Ioanem Stephanum Piſanum, Paulum Batauum, & Brunonem Gallum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Eſseni, Carmelitanæ Religionis alumni, iam Chriſtiani continuauerint vſque ad tempora Sancti Antonij.

AD Sextum ſic proceditur: Videtur quòd Eſſeni, Carmelitanæ Religionis alumni, iam Chriſtiani non continuauerint vſque ad tempora Sancti Antonij. Probatur: Sicut S. Paulus dicitur author Eremitarum ab Eccleſia, vt habetur in eius lectionibus, ſic S. Antonius dicitur author cœnobitarum ſub Conſtantino magno: Ergo vel non fuerunt ante ipſum Eſſeni cœnobitæ chriſtiani, vel non continuauerunt vſque ad eius tempora.

¶ 2. Præterea: S. Hieronymus in vita S. Hilarionis ait, quòd quod *ante ipſum S. Hilarionem in Palæſtina non erant monaſteria, & in Syria non videbantur monachi; nec ante S. Antonium leguntur monachi in Aegypto*, Vnde ipſemet S. Hieronymus epiſtola ad Paulinum ait: *Nos autem* (ſcilicet monachi) *habeamus propoſiti noſtri principes Paulos, Antonios &c.* Ergo vel non fuerunt ante S. Antonium Eſſeni cœnobitę Chriſtiani, vel non continuauerunt vſque ad eius tempora.

¶ 3. Præterea: Tempore perſecutionum aduerſus Eccleſiam ſub ethnicis Imperatoribus, vel extincti tormentis, vel diſſipati leguntur omnes monachi, præſertim ſæuiente crudeliſſima Diocletiani & Maximiani tyrannide, vt traditur in Eccleſiaſticis hiſtorijs: Ergo Eſſeni Chriſtiani, qui erant monachi primitiuę Eccleſiæ, & dicuntur alumni religionis Crmelitanæ, non continuauerunt vſque ad tempora Sancti Antonij.

SED CONTRA eſt authoritas hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; communis ſententia Doctornm, maximè Religionis Carmelitanæ.

CONCLVSIO.

Eſſeni, Carmelitanæ Religionis alumni, iam Chriſtiani continuauerunt vſque ad tempora Sancti Antonij.

RESPONDEO dicendũ, quod Eſſeni, Carmelitanæ Religionis alumni, iam Chriſtiani continuauerunt vſque ad tempora S. Antonij. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, præſens dubium eſſe penitùs neceſſarium ad ſtabiliendam ſucceſſionem continuatam noſtræ Religionis Carmelitanæ ab initio ſuæ fundationis ad noſtra vſque tempora, quòd eſt huius operis intentum principale: Iam ſupra oſtenſum eſt, noſtram religionem Carmelitanam ab Elia fundatam, continuaſſe toto tempore legis antiquæ, & tranſiſſe ad legem gratiæ ſub Eſſenis ſucceſſoribus filiorum prophetarum, quos probauimus conuerſos fuiſſe ad fidem Chriſtianam in die ipſo Pentecoſtes, quo Spiritus Sanctus deſcendit viſibiliter ſuper Apoſtolos; nunc intendimus ipſam continuare tribus primis Eccleſiæ ſæculis, vſque ad tempora S. Antonij, in iiſdem Eſſenis, ſub quo cœpit ordo monaſticus præuijs perſecutionibus plurimùm vexatus & mortificatus iterum reuiuiſcere ac pullulare, vt ait Sanctus Odilo: Vnde continuationem eius per dicta tria ſæcula Eccleſiæ primitiuæ ſigillatim Sanctorum Patrum & illuſtrium Authorum illius etiam temporis, authoritatibus firmis demonſtrabimus ordine debito.

Probatur concluſio authoritate Sancti Dionyſij contemporanei Chriſti Domini, qui deliquium ſolis in eius morte vidit, & exclamaſſe dicitur, *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſoluetur*, quippè conuerſus eſt ab Apoſtolo

Digitized by Google

ſtolo S. Paulo: Hic Sanctus Pater in primo Christi ſeculo tres epiſtolas ad Eſſenos monachos tunc florentes dedit; Et capite 6. de Eccleſiaſtica Hierarchia ſic de illis ait; *Perficiendorum autem omnium altior ordo, monachorum eſt ſacra diſpoſitio, omni quidem mundata purgatione, vniuerſalique virtute, & perfectiſſima propriarum actionum caſtitate*: Et infra ſubdit in eo commendationē ipſorum; *Inde diuini duces noſtri nominationibus eos ſacris dignati ſunt, Alij quidem Therapeutas, alij autem monachos, ipſos nominantes, ex Dei puro miniſterio & famulatu, & non partita & ſingulari vita, tanquam vnificante eos inſeparabilium ſacris complicationibus in Deiformem vnitatem, & amicam Deo conſummationem*. Legitur hoc primo Christi ſæculo fundatum in Anglia monaſterium a S. Ioſeph ab Arimathia: Vide Lezanam tomo 3. Annalium pag. 152.

Secundo ſæculo multiplicem habemus Eſſenorum Carmelitarum memoriam. Anno Domini 140. ſic ſcribit Balbinus in ſua epiſtola ad Antoninum Imperatorem de religioſis Carmelitis: *O Antonine, inter memorabilia in hac regione mons eſt Carmelus, in quo & vetus religio, & ſanctitas ab Elia antiqua eſt*, Elias illic *ſacrificia ſemper Deo offerebat, apparent etiam & nunc veſtigia de ara ſacrificiorum*: Ad eundem annum Genebrardus loquens de Sancto Teleſphoro Papa ſic ait: *Quoniam fuit Anachoreta, apparet in prima Eccleſia aliquos huius Sācti inſtituti fuiſſe ſectatores, aduerſus eos qui monaſtices auctorem Diuum Antoniū ſub Conſtantino magno faciunt; hoc enim etiam tempore multi eremum incolebant metu perſecutionum, & multò ante Dionyſius Areopagita tres epiſtolas ad monachos dedit, &c.* Anno Domini 150. Beda in ſuo martyrologio ad diem 14. Aprilis ait de S. Frontonio; *Pater ſeptuaginta fermè monachorum*: Et in Martyrologio Romano habetur; *Alexandriæ S. Frontonis Abbatis, cuius vita ſanctitate & miraculis claruit in vitis Patrum*. Ad annum Christi 188. ſic ait Baronius; *Eugenia in Chriſtum credens, nuptias aucrſita, vna cum fidelibus Protho & Hiacyntho ſecedēs, virili habitu delituit inter monachos, quos Eſſenos à Philone dictos eſſe ſuperiùs demonſtrauimus, hac omnia perficiente Sancto Heleno Epiſcopo Heliopoleos*; De Sancta Eugenia quidam ait apud Lezanam.

Poſthabet hæc Chriſto ſponſum, patriamque, domumque
Audens Carmelo credere colla iugo:
Ementita viri ſpeciem ſua nomina mutat,
Inter & Eliades emicat Eugenia.

Anno Domini 190. florebat Sanctus Serapion, de quo Trithemius libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ait; *Serapion ex Anachoreta Eccleſiæ Antiochenæ octauus Epiſcopus*; Et Palæonydorus ait; *Circa aunum Domini 190. clarus effulſit Serapion ille ſanctiſſimus ex eremita & anachoreta Carmeliticæ religionis octauus Epiſcopus Antiochiæ.*

Tertio ſeculo floruit ſtatim in principio Sanctus Spiridion, quem Rufinus libro 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticę cap. 5 nuncupat ordinis Prophetarum. Hoc eodem ſæculo ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus floruernnt Sanctus Iulianus & Sancta Baſiliſſa, de quibus Beda in Martyrologio ad diem nonam Ianuarij ſic ait: *Apud Antiochiam S. Iuliani martyris & Baſiliſſæ coniugis; Hi itaque ſanctiſſimo voto caſti coniuges aliquot annis pariter vixerunt, carnem ſuam virginem Chriſto ſeruantes, & monaſteria de rebus ſuis inſtituerunt, vt ad decem millia monachorum Pater Iulianus fieret, Baſiliſſa verò multarum Virginum mater quarum multitudinem cum iam victricem præmiſiſſet ad Dominum, ipſa conuerſatione vitæ probatiſſima inter verba orationis migrauit ad Dominum; Iulianus verò poſtmodum a Marciano Præſide per innumerabilia tormenta & cruciatus ad vltimum feriri iuſſus eſt*: Eyſengrenius de his & alijs in centenario primo contra Magdaburgenſes hunc habet titulū; *De monachis Carmelitis tempore martyrum*. Hoc etiam ſeculo alij referuntur Eſſeni monachi: In Martyrologio Romano ad diem

diem 14. Ianuarij ſic habetur; *In monte Sina Sanctorum triginta octo monachorum a Saracenis ob Chriſti fidem interfectorum*: Horum martyrium refert Ammonius monachus, ſicut & aliornm deſerti Raithu ad mare rubrum, dicti in Sacra Scriptura Elim, ex relatione vnius qui euaſerat, & referebat in ipſo viuere monachos venerabilis ſenectæ & ſanctitatis. Similes monachos ſub Maximiano Imperatore Baronius in annotationibus Martyrologij Romani ad diem 19. Octobris vocat Eſſenos. In iſto quoque ſæculo anno Domini 275. refertur Chariton monachus in perſecutione Aureliani plura paſſus: Hic vir Sanctus ſub prædicta perſecutione fuerat carceri mancipatus: ſed illa ceſſante ſub Tacito Imperatore anno Domini 279. vt ait Baronius Iconium patriam reliquit liberatus a carcere ex vi Imperialis edicti, & deuotionis cauſa profectus eſt in Terram Sanctam: Cumque miraculosè fuiſſet auctus diuitijs, eas partim diſtribuit pauperibus, partim monachis quos inuenit propè mare mortuũ in antiqua illa Engaddi ſolitudine facta manſione filiorum prophetarũ ſub S. Eliſeo, & continuata ab Eſſenis ſub S. Ioanne Baptiſta, & deinceps forſitam ad hæc vſque tempora; ſic enim in eius vita apud Surium cap. 7. & 8. ad diem 28. Septembris habetur de hac diuitiarum diſtributione; *Partem pauperibus, & ijs qui in ſolitudine agebant Patribus diſtribuit, qui ſparſim verſabantur in ſpeluncis arundineti, quod ſitum eſt prope mare mortuũ*: Tria poſtea ædificauit monaſteria, quæ vocauit Lauras a fluuiolo Laura denominatas; Primum fuit vicinum oppido Pharan ad decem ſtadia, & Ciuitati Ieruſalem ad ſex milliaria, vt ait Cyrillus monachus in vita S. Euthymi, vbi erat antiqua Eccleſia, fortè monachorum ibi præexiſtentium; ſecundũ fuit prope Ierico, quòd ſeculo ſequenti multum auxit S. Elpidus; Tertium fuit in ſolitudine Thecue, dictum Laura Succa a fluuiolo huius nominis, qui influebat in Torrentem Cedron, ſicut & Laura, ad hoc monaſterium receſſit dictus Cyrillus monachus ad ſcribendam vitã S. Euthymi & aliorum: In his monaſterijs degebant monachi ſolitarij in cellis omninò ſeparatis; conueniebant tamen diebus Dominicis & feſtis in Eccleſiam ad Miſſam & communionem; Vitam autem aſperrimam ducebant in ieiunijs, vigilijs, alijſque regularibus obſeruantijs ſimilibus modo viuendi filiorum Prophetarum & Eſſenorum, vt conſtat ex citato Cyrillo in vitis Sanctorum Euthymi, Quiriaci, & Sabbæ apud Bollandum: In hoc quoque ſæculo florebat ſub inſtituto Eliano monaſterium Hermopolis in Thebaide, in quo S. Onuphrius ante annum Domini trecenteſimum factus eſt monachus, de quo ipſe ſic inducitur loquens in vita ſua; *Profectò vitam Beati Patris noſtri Eliæ venerabiles fratres meos audiui frequenter laudare, qui ſe in eremo in tanta abſtinentia & oratione ſtuduit affligere, maximam virtutem a Domino meruiſſet accipere, & igneo curru tranſuectus, ſpiritus Sancti dona quæ habuerat, diſcipulo impartiri; ac adhuc longæuus ſenio mortis pœnam non videre; Inſuper ad exemplum Beatum Baptiſtam Ioannem protulerunt, qui in noui teſtamenti ſerie clariſſimus effulſit, perque plurima annorum ſpatia diuino mancipatus officio corpus ſuum macerauit, donec in Iordanis vnda Redemptorem mundi baptizare dignus exiſteret, atque ipſum Dei agnum eſſe degito ſuo demonſtraret*. Tunc etiam refertur Sanctus Antonius iuuenis renuntians ſæculo factus monachus, & ab alijs monachis inſtructus, qui Sanctum Eliam Prophetam inſtituti ſui Patriarcham agnoſcebant; vt innuit Sanctus Athanaſius in eius vita. S. Hilarion diſcipulus S. Antonij rediens ex Aegypto inſtitutum monachale fundauit ſiue reparauit in Palæſtina & Syria ſub Chriſtianis Imperatoribus Conſtantino Magno & filijs eius. Ex quibus manifeſtè conſtat, quòd Eſſeni Carmelitanæ religionis alumni, iam Chriſtiani continuauerunt vſque ad tempora S. Antonij, quod poſſet pluribus alijs authoritatibus probari, ſed adductæ ſufficiũt.

AD

Digitized by Google

AD primùm ergò dicendum, quòd S. Paulus dicitur eremitarum auctor & magiſter, ſicut & S. Antonius Cœnobitarum ſub Conſtantino Magno, non quia fuerunt primi, vt dictum eſt, ſed quia tunc ſub pijſſimo Imperatore Chriſtiano, illorum exemplo & magiſterio cœpit refloreſcere ſtatus monaſticus in eremitis & cœnobitis, qui præteritarum perſecutionum ſub ethnicis Imperatoribus ſæuitia fuerat penè diſſipatus.

AD Secundum dicendum, quòd licet ſub dictis perſecutionibus monaſteria Palæſtinę fuiſſent deſerta & diruta, nec communiter apparerent in Syria monachi, iuxta authoritatem S. Hieronymi; non deerant tamen multi latitantes in locis deſertis, etiam in noſtro monte Carmelo, vt ſupra dictum eſt, & alibi probatum: In Aegypto autem S. Antonius inuenit plures monachos, a quibus fuit inſtructus, vt expreſsè docet in eius vita S. Athanaſius contemporaneus ac teſtis oculatus; Et iuxta hæc intelligendus eſt S. Hieronymus.

AD Tertium dicendum, quòd licet ſub his perſecutionibus monachi fuerint plurimum diminuti, non tamen omninò defecerunt, ſed in deſertis ac vaſtiſſimis eremis latitarunt diuina prouidentia, vt conſtat in S. Paulo eremita & S. Antonio. Ratio autem cur in Euangelio non fiat multiplex mentio Eſſenorum, etiam ſub nomine diſcipulorum S. Ioannis, eſt illa quam adducit Abulēſis dicens in Matthæi cap. 22. q. 123. dicens; *In Euangelijs non ſit mentio, niſi de Phariſæis & Saducæis, quia Eſſeni non tentabant Chriſtum, neque aduerſabantur ei in aliquo*. Quam etiam rationem adducit Baronius anno Domini 64. De his ſic ait Philo in libro de vita contemplatiua: *Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus meritò vt abſolutæ probitatis, receptum a Græcis atque Barbaris, maximè tamen in Aegypto frequentatur per præfecturas ſingulas, præſertim circa Alexandriam:* Et in libro Quod omnis probus ſit liber dicit; *Nec Palæſtinę Syrięque deeſt hoc genus hominum &c. Eſſæi a ſanctitate dicti, quia ſumma religione Deo ſeruiunt*: omnes Eſſeni, qui erant, tam in Palæſtina, & Aegypto, quàm alibi fuerunt gente Iudæi, ex Ioſepho libro 2. de bello Iudaico cap. 7. *Et præcipuè erga Deũ Religioſi quippe qui ex lumine naturæ & ſacris ſuis legibus didicerãt colere illud Ens & bono melius, & vno ſincerius* (Scilicet Deũ Ens entiũ ſiue primum Ens neceſſarium) vt ait Philo in citato libro de vita contemplatiua. Eſſeni Palæſtini cõuerſi ſunt maiori ex parte in die Sancto Pentecoſtes, Aegyptij verò poſtea ſub S. Marco Euangeliſta, vt ſuo loco dicitur: Vnde S. Epiphanius hęreſi 29. de iſtis loquens ſic ait; *Quęcumque toto illo opere a Philone tractata ſunt, ea Chriſtianorum ad fidem viuendique rationem omninò pertinent*. Et Author vitæ S. Marci apud Surium 25. Aprilis, ait; *Marcus rurſum venit Alexandriam, & eius loci fratres multo numero, & gratia & ſcientia Dei auctos inuenit, qui & Eccleſiam ſibi ipſis ædificauerunt in ijs locis, quæ Bubulci nomen habent, maritimaque ſunt infra præcipitia quædam poſita*: Propterea in Lithurgia eiuſdem S. Marci fit mentio ipſorum Eſſenorum ſub nomine monachorum & Virginum his verbis; *Memento vbique degentium orthodoxorum & monachorum ſemper Virginum*. Quod tandem confirmatur authoritate Baronij loco ſupra citato, vbi ſic ait: *Complures monachos ſub Maximino* (Qui ex eodem Baronio cœpit regnare cum Diocletiano anno Domini 286.) *Martyrio coronatos eſſe, non tantùm ex Martyrologijs & Menologijs expreſſum habes, ſed apud Euſebium Hiſtoriæ libro 8. Porrò ipſorum monachorum inſtitutum non recens, ſed ab initio naſcentis Eccleſiæ viguiſſe, ex his quæ ſcribit Philo de Eſſæis, & quæ habet Dionyſius Areopagita & alij, facilè collige*. Et ad annum Domini 340. ait: *Erat quidem in Oriente ſummum illud viuendi genus inſtar Eliæ & Ioannis Baptiſtæ, cunctis hominibus, etiam ethnicis, & Imperatoribus ipſis venerandum, ſed & impijs quoque hæreticis reuerendum; atque adeò cæleſtibus ciuibus admirandum, vt pote quiſe*

Digitized by Google

in terris conciues habere lætantes, cum eiſdem tanquam Gentilibus ſuis amicè aſſiduò verſarentur.

QVAESTIO XI.

De firmitate Religionis Carmelitanæ ſub Patriarchatu S. Eliæ.

QVIA in principio diuiſionis ſtatus religioſi in plures ordines reſonabant nomina Patriarcharum Religionum aliquanto poſt mortem Sanctorum Antonij & Baſilij, religioſi in monte Carmelo reſidentes cum alijs fideliſſimi ſub Patriarchatu S.Eliæ perſtiterunt: Vnde Circa hoc quæruntur ſex.

¶ Primo, vtrum multiplicatis ſtatus religioſi fundatoribus, Religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

¶ Secundo, vtrum religioſi Carmelitæ ſemper in monte Carmelo ab initio fundationis vſque ad annum Chriſti 1290. manſerint.

¶ Tertio, vtrum Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ, ſacræ fidei, & Author libri de Inſtitutione monachorum.

¶ Quarto, vtrum S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ Quinto, vtrum S.Anaſtaſius martyr fuerit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ Sexto, vtrum Petrus eremita fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum multiplicatis ſtatus religioſi fundatoribus, Religio Carmelitana tum in monte Carmelo tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd multiplicatis ſtatus Religioſi fundatoribus, Religio Carmelitana non manſerit firma in monte Carmelo, nec alibi ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ. Probatur: nullibi reperitur apud probatos authores, quod religioſi tunc in Carmelo & alibi ſub finem tertij ſæculi ac deinceps titulo Sancti Eliæ quaſi religionis Patriarchæ inſignirentur: Ergo multiplicatis tunc ſtatus religioſi fundatoribus Religio Carmelitana non manſit firma in Monte Carmelo, nec alibi ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

¶ 2. Præterea: Ipſi Carmelitæ vocant Sanctos Antonium, Hilarionem, Pachomium, Baſilium, & alumnos ac reformatores religionis Carmelitanæ, vt habetur in eorum chronicis: Ergo Religio Carmelitana fuit diuiſa ſub his fundatoribus in varios ordines Religioſos ab ipſorum nominibus inſignes, & non manſit firma nec in monte Carmelo, nec alibi ſub titulo Elię ſui Patriarchæ.

¶ 3. Præterea: Si quid ſuaderet quòd multiplicatis ſtatus Religioſi fundatoribus, Religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi manſerit firma ſub titulo Elię ſui Patriarchæ, maximè authoritas Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani in ſuo libro de Inſtitutione monachorum: Sed hæc authoritas non eſt magni momenti, cum dubitetur an huiuſmodi liber ſit legitimus: Ergo fruſtra dicitur quòd multiplicatis ſtatus Religioſi fundatoribus, religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tũ alibi firma mãſerit ſub titulo Elię ſui Patriarchę.

SED

Digitized by Google

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis ipſiuſmet religionis Carmelitanæ, & authoritas Summorum Pontificum ac quàmplurium Doctorum omnis generis, qui Eliam prophetam non ſolùm generalem Patriarcham religionis Carmelitanę; ſicut & aliarum Religionum, ſed etiam ſpecialem faciunt.

CONCLVSIO.

Cum Religio Carmelitana non alium ſpecialem Patriarcham & fundatorem agnoſcat ab Elia Propheta: neceſſariò ſequitur, quod multiplicatis ſtatus Religioſi fundatoribus, ipſa tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

RESPONDEO dicendum, quòd multiplicatis ſtatus religioſi fundatoribus religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ. Ad cuius euidentiã ſciendum eſt, quòd Elias propheta meritò dicitur Patriarcha generalis omnium religioſorum ordinum; Sic enim vocatur a pluribus Sanctis Patribus, alijſque Doctoribus eximijs: quia ipſe fuit primus Inſtitutor ſtatus religioſi, de cuius plenitudine ſubſequentes aliorum ordinum a primitiuo eius prophetico fundatores non ſolùm ſubſtantiam ſtatus religioſi in votis eſſentialibus, ſed etiam habitum pęnitentiæ, & plures obſeruantias regulares acceperũt. Quia tamen circa quartum Chriſti ſæculum ſurrexerunt eximij ſtatus religioſi tũc indiuiſi vel Inſtitutores, vel in aliquo reformatores, vel ſtabilitis ſpecialibus obſeruantijs regularibus illuſtratores, qui ad varios fines actionis charitatiuæ erga proximum direxerunt nouas ſuas congregationes religioſus: Inde eſt, quòd ſtatus religioſus in varios ordines diuiſus eſt, quorum ſinguli ſingulos fũdatores ſuos ſpeciales ſub Elia generali omnium Patriarcha acceperunt: Vnde tunc cæpit denominari ordo religioſus Sancti Antonij nunc apud Armenos celebris, ordo religioſus S. Baſilij in Ponto inſignis tam in toto Oriente quàm in Occidente &c. Tunc tamen religioſi eremitæ montis Carmeli & aliorum locorum Orientis, ac præſertim Palæſtinæ ſub S. Hilarione eiuſque ſucceſſoribus fideles ſub titulo S. Eliæ ſui Patriarchę perſeuerauerunt, & ipſum iam vt fundatorem ſpecialem ſequuti ſunt, nullum in eius conſortio fundatorem alium admittentes.

Probatur concluſio ſic explicata nunc breuiter, ex dictis ſupra, & dicendis infrà fuſius, Cum cæteri ordines religioſi ſuos particulares fundatores agnoſcãt, puta Antonium, Baſilium, Auguſtinum, Benedictum, Dominicum, Franciſcum &c. Ordo Carmelitanus nullum agnoſcit alium præter Eliam Prophetam, ipſumque veneratur vt talem in diuinis officijs ex authoritate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, vt demonſtrabitur infra, cum oſtendetur, quod ordo propheticus ab Elia inſtitutus ſubſtantialiter hactenus ſucceſſione hęreditaria nunquam interrupta perſeuerat in Carmelitis: Ergo ſequitur manifeſtè, quòd multiplicatis ſtatus religioſi fundatoribus, religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchę.

Secundò Probatur authoritate noſtri Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani, qui occaſione tot religioſorum ordinum ſub ſpecialibus fundatoribus, qui paulò ante cœperant, ad inſtantiam ſuorum Carmelitarum, ac præſertim Capraſij montis Carmeli Prioris, ſuum edidit librum de Inſtitutione monachorum in antiqua lege exortorum, & in noua perſeuerantium, in quo fundationem ordinis Carmelitani ab Elia, continuam eius ſucceſſionem in antiqua lege, conuerſionem eius ad fidem Chriſti, & vſq; ad quartum ſęculum perſeuerantiam deſcribit, de quo alibi diſſeritur, & cuius authoritate inſtructi Carmelitę firmi ſub titulo Sancti Eliæ ſui Patriarchæ perſtiterunt, & hactenus perſeuerant.

Tertiò Probatur: In quarto Chriſti ſæcu-

in terris conciues habere latantes, cum eiſdem tanquam Gentilibus ſuis amicè aſſiduò verſarentur.

QVAESTIO XI.

De firmitate Religionis Carmelitanæ ſub Patriarchatu S. Eliæ.

QVIA in principio diuiſionis ſtatus religioſi in plures ordines reſonabant nomina Patriarcharum Religionum aliquanto poſt mortem Sanctorum Antonij & Baſilij, religioſi in monte Carmelo reſidentes cum alijs fideliſſimi ſub Patriarchatu S. Eliæ perſtiterunt: Vnde Circa hoc quæruntur ſex.

¶ Primo, vtrum multiplicatis ſtatus religioſi fundatoribus, Religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

¶ Secundo, vtrum religioſi Carmelitæ ſemper in monte Carmelo ab initio fundationis vſque ad annum Chriſti 1290. manſerint.

¶ Tertio, vtrum Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ, ſacræ fidei, & Author libri de Inſtitutione monachorum.

¶ Quarto, vtrum S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ Quinto, vtrum S. Anaſtaſius martyr fuerit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ Sexto, vtrum Petrus eremita fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum multiplicatis ſtatus religioſi fundatoribus, Religio Carmelitana tum in monte Carmelo tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd multiplicatis ſtatus Religioſi fundatoribus, Religio Carmelitana non manſerit firma in monte Carmelo, nec alibi ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ. Probatur: nullibi reperitur apud probatos authores, quod religioſi tunc in Carmelo & alibi ſub finem tertij ſæculi ac deinceps titulo Sancti Eliæ quaſi religionis Patriarchæ inſignirentur: Ergo multiplicatis tunc ſtatus religioſi fundatoribus Religio Carmelitana non manſit firma in Monte Carmelo, nec alibi ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

¶ 2. Præterea: Ipſi Carmelitæ vocant Sanctos Antonium, Hilarionem, Pachomium, Baſilium, & alumnos ac reformatores religionis Carmelitanæ, vt habetur in eorum chronicis: Ergo Religio Carmelitana fuit diuiſa ſub his fundatoribus in varios ordines Religioſos ab ipſorum nominibus inſignes, & non manſit firma nec in monte Carmelo, nec alibi ſub titulo Elię ſui Patriarchæ.

¶ 3. Præterea: Si quid ſuaderet quòd multiplicatis ſtatus Religioſi fundatoribus, Religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi manſerit firma ſub titulo Elię ſui Patriarchæ, maximè authoritas Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani in ſuo libro de Inſtitutione monachorum: Sed hæc authoritas non eſt magni momenti, cum dubitetur an huiuſmodi liber ſit legitimus: Ergo fruſtra dicitur quòd multiplicatis ſtatus Religioſi fundatoribus, religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tũ alibi firma mãſerit ſub titulo Elię ſui Patriarchę.

SED

Digitized by Google

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis ipſiuſmet religionis Carmelitanæ, & authoritas Summorum Pontificum ac quàmplurium Doctorum omnis generis, qui Eliam prophetam non ſolùm generalem Patriarcham religionis Carmelitanę ſicut & aliarum Religionum, ſed etiam ſpecialem faciunt.

CONCLVSIO.

Cum Religio Carmelitana non alium ſpecialem Patriarcham & fundatorem agnoſcat ab Elia Propheta: neceſſariò ſequitur, quod multiplicatis ſtatus Religioſi fundatoribus, ipſa tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

RESPONDEO dicendum, quòd multiplicatis ſtatus religioſi fundatoribus religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ. Ad cuius euidentiã ſciendum eſt, quòd Elias propheta meritò dicitur Patriarcha generalis omnium religioſorum ordinum; Sic enim vocatur a pluribus Sanctis Patribus, alijſque Doctoribus eximijs: quia ipſe fuit primus Inſtitutor ſtatus religioſi, de cuius plenitudine ſubſequentes aliorum ordinum a primitiuo eius prophetico fundatores non ſolùm ſubſtantiam ſtatus religioſi in votis eſſentialibus, ſed etiam habitum pęnitentiæ, & plures obſeruantias regulares acceperũt. Quia tamen circa quartum Chriſti ſæculum ſurrexerunt eximij ſtatus religioſi tũc indiuiſi vel Inſtitutores, vel in aliquo reformatores, vel ſtabilitis ſpecialibus obſeruantijs regularibus illuſtratores, qui ad varios fines actionis charitatiuæ erga proximum direxerunt nouas ſuas congregationes religioſas: Inde eſt, quòd ſtatus religioſus in varios ordines diuiſus eſt, quorum ſinguli ſingulos fũdatores ſuos ſpeciales ſub Elia generali omnium Patriarcha acceperunt: Vnde tunc cæpit denominari ordo religioſus Sancti Antonij nunc apud Armenos celebris, ordo religioſus S. Baſilij in Ponto inſignis tam in toto Oriente quàm in Occidente &c. Tunc tamen religioſi eremitæ montis Carmeli & aliorum locorum Orientis, ac præſertim Palæſtinæ ſub S. Hilarione eiuſque ſucceſſoribus fideles ſub titulo S. Eliæ ſui Patriarchę perſeuerauerunt, & ipſum iam vt fundatorem ſpecialem ſequuti ſunt, nullum in eius conſortio fundatorem alium admittentes.

Probatur concluſio ſic explicata nunc breuiter, ex dictis ſupra, & dicendis infrà fuſiùs, Cum cæteri ordines religioſi ſuos particulares fundatores agnoſcãt, puta Antonium, Baſilium, Auguſtinum, Benedictum, Dominicum, Franciſcum, &c. Ordo Carmelitanus nullum agnoſcit alium præter Eliam Prophetam, ipſumque veneratur vt talem in diuinis officijs ex authoritate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, vt demonſtrabitur infra, cum oſtendetur, quod ordo propheticus ab Elia inſtitutus ſubſtantialiter hactenus ſucceſſione hęreditaria nunquam interrupta perſeuerat in Carmelitis: Ergo ſequitur manifeſtè, quòd multiplicatis ſtatus religioſi fundatoribus, religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchę.

Secundò Probatur authoritate noſtri Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani, qui occaſione tot religioſorum ordinum ſub ſpecialibus fundatoribus, qui paulò ante cœperant, ad inſtantiam ſuorum Carmelitarum, ac præſertim Capraſij montis Carmeli Prioris, ſuum edidit librum de Inſtitutione monachorum in antiqua lege exortorum, & in noua perſeuerantium, in quo fundationem ordinis Carmelitani ab Elia, continuam eius ſucceſſionem in antiqua lege, conuerſionem eius ad fidem Chriſti, & vſq; ad quartum ſęculum perſeuerantiam deſcribit, de quo alibi differitur, & cuius authoritate inſtructi Carmelitę firmi ſub titulo Sancti Eliæ ſui Patriarchæ perſtiterunt, & hactenus perſeuerant.

Tertiò Probatur: In quarto Chriſti

ſæculo nominati reperiuntur Eliotæ religioſi; nam in Actibus Concilij Chalcedonenſis dicitur quod inter alios Patres aderat *Eliotarum Generalis*, ſiue vt interpretantur non ſolum domeſtici, ſed etiam exteri Doctores, & inter eos maximè Baſilius Sanctotus in ſuo prato ſpirituali parte 2. libro 5. cap. 2. *Eorum qui Eliæ propagines erant Archimandrita*; Sic enim Generalis ſuperior a Græcis vocabatur : Ergo ſignum eſt, quòd multiplicatis ſtatus religioſi fundatoribus, religio Carmelitana tum in monte Carmelo, tum alibi firma manſerit ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

AD Primam ergo dicendum, quòd ordo Carmelitanus fuit ſucceſſiuè diuerſis nominibus inſignitus, ſed præcipuè titulo montis Carmeli, qui eſt natale ſolum ipſius; Et maximè tunc inualuit hic titulus, quando monaſticus ordo fuit in varias congregationes diuiſus ſub multiplicatis fundatoribus, remanente conuentu montis Carmeli quaſi totius ordinis monaſtici capite fideli cum alijs aſſociatis, ſub titulo S. Eliæ ſui Patriarchæ : Vnde a primitiuo illo natalis ſoli loco totius ordinis monaſtici debuit denominari congregatio illa Religioſa, quę inter alias remanebat primaria ſub titulo Eliæ iam vt Patriarchæ ſui ſpecialis, cum inciperet eſſe tantum Patriarcha generalis aliarum congregationum ſub alijs ſpecialibus Patriarchis militantium. Deinde dicendũ quòd ex tunc Religioſi montis Carmeli, & alij eis aſſociati ſub titulo S. *E*liæ cœperunt ab eo denominari Eliotæ, vt conſtat ex tertia ratione.

AD Secundum dicendum, quòd Sãcti religioſorum ordinum fundatores, vt Antonius & Baſilius, qui ſuis eos titulis inſignierunt, adhibitis nouis regularibus obſeruantijs, cum aliqua mutatione primitiui habitus, poſſunt vocari quidem reformatores ordinis monaſtici generaliter ſumpti, ſed non ordinis Carmelitani, qui ex tunc cœpit eſſe ordo religioſus ſingularis diuiſus ab alijs; poſſunt tamen huiuſmodi fundatores indicati vocari alumni ordinis Carmelitani, qui velut primus & radix aliorum ſuccedit in iura ordinis monaſtici prius indiuiſi, ſub quo vitam religioſam inceperunt. Quantum ad Sanctos Hilarionem, Pachomium, & ſimiles qui non fundarunt diſtinctos ordines religioſos a Carmelitano ſeu Eliano, ſed illum renouatis regularibus obſeruantijs illuſtrarunt; libenter vt noſtri ordinis Carmelitani reformatores ſuſcipimus.

AD Tertium dicendum, quod doctrina hic tradita non fundatur in ſola authoritate Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani, vt conſtat ex adductis probationibus noſtræ concluſionis : Authoritas tamen eius in dicto libro eſt maximi momenti cum hic liber ſit legitimus eius partus, vt ſuo loco probatur, & ipſe tunc exiſteret, quando cœpit diuidi monaſticus ordo ſub multiplicatis fundatoribus, remanente Carmelitana religione ſub titulo Eliæ ſui Patriarchæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum Religioſi Carmelitæ ſemper in monte Carmelo ab initio fundationis vſque ad annum Chriſti 1290. manſerint.

AD Secundum ſic proceditur : Videtur quod Religioſi Carmelitę non ſemper manſerint in monte Carmelo ab initio ſuæ fundationis vſque ad annum Chriſti 1290. Probatur : Ante aduentum Chriſti tempore captiuitatũ Iudaicarum totus penè populus fuit in Aſsyrios & Babylonios translatus; Et conſequentèr etiam religioſi Carmelitæ: Ergo Religioſi Carmelitę non ſemper manſerunt in monte Carmelo ab initio ſuæ fundationis vſque ad annum Chriſti 1290.

¶ 2. Preterea : Tempore perſecutionum ſub Romanis Imperatoribus ethni-

Digitized by Google

ethnicis vel trucidati, vel diſperſi fuerunt omnes monachi; Et ſolùm tempore Cõſtantini magni de nouo floruerunt primùm in Aegypto, deinde in Palæſtina & Syria: Vnde S.Hieronymus in vita S.Hilarionis ait; *Nec dum enim tunc monaſteria erant in Palæſtina, nec quiſquam monachum ante S.Hilarionem in Syria nouerat, ille fundator & eruditor huius conuerſationis & ſtudij in hac prouincia primum fuit*: Ergo Religioſi Carmelitæ non ſemper manſerunt in monte Carmelo ab initio ſuæ fundationis vſque ad annum Chriſti 1290.

¶ 3. Preterea: Coſroas I. & II. Rex Perſarum Carmelitas religioſos occidit, poſtea Homar Rex Arabum ſuperſtites eorum totalitèr diſſipauit; Vnde deinceps nulla fit eorum mentio per plura ſæcula vſque ad reparationem Terræ Sanctæ ſub Godifredo Bullioneo. Ergo Religioſi Carmelitæ non ſemper manſerunt in monte Carmelo ab initio ſuæ fundationis vſque ad annum Chriſti 1290.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiquiſſima noſtræ Religionis Carmelitanæ traditio, & communis ſententia Doctorum ipſius & plurium exterorum.

CONCLVSIO.

Religioſi Carmelitæ ſemper manſerunt in monte Carmelo ab initio ſuæ fundationis vſque ad annum Chriſti 1290.

RESPONDEO dicendũ, quòd Religioſi Carmelitę ſemper manſerunt in monte Carmelo ab initio ſuæ fundationis vſque ad annum Chriſti 1290. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd non eſt neceſſarium ad demonſtrandam ſucceſſionem hæreditariam ſemper continuatam noſtræ Religionis Carmelitanæ, probare noſtros Carmelitas ſemper manſiſſe in monte Carmelo; potuit enim religio alibi conſeruata continuari, ſicut plures aliæ extra natale ſolùm ſuæ fundationis conſeruatæ cõtinuatur, vt cõſtat de Auguſtiniana, quæ cœpit in Aphrica ad Hipponem, vbi nunc non eſt: Vndè cũ aliàs probata ſit hęc hereditaria ſucceſſio continuata, quæ hic dicuntur ſolum deſeruiunt ad ſuperabundantiam huius probationis, & ad ſolatium ipſius religionis. Et quamuis vniuerſaliter probabitur concluſio pro toto tempore in illa præfixo, principalitèr tamen attenditur ad prædicta tria interſtitia, de quibus adductæ procedunt obiectiones, reliquis enim temporibus non occurrit ſpecialis aliqua difficultas, quę ſuadeat religioſos Carmelitas tunc in monte Carmelo non fuiſſe reſidentes.

Probatur concluſio prædicata vniuerſali & antiquiſſima traditione totius noſtrę religionis Carmelitanæ, ſimulque communi ſententia Doctorũ ipſius, vtraque benè fundata in his quæ ſcripſere noſter Ioannes 44. & S. Cyrillus Conſtantinopolitanus, alijque plures. Deinde probatur expreſſâ authoritate Eraldi Verneri Rouuelinck Carthuſiani in ſua Chronica ſub titulo Faſciculus temporum circa annũ 1282. vbi ſic ait: *Nobiliſſima Acconenſiũ ciuitate a Saracenis deſtructa, domũ Deiſeræ Mariæ in Carmelo monaſteriũ ad tria milliaria ciuitati vicinum ab eiſdem igne crematur, Fratribus inuentis in eo perfidorum gladijs trucidatis; Et tunc (proh dolor) Ordo Carmeliticus melliſluũ locum ex toto perdidit, in quo a tempore Eliæ & Eliſæi prophetarum 2221. annis perſtiterat.*

Secundò probatur inductione per ſingula tempora. Et quidem toto decurſu legis antiquæ habemus ex Sacra Scriptura quòd noſtri Carmelitę religioſi ſub Elia ſuo fundatore, & ſub Eliſæo eius ſucceſſore manſerunt in mõte Carmelo, vbi apud populum fidelem Iudæorum erant venerabiles, ad eos enim deuotionis gratia concurrebant plures in ſabbathis & calendis, alijſque temporibus ſanctis, vt conſtat ex illo Sunamitidis caſu, quæ cum ad montem Carmelum vellet accedere, vt demortui filij reſurrectionem impetraret ab Eliſęò, mari-

Digitized by Google

maritus eius mortem filij & ideò cauſam acceſſus ignorans, talem admiratus acceſſum, obiecit quod non erat ſabbatum nec calendæ; ac proinde infertur, quod illis temporibus ſatis ſolerent illuc homines accedere. Quòd ibi manſerint toto tempore captiuitatum, docet expreſsè noſter Ioannes Ieroſolymitanus cap.26. dicens: *Quoniam igitur prædicti monachi dum regebantur per Eliſeū, & etiam poſt eius deceſſum quærebant ex totis præcordijs Dei regnum, pro quo facilius conſequendo terrenas diuitias, & carnales delicias reſpuebant, humanaque conſortia & turbarum tumultus vitabant; ideò ſeruauit eos Deus a captiuitatibus, ad quas ante Incarnationem Chriſti Ieſu induxit populum Iudæorum propter peccata eorum; quod tamen ad maiorem Iudaici populi ceſſit confuſionem, vt ipſe in fortiſſimis ciuitatibus & munitis ſaluari non poſſet, cum monachi in aperta montis Carmeli eremo & non munita ab inſultibus Aſsyriorum exercitus Chaldaici per Deum tunc protegeretur: Sed cauſa huius diuerſitatis fuit ex parte quorundam illius populi legis diuinę præuaricatio; e contra verò ex parte dictorum monachorum eiuſdem legis obſeruatio: Quod totum benè ſignificauit Propheta Dei Iſaias cap. 32. dum in perſona Domini captiuitatem & terræ diſſipationem populo Iudæorum venturam vaticinaretur, ita inter cætera dicens; Plangite ſuper regione deſiderabili, ſuper vinea fertili, ſuper humum populi mei ſpinę & vepres aſcendent, quantò magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis, domus enim dimiſſa eſt, multitudo vrbis relicta eſt:* Et paulò poſt de monachis Carmelitis illius temporis contrariam ſententiam ſubdens propheta in perſona Domini ait; *Et erit deſertu in Carmelo, & Carmelus in ſaltum reputabitur, & habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Carmelo ſedebit, & erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*: Hactenus Ieroſolymitanus noſter. Et confirmatur; quia Ieremias Propheta alumnus Ordinis Carmelitani tempore captiuitatum huiuſmodi manſit in terra promiſſionis, quamuis alij Prophetæ eiuſdem Ordinis alumni ſequuti fuerint populū captiuum ad ſolatium & bonum ipſius. Quòd Carmelitæ Religioſi continuauerint in monte Carmelo poſt illas captiuitates vſque ad tempora Chriſti, docet Armacanus in ſermone de Conceptione habito Auenione coram Cardinalibus: Et confirmatur ex hiſtoria Sanctæ Emerentianę matris S.Annæ & Auię Beatiſsimæ Virginis Mariæ, in qua dicitur quòd hęc Sancta floruit in Iudęa circa annum 77. ante Diuini Verbi Incarnationem, & quòd ſolebat Religioſos in monte Carmelo reſidentes viſitare, & quòd eorum conſilio nupſerit ob reuelationem ipſis factam de quadam eius prole ex qua procederet Meſsias. Paulò poſt (ait Sinlerus & Friſius in additione ad Bibliothecam Geſneri) *Effrenus vir pius ac futurorum præſcius ſub Antipatro Iudæorum rectore Carmelum Phœnicia montem inhabitans, à Diſcipulis rogatus Emerentia (ſeu Emerentiana) mulieris D.Annæ matris vitam litteris mandauit libro vno, claruit anno 40. ante Chriſtum natum*. Statim in principio legis gratiæ reperiuntur in Carmelo ijdem religioſi, nempè anno Chriſti 34. vt aſſerit Ioſephus Antiochenus in Speculo perfectæ militiæ Eccleſiæ primitiuæ cap.12. cuius teſtimonium alibi relatū, vt potè contemporanei (vixit enim ſub finem primi ſęculi) eſt maximi ponderis. Poſtea anno 69. Chriſti Titus Imperator debellaturos Iudæos aſcendit ad montem Carmelum, & conſuluit Baſilidem diuinis ibidem oraculis inclytū, vt ſuo loco oſtenditur. Exinde anno 83. Carmelitę religioſi conſtruunt in Carmelo capellam in honorem B. V. Mariæ ex prædicto Ioſepho Antiocheno, Ioanne 44. & alijs, ibique referuntur reſidentes Agabus Propheta primus promotor huius capellæ, & S. Enoch de Amathim comes aliàs S.Marci Euangeliſtæ de quo ſuo loco tractatur. In ſecun-

Digitized by Google

cundo Chriſti ſæculo florebant in Carmelo religioſi Carmelitę, vt habetur ex epiſtola Balbini Prędidis ex illis partibus ad Anthoninum Pium Imperatorē miſſa, in qua dicitur; *O Anthonine inter memorabilia in hac regione mons eſt Carmelus, in quo & vetus religio, & ſanctitas ab Elia antiqua eſt*. In tertio ſęculo refertur prior religioſorum montis Carmeli S. Eutycius ex Palæonydoro lib. 2. hiſtoriæ Carmelit. cap. 5. & alijs: Hic conuertit Miletium, Antiochenum poſtea Epiſcopum, ad Chriſti fidem, & eidem habitum & formā Ordinis Carmelitani dedit; Sanctum quoque Baſilium in monte Carmeli ad propheticalem inſtitutionem acceptans, Sanctæ religionis habitu inueſtiuit: Sanctus Euticius fuit S. Hilarionis contemporaneus, quod tunc eſſent in Carmelo religioſi Eliæ filij confirmatur authoritate S. Gregorij Nazianzeni, qui tam exemplo ſocij ſui S. Baſilij, quam eius relatione deſiderabat viuere in Carmeli ſolitudine, cum illis eremitis, quorum ſe fratrem alibi profitetur; Vnde dicit in oratione de Baptiſmo Chriſti; *Fugere cupio, & quæro Eliæ Prophetæ Carmelum*. In quarto ſęculo adducitur Prior montis Carmeli Sanctus Cyrillus, Patriarcha deinde Ieroſolymitanus: Cui ſucceſsit Ioannes 44. Patriarcha item Ieroſolymitanus primum in officio Prioris ſub finem eiuſdem ſæculi. In quinto ſæculo Ioannes ipſe ſucceſſorem habuit in eodem Prioris officio Capraſium ad quem ſuum de Inſtitutione monachorum librum ſcripſit. In ſexto ſæculo habetur Iacobus Porphyrionita in eremo Carmeli a ciuitate Porphyrio denominata, ad cuius vitam Bolandus, & Henſchenius appoſuerunt in margine ad 28. Ianuarij; *Sancti Eremitæ in Syria Iacobi &c. iuxta Porphyreonem & Carmelum, ideò Carmelitis meritò accenſendus*: De ipſo dicitur, quòd accedentem meretricem ſub ſpecie monialis, & conquerentem de dolore cordis, admiſerit in exteriorem cellam, dūque dextra manu inungeret & ſignaret, ſiniſtram ignem cremauerit, ita vt digitorum compages aduſtæ deciderent. In ſæculo ſeptimo referuntur in monte Carmelo ad Vrbem Hecbatanam Sancti monachi Siridius ſeu Siridion, Barſanuphius ſeu Barnuphius, Dorotheus & Doſitheus: De hoc Petrus Gelaſinius in Martyrologio ad 23. Februarij ſic ait; *In Vrbe Ecbatana S. Doſithei monachi & confeſſoris, qui nullis ſacrarum rerum doctrinis eruditus breui ad perfectionem progreſſus pro vitæ religioſæ meritis præmium cœleſte accepit*: De hac autem Ecbatana (diſtincta ſcilicet ab alia Medorum Regia, nunc dicta Tauris) ſic ait Plinius libro 5. Hiſtoriæ naturalis cap. 19. *Promontorium Carmeli, & in monte oppidum eodem nomine* (*ſcilicet Carmelus*) *quondam Ecbatana dictum*: Vnde in prologomenis ad vitam S. Doſithei miratur Bolandus, quòd ipſum Lezana non annumeret noſtris: Quamuis in tribus ſęculis ſequentibus nullus habeatur expreſſus in monte Carmelo monachus, quod tamen fuerint, ſic affirmat noſter Sanctus Cyrillus Conſtantinopolitanus, qui floruit duodecimo ſęculo, in epiſtola ad Euſebium eremitam montis Neroi; *Illo itaque in tempore, quamuis pauci veruntamen probatiſſimi monachi noſtræ religionis, dimiſſis manſionibus quas habebant in Vrbibus & villis hunc Carmeli montem non deſerentes, iugiter in eo & quibuſdam alijs eremis Terræ Sanctæ permanſerunt ſub diſciplina monaſtica vitæ eremiticæ per Eliam prophetam inſtitutæ*. Statim poſt decimum Chriſti ſęculum inuenimus noſtrum Petrum Eremitam in monte Carmelo cum alijs, cuius induſtria recuperatur Terra Sancta, & refloret Carmelus noſter duobus penè ſæculis illuſtribus Sanctis: ſed poſtea prædicto anno expulſi noſtri poſſeſsionem eius amiſerunt, quam tamen ſemper optauerunt, & anno Domini 1631. rursùs obtinuerunt.

AD Primùm ergo dicendum, quòd tempore illarum captiuitatum Religioſi Carmelitæ fuerunt Dei prouidentia ſpeciali in Carmelo conſeruati.

Ad Secundum dicendum, quòd in illo

illo tempore monachi viuebant in monte Carmelo ſolitarij non gregatim in monaſterio, ſed ſeorſim in cauernis, & ſpeluncis; Vndè benè dicit S. Hieronymus, quòd non erant monaſteria in Palæſtina, & quòd S. Hilarion fundauit ibi vitam monaſticam cœnobiticam: nec nec propterea noti erant monachi in Syria, quia propter perſecutiones in intimis eremorum receſsibus latentes ſoli Dei vacabant.

AD Tertium dicendum, quòd quidem in primo furore illorum infidelium ac rabie Tyrannorum occiſi ſunt Carmelitæ Religioſi, qui reperti ſunt in cōuentu Carmeli, vel occurrerunt perſecutoribus in toto monte; multi tamen latuerunt in ſaltu, & alijs abditioribus locis ipſius mōtis, qui mortem euaſerunt. Et quamuis concederetur, quod diſperſi ſunt omnes a Carmelo; hoc tamen fuiſſet per breue tempus, quia Perſæ nō multum durarunt, & Saraceni a rabie tanta perſecutionis ceſſarunt; Vnde non cenſetur interrupta habitatio Religioſorum Carmelitarum in monte Carmelo, qui ſtatim ad illum redierunt amore ac deſiderio natalis ſoli.

ARTICVLVS III.

Vtrum Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ, Sanæ fidei, & Author libri de Inſtitutione monachorum, &c.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd Ioanner 44. Patriarcha Ieroſolymitanus non fuerit alumnus Religionis Carmelitanę. Ita tenet Baronius ad annum Chriſti 444. Hieronymus Romanns cap. 8. ſui defenſorij, & alij: ſic autem circa ipſum & S. Cyrillum Alexadndrinum eius diſcipulus loquitur ibidem Baronius: *Faceſſat ergo huiuſmodi de monachiſmo Cyrilli fabella, ſicut illa haud impar; qua traditur & Ioannes Ieroſolimorum Epiſcopus fuiſſe etiam monachus Carmelitæ; ſicut enim hæc leuiter effinguntur, ita & facilè refelluntur flagrans quidem cupido nobilitatis auita cogit interdum homines delirare*: Hęc in Baronio, ſi tamen Baronij verba ſunt, aliàs tam Vrbani, de quibus alibi dicetur. Non alitèr probatur, niſi quod Religio Carmelitana non extabat tempore huius Ioannis Patriarchæ, vt dicūt aduerſarij; ipſe quippè viuebat quarto Chriſti ſæculo, Religio verò Carmelitana cœpit anno Chriſti 1120. Ergo Ioannes 44. Patriatriarca Ieroſolymitanus non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: Videtur quòd idem Ioannes non fuerit ſanæ & orthodoxæ fidei. Ita tenet Baronius tomo 4. ad annum Chriſti 392. ipſum vocans errorum Origenis patronum, & Origeniſtarum fautorem: Idem penè tenet Scholiaſtes in eius librum de Inſtitutione monachorum dè quo ſtatim ageur. Probatur ex varijs locis SS. Epiphanij & Hieronymi in epiſtolis ad ipſum Ioannem ſcriptis. Deinde quia multi etiam ex monachis Carmelitis ab eius conſortio propterea receſſerunt, vt conſtat ex relationibus illorum temporum: Ergo ſignum eſt, quòd dictus Ioannes non fuit ſacræ & orthodoxæ fidei.

¶ 3. Præterea: Videtur quòd idem Ioannes non fuerit author libri de Inſtitutione monahorum. Ita tenet Baronius tomo 6. ad annum Chriſti 444. & ex parre Bellarminus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis dicens; *Hic liber videtur ſcriptus ab aliquo longè poſteriori*. Probatur triplici ratione; Duæ priores adducnntur a Scholiaſte Bibliothecæ Patrum his verbis: *Ex quibus & auctor huius libri fuiſſe Ioannes 44. Hieroſolymorum Epiſcopus facile refellitur, & liber ipſe fide vacillare deprehenditur, cum multa de monachis Carmelitis primis Eccleſiæ temporibus iam vigentibus probat. Denique ſtilus ipſe totus latinus inulta ſine maiorum authoritate, & fide ambigna huic operi inſerta ſatis arguunt alium auctorem qu-m Ioannem, & quidem recentiorem*:

Idem

Digitized by Google

Idem poſt pauca repetit, & ſubdit huuc librum non eſſe ex omni parte ſinceræ & integræ fidei. Tertia ratio eſt; quia ſi hic liber fuiſſet ſcriptus à Ioanne 44. contineret textum ſeptuaginta Interpretum, quo Græci vtebantur, & non textum latinum vulgatæ editionis recentiorem: Ergo Ioannes 44. Ieroſolymitanus non eſt author libri de Inſtitutione monachorum &c. maximè quia Gennadius, qui huius Ioannis lucubrationes recenſet, huius libri nullo pacto meminit; Et in ipſo capite 38. fit mentio de Scapulari, dato tantùm a Beata Virgine multis poſt ſæculis.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiqua noſtræ Religionis Carmelitanæ traditio: Et communis ſententia Doctorum ipſius, ac plurium externorum, quantùm ad hæc tria: præſertim Trithemij libro de laudibus Carmelitarum, & Carthagenæ libro 17. homilia 2. ad obiectionem ſeptimam: Alij ſunt penè innumeri, quorum plures in ſingulis partibus ſigillatim adducentur: ſed quia referre omnia quæ pro nobis dicunt authores, longum eſſet (tres enim, & diffusè nimis requirerentur apologiæ) ideò ſolùm principaliores ex noſtris indicabo & præcipua tantùm adducam externorum teſtimonia; qui plura deſiderat, legat Carthagenam loco citato, N. Franciſcum a S. Maria tomo 1. hiſtoriæ propheticæ, & Lezanam tum in apparatu ad annales tomi 1. cap. 9. tum tomo 2. ad annum Chriſti 392.

CONCLVSIO.

Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus fuit alumnus Religionis Carmelitanæ, ſanæ fidei, & author libri de Inſtitutione primorum monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perſeuerantium, ad Capràſium monachum.

RESPONDEO dicendũ, quòd Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus fuit alumnus Religionis Carmelitanę. 2. Præſul ſanæ & orthodoxæ fidei, 3. at tandem author libri de Inſtitutione monachorum &c. qui habetur in Bibliotheca Patrum tomo nono, cuius authoritas ſępius in hoc opere citatur.

Probatur prima pars concluſionis: Tum propria confeſſione ipſius Ioannis in ſuo libro de Inſtitutione monachorum (quem eſſe proprium eius partum tertia parte concluſionis oſtendetur) vbi fatetur ſe monachum Carmelitam: Tum plurium etiam exterorum authoritate, de quibus omnibus non poterit cum debita modeſtia dici, quòd leuitèr nimis huic aſſertioni fidem præſtiterint, vt immeritò dixit Baronius de Trithemio. Primus ſit, quamuis in ſecunda concluſionis parte contrarius. S. Hieronymus epiſtola ad Theophilum, vbi ſic ait loquens de noſtro Ioanne: *Monachus proh dolor, monachis & minatur, & imperat exilium, & hic monachus Apoſtolicam Cathedram habere ſe iactans*: Conſtat autem ex dictis alibi, quòd tunc omnes monachi erant alumni Religionis ab Elia in Carmelo fundatæ, quæ nunc dicitur Carmelitana. Alij dicunt expreſſiùs Ioãnem fuiſſe monachum Carmelitam, vt Cyrillus noſter Conſtantinopolitanus tertius Generalis dictus Latinorum circa annum Domini 1197. vnde teſtimonium eius præ antiquitate qningentorũ ferè annorum eſt venerabile, ac præ ſanctitate & doctrina ipſius certiſſimum: Hic Sanctus epiſtola ad Euſebium montis Neroi eremitam (aliqui ſcribunt epiſtolam eſſe ad Abbatem Ioachim) mirè totam noſtram concluſionem declarat: Vnde ſtatim hic a principio proponenda eſt; ſic ergo ait loquens de Ioanne 44. & antiquis Carmelitis Eliæ diſcipulis: *Fuit autem tempore Arcadij & Honorij Imperatorum quidam dictorum religioſorum pater miræ virtutis & perfectionis Ioannes nominè, qui cæteros conſortes ſuos eiuſdẽ montis (ſcilicet Carmeli) monachos exẽplo ſuo & magiſterio ſollicitè inducebat ad perfectionẽ acquirendã; ſecundùm propheticam diſciplinam vitæ monaſticæ per Eliam prophetam inſtitutæ: Quam diſciplinam Ioannes eis exponebat ex diuerſis*

Digitized by Google

dictis tam veteris quàm nouæ legis, & ex nonnullis tractatibus editis à prędeceſſoribus ſuis. Qui tandem propter eius ſanctitatem in Pontificem Ieroſolymitanæ Eccleſiæ ſublimatus, Apoſtolo Iacobo in Epiſcopatu eiuſdem Eccleſiæ quadrageſimus quartus ſucceſſit. Hunc Ioannem chariſſimus eius diſcipulus nomine Capraſius, eiuſdem montis & religionis monachus ſupplicitèr flagitauit, vt quæ de institutione huius religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda frequentèr diſſeruerat dignaretur ſibi & ſuis conſortibus breuiter redigere in vnũ volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur, ne oporteret eos librorum numeroſitatem euoluere: Ioannes ergo cernens, quòd propter occupationes ſuſcepti officÿ non poſſet vlteriùs iugem in monte Carmeli reſidentiam trahere, quod Capraſius ab eo flagitauerat, opere compleuit; ſcripſit enim eidem Capraſio librum de inſtitutione noſtræ religionis grǽco eloquio & litteris Græcis: quibus tunc Terræ Sanctæ Eccleſia maximè vtebatur; in quo libro primariam noſtræ religionis inſtitutionem, & fundatorum eiuſdem dignitatem, atque priſcorum profeſſorum geſta, ſanctas & glorioſas virtutes, exterioremque habitus ornatum prædictus Ioannes propterea breui & lucido eloquio & ordinatè deſcripſit, vt ſucceſſores dictorum Patrum in illo libro tanquam in nitido ſpeculo inſtitutionem ſuam intuentes, eam obſeruare propenſius conarentur, & ſanctam vitam ac virtuoſos mores dictorum Patrum ex totis præcordÿs imitarentur: quem librum ipſe Ioannes ſodalibus ſuis religioſis eremitis montis Carmeli legendum & obſeruandum tradidit tempore Honorÿ Imperatoris anno Domini quadringenteſimo duodecimo: Hęc S.Cyrillus, quibus nihil clarius dici poteſt pro tota concluſione. Ad probandam eius primam partem, præter communem & antiquiſsimam religionis traditionem & authores domeſticos, externi plures adduci poſſent, quos breuitatis cauſa tantùm indico: Armachanus primas Hiberniæ apud Vvaldenſem de Sacramentalibus titulo 9. cap. 86. Molanus poſtea citandus: Trithemius ſæpe in libro de laudibus Carmelitarum: Silueſter Marulus Ciſtercienſis in Oceano Religion. libro 4. Petrus Valderama in Theatro Religionum ſermone de S.Elia: Aegydius a Præſentatione de Conceptione libro 3. q. 4. ar. 1. Aegydius Camartus minimus de rebus geſtis Eliæ cap. 5. ſect. 10. & cap. 7. ſect. 1. Paulus Morigia libro de origine religionis c. 3. Carthagena loco citato, & Iacobus Boulduc libro 3. de Eccleſia ante legem cap. 16. multò autem plures ſunt ex Patribus ſocietatis, vt Hieronymus Platus de bono ſtatus religioſi libro 1. cap. 22. Valentia tractatu de votis religioſorum, Gaſpar Sanchez in 3. Regum 17. nu. 13. Suarez tomo 4. de Religione tract. 9. lib. 2. ſect. 10. Cornelius à lapide 4. Regum 10. verſu 15. Caniſius de Beata Virgine libro 1. cap. 3. Et plures alÿ, qui omnes vel expreſsè dicunt Ioannem 44. eſſe alumnum Religionis Carmelitanæ ab Elia inſtitutę; vel ſaltem virtualitèr, dum affirmant librum de Inſtitutione monachorum, in quo ſe ipſe Ioannes Carmelitam vocat, eſſe legitimum eius partum. Prædictis duos adiungam, eorum teſtimonia referens: Primus eſt ex noſtris, Ioannes de Malinis vir doctiſſimus & antiquus, hic in ſpeculo hiſtoriali Carmelitarum cap. 6. ait: *Quidam Frater Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli vocatus Ioannes in Patriarcham Ieroſolymitanum ſublimatus, ſicut ſcribitur in chronicis Romanis circa annum ab Incarnatione Domini 400. quaſdam religioſè viuendi normulas a B.Baſilÿ regula excerptas dicti Ordinis Fratribus impoſterum obſeruandas dereliquit;* Hæ autem viuendi normulæ continentur in dicto libro de Inſtitutione monachorũ, & B.Baſilÿ regula continet obſeruantias regulares ordinis Prophetici Carmelitani ab Elia inſtituti, ſola priùs & continuata traditione ab eiuſdem Ordinis alumnis receptos. Secundus eſt extraneus, maioris authoritatis & minoris ſuſpicionis, videlicet Ferdinandus de Salazar Inquiſitionis Hiſpanicæ Inquiſitor

& Ar-

Digitized by Google

& Archiepiſcopus electus : Hic vir doctiſſimus & grauiſſimus libro de Immaculata Conceptione Virginis, ſæculo 4. arg. 13. cap. 42. ſic ait: *Illud tamen ſcias velim, Illuſtriſſimos Cardinales Baroniũ & Bellarminum ſerio affirmaſſe librum illum de Inſtitutione monachorum non eſſe Ioannis Ieroſolymitani germanum opus, ea ratione ductos, quia meminit Carmelitarũ, eorumque habitum graphicè deſcribit, quos aiunt Ioanne Ieroſolymitano longè poſteriores fuiſſe : ſed abſit, vt ego gloriam iſtam Carmelitis Patribus inuideam, ne dictum Ioannem inter ſuos protoparentes numerẽ :* Et inferiùs ſubdit; *Vidi certè atque euolui non pauca antiquitatis monumenta, vt in hac controuerſia aliquid certi definirem; nihil tamen reperi quod non ſuaderet præmiſſum Ioannem Carmelitanum fuiſſe, & dictum de Inſtitutione monachorum librũ ab ipſo conſcriptum; atque adeò hanc ſententiam libentiùs amplector, & grauiſſimo antiquiſſimoque ordini, quæ ſua ſunt, liberè reſtituo.* Deinde probatur ratione morali plurimùm efficaci, quã fusè proponit Carthagena loco citato : nulla poteſt adduci vel leuiſsima coniectura, quæ ſuadeat Carmelitas falsò & malitiosè appropriare ſuo ordini Ioannem 44. Patriarcham Ieroſolymitanum, eique tanqnam authori prædictum librũ de Inſtitutione monachorum; nam cum inter primitiuos Patriarchas Ieroſolymitanos fuerint plurimi ſanctiſsimi & doctiſsimi etiam ex eremis aſſumpti, vt conſtat ex hiſtoria; ſi Carmelitæ ex malitia, & falsò proceſsiſſent, aptiùs & prudentius vnum ex illis ordini ſuo arrogaſſent, & prædictum librum attribuendo, quàm Ioannem 44. apud aliquos de hæreſi & erroribus Origenis ſuſpectum, quod in dedecus ordinis videtur cedere : Ergo cum Carmelitæ hunc Ioannem ſic ſuſpectum, præ alijs ſanctiſsimis ac omni ſuſpicione errorum puris ſuo ordini approprient communi conſenſu & antiqua traditione; certiſsimum eſt, quòd prædictus Ioannes 44. Petriarcha Ieroſolymitanus fuerit alũnus religionis Carmelitanæ, ſiue ordinis Prophetici ab Elia in monte Carmelo inſtituti.

Probatur ſecunda pars concluſionis : Tum propria ipſius Ioannis proteſtatione, qui in epiſtola quam ad Theophilũ Patriarcham Alexandrinum, totius tunc Orientis Primatem, & Apoſtolicæ ſedis Vicariũ dirigit; ſe verum eſſe catholicũ, & ſe Origenis ingeniũ ſequi ac laudare, non verò fidem aut potiùs errores eius; Inſuper affirmat ſe Sanctis Epiphanio & Hieronymo plenè ſatisfeciſſe quoad ſuſpicionem quam de ipſo conceperant, ac commercium & ſocietatem cum ipſis reſarciſſe : Tum etiam aliorum teſtimonijs fide dignis; Et primò Epiphanij & Hieronymi, qui priùs zelo fidei contra Ioannem 44. ſcripſerunt, & maximè ad Theophilum, credentes ipſum eſſe Origenis ſectatorem in erroribus, cuius ingenij ſciebant eſſe laudatorem : ſed poſtea veritate perſpecta ei conciliati ſunt, & ſcriptis ad ipſum epiſtolis ſatisfacere voluerunt; imo S. Hieronymus reprehẽdit Theophilum Patriarcham, quòd ex prædicta ſuſpicione ſententiam contra ipſum Ioannem tuliſſet. Sic autem loquitur in ſua epiſtola ad ipſummet Ioãnem S. Epiphanius : *Video, quòd propter hanc cauſam omnis veſtra indignatio concitata ſit, quòd dixerim vobis Arÿ patrem Origenem, ſcilicet aliarum hęreſum radicem & parentem laudare non debetis.* Sanctus verò Hieronymus epiſtola ad Theophilum ſic ait : *Liberè Reuerentiæ veſtræ loquor, dolebamus te nimium eſſe patientem; & ignorantes magiſtri gubernacula geſtiebamus in interitum perditorum: ſed vt video, exaltaſti manum diu, & ſuſpendiſti plagam vt ferires fortiùs ſuper ſuſceptione cuiuſdam non debes contra Vrbis huius dolere Pontificem; quia nihil tuis litteris pręcepiſti, & temerarium fuit de eo quod neſciebas ferre ſententiam; tamen rear illum nec audere, nec velle te aliquando lædere :* Hæ authoritates demonſtrant hanc partem concluſionis, cum ijdem ſint iuſtificatores noſtri Ioãnis, qui ſoli fuerant accuſatores, non quod Ioannes errores retractauerit, vt ali-

Dd 2

Digitized by Google

aliquis poſſet ſuſpicari, ſed quia ab illis agnitus fuerit æmulator ingenij tantùm, & non fidei erroneę ipſius Origenis; vt indicat teſtimonium Epiphanij Secundò probatur alijs Sāctorum teſtimonijs. Anaſtaſius Papa epiſtola ad ipſum Ioannem ſanam eius fidem, imò miram ſanctitatem declarat; ſic enim ait: *Vt amori tuo gratias ago, ita ſplendorem tuæ ſanctitatis, & eas quas in Domino habes virtutes, ſubinde quodammodo paruitatis noſtrę fauorabilis ſermo proſequitur: Tam eminenter, vir omnium præſtantiſſimè, laudum tuarum fulges nitore conſpicuus, vt par eſſe meritis ſermo non poſſit: Porrò autem tanto titulorum tuorum capior incitamento, vt etiam quod impetrare nequeo, audere non deſinam: Iam hoc de laudibus eſt tuis, quod me tantum de cæleſtis animi iſtius ſerenitate laudaſti; Tui enim Epiſcopatus ordo perſpicuus per vniuerſum orbem velut radians, etiam ad nos ſplendoris ſui detulit claritatem*. Sanctus Auguſtinus libro 2. contra litteras Petiliani cap. 51. Ioannis noſtri fidem laudat & ſanctitatem: *Cathedra quid tibi fecit Romana Eccleſiæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Hieroſolymitana, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & a quibus vos nefario furore ſeparatis*: Vnde Baronius tomo 5. ad annum 399. ait; *Auguſtinus Ioannis mores ſanctitatemque ſuo tempore mirificè coluit*. Sanctus Theodoretus libro 5. 37. ait: *Hieroſolymum Eccleſiæ præſidebat Ioannes, vir mirabilis ſucceſſor Cyrilli*. Nicephorus Calliſtus libro 14. capit. 30. ait; *Hieroſolimis Cirillo diuinus Ioannes ſucceſſerat*; Et libro 16. cap. 34. ipſum mirabiliter laudat, & oſtendit fuiſſe hæreſim inſectatorum. Vnde Molanus in ſuo martyrologio eum conſtituit inter Diuos, ait enim: *Item Sancti Ioannis Epiſcopi Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ordinis Carmeli profeſſoris*. Nec mirùm, ſi fuerit inſignis Epiſcopus, cum fuerit priùs monachus eximiæ virtutis, de ipſo quippe S. Cyrillus id affirmat adducta ſuperiùs epiſtola. Tandem ad maiorem huius partis noſtræ cōcluſionis euidentiā plurimum cōferūt, quæ leguntur in Cent. 14. Catalogi ſcriptorū Britāniæ his verbis: *Palladius Græcus primus Scotorum Apoſtolus, Ioannis quadrageſimi quarti Hieroſolymorum Epiſcopi diſcipulus olim fuit, vt author eſt Nicolaus Harlemius, dum adhuc eremi cultor ſolitaria Syria loca, potiſſimè Carmelum incoleret; eius, inquam, Ioannis, quo ad Origenis allegoricum dogma Hieronymi atque Epiphanij in ſe concitauit ſcripta: quibus tamen ipſe ſui ſtudij rationem reddens reſpondit, ſe non Origenis fidem, ſed ingenium eſſe imitatum, ediditque librum contra ſui ſtudij obtrectatores, & de Inſtitutione primorum monachorum, librū allegorijs plenum, quem è Græco tranſlatum vidi*. Quæ cuncta demonſtrant efficaciter, quòd Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus fuit Pręſul ſanæ & orthodoxæ fidei.

Probatur tertia pars concluſionis: Tū ex adductis authoritatibus pro prima & ſecunda parte; omnes quippe, vel ferè omnes citati authores aſſerunt Ioannem 44. Patriarcham Ieroſolymitanum eſſe authorem libri de Inſtitutione monachorum: Tum alia authoritate S. Cyrilli noſtri Conſtantinopolitani epiſtola ad Euſebium, vbi ſic ait; *Volumen de Inſtitutione primorum monachorum in lege veteri exortorū, & in noua perſeuerantiū, ad Capraſium monachum, eſt Ioannis 44. Hieroſolymorum Epiſcopi, eius videlicet qui circa annum Domini quadringenteſimum, Arcadio & Honorio Imperatoribus, Sanctis Epiphanio & Hieronymo ſuſpectus fuit de hæreſi Origenis*. Vltra citatos authores alij plures agnoſcunt prædictū librum tanquam partum legitimum Ioannis 44. Vincentius Bellouacenſis in ſpeculo hiſtoriali, Azorius Inſtitutionū moralium libro 12. capit. 23. Aubertus Miræus in chronicis ad annum 1207. Leander de Granata in vita Sanctæ Gertrudis, Ioannes Serranus Acernenſis Epiſcopus de Immaculata Mariæ Conceptione libro 2. cap. 18. Et Poſſeuinus tomo 2. folio 205. vbi de noſtro Ioanne

loquens

Digitized by Google

loquens dicit, *Scripſiſſe hortatorias epiſtolas, ſed & librum aduersùs obſtrectatores nominis ſui, quo in opere purgare ſe voluit Hieronimo atque Epiphanio de crimine Origenis: quin & ad Caprafium cõpoſuit librum de Inſtitutione primorum monachorum, quem Aymericus Antiochenus Patriarcha e Græco Latinum reddidit, quique Venetiis idem in lucem prodiit.* Ex noſtris autem præter citatos id docent Philippus Ribotus in præfatione librorũ de Inſtitutione Carmelitarum, Thomas Vualdenſis de Religioſorum ſtatu, Et ex profeſſo probat Petrus Vuaſtellius in Apologetico cap. 24. Deinde probatur antiquiſſima & vniuerſali traditione totius ordinis Carmelitani, quæ ſine dubio debet eſſe maximæ authoritatis, cũ in eo ſemper fuerint viri doctiſſimi, ſapientiſſimi & Sanctiſſimi, qui ſine dubio non receperunt fabellas pro traditionibus. Denique: Ex vna parte non aſſignatur, nec eſt aſſignabilis author alius dicti libri, præter Ioannem 44. ſi namque foret aſſignabilis alius, iam aduerſarij diligentes admodum in hac materia aſſignaſſent: Ex alia verò parte multæ ſunt coniecturę & admodum probabiles, quòd dictus Ioannes 44. ſit author ipſius; nam talis liber eſt doctiſſimus, plenus allegorijs,& antiquiſſimus: quòd ſit doctiſſimus, conſtat ex eius lectione, nam ſic aptè vtitur verbis ſacræ ſcripturæ, vt verba authoris appareant; quòd ſi alicubi phraſis diſpliceat quaſi non ita elegans, imputetur translatori Latino, non authori Græco: quod ſit plenus allegorijs, in quo imitatus eſt author ingenium Origenis, qui totus eſt allegorius, conſtat etiam eius lectione: quòd denique ſit antiquiſſimus, conſtat; Tum ex adducta authoritate S. Cyrilli, nam ab hinc ferè quingentis annis iam talis liber habebatur vt valdè antiquus; Tum quia in eo non habentur authoritates aliæ quàm ſacræ ſcripturę, nondum enim publica erant Sanctorum Patrum opera ſaltem multa, Et tunc ſcribentibus mos erat ſolis ſacrę ſcripturæ teſtimonijs vti; Tum quia non recenſet ſacrę ſcripturæ capita, imò plures libros vno titulo comprehendit, ſæpe enim dicit librum Regnorum machabęorum historiam, Prophetam, Euangelium, qui mos ſcribendi ſapit antiquitatem: Ergo Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus eſt author libri de Inſtitutione monachorum. Quòd ſic ampliùs confirmatur: Non poteſt præſumi, quòd tota Religio Carmelitana hunc librum Ioanni 44. falsò aſcribat, aut ex ignorãtia, aut ex malitia; nam ſi ignoraret eius authorem, & vellet antiquum ei quærere, aptiùs & prudentiùs ei aſſignaſſet aliquem Sanctum Patrem aut Doctorem Eccleſię, ſiue ex Græcis ſiue ex Latinis, qui ab omnibus haberetur vt Sanctus & doctus; Et aliunde in alijs locis ſuorum operum agnoſceret Eliam vt Patriarcham monachorum, ac ipſe fuiſſet in monte Carmelo religioſè viuens, qualis N.S. Cyrillus Alexandrinus, S. Baſilius, Sanctus Hieronymus, Sanctus Ioannes Damaſcenus, aut alius ſimilis; ſic enim eſſet maior authoritas libri, & maior honor Religionis, quàm attribuendo ipſum Ioanni 44. apud aliquos ſuſpecto de hęreſi: Et multò minus hoc factum fuiſſet ex conſenſu proprij authoris huius libri, cui ex compoſitione ipſius tanquam operis doctiſſimi, & in omnibus Catholici, maximum decus prouenifſet; quod autem ſit Catholicus, conſtat ex communi approbatione, & approbata lectione.

AD Primum ergo dicendum, quòd meritò Ioannes 44. in ſuo libro poteſt loqui de Religione Carmelitana; Cum ipſa procedat ab Elia, vt dictum eſt, & ipſe fuerit alumnus eius.

AD Secundum dicendum, quòd licet in principio SS. Epiphanius & Hieronymus crederent ac publicarent noſtrum Ioannem 44. vt Origeniſtam, quem videbant eſſe laudatorem Origenis, & æmulatorem ingenij eius; Et propterea plures, etiam monachi Carmelitæ ab eius conſortio recederent; poſtea tamen fuit ab illis Sanctis Patribus, & ab omnibus alijs habitus vt Catholicus.

AD

AD Tertium dicendum quantùm ad primam rationem, ſicut dictum eſt ad primum. Quantùm ad ſecundam rationem dicendùm, quod potiùs ex multis deprehenditur hic liber fuiſſe Græco idiomate compoſitus, vt expendit Petrus Vuaſtellius in ſuo Apologetico cap. 24. & in alio libro ſub titulo Vindiciarũ Ioannis Ieroſolymitani operum; Et maximè quia in libro multa ſunt inſerta Græca vocabula in ipſa translatione latina: quod autem non vtatur maiorum authoritate, potiùs demonſtrat ipſum eſſe antiquiſſimum, vt dictum eſt. Quãtùm ad tertiam rationem dicendũ, quod vt conſtat ex ipſa lectione libri multa ſunt ſacrę ſcripturæ teſtimonia iuxta textum Græcum, & non conformia textui Latino vulgatæ editionis: Et quamuis omnia eſſent iuxta textum Latinum, nihil obſtaret; nam Interpres optimè pro phraſi Græca poſuiſſet Latinam vulgatę editionis: quia ex vna parte translatio libri facta eſt ab Aymerico pro monachis Latinis, vt conſtat; Et ſic debuit vti ſcriptura ſacra ipſis vſitata: Ex alia parte bonus Interpres non debet tam obſeruare verba quàm ſenſum, vt docet Sanctus Hieronymus epiſtola ad Pamachium, & D. Thomas in prolog. opuſc. 1. Ad illud quòd ſubditur, dicendum quòd Gennadius Maſſilienſis Præsbyter non habuit notitiam huius libri a Ioanne 44. editi; vel fortè hic liber eſt idem cum illo, quem dicit a Ioanne ſcriptum in obtrectatores ſtudij ſui, vt aliqui volunt. Quantùm ad illud de Scapulari, dicendũ quod a multis ſæculis ante S. Simonem Stoch fuit in vſu in noſtra Religione Carmelitana, vt ſuo loco dictum eſt; ſed erat breuiùs, & aliquantò diſſimile in figura ei quòd modò geſtamus: nec erat eiuſdem virtutis & priuilegij, ac poſtquam fuit datum ordini Carmelitano a Beata Virgine Maria.

ARTICVLVS IV.

Vtrum S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quod Sanctus Cyrillus Alexandrinus non fuerit alumnus religionis Carmelitanæ. Ita tenent Baronius & alij. Probatur authoritate huius Doctoris in Eccleſia celeberrimi, qui tomo 4. ad annum Chriſti 392. ſic ait: *Faceſſat ergo eiuſmodi de monachiſmo Cyrilli fabella, ſicut alia huic haud impar, quæ traditur & Ioannes Hieroſolymorum Epiſcopus fuiſſe etiam monachus Carmelita, ſicut enim hæc leuiter effinguntur, ita & facilè refelluntur, flagrans quidem cupido nobilitatis auitæ cogit interdum homines delirare*: Ergo Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Pręterea: Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus non inſcribitur in ſuis libris Carmelita, nec ex illis deducitur quod fuerit talis, imò nec monachus: Ergo Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Pręterea: Præcipuum fundamentum, quod Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus fuerit alumnus religionis Carmelitanæ, eſt quædam epiſtola Legati Regis Gallię in Concilio Epheſino hoc aſſerens: Sed hoc teſtimonium apparet falſum & ſuppoſitum, quia tunc non erat Rex Galliæ, ſaltem Chriſtianus: Ergo Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt authoritas Eccleſiæ in eius officio, ipſiuſque Sancti Cyrilli, Traditio vniuerſalis & antiqua noſtrę Religionis Carmelitanę, ac plurium Doctorum ſententia.

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quod S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus fuit alumnus religionis Carmelitanæ, in ipſo monte Carmelo inſtructus. Ad cuius euidentiam ſciendum, quòd hic S. Cyrillus fuit non ſolùm dignitate Patriarchali, ſed etiam natiuitate Alexandrinus, Theophili item Patriarchæ Alexandrini ex fratre nepos, claris parentibus ortus: Ab ipſo adoleſcens Athenas ſtudiorum cauſa mittitur, vbi cum multum in ſcientijs ſæcularibus profeciſſet, poſt Terræ Sanctæ peregrinationem ſe contulit ad Ioannem noſtrum 44. Patriarcham Ieroſolymitanum deuotionis cauſa ſcilicet Chriſtianæ vitæ perfectione imbueretur: Cuius intentionem & talenta miratus Ioannes, præuidenſque futurum eximium Carmelitanę religionis alumnum, remiſit ipſum in montem Carmelum, religioſę vitæ gymnaſium, vtique vitę Chriſtianę perfectione, ac profeſſionis monaſticæ documentis inſtruendum, vt ſtatim probabitur, a Capraſio & alijs monachis ibi degentibus, non ſolùm ipſorum verbis, ſed etiam & maximè exemplis. Cyrillus è Carmeli ſolitudine ad Patriarchalem Alexandrinam ſedem fuit ſublimatus in demortui Theophili ipſius patrui locum anno Chriſti 412. quo creditur ſcriptus liber Ioannis 44. de Inſtitutione monachorum, eiuſdē patrui contra Sanctum Ioannem Chryſoſtomum auerſionem primò conſeruauit, ſed poſtea fuit ei reconciliatus, tum epiſtola Iſidori Peluſiotę, tum viſione Beatiſſimæ Virginis, quam ſic Nicephorus libro 4. cap. 18. narrat: *Non ſolùm*; ait, *litteris Iſidori, ſed & diuina etiam & ſecretiori quadam reuelatione accidente correxit; videre namque viſus eſt ſeipſum ſacris ædibus expulſum a Ioanne, comitatu, & diuino quod circa eum erat ſatellitico maximè freto, & matrem Domini pro ipſo deprecantem: atque cum multa etiam alia, tum illud præcipuè quod pro ipſius gloria plurimum ille decertauit, ſicuti dicitur, referentem, vt in ſacra templa reciperetur, orare: Hanc viſionem cum S. Cyrillus cogitabundus animo ſecum volueret, ſeipſum quòd in ſanctum virum inuectus eſſet damnauit; Et deinde ipſe quoque re cognita, Eccleſiæ Chryſoſtomi addictus virum cum admiratus eſt; valdeque ipſum, quòd contra illum imprudens prorsùs irritatus fuerit, pænituit: Proinde diuerſum omninò a priore conſilio faciens, Synodum prouincialem coegit, & Ioannis nomen ſimul & ipſe, & reliqui magnarum ſedium Antiſtites in ſacro Albo propoſuerunt.* Deinde Cyrillus totum ſe Epiſcopalis ſollicitudinis curæ dedit: in primis vt ab infidelium erroribus Eccleſiam ſuam purgaret: Iudæos tunc temporis Alexādriam prauis moribus labefactantes inde expulit, Neſtorianos quoque hęreticos inſectatus eſt; quare Cœleſtini 1. Legatus in Concilio Epheſino decretus peſtiferum illorum dogma penitùs deleuit, & Beatam Virginem Mariam Dei Matrem verè eſſe confirmauit. Ecce quàm fidelis fuit religio Carmelitana ſuis mediantibus alumnis, in honore Virginis Deiparæ aduersùs hęreticos protegendo; ſupra vidimus, qualiter continua traditione conceptionem eius immaculatam Eliæ ſuo Patriarchæ reuelatam credidit & prędicauit; nunc videmus, quomodo iuſtum Matris Dei titulum, ipſi pretioſiſſimum, ac omnium eius priuilegiorum originem defenderit. Verùm humani generis & eiuſdem Dei Genitricis hoſtis per Ioannem Sacrenſem Imperatoris vices Epheſi gerentem plurimas ei perſecutiones excitauit: quibus diuinitùs ſuperatis Alexandriam reuerſus multas epiſtolas per Aegyptum, vt reliquias hereſi Neſtorianæ extirparet miſit: multa ſcripſit præclara opera, quæ verſantur maiori ſaltem ex parte in manibus omnium, ſuppeditante præſertim Apoſtolica Vaticani Bibliotheca, quæ multa ipſius opera manuſcripta conſeruat.

Digitized by Google

uat. Poſtquam plurimum pro Eccleſiæ defenſione laborauit, poſt innumeras virtutes ab ipſo patratas, poſtquam Alexandrinam Eccleſiam multis annis sāctè gubernauit, ſenio confectus in pace obdormiens quietem naturalis mortis inuenit, atque incorruptum Deo ſpiritū reddidit quarto Kalendas Februarij, Theodoſio & Valentiniano Imperantibus: Corpus eius in Eccleſia Alexandrina a clero honore congruo ſepelitur, multis nitens virtutibus anno Domini 444.

Probatur concluſio authoritate ipſiuſmet S. Cyrilli, qui ſe monachum expreſsè nominat, & inde concluditur fuiſſe monachum Carmelitam. Tomo 2. ſuorum operum epiſtola 1. iuxta antiquiores impreſſiones Baſileenſem anno 1566. & Pariſienſem 1906. ſic ait in præfixo eius titulo: *Cirillus Præsbiteris, Diaconis, Patribus monachis, & ijs qui ſolitariam nobiſcum vitam exercent &c.* Quamuis autem recentiores impreſſiones, vt Pariſienſis 1638. loco particulę *Nobiſcum* habeant *Vobiſcum*, antiquiora tamen monumenta ſolent eſſe puriora, vt poſſet multiplici inductione probari nam in multis Sanctis Patribus ſimiles irrepſerunt mutationes ac corruptiones, fortè aliquorum malitia, vel ſaltem ignorantia: Nouiſſimè detractæ ſunt a Sancto Ioanne Chryſoſtomo homiliæ de noſtro Elia, qua authoritate neſcio; Et ab operibus Trithemij duo libri de laudibus Carmelitarum, & de Sanctis ipſorum. Deinde ipſe Cyrillus in cap. 7. Micheæ Prophetæ exponens hæc eius verba; *Paſce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ habitantes ſolos in ſaltu in medio Carmeli*, Cum præmiſiſſet in monte Carmelo fuiſſe ſuo tempore viros ſolitarios ſe a terrenis delicijs ſeparantes, ſeipſum in eorum numero cōſtituit, vnde ait: *Habitant autem ſeparatim ſegregati, & electi, & digreſſi ab aliis qui ſola terrena ſapiunt, & poſſeſſionem temporalium magni faciunt, & carnis voluptatibus indulgentes ad quiduis infandū non mediocriter propendent: Quamobrem tranquillum poſſidentes animum, & turbis vanis atque abominandis cum liberantes extra alios conſtituimus, venerandamque & admiratione dignam vitam agitamus; & ſeorſim ſumus: ſicut nimirum & Propheta Ieremias; ait enim Domine Omnipotens non ſedi in concilio eorum ludentium, ſed timui a facie manus tuæ, ſeorſum ſedebam quia amaritudine repletus ſum.*

Secundo probatur aliorum authoritate. Inter quos primus ſit Iſidorus Peluſiota epiſtola 25. qui improperando ei vocat ipſum monachum, ſic autem ait: *Quid tibi vtilitatis affert Ioannis in locum deſertum, quam olim ſtudioſè imitatus es? cum eum nunc minimè imiteris, verùm ad priuatas curas te referas, atque in ſolitudine tumultueris, & ab hominum cætu remotus perturberis; etenim externo habitu ac ſpecie quieſcere, mentis autem perturbationibus inquinari; tum ſenſum caligine perfundit, tum ſuſceptos iam labores extinguit, atque perturbationibus animi pronam ac facilem victoriam reddit, efficitque vt miles abiecto ſcuto fugiat: Porrò, nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus, vt ei placeat, a quo in militiam aſcitus eſt; Verum arma omni ex parte geſtat, ad id certamen, quod Tribuno militari placuerit ſe comparans.* Sic autem Iſidorus improperauit Cyrillo, vt ipſum reuocaret a prædicta auerſione contra Sanctum Ioannem Chryſoſtomum. Secundus eſt Legatus Regis Galliæ in Concilio Epheſino, cui S. Cyrillus præſedit, in vna epiſtola ſic ait: *In Concilio Epheſino, quod fuit celebratum per ducentos Epiſcopos anno Domini 418. præſidebat loco Papæ Cæleſtini I. Beatus Cyrillus monachus montis Carmeli, qui ob ſanctitatem vitæ, admirabili ſcientia & doctrina diſputans contra Neſtoriū Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui maculam poſuit in Beata Virgine Maria, & in eius Filio Ieſu Chriſto, eum ſuperauit*: Hoc teſtimonium velut authenticū valde adducitur a multis Authoribus tā domeſticis, quàm extraneis in originali idiomate Gallico, quos citat Lezana ad

ad annum Chriſti 371. Tertius eſt Abbas Trithemius, qui libro de Sanctis Ordinis noſtri ſic ait: *Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, Doctor Græcus, montis Carmeli quondam decus & cultor inſignis.* Quartus & vltimus eſt Palæonydorus (vt cæteros omnes ex noſtris prætereamus) libro 2. cap. 7. ait: *Tempore prædicti Sancti Ioannis* (intelligit noſtrum Ieroſolymitanum) *Mortuo Patriarcha Alexandrino Theophilo anno Domini* 403. *Cyrillus eremita mōtis Carmeli Epiſcopus Alexandrinus* 28. *ordinatur, vir vitæ ſanctiſſimæ, fideique Catholicæ fideliſſimus propugnator ſtrenuuſque hæreticorum debellator; fuit verò contra Timotheum, qui ad Patriarchatum adſpirabat, totius populi aſſenſu aſſumptus: Hic apud Alexandriam nedum claris, ſed & Chriſtianis ortus parentibus, ab auunculo ſuo Theophilo Athenas miſſus adeò profecit, vt in breui adipiſceretur Doctoris inſignia: Audiens autem Sancti Ioannis in Hieruſalem bonam famam, dum ipſius præſentia aliquādiu fruitus fuiſſet, iunctus Fratribus Carmeli in Religione ſpeculum dedit illis fulgentiſſimæ ſanctitatis.*

Tertiò probatur vniuerſali & antiqua traditione noſtræ religionis Carmelitanæ, & authoritate Eccleſiæ: Suppoſitis prioribus fundamentis innititur traditio noſtræ Religionis, quòd S. Cyrillus Patriarcha Alexādrinus fuerit eius alumnus; Vnde a multis ſeculis feſtum ipſius celebrauit, & officium recitauit, vt cōſtat ex antiquis eius Kalendarijs etiam manuſcriptis, præſertim ex Mechlinienſi, quòd eſt quadringentorum penè annorum: Propterea Sanctus Carolus Borromæus quondam noſtræ Religionis Protector, in eius capitulo generali præſidens anno Domini 1564. approbauit quòd feſtum S. Cyrilli cum octaua celebraretur. Summi verò Pontifices Gregorius XIII. Sixtus V. & Vrbanus VIII. lectiones officij S. Cyrilli confirmarunt ſequenti tenore: *Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, claris parentibus ortus, Theophili item Epiſcopi Alexandrini ex fratre nepos, a quo adoleſcens Athenas ſtudiorum cauſa miſſus, cum plurimum profeciſſet, ad Ioannem Epiſcopum Ieroſolymitanum, vt chriſtianæ vitæ perfectione imbueretur, ſe contulit; cuius conſuetudine in Carmelum montem ſecedens, ibi cum aliquot piis hominibus illic degentibus cæleſtem vitam in terris aliquandiu egit.* Quæ vltima verba nihil aliud videntur importare, quàm S. Cyrillum cum viris Religioſis in monte Carmelo viuentibus monaſticam vitam, exercitio virtutum omninò cœleſtem duxiſſe. Qui plures deſiderat authores pro noſtra concluſione, legat Vaſtelium in defenſione Ioannis 44. Ieroſolymitani, & Lezanam tomo 3. Annalium, qui eos magno numero referunt.

AD primum ergo dicendum, quod aliqui reſpondent Baronium hoc ſcripſiſſe contra nos irritatum, quia quidam Carmelita contra ipſum ſcripſerat de eius erroribus: ſed abſit, vt hoc ſentiam de tam pio & iuſto Authore. Vnde dicendum quòd non habuit ſufficientem notitiam noſtrarum traditionum & relationum; tot enim ſcripſit quod non potuerit ſingula diligenter inquirere, quia vt dicitur, pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Addo præſertim circa cenſuram ſatis iniurioſam Carmelitis, quòd non fuit ſcripta ab ipſo, ſed inſerta ab aliquo eius in ſtudijs adiutore: Audiui enim Romæ anno Domini 1626. a quodam Patre noſtro, quod Venerabilis P. N. Petrus a Matre Dei trium Pontificum concionator Apoſtolicus, & ipſius Baronij amicus intimus (vt conſtat ex illuſtri eiuſdem Baronij teſtimonio de illo, quo ſcribit vix ſuo tempore ſanctiorem apparuiſſe Romæ) cum ad ipſum amicabilis querelæ cauſa acceſſiſſet; Reſpondit ſe hanc cenſuram non appoſuiſſe, nec tunc vidiſſe; cum Pater ſubiunxiſſet, vt eam in ſequenti tomo reuocaret, Replicauit ipſe quod ex tam ſubita retractatione minueretur authoritas, librorū eius: Hęc audiui ab illo Patre qui teſtes huius colloquij viderat.

AD ſecundum dicendum, quòd ex contrariorum conteſtatione ſequitur, S. Cyrillum non inſcribi Carmelitam in

Digitized by Google

ſuis libris: conſtat autem ex dictis, qualiter ex eius libris deducitur, imò in illis dicitur ipſum fuiſſe monachum & monachum Carmelitam.

AD Tertium dicendum, quòd illa epiſtola non eſt totum fundamentũ noſtræ concluſionis, vt dictum eſt, tamẽ eſt etiam firmum fundamentum a multis & grauiſſimis Authoribus receptum. Vnde ad impugnationem eius dicendũ, quod licet illo tempore non eſſet vnicus Rex in tota Gallia qui eſſet Chriſtianus, potuit tamen eſſe aliquis; nam ſæpe vidimus Galliam ſub multis Regibus diuiſam, vt conſtat ex Hiſtorijs. Nota quòd concilium generale Epheſinum fuit celebratum anno Domini 431. Et iam a duobus annis in Gallia regnabat Pharamundus Rex primus Francorum, cui Clodion ſiue Clogion, Merouęus, & Childericus ſiue Chilpericus hoc ordine ſucceſſerunt in regno & in infidelitate: Sed poſtmodum Clodoueus ſeu Ludouicus I. ſuccedens anno Chriſti 485. conuertitur a Sancto Remigio Rhemenſi Epiſcopo, qui plurimum in Gallia ſuum dilatauit regnum, priùs enim ſolam Galliam Belgicam poſſidebat; Tunc etiam acquiſiuit Aquitanicam occiſo ſua manu Alarico Rege Gothorũ ſibi reſiſtente. Ex quibus deducitur, quod plures in Gallia ſic diuiſa Reges erant, etiam Chriſtiani, quorum aliquis Legatum miſerit ad Concilium Epheſinum.

ARTICVLVS V.

Vtrum S. Anaſtaſius Martyr fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd S. Anaſtaſius Martyr non fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. Probatur Romæ in Monaſterio S. Bernardi ad aquas ſaluias oſtenditur effigies huius Sancti ipſiſſima, quæ teſtimonio ſecundi Concilij Niceni fugat dæmones & ſanat morbos, vbi videtur caput ipſius cum capucio nigri coloris & acuminato, quod proinde eſt diuerſæ rationis tam in colore quàm in figura ab habitu Carmelitanæ Religionis: Ergo Sanctus Anaſtaſius martyr non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: Menologium Græcum, loquens de S. Anaſtaſio martyre die 15. Ianuarij dicit, quod factus eſt monachus in monaſterio S. Sabæ: Sed tale monaſterium non fuit Religionis Carmelitanæ, ſed potiùs Baſilianæ, nunc enim ſub illa floret hactenus: Ergo S. Anaſtaſius martyr non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Tempore Ioannis 44. Patriarchę Ieroſolymitani iam diuiſi erant ordines religioſi ſub diuerſis fundatoribus, quod ipſi fuit occaſio ſcribendi librum de Inſtitutione monachorum in antiqua lege, vt ſic Carmelitarum ab alijs diſtingueret: Sed Sanctus Anaſtaſius martyr fuit poſt illud tẽpus, vt conſtat: Ergo potuit eſſe alterius religionis quàm Carmelitanæ alumnus.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiqua traditio religionis Carmelitanæ, cum approbatione Eccleſiæ Romanæ.

CONCLVSIO.

Cum in Religione Carmelitana fiat officium & feſtum S. Anaſtaſii quaſi proprii, fuit alumnus illius.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Anaſtaſius martyr fuit alumnus religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum, eſt quòd S. Anaſtaſius martyr fuit Perſa natione vocatus primò Magundat: Fuit filius cuiuſdam magi inter alios celeberrimi, ſub cuius magiſterio didicit ipſe magicam artem: cum Choſroas Perſarum Rex contra Syriam & Palæſtinam exercitum comparaſſet, capta Ieroſolyma ciuitate Crux Sacra Chriſti Domini translata fuit Ecbatanam, nunc Tauris, Mediæ Metro-

Digitized by Google

Metropolim & Regni Perſici tunc curiã, ab Arphaxat Rege conſtructam, vbi in foro publico ſolemniter ſublimata ſeruabatur, locus ille nunc quatuor pyramidibus ad perpetuam rei memoriam extat decoratus, quos ipſe vidi: Cum ſacra crux miraculis coruſcaret, myſterium eius voluit Anaſtaſius addiſcere, Et alijs narrantibus audiuit in ea Dei filium pependiſſe, quod ſuæ conuerſionis initium fuit; nam vt pleniùs de his inſtrueretur, cum iterum Choſroas exercitum ſub Duce generali Sain miſiſſet ad ſtabiliendam Syriȩ ac Paleſtinæ acquiſitionem, Anaſtaſius adoleſcens cum ſuo fratre germano militiæ nomen dedit, & tanto fuit incenſus fidei Chriſtianæ deſiderio, vt fugatis ab Heraclij Imperatoris exercitu Perſis, relicta militia primum Hierapoli apud Chriſtianum Perſam argentarium manſerit, a quo ductus eſt ad Eliam Præsbyterum Templi Sanctæ Reſurrectionis a Conſtantino Magno conſtructi, quod a Choſroa deſtructum reparabatur ſollicitudine modeſti Vicarij Generalis Patriarchȩ Zachariæ captiui in Perſide; A prædicto Elia Præsbytero inſtructus debitè Cathecumenus noſter, ab eodem Modeſto baptizatus, ob Dominicæ Reſurrectionis venerationem, mutato nomine Anaſtaſius appellari voluit; Elapſis verò octoginta diebus, quibus non licebat eos, qui illuminati fuerant, egredi, monaſticum habitum ſumpſit: Tranſactis poſteà in monaſterio ſumma cum laude ſeptem annis, per viſum agnoſcens martyrem ſe futurum, in ciuitatem ad feſtum Reſurrectionis celebrandum venit: Deinde ex Superioris licentia Dieſpolim & Charizim & ad cætera veneranda loca orationis gratia proficiſcens, Cæſaream Palæſtinæ noſtro monti Carmelo vicinam peruenit, vbi cum in Templo Deiparæ duobus diebus conſtitiſſet, atque inde ad Eccleſiam Sanctȩ Euphemiæ pergeret, Perſarum magos præſtigijs occupatos videt; quos cum ab errore, zelo Religionis concitus, reuocare vellet, ab ijs comprehenſus tres dies ſine cibo & potu in carcere detinetur: Hinc ad prętorium ductus Marzabanæ eorum Duci præſentatur, qui pluribus verbis illius conſtantia tentata vinculis ferreis collum ei atque alterum pedem in ergaſtulo circumcingi, & vt ingentes lapides ferat, præcipit: Eo loci a Perſis eorumque duce pluribus exagitatus, humi poſtmodum extenditur, & diriſſimè verberatur; At in fidei confeſſione perſeuerans, & magica ſacrificia execrans, iterum atque iterum in carcerem reducitur, vbi duo monachi Ieroſolymis miſſi eum viſitarunt, & ad martyrium properantem incitarunt: matutinos decantans hymnos Anaſtaſius, Angelica fuit viſitatione conſolatus; Marzabanas autem cum nihil proficeret, rem ad Choſroam Regem detulit, cuius iuſſu Anaſtaſius in Perſidem mittitur, vbi variè etiam tentatus, & verberibus non ſemel cæſus lapide grauiſſimi ponderis ad alterum pedem appenſo, altera manu duarum horarum ſpatio ſuſpenditur: Sed cum in tormentis conſtantior euaderet, Magiſtratus Regi perſuadet, ne eius conſtantiæ amplius in Regiæ Maieſtatis dedecus periculum faciat, quare alijs ſeptuaginta Chriſtianis Regis iuſſu coram ipſo ad martyrium præmiſſis, Deo gratias agens ipſe decollatus eſt; Et vt eum iam interfectum eſſe oſtenderent carnifices ſacrum caput ad Regem deferunt: Cuius corporis reliquias monachus Cæſarea veniens linteo a filijs Ieſdin mutuato, inuolutas ſecum detulit, & in Sancti Sergij monaſterio honorificè poſuit; Poſtremò Romam delatæ in monaſterio ad aquas ſaluias collocatȩ ſunt.

Probatur concluſio: Quamuis tempore S. Anaſtaſij martyris, nempè anno Chriſti 620. iam in Aegypto florerent aliqua monaſteria ſub titulo S. Antonij, ſicut & in Græcia ſub titulo S. Baſilij; cuncta tamen monaſteria Palæſtinæ per S. Hilarionem inſtituta, vel etiam reſtituta, ſub antiquo Patriarchatus Eliæ titulo viuebant, in eo maximè confirmata

ex libro Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani de Inſtitutione monachorum: Sed Sanctus Anaſtaſius martyr ſumpſit habitum religioſum in monaſterio Palæſtinæ, quod fuit ab ipſo denominatum Anaſtaſij monaſterium, ad quatuor milliaria propè Ieruſalem, quod proinde erat inſtituti Eliani: Ergo S. Anaſtaſius martyr fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

Secundò: Religio Carmelitana ab immemoriali tempore celebrat feſtum ac diuinum officium S. Anaſtaſij martyris quaſi ſui, ex approbatione Eccleſiæ Romanę, in cuius oratione ſic habetur; *Deus in te ſperantium virtus, qui de Carmeli ſolitudine ad ſubeundam martyrij palmam Beatum Anaſtaſium euocaſti &c.* Quibus verbis ſignificatur S. Anaſtaſium ſaltem exiſſe de aliquo conuentu Carmelitano, cum ad martyrium ſibi prænuntiatum properauit: vel etiam magis litteraliter ſignificatur, ipſum de ipſamet montis Carmeli ſolitudine ad martyriū proceſſiſſe; in myſtica namque viſione vidit ſe in alto monte, vbi obuium habuit hominem, qui vinum ipſi potandum obtulit in aureo vaſe, quo facto diuinitùs agnouit martyrem ſe futurum; quod ſuo ſignificauit ſuperiori, de cuius licentia venit primò Liddam ſiue Dioſpolim, inde Charizim in montibus Ephraim, & ad cætera deuotionis loca, quæ plurima ſunt in Galilæa a Chriſto Domino conſecrata, & inter ipſa noſter mons Carmelus in myſtica viſione illa ſibi præmonſtratus, natale ſolū ſuę Religionis Carmelitanę; Vnde tandem ad ſubiectam, & ad ſex milliaria proximā deſcendit Cæſaream, vbi martyrij viam cœpit, vt dictum eſt: Quæ omnia manifeſtè probant, S. Anaſtaſium fuiſſe alumnum religionis Carmelitanæ.

AD primum ergò dicendum, quòd inter colorem nigrum & fuſcum non eſt magna differentia, vnde etiam Carmelitæ aliàs vſi ſunt colore nigro pro fuſco; deinde tanto tempore potuit color fuſcus nigreſcere, vt ſolet; ac tandem imago illa potuit nonnunquam à pictoribus renouari, & in colore alterari; Cum illam vidi, aderat pictor inſignis, qui dixit dictam imaginem non eſſe antiquiorem quinquaginta annis, vt ex arte nouerat, quod intelligo quantum ad renouationem. Similitèr dicendum, ſicut aliàs dictum eſt, quòd in figura habitus Carmelitani fuit, pro temporum & locorum diuerſitate, aliqua mutatio accidentalis, ita quod caputium fuerit aliquando mediocriter acuminatum, vt eſt illud S. Anaſtaſij.

AD Secundum dicendū, quòd Sanctus Anaſtaſius ſumpſit habitum in prædicto monaſterio a ſe denominato, ſolū quatuor milliaribus diſtante a ciuitate Ieruſalem; non autem in monaſterio Sancti Sabæ, diſſito decem milliaribus ab ipſa Ieruſalem, quod monaſterium vocabatur Laura, a fluuiolo ſiue torrente Laura; cuius ſignum eſt, quia Antiochus monachus non ſcripſit martyrium Sancti Anaſtaſij, ſicut ſcripſit aliorum monachorum dicti monaſterij Lauræ S. Sabæ; Poteſt tamen S. Anaſtaſius dici diſcipulus S. Sabę, quia hic S. Abbas ex mandato Saluſti Patriarchæ Ieroſolymitani curam habuit & regimen omniū monaſteriorum, quę erant in deſertis S. Ciuitatiis Ieruſalem. Dicendum deinde, quòd S. Sabas, & eius monaſterium primò fuerunt inſtituti Carmelitani, ſed poſtea deſertum ex aliqua perſecutionū occaſione, vel ſub Homar, vel deinceps ſub Saracenis; fuit reparatum a monachis inſtituti Baſiliani, ſub quibus perſeuerat hactenus; nec rarum eſt, quòd monaſteria vnius religionis ex aliquo ſucceſſu tranſeant ad aliam.

AD Tertium dicendum, ſicut iam dictum eſt, quod etſi alibi iam ordines religioſi eſſent diuiſi tempore S. Anaſtaſij, nondum tamen in Palæſtina, vbi omnes monachi ſub antiquo Eliæ Patriarchatu ſtabiles erant, citato Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani libro confirmati, & vicini montis Carmeli exemplo perſuaſi.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrum Petrus Eremita fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Sextum ſic proceditur. Videtur quod Petrus Eremita nõ fuerit alumnus religionis Carmelitanæ. Probatur: Hic Petrus dicitur Eremita patrio cognomine, non autem à vita ſolitaria; Et quamuis fuiſſet eremita propter vitam ſolitariam, non per hoc ſequitur quòd fuerit Religioſus Carmelita, imo potius contrarium: Ergo Petrus Eremita non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Preterea: Ex vna parte non conſtat, vbi Petrus Eremita ſumpſerit habitum Religionis Carmelitanę; imò authores Carmelitæ in hoc differunt, quod aliqui dicant ipſum ſumpſiſſe habitum in quodam Hiſpaniæ deſerto, alij verò in monte Carmelo: Ex alia verò parte non geſtabat habitum Carmelitanum; dicitur enim a Guiberto libro 6. Hiſtoriæ Ieroſolymitanæ, quòd vtebatur tunica capuciata talari: Ergo Petrus Eremita non fuit alumnus Religionis Crmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Petrus eremita poſt reditum a Terra Sancta fuit fundator monaſterij Hurenſis in ditione Leodienſi Canonicorum regularium S. Auguſtini, quod adhuc ſub illis perſeuerat: Ergo ſignum eſt, quod non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ; nam ſi fuiſſet, potiùs Carmelitis quàm his Canonicis monaſterium fundaſſet.

SED CONTRA eſt traditio noſtræ Religionis Carmelitanæ, & Doctorum ipſius, ac etiam exterorum authoritas.

CONCLVSIO.

Petrus Eremita promotor Belli ſacri fuit alumnus Religionis Carmelitana.

RESPONDEO dicendũ, quod Petrus Eremita, promotor belli ſacri fuit alumnus religonis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic vir eximius fuit pluribus titulis; tum nobilitate familiæ; tum promotione belli ſacri, ad liberandam de manibus infidelium Terram Sanctam; tum inuentione prima recitandi coronam Beatiſſimæ Virginis, in memoriam annorum vitę ipſius; tum magiſterio, quo S. Bertholdum inter Latinos primum Generalem Ordinis noſtri inſtruxit, & ad ordinem adduxit: Tum alijs rebus geſtis admodum glorioſus: Vnde honorificũ Religioni noſtræ credidi probare, quòd fuerit alumnus ipſius, poſtquam aliqua ad eius notitiam bræuitèr præmiſero. Sic eius natiuitatem, parentes: patriam, & primam educationem proponit Petrus Doutremanus Ieſuita: *Venerabilis Petrus natione Gallus naſcitur Ambiani Picardiæ metropoli anno* 1053. *regnante Henrico I. Gallorum rege; Patrem habuit Renaldum Eremitam (vulgo l'Hermite) ex nobili familia in Aruernia oriundum; quã quidem ex Comitibus Claramontanis eiuſdem prouinciæ deducunt ad Dominos Herimontij, Baraumontij & aliorum dominiorum, traductam vlteriùs per nuptias Adelidis ſiue Alixidis a monte acuto in Picardiam.* Deinde dicit, quod ipſe Petrus adoleſcens ſtudiis primùm in Gallijs, deinde in Italia, demum in Græcia operam dedit: Subiungit, quòd fuit educatus a Geofrido Pariſienſi Epiſcopo, quòd exinde militauit in Flandria, quòd relicta militia duxit vxorem Beatricem de Rouſsi, ex qua procreauit duas proles, Petrum & Alixidem; quòd denique orbatus vxore, relictis filijs & facultatibus, ſacris ordinibus fuit initiatus, & præsbiter factus in ſolitudinem ſe contulit

Digitized by Google

tulit ſoli Deo vacaturus. Hæc docet Doutremanus, quorum plura confirmantur ab alijs. Gononus enim libro quinto ait, quòd cum eſſet docilis & bonæ indolis puer curauerunt parentes vt partim litteris, ſed præcipuè in re militari erudiretur; in qua arte ita excelluit, vt vix in tota patria, ne dicam in alijs multis, ſimilis ei reperiretur: Quòd etiam affirmatur a Paulo Aemilio libro 4. Hiſtoriæ Francorum; ait enim de ipſo; *Puer litteris imbutus, vbi ætas patiens laborum fuit, rei militari deditus*. Subiungit ibidem Gononus: *Factus adoleſcens & grandæuus, cum cerneret omnia quæ in mundo ſunt eſſe vana & caduca, vitamque hominis multis periculis obnoxiam volens ſuæ ſaluti conſulere, decreuit vale dicere mundo & pompis eius; nacta igtur occaſione fugiendi, inſcijs parentibus receſſit in quoddam deſertum, & incognitum ſolitudinis locum, vbi multis annis hominibus incognitus Deo autem cognitus in auſteritate magna permanſit*. Cum eſſet circitèr triginta quinque annorum adijt Palæſtinam, ſacra loca viſitaturus, vt canit Petrus Angelius Bargæus libro 1. Syriados, ipſum inducens ſic loquentem.

Namque Palæſtinas nuper nouus aduena terras
Dum perago, & Solymæ veſtigia cuncta videre
Preſſa Deo iuuat, atque ipſi aduigilare ſepulchro,
Et modo Carmeli montes, modo viſere Idumem
Palmiferam &c.

Tunc iuxta traditionem noſtrę religionis fateor alumnum fuiſſe ipſius, ſumpto eius habitu in monte Carmelo a Sanctis illis Eremitis Eliæ diſcipulis: Ex tunc ſemper in Palæſtina manſit ſolitarius, cœleſtem & religioſam vitam in Terra Sancta ducens, donec Dei præcepto redijt in Europam prædicaturus cruciatā pro recuperatione Ieroſolymorum. Quod quomodo contigerit, referunt Paulus Aemilius, Guillelmus Tyrius, Benedictus Gononus, Petrus Doutremanus, Guibertus & alij. Dicunt igitur, quòd cum eum ad Sanctum Domini ſepulchrum ſe contululiſſet, Deum pro populo & ſancta ciuitate rogaturus, & ferè totam noctem in oratione tranſegiſset, ac præ laſſitudine paululum ſe quieti dediſſet, ſubitò apparuit Angelus Domini, qui eum monuit, vt Italiam petens Summo Pontifici, Principibuſque chriſtianis nuntiaret, vt Terram Sanctam ab infidelium poteſtate liberaret: ſed cum de viſione dubitaret, ſecundo apparuit ei Angelus, & tertiò tandem Chriſtus Dominus rex Angelorum idem præcipiens. Hoc inſtructus oraculo Sanctus Eremita ad Simeonem Ieroſolymitanum Patriarcham properat narrat quæ viderat & audierat; cumque eum conſolatus fuiſſet, acceptis eius litteris profectus eſt Romam, ſummumque Pontificem Vrbanum II. conueniēs ei Patriarchæ litteras dedit, quas ſine lachrymis & exclamationibus legere non potuit; præcepitque ei vt Alpes tranſgrediens ad omnes Galliæ Principes, cæteroſque duces Chriſtiani nominis deferret oraculum, omneſque ciuitates & Europæ populos ad eam expeditionem hortaretur. Quod fœlicitèr effecit, cum eſſet admodum prudens, eloquens, ac opinione Sanctitatis inclytus. Concluſa poſtmodum in Concilio generali Claramontano Cruciata, cū ingenti chriſtianorum exercitu traiecit iterum in Palęſtinam, qua fauſtè ſubacta, captaque Ieroſolyma, ac conſtituto Rege Godifredo redijt in ciuitatem Hurenſem, ibique conſtructo monaſterio, cuius Prior fuiſſe dicitur, plenus meritis obijt anno Domini 1115. die 8. Iulij ætatis 66.

Probatur concluſio, præter antiquam noſtræ Religionis traditionem, duplici authoritate. Prima eſt R. P. Gabrielis ab Annuntiatione Commiſſarij Generalis noſtrorum Carmelitarum calceatorum in Belgio, qui ſic ad intentum noſtrum loquitur; & a quo etiam verbo didici. *In inſtructione de vita & monachatu Carmelitico Venerabilis Petri Eremitæ*

mitæ Ambianenſis legetis, dictū Venerabilem Petrum *Sacerdotem, monachum & Carmelitam, idque ſepoſita omni dubitatione. Caſu dum eccleſias ciuitatis Hurenſis perluſtrarem, incidi in monumentum lapideum dicti Venerabilis Petri, & cum ſtudio vlteriora diſcendi totam Eccleſiam ſcrutarer, nihil inuenire poteram: quare ad loci Priorem me contuli, & enixè rogaui, vt ſi quid in ſcrinijs aut libris de dicti Venerabilis Petri vita haberet, pandere dignaretur; quòd illico pro ſuâ ſumma humanitate vir admodum ſenex præſtitit, & in antiquiſſimo martyrologio diem tranſitus & traslationem dicti Venerabilis Petri oſtendit, quod poſtea inſtructione Notarij publici extractum volui. Addidit dictus ſenex Eminentiſſimum Cardinalem Caraffa leuaſſe ex illa tumba reliquias Venerabilis Petri, & Sarcophago honeſtiori clauſas in Sacriſtiæ Theſauraria condidiſſe; cum leuarentur, corpus adhuc ſatis integrum repertum, calicem verò vini meri plenum ita integrum perſtitiſſe, vt adhuc inde ſacrum confici potuiſſet. Hæc cum lætus didiciſſem, vidiſſemque clarè ex corona monachum, ex cilicio Aſianum fuiſſe, reſtabat, vt Carmelitam haberem: Verum cum nullum eius rei veſtigium habere poſſem, diſceſſurus in medio Templi coram imagine Crucifixi miro artificio elaborata, quæ in trabe per medium chori tranſuerſa ſubſiſtebat, oraturus genuflecto; & dum Crucifixi imaginem toga veſtitam, & pedes ſeorſum clauis affixos habentem contemplor curioſiùs, video imaginem ligneam cubitalem ſub pedibus dicti Crucifixi in ipſo crucis corpore contentam, quam aduerto veſtitu Carmelitico ad plenum effictam. Aſcendo igitur Euangeliſtare (ſiue locum, vbi canitur Euangelium) quod ante crucem dictam eminebat, & de proximo video imaginem veri Carmelitæ genuflexi, habentem barbam ſatis prolixam, & coronam monachalem caput, & manus ad Chriſti effigiem eleuantem. Peto a Priore, de quo ante, cuius illam imaginem eſſe putet: Reſpondet haberi ex traditione imaginem eſſe Venerabilis Petri loci fundatoris, & illius crucis, quam multis pratioſis reliquijs impleuerat, erectoris.* Hæc ille.

Secunda authoritas eſt ſocij eiuſdem P. Commiſſarij, qui in quadam epiſtola de hac materia ſic loquitur: *Hic Sanctus vir (Petrus ſcilicet Eremita Ambianenſis) eſt ſepultus in monaſterio Canonicorum regularium S. Auguſtini, quod ipſe fundauit, ſito propè Hurum, quod eſt oppidum antiquiſſimum patriæ Leodienſis ad Moſam, diſtans ab ipſo Leodio quatuor leucis, vocatur autē illud monaſteriū Nouo-monaſterium: ſic voluerat ſepeliri ſub dio, ſed pluſquam quadraginta annis poſt obitum effoſſum eſt eius corpus, & tranſlatum in Eccleſiam in qua iam iacet, & in ſepulchro inuentus eſt calix vino mero plenus, & adhuc ad conſecrationem apto, & corpus adhuc integrum cum barba & corona monachali, item coopertum erat cilicio ex pilis Camelorum; ita habent archiuia illius monaſterij: calix probat ſacerdotem, & coronam monachatium, cilicium monachum Palæſtinum, quia in his partibus non habentur Cameli: ſed quod maioris argumenti eſt fuiſſe Ordinis noſtri in eadem Eccleſia eſt antiquiſſima imago Crucifixi, eleuata inter nauim & chorum, facta ad normam illius, quæ extabat Hieroſolymis, quā idem Sanctus dicitur curaſſe fieri, & intus eſt repleta reliquijs quas retulit ex Terra Sācta: Ad pedem dicti Crucifixi idem Sanctus eſt depictus cū cappa alba; planè ſimili noſtris, & tunica ſubnigra; item manicæ etiam ſubnigræ apparent.* Hactenus hi duo teſtes oculares ad probationem noſtræ concluſionis.

AD Primùm ergo dicendum, quòd Guillelmus Tyrius vocat Petrum noſtrum Eremitam nomine & re, a parentibus: & vita eremitica. Fuit autem Eremita montis Carmeli, ac proinde verus religioſus alumnus Religionis Carmelitanæ: noſtri namque Religioſi Carmelitæ vocantur Eremitæ in primitiua regula paulò poſt mortem huius Sancti viri data à S. Alberto Patriatcha Ieroſolymitano: dicitur enim ſtatim in principio; *Albertus Dei gratia Ieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, dilectis filijs Brocardo, & cæteris fratribus Eremitis,* qui

Digitized by Google

qui ſub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in monte Carmeli morantur in Domino ſalutem, & Sancti Spiritus benedictionem.

Ad Secundum dicendum, quòd hęc differentia de loco vbi Petrus Eremita ſumpſerit habitum noſtræ Religionis Carmelitanæ, non obſtat quin ſumpſerit, nec mirum quod euidenter non conſtet de tali loco, cum hoc ſit antiquiſſimum a ſexcentis annis; probabiliùs tamen eſt, qòd ſumpſerit in monte Carmelo. Quantum ad aliam partem dicendum, quòd tunc fortè capucium erat ſutum tunicæ in habitu noſtræ Religionis, antequam acciperet ſcapulare a Beatiſſima Virgine: Vt autem conſtet, quàm ſimilis fuerit primitiuis Carmelitis Petrus noſter, audiamus Guibertum ipſum loco citato; vbi ſic ait: *Petrus l'Hermita Cruciatam prædicauit; Vidimus eum in finem illum vbique diſcurrentem tanto populi concurſu, tantis muneribus, tot honoribus cumulatum, & vulgo Sanctum nominatum, vt ei ſimilem non viderimus: multa ei dabantur, verùm quæ in pauperes elargiretur, magna in lucrifaciendis fœminis vitæ ſolutioris gratia pollebat, quas merito & dote emendabat: lites ſopiebat, diſentiones reconciliabat mira authoritate & fides nam ijs quæ ab ipſo tanquam Dei viro ſtatuerentur, nefas omnes arbitrabantur non acquieſcere: Tanta denique fuit in veneratione, vt paſſim loco reliquiarũ pili muli quo vtebatur, vellerentur & aſſeruarentur (de quo tamen nihil aſſero) ſubucula lanea ad carnem vtebatur, tunica capuciata talari, & nudipes incedebat, carnibus nunquam, pane raro eoque modico, piſcibus vitam ſuſtentabat, nullo vel modico vino adhibito.* Per tunicam capuciatam fortè non intelligit immediatè, ſed ſolùm quòd geſtaret tunicam talarẽ cum capucio.

AD Tertium dicendum, quòd ſi Petrus noſter fuit Prior illius monaſterij ſancti Sepulchri, & S. Ioannis Baptiſtæ, vt à præfatis authoribus dicitur, fuit à principio pro Carmelitis ab ipſo ędificatum, & poſtmodum ex aliqua rerum viciſsitudine deuenit ad Canonicos Regulares, frequentèr enim accidit; quòd aliquod monaſterium vnius ordinis cõconcedatur alteri.

QVAESTIO XII.

De perſeuerantia Religionis Carmelitanæ vſque ad finem mundi.

DEDVXIMVS hactenus Religionem Carmelitanam a ſuo principio vſque ad ſeptimum Eccleſiæ ſæculum; ſupereſt: vt in ſequentibus deducamus eam vſque ad præſens ſæculum, & oſtendamus hic fore perſeueraturam vſque ad finem mundi. Circa quòd quæruntur tria.

¶ Primo, vtrum Religio Carmelitana, ſucceſſione hæreditaria nunquam interrupta, nunc etiam ſubſtantialitèr perſeueret in Carmelitis.

¶ Secundo, vtrum Religio Carmelitana ſit antiqua iu Europa ſub nomine Carmelitano.

¶ Tertio, vtrum Religio Carmelitana ſit perſeueratura vſque in in finem mundi.

ARTICVLVS I.

Vtrum Religio Carmelitana, ſucceſſione hæreditaria nunquam interrupta, nunc etiam ſubſtantialiter perſeueret in Carmelitis.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Religio Carmelitana non perſeueret ſubſtantialitèr nunc in Carmelitis: ſiue quòd Ordo Carmelitarum, non proceſſerit ab Elia ſucceſſione hæreditaria: & conſequentèr quòd Elias non ſit verus Patriarcha, & fundator

Digitized by Google

dator ſpecialis Carmelitarum, nec Carmelitæ alumni & directi ſucceſſores hęreditarij Religionis ab Elia inſtitutæ, ſed tantum imitatores, aut indirecti ſucceſſores eo modo quo cæteri Religioſi. Hanc opinionem ſequuntur Baronius in ſuis annalibus ad annum Chriſti 328. Suarez tomo 4. de Religione, Ioannes Petrus de Creſcenzijs in ſuo pręſidio Romano libro 1. loquens de Carmelitis & Hieronymitis, & alij pauci, ſed ex diuerſo motiuo. Ex quibus Baronius & alij cum ipſo docent religionem Carmelitanam nunc in Eccleſia florentem incepiſſe ſub Aymerico Patriarcha Antiocheno ann. Dñi 1121. quo electus fuit in ſuperiorem religioſorum montis Carmeli S. Bertholdus frater dicti Patriarchæ ex nobili domo de Malefaida in Gallia tempore Alexandri III. Summi Pontificijs. Alij aſſerunt incepiſſe anno Domini 412. ſub Ioanne Ieroſolymitano Patriarcha 44. qui primus regulam ſcriptam dedit Capraſio Priori eremitarum commorantium in monte Carmelo. Alij vt Hieronymus Platus libro 2. de ſtatu religioſo cap. 22. vt probabile aſſerit incepiſſe tempore Apoſtolorum. Probatur: hæc opinio: non videtur probabile, quòd Religio fundata ab Elia, ſi quam fundauerit, per tot ſęcula perſeuerauerit abſque interruptione: quia tempore legis antiquæ, & legis nouæ principio tot fuerunt bella & perſecutiones in Palæſtina ac monte Carmelo, quòd omnes religioſi fuerint deleti & extincti; maximè tempore captiuitatum Iudaicarum, tempore Titi Imperatoris, tempore Choſroæ II. Perſarum Regis, & tempore Homar ſucceſſoris Mahometi, qui omnes Religioſos Carmelitas interemiſſe dicitur. Ergò religio Carmelitana per Eliam fundata non perſeuerat nunc ſubſtantialitèr in Carmelitis.

¶ 2. Præterea: Si religio Carmelitana per Eliam fundata perſeueraret nunc ſubſtantialitèr in Carmelitis, ſequeretur quòd Carmelitæ eſſent primi omnium religioſorũ Eccleſię, quia Elias eſt primus patriarcha ſtatus religioſi, & religio per ipſum fundata, ſi extet, eſt omnium prima: Sed Carmelitæ non ſunt primi omnium religioſorum ratione antiquitatis, cum certum ſit ipſis pręferri Prędicatores, minores & Auguſtinianos in Capella Summi Pontificis, ac in publicis proceſſionibus: Ergo Religio Carmelitana per Eliam fundata non perſeuerat nunc ſubſtantialitèr in Carmelitis, maximè quia ab aliquot tantùm ſæculis fit mentio Carmelitarum in Bullis Pontificijs.

¶ 3. Præterea: Religio per Eliam in Carmelo fundata directè peruenit ad S. Hieronymum, & ab ipſo transfuſa perſeuerat nunc ſubſtãtialitèr in Hieronymianis ab ipſo deriuatis; quia ex vna parte tempore S. Hieronymi iam defecerant in Carmelo religioſi, & illum prophanauerant Gentiles Sacrificuli, vt legitur apud Suetonium & Tacitum de Baſilide, quia ſortibus & animalium ſacrificijs ad oraculum exhibitis Tito Imperatori fauſtum belli Iudaici ſucceſſum prædixit: Ex alia verò parte S. Hieronymus ſe filium Eliæ fatetur, & ab eius conuentu Bethleemitico proceſſerunt alia monaſteria, tum in Palęſtina & Syria. tum in Græcia, & Italia, tum in Gallia, & Hiſpania & alibi: Ergo ſuppoſito tanquam certiſsimo, quòd religio Carmelitarum ſit diſtincta à Religione Hieronymiana, ſequitur quòd Religio per Eliã in Carmelo fũdata ſucceſſione hęreditaria non perſeueret nunc in Carmelitis, at in Hieronymianis; maximè quia nullus in hac parte non habens intereſſe ſtat pro Carmelitis & omnes ſtãt contra, vt Baronius. Hic eſt diſcurſus cum ſuis probationibus prædicti Ioannis Petri de Creſcenzijs, vt probet quòd Hieronymitæ ſui, & non Carmelitæ noſtri ſunt directi ſucceſſores Eliæ.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiquiſſima traditio religionis Carmelitanę; & authoritas plurium Summorum Pontificum, ac Illuſtrium Doctorum.

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Religio Carmelitana, ſucceſſione hæreditaria nunquam interrupta, nunc etiam ſubſtantialiter perſeuerat in Carmelitis.

RESPONDEO dicendum, quòd religio Carmelitana ſeu in Carmelo per Eliam fundata, ſucceſſione hæreditaria nunquam interrupta, nunc etiam ſubſtantialiter perſeuerat in Carmelitis; Ita vt illa religio Eliana ſit eadem realiter ac ſubſtantialiter quòd noſtra Carmelitana: Vnde Elias propheta Sanctiſſimus verè, propriè ac rigorosè loquendo, eſt fundator ſpecialis & Patriarcha religionis Carmelitanæ. 2. Religio autem Hieronymitarum eſt diſtincta ab illa Eliana, quaſi filia a matre: Vnde S. Elias eſt tantùm generalis eius fundator, quo modo & cæterorum omnium religionũ. Ita communiter docent non ſolùm Doctores Carmelitæ, ſed etiam infiniti penè alij, quorum plures ſtatim citabuntur omni exceptione maiores. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd eſſentia ſtatus religioſi generaliter ſumpta, conſiſtit in tribus votis, videlicet obedientię, caſtitatis & paupertatis, quæ propterea dicuntur vota eſſentialia religionis: ſub ſtatu religioſo continentur plura genera & ſpecies Religioſorũ ordinum (ſumpto genere & ſpecie lato modo, ſicut in alijs huiuſmodi moralibus.) Vnde diſtinguntur ſic genere Ordines religioſi ex parte finis communis, diſtinguntur verò ſpecie ex parte finis particularis ſeu obiecti, & numero ex parte mediorum: Et ita ſunt tria genera aut quaſi genera religionum ex parte triplicis finis; nam quædam per ſe habent tantùm finem contemplationis, & quicquid aliud agunt, aſſumunt illud tanquam medium ad talem finem, & huiuſmodi eſt religio Carthuſiana, & ſimiles pure monachales; Alię verò per ſe habent tantùm finem actionis, & quicquid aliud agunt, aſſumunt illud tanquam medium ad talem finem, & huiuſmodi eſt Religio Redemptionis captiuorum, & Hoſpitalium Sancti Ioannis; Aliæ denique ſunt, quæ per ſe habent duplicem finem contemplationis & actionis, & reſpectu vtriuſque habent media proportionata, & huiuſmodi eſt noſtra religio Carmelitana, quæ hunc duplicem finem reſpicit, ſed non æqualiter, at cum ſubordinatione, ita vt primariò ac magis principaliter reſpiciat finem contemplationis, ſecundariò autem & minus principaliter finem actionis: Ex parte contemplationis, cum ſit vnica, non ſubdiuiditur eſſentialiter religio, ſicut ſubdiuiditur ex parte actionis charitatiuæ in proximum, quæ eſt multiplex. Ex parte mediorum conducentium ad eundem finem; diſtinguntur numero religiones ad eundem finem contemplationis aut actionis ordinatę: inter quæ media quædam ſunt per ſe conducentia ad finem, puta ſolitudo & ſilentium ad contemplationem, & hæc dicuntur media ſubſtantialia; alia verò ſunt per accidens tantùm coniuncta fini, puta particulares cæremonię, figura & color habitus & cętera huiuſmodi, quæ propterea dicuntur media accidentia. Vt autem ſeparemus certa ab incertis, concedimus quòd ſpatio tot ſęculorum ſcilicet nongentorum & triginta annorum ante Chriſtum natum, & mille ſexcentorum ac quinquaginta annorum poſt eius natiuitatem aliquę mutationes accidentales in Religione Carmelitana Eliæ, ſeu per Eliam in Carmelo fundata contigerint, negamus tamen, quod ipſa deſierit aliquando per extinctionem ſui, vel ſubſtantialem mutationem: Vnde concludimus, quod religio hodierna Carmelitarum ſub titulo B.V. de monte Carmelo, eſt ipſiſſima Religio primaria per Eliam in Carmelo fundata abſque vlla mutatione ſubſtantiali.

Probatur prima pars concluſionis authoritate ſacra, videlicet Beatiſſimæ Virginis Marię, Summorum Pontificũ, plurium Sanctorum Patrum, ac vniuerſali & continuata traditione noſtri ordinis

Digitized by Google

nis. Authoritas Beatiſſimæ Virginis Mariæ continetur in reuelatione ab ipſa S. Petro Thome noſtri ordinis facta, & ſic refertur approbata in lectionibus offici eiuſdem ſancti: *Pro ſui ordinis (videlicet Carmelitani) perpetua conſeruatione & augmento frequentes ad Deum & Beatiſſimam Virginem orationes fundens, intimaque inter orandum edens ſuſpiria, ipſa nocte Pentecoſtes cum id inſtantiùs poſtularet, a Beatiſſima Virgine Mirabili hoc reſponſo dignatus eſt, confidito Petre, religio enim Carmelitarum in finem vſque ſæculi eſt perſeueratura, Elias namque eius inſtitutor iam olim etiam a filio meo* (ſcilicet in mōte Thabor ipſa die Transfigurationis) *impetrauit*. Hæc Beatiſſimæ Virginis Mariæ reuelatio formalis confirmari poteſt alia reuelatione Diuina, ſed tantùm virtuali, ſcilicet ex quadam apparitione miraculoſa in particula carnis V. P. N. Ioannis a Cruce: inter alias enim apparitiones (quas probat efficaciter eſſe miraculoſas P. Ioſeph a Ieſu Maria libro 3. vitæ ipſius cap. 36. & quatuor ſequentibus, & vt tales approbauit in iudicio contradictorio Epiſcopus Valliſoletanus:) Viſa fuit ſemel & iterum imago S. Eliæ Prophetæ, longæua canicie venerabilis, oculos ignitos & zelum gloriæ Dei ſpirantes habētis; Et quod ad præſens intentum attinet, habitu Carmelitano amicti: Eam ſic expreſſam primò vidit P. Ioannes a Purificatione, deinde P. Martinus ab Aſſumptione, vterque noſtri ordinis; ita vt impreſſa fuerit illis hæc exiſtimatio, quòd venerabilis ille ſenex eſſet Elias: Qua apparitione verè denotatur ipſum fuiſſe Carmelitam, cum habitu Carmelitano veſtitus apparuerit, ac proinde Patriarcham Ordinis Carmelitarū, cum ante ipſum nullum extitiſſe Carmelitam omnes fateantur: Hęc autē apparitio facta videtur, vt oſtēderetur quòd B. P. Ioannes a Cruce verus eſſet Eliæ filius, ac renouator Ordinis Carmelitani ab Elia inſtituti: Authoritas Summorū Pontificum duplici via habetur: Prima quidem dum expreſsè docent & affirmant Carmelitas directè ac hęreditaria ſucceſſione deſcendere ab Elia; poſſent plures & antiqui Summi Pontifices adduci, vt Sixtus IV. ex ordine Minorum aſſumptus, & Iulius II. ſufficient tamen duo, videlicet Gregorius XIII. & Clemens VIII. Primus in bulla data anno 1577. quæ incipit, *Vt laudes*, ſic ait: *Nos igitur ordinem ipſum, illiuſque perſonas inter cæteros regularium ordinū profeſſores Catholicæ Eccleſiæ militantes, tanquam Religionis exemplar ſpeciali charitate fulgentes, Sanctorumque prophetarum Eliæ & Eliſæi & Enoch, necnon & aliorum Sanctorum Patrum qui montem Sanctum Carmeli iuxta fontem* Eliæ *inhabitarunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes &c.* Secundus idem repetit in duplici Bulla pro noſtris Diſcalceatis; Prima incipit, *In Apoſtolicæ dignitatis*; ſecunda verò incipit, *Dominici gregis*. Et tandem in epiſtola ad Regem Perſarum miſſa per noſtros etiam Diſcalceatos, quæ incipit; *Illuſtris ac potentiſſime*, de illis ſic loquitur: *Habuerunt olim Religionis huius profeſſores, ſicut a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris memoriæ proditum eſt, ſui inſtituti auctores ſanctos Prophetas Eliam, & Eliſæum, omnibus nationibus & gentibus notos*: Sic loquuntur conſequutiuè cuncti Pontifices, qui noſtrę fundationis memoriam faciunt, etiam præſens Alexander VII. in quadam Bulla qua N. P. Præpoſitum Generalem conſtituit Apoſtolicum Viſitatorem ordinis noſtris. Secunda autem via habetur authoritas Summorum Pontificū, dum conceſſere Carmelitis celebrare officium S. Eliæ tanquam Patroni & Patriarchę ſui ordinis, ſub ritu duplicis primæ claſſis cum octaua: Hi Pontifices fuerunt Gregorius XIII. Sixtus V. Paulus V. & tandem Vrbanus VIII. Authoritas Sanctornm Patrum habetur per hoc quòd oſtenditur Carmelitas eſſe ſucceſſores monachorum primitiuæ Eccleſiæ, quorum Eliam faciunt authorem & Patriacham, vt ſupra dictum eſt: Hic debet adiungi S. M. N. Thereſia, quæ paſſim in libris ſuis docet Carmelitas eſ-

Digitized by Google

ſe alumnos religionis ab Elia fundatæ. Poſſent adduci Sanctus Cyrillus noſter Conſtantinopolitanus in libro ad Euſebium Eremitam montis Neroi: Vualdenſis noſter maximę authoritatis: Et Ioannis 44. Patriarcha Ieroſolymitanus, qui docet ex profeſſo toto ſuo libro de Inſtitutione monachorum, ſed præſertim cap. 28. vbi inter alia hæc habet, *Monachi Carmelitæ Chriſtiani eiuſdē Religionis ſunt cum monachis in veteri lege ab Elia in Carmelo inſtitutis*. Tandem eſt vniuerſalis & continuata traditio noſtri ordinis, quam receperunt doctiſſ. & ſanctiſs. viri, tam noſtriã qu externi: traditio autem vniuerſalis Doctorum ac prudentum, benè fundata ſicut præſens, tanti eſt ponderis & authoritatis, vt S. Ioannes Chryſoſtomus homilia 4. in epiſtolam ad Theſſalonicenſes dixerit; *Traditio eſt, nihil aliud quæras*: Et ipſemet Suarez, qui in hac materia vult omnia confundere & reddere incerta, fatetur hanc traditionem eſſe valde receptam, & ſatis antiquam; Vnde ait 4. tomo de Religione lib. 2. cap. 10. *Eſt autem valde recepta, & ſatis antiqua traditio, Religionem hanc a temporibus prophetarum, & ſignatim ab Eliæ inſtitutione ſuam ducere originem, & quaſi hæreditariam ſucceſſionem in monte Carmelo, a quo nomen etiam accepit, quam traditionem vt veram ſuſcipimus, præſertim &c.* Alibi etiam docuerat, ſe nihil habere ad illam improbandam: Et tamen illam non ſequitur ob leues aliquas ſuſpiciones; non enim adducit contrariam traditionem, nec authoritates Sanctorum Patrum in contrarium, nec habet rationes efficaces, vt ipſemet fatetur; ſed ſolùm illam traditionem ex ſe venerabilem relinquit, quia neſcit, quia non vidit, quia non ei conſtat; paſſim enim repetit pro ratione ſui dicti, neſcio, non vidi, non mihi conſtat.

Secundò Probatur authoritate doctiſſimorum ac illuſtrium virorum, & præſertim exterorum (quorum authoritas non poteſt eſſe ſuſpecta, ſicut fortaſſis eſſet authoritas domeſticorum; imò eſt efficaciſſima, ſi ſit Religioſorum aliorum ordinum, pro nobis ſiquidem agendo contra ſeipſos agere videntur:) Adducentur igitur teſtimonia primò religioſorum externorum, deinde ſecularium. Incipiet Trithemius Abbas ordinis Sancti Benedicti, vir doctiſſimus, & olim in Heidelbergenſi academia celeberrimus: Hic ſcripſit duos libros in fauorem noſtri ordinis, in quibus ſæpe repetit ipſum hæreditaria ſucceſſione deſcendere ab Elia, inter alia plura hæc habet libro de laudibus Carmelitarum cap. 2. *Conſentit ergo nomen loci, vt Elias ſit fundator ordinis Carmelitici; vnde non ſunt vituperandi Fratres huius ſacræ Religionis, quòd Eliam & filios Prophetarum ſui ordinis fundatores & principes aſſeuerant*: Et cap. 3. ſic ait; *Iſti ſunt viri fortes atque prudentes, qui monaſticę conuerſationis fundamenta iecerunt, qui poſt Eliam montem Carmeli inhabitantem, ſe habitu & conuerſatione Deo dignos exhibuerunt; ab his ordo Carmelitarum initiũ ſumpſit & vocabulum; ipſi enim ordinis Carmelitici conuerſationem legis tempore ſeruauerunt, a quibus noſtri Carmelitæ nomen acceperunt & ordinem*. Sequitur ex eodem ordine Gilbertus Genebrardus Muſiacenſis monaſterii monachus, Doctor Sorbonicus, in peritia linguarum Orientalium, præſertim Hebraicę, ac proinde Sacræ Scripturæ peritiſſimus velut alter Hieronymus, ac propter inſignia merita ad Aquenſem Gallo-prouinciæ Archiepiſcopatum aſſumptus: hic ergo vir illuſtris ſic ait libro 4. Chronologiæ ad annum Chriſti 1180. referens dictum Polydori; *Ordo Carmelitarum, qui tum variegata Clamyde induebatur, initium habuit in deſertis Syriæ Almerici Antiocheni Antiſtitis opera, Polydorus libro 7. de inuentoribus rerum. cap. 3.* Verùm locutus ex propria ſententia ſubdit: *Sed eorum origo altius repetitur, nempe a Prophetis Elia & Eliſęo, qui Carmelũ montem Terræ Sanctæ primitus conſecrarunt, & diſcipulos illic reliquerunt, quos Scriptura filios Prophetarum appellat*. Sigibertus Gemblacenſis Abbas eiuſdem ordinis

ordinis ſic ait: *Cum Carmelitæ in ſancta pænitentia perſeueraſſent a tempore Sanctorum Eliæ & Eliſæi Prophetarum, tandem Chriſtum prædicantem audierunt; qui religioſi ſecdm Catholicã confitentes in Chriſto baptizati ſunt, deinde perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum habentes gratiam ad omnem plebem*. Antonius Abbas Vercellenſis ad 7. Canticorum ait: *Omnibus ordinibus Carmeliticus præſtantior eſt, de cuius plenitudine omnes alij ordines acceperunt*. His poſſet adiungi Philippus Abbas Hieropolitanus ſupra adductus & alij plures. Ex ordine Carthuſianorũ eſt Eraldus Vuernerus Rouuelinck, qui in ſua chronica ſub titulo Faſciculus tẽporum circa annum 1282. ſic habet: *Nobiliſſima Acconenſium ciuitate a Saracenis deſtructa, demum Deiferæ Mariæ in Carmelo monaſterium ad tria milliaria ciuitati vicinum ab eiſdem igni crematur, Fratribus inuentis in eo perfidorum gladijs trucidatis; Et tunc (proh dolor) ordo Carmeliticus mellifluum locum ex toto perdidit, in quo a tempore Eliæ & Eliſæi Prophetarum 2221. annis perſtiterat*. Item: ad annum a creatione mundi 4300. & ante Chriſti natiuitatem 923. ſic habet *Elias propheta auriga Iſrael & origo religionis Carmelitanæ Eliſæo viuente rapitur*. Item circa annum Domini 450. ait: *Eliſæi prophetæ primi poſt Eliam Carmelitanæ religionis patris & patroni, Sigiberto Gemblacenſi teſte, oſſa transferuntur de Samaria in Palæſtinam*. Ex ordine S. Hieronymi (audiat Creſcentius) habetur Didacus de Yepes Epiſcopus Turiaſonenſis, Vir doctiſſimus & pius, ac S. M. N. Thereſiæ quondam Confeſſarius: Hic capite 1. hiſtoriæ eiuſdem S. Thereſiæ Religionem Carmelitanam ab Elia Propheta velut a fundatore & Patriarcha dederit erudito diſcurſu: Ad maiorem aduerſarij confuſionem plures ſui ordinis Hieronymiani profeſſores contra ipſum & pro nobis pugnantes ſubiũgo: Hieronymus Garcia pluribus in locis repetit monachatum antiquæ legis, & Eliam, ipſumque Eliam eſſe Carmelitarum Patriarcham; ſed inter alia tomo 1. tractatu 1. dubio 5. numero 6. ait, *de Sacra Religione noſtra Dominæ de monte Carmelo modo non eſt maior excellentia quàm dicere quòd fluit ab ipſo Elia & Eliſæo &c.* Michael Palain in appendice de Ioanne Caſiano ſæpiſſime negat S. Hieronymum Eliadem eſſe (quòd tamen cum grano ſalis accipiendum eſt, & probat magis pro intento noſtro quàm velimus) aſſerit autem Carmelitas eſſe filios S. Eliæ, ſic autem ait inter alia, *Quis impio dente corrodat hunc ordinem ſacrum? quis Carmelitas exiſtimet indignos quòd appellentur fratres Beatiſſimæ Dei Genitricis & Matris? habuit Eliam & Eliſæum hæc ſacra religio fundatores & principes, nullum illi quis opponat offendiculum, Quis aliquid habeat contra religionem hanc vnde moueri queat? Cui diſplicet ordo, Omnipotentis ordinationem impugnat; in illo feraciſſimo ac vberrimo agro virtutum lilia creſcunt, pietatis flores, illius mirabilis prærogatiua quòd ſine regula regulariter vixerit aſſertore Trithemio de laudibus Carmelitarum*: Hic idem author plures ex ſuo ordine citat, qui eiuſdem ordinis originem non ab Elia noſtro, ſed aliunde deriuant, vt Ioſeph de Siguenca, Petrum de Vega, & Martinum a Cruce in manuſcriptis prælo dandis: citat etiam ex extraneis Barboſam collect. 329. Aldan in compendio Canonic. libro 1. titulo 19. Silueſtrum Marul. in oceano Religionum titulo 3. p. 192. & Tamburinum de iure Abbatum libro 2. diſp. 24. q. 4. num. 39. Ex ordine S. Auguſtini habentur aliquot viri graues noſtræ concluſionis aſſertores: Primus eſt Baptiſta a Glano in hiſtoria Pontificali, tum in vita Deodati I. ad annum Chriſti 615. tum in vita Honorij III. ad annũ 1126. Secundus eſt Proſper Sterlartius in opere de Tonſuris & coronis libro 2. cap. 13. cui titulum appoſuit, *De Elia Thasbite propheta Religioſo, Nazareo, piluſo, comato, monachorum patre, & ordinis ſe denominati fundatore, eiuſque diſcipulo Eliſæo*; ordo autem ab Elia denominatus ex hoc authore eſt noſter Carmelitanus: Tertius eſt Petrus Val-

Valderama concionator egregius; in Theatro Religionum habet doctiſſimam concionem de Elia, hoc inſignitã titulo; *Concio de magno Patriarcha fũdatore ordinis noſtræ Dominæ de monte Carmelo*, in qua ſub finè hęc habet; *Ergo Illuſtriſſime Patriarcha, Anteſignane, & primum caput religionum, fælices amici tui, beati ſunt qui te viderunt &c. Beata tua religio ſacra, quæ tali patre & fundatore fruitur, quem nos omnes patrem appellare poſſumus, quandoquidem vitæ monaſticæ initia dedit*; Ecce qualiter Religionem Carmelitanam dicit ab Elia fundatam, cuius propterea vocat Eliam ſpecialem eius Patriarcham; ac ſimul vniuerſalem omnium religionum patrem, quia ſcilicet cæteræ Religiones ab illa primitiua dimanarunt. Ex ordine Sancti Dominici plures habentur: Vincentius Epiſcopus Beluacenſis in ſpeculo hiſtoriali cap. 7. dicit quòd *Elias propheta princeps Carmelitarum Deo iubente ordinem inſtituit*, Dominicus Grauina de flore ſtatus Religionis ait; *O Carmelitæ Diſcalceati Angeli veloces, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, inſtitutum veſtrum de Elia, Ioanne Baptiſta, Andræa Apoſtolo, Marco Euangeliſta, & alijs meritò gloriatur*. Poſſent alij adduci, vt Ferdinandus de Caſtiglio hiſtoriæ ſuæ Dominicanę 1. p. lib. 2. cap. 62. Ex ordine Sancti Franciſci Aſſiſinatis etiam ſunt plures, quorum primus eſt R. P. Ioannes de Carthagena, de religione Carmelitana optimè meritus, ac vir planè eximius & virtute & doctrina: Inter alia egregia opera compoſuit librum decimum ſeptimum homiliarum, in quo ex profeſſo efficaciſſimè omni via poſſibili probat noſtram concluſionem, & paſſim aſſerit Religionem Carmelitanam hęreditaria ſucceſſione procedere ab Elia vt a fundatore & Patriarcha: ſed inter alia hæc habet; *Rechabitæ, Eſſeni, filij prophetarum, omnes monachi in Aegypto, in Thebaide, & cęteris regionibus Eliani inſtituti ſunt, & ſacræ Religionis Carmelitanæ filij*. Emmanuel Rodericus tomo 1. q. 5. ar. 5. licet non reducat expreſsè ad Eliam ordinem Carmelitanum, virtualiter tamen reducit per hoc quòd doceat fuiſſe Carmelitas in principio Eccleſię, & non aſſerat tunc incepiſſe, nec alium fundatorem aſſignet ab Elia; Sic autem loquitur: *Ordo Carmelitarum habuit originem in oriente, & nomen a mõte Carmelo duxit; in quo primo ipſius ordinis profeſſores ſuam habitationem habuerũt, ſicut Carthuſiani Ciſtercienſes, Premonſtratenſes nomen acceperunt a locis, in quibus eorum caput eſt inſtitutum; Annus in quo cæpit ignoratur, Attamen inuenio quòd illi Sanctiſſimi Patres, qui in monte Carmelo Eccleſiam quandam ad honorem Dei Genitricis Beatiſſimæ Mariæ, quam ſibi patronam & protectricem elegerant cõdiderunt, vſque ad annum a Virginis partu quadringenteſimum duodecimum perſeuerauerunt; quo tempore Ioannes quidam doctiſſimus ac ſanctiſſimus, Grecus, Patriarcha quadrageſimus quartus Hieroſolymitanus, qui fuerat ante prior huius ordinis in monte Carmelo, primò regulam quandam eis obſeruandam præſcripſit &c.* Ex ordine Ieſuatorum habetur Paulus Morigia, qui in ſuo opere de origine Religioſorũ lib. 1. cap. 3. pluribus authoritatibus S. Eliam Prophetam oſtendit eſſe fundatorem & Patriarcham Carmelitarum. Ex ordine Minimorum habetur Reuerendiſſimus Pater Aegydius Camartus quondam ordinis Generalis, vir doctiſſimus, & in hiſtoria peritiſſimus, ac de noſtro Patriarcha totaque religione benemeritus: Hic libro de rebus geſtis Eliæ Prophetæ cap. 5. ſectione 10. ſic ait; *Nam ſi tot, & tam celebres diſcipulorum ſcholas reliquit Propheta in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis, cur non & in Galaad? credibile certè eſt Eliæ diſcipulos dici in illa viguiſſe, nec defeciſſe donec ad Chriſti diſcipulos Euangelicamque doctrinam confluerent, vt vbi abundauit delictum ſuperabundet & gratia: quanquam enim Galaaditæ, & quidem primi, vt author eſt Hieronymus in captiuitatem abierint ſub Rege Salmanazar, ſicut & Bethelitæ, Iericunctini, Galgalitæ; Eliæ tamen diſcipulos ijs in locis minimè defeciſſe, ſed ad vſque*

Chri-

Digitized by Google

Chriſti tempora perſeueraſſe author eſt Ioãnes Hieroſolymitanus: Ex eorum verò reliquijs tanquam ex equo Troiano prodijt celeberrimus in Eccleſia ordo Beatiſſimæ Virginis Marię de monte Carmelo. Ex ſocietate Ieſu quamuis aliqui pauci nobis aduerſarij prodierint, plures tamen & grauiſſimi viri ſtant pro nobis, quos citat noſter Franciſcus a S. Maria libro 3. Hiſtoriæ Propheticæ cap. 29. alijs autem breuitatis cauſa prætermiſſis, vt Bellarmino libro de monachis cap. 39. Nicolao Serrario & Henriquez, duos tantùm, ſed maximæ authoritatis vacat adducere. Primus eſt Iacobus Salianus Annaliſtarum veteris teſtamenti peritiſſimus ac celeberrimus: Hic tomo 4. ſuorum Annalium ſæpius affirmat Eliam Prophetam eſſe Anteſignanum, Patriarcham Carmelitarum, ſed clarius ſub anno 3139. ſic loquitur: *At ne quis noſtrum hoc beneuolentiæ potius, erga religioſiſſimum Carmelitarum ordinem, quàm veritatis teſtimonium putet, quòd eos ſanctiſſimi Elię diſcipulos atque imitatores agnoſcamus; audiat is Sixti IV. Romani Pontificis conſtitutionem &c.* Secundus eſt Gaſpar Sanchez in 3. Regum 17. vbi ſic fusè noſtram probat concluſionem: *Cum tot eſſent diſcipulorum Eliæ excitata cœnobia, non eſt difficile in Carmeli montem deductam eſſe quandam quaſi coloniam, quæ quia in loco tot nobilitato miraculis, & ipſo Eliæ nomine & ſacrificijs illuſtri, principem tandem locum inter reliquas prophetarum domus obtinuit: quod curaſſe Eliſæum veriſimile eſt, cum tot a magiſtro eſſet ornatus modis, neque beneficijs notari vellet ingratus & immemor; a quo loco iſte ſanctorum ordo recepiſſe videtur nomen, & qui inſtitutum illud ſunt complexi, Carmelitæ vocati ſunt. Hinc opinor hortum habuerunt antiquum & nobilem, qui noſtro æuo Carmelitæ dicuntur, viri religionis gloriâ & vitæ ſanctitate conſpicui: quod vt credam facit non ſolùm illius ordinis, ſed & omnium penes gentium conſtans & perpetua traditio. Et quidem ſi ab hac mea cogitatione nihil ſtaret præter traditionem omni memoria ſuperiorem, ſatis putaretur habere præſidij; quia communis conſpiranſque conſenſio nullo interrupta tempore eam habet authoritatem, quam nulla niſi magna fides conuellere aut infirmare poſſet &c. ſed præter traditionem ſunt alia multa, quæ ad hanc cogitationem plurimum afferunt momenti: Doctorum nimirum, non tantum ex illa religioſa familia, quorum ingens numerus; ſed externorum, quos longum eſſet numerare, grauis authoritas; Et tam veteres, quàm recentes hiſtoriæ, & ſacri ordinis antiqua monumenta. Accedit ad hæc Pontificum iudicij grauiſſimum pondus, qui ſacrum hunc ordinem ab Eliæ diſciplina atque inſtituto exordium habuiſſe teſtantur: Ita ſanè apertè in ſuis Bullis Sixtus IV. Iulius II. Gregorius XIII. Clemens VIII. qui dicunt Carmelitanę familiæ viros ab Elia atque Eliſęo hereditariã ſucceſſionem tenere. Hæc mihi grauiſſima ſunt, neque pauca, neque leuia; quæ ſi Carmelitanæ cauſæ vindicem agerem, libens adducerem, a quibus in præſentia abſtineo, ne ab interpretis munere (quod longas digreſſiones non admittit) defeciſſe videar. Hęc omnia, quamuis fuſa adduximus, quia efficaciter ex omni capite probant noſtram concluſionem.* Nec deſunt pro noſtra ſententia Doctores alij grauiſſimi, quorum aliqui tantùm adducentur. Primus ſit Iodocus Clictouæus Doctor Sorbonicus, vir planè eruditus, is in quodam ſermone ſic ait: *Animaduertere non eſt indignum Carmelitani ordinis exordium ob duo præcipuè excellentiam quandam habere: Primò, quia ante inſtitutionem præcognitum eſt diuino nutu & reuelatum: memoriæ enim proditum eſt, vt ſcholaſtica refert hiſtoria, quòd Sabacha pater Eliæ nondum nati vidit in ſomnis viros candidatos ſe ſalutantes &c. Secundò quia hi, qui primam Carmelitano Ordini præſtiterunt originem vt Elias & Eliſæus, ex Iudæis nati ſunt; qui verò cæteris religionibus iecerunt fundamenta, ex gentibus progeniti ſunt. Conſtat itaque antiquiorem Carmelitanæ Religionis, quã aliorum ordinum eſſe originem, & ratione exordij cæteris præſtare.* Secundus eſt Vincentius Gillibertus in pſal. 2. vbi ait:

Car-

Digitized by Google

Carmelitana Religio, ab Elia & antiquiſſimis Sanctis erudita, Virginis Deiparę manu habitu dignata, S. Virginis Thereſiæ nouo miraculo ſic Eccleſiæ paradiſum fæcundat, vt eam admiretur terra & cęlum. Tertius eſt Laurentius Beyerlinck in homilia Carthag. vbi ait: *A Carmelitarũ antiquitate Eccleſia munimentum accipit, quare ſummam laudem meretur, qui tenebrarum filijs hanc Religionis lucem a tempore Eliæ exortam ſuis ſcriptis ornatam proponunt.* Quartus eſt Guillelmus Eiſegrenius, in ſua hiſtoria aduersùs Magdeburgenſes centuria 1. ſic ait; *Elias Propheta primus Carmelita:* Item; *En hæreticè Eliæ poſteritatẽ dici monachos Carmelitas* Itẽ; *S. Eliſæus Carmelita, princepſq; Eliadum*: Poſtea ſic concludit; *En quàm antiquus ſit ordo Beatæ Virginis.* Quintus eſt Ioannes Molanus in ſuo Martyrologio, qui ad 17. Iunij ſic habet; *In Arabia raptus eſt Beatus Elias Ordinis Carmelitarum Patriarcha, qui tantam gratiam inuenit coram Domino, vt verbis clauderet & aperiret cælum.* Sextus tandem eſt Petrus Bertius Geographus, & profeſſor Regius in Gallia eruditiſſimus, in quadam epiſtola ad ſuum filium Carmelitam Diſcalceatum, Petrum à Matre Dei dictum, ſic ait: *Atque hæc quidem ſunt Carmelitarum origines, omnium aliorum monachorum, ſi verum fateri volumus, originibus antiquiores; quid enim vetuſtius in Eccleſiâ, aut ſanctius Elia, Eliſæo, Ioanne Baptiſta? quid monte Carmelo amœnius, aut ad diuinas meditationes opportunius?* Prædictis addenda eſt authoritas Vniuerſitatis Cantabrigenſis in Anglia olim celeberrimæ: cum enim anno Domini 1374. quidam antiquitatem & nomenclaturam noſtri Ordinis Carmelitani impugnarent; poſt iudiciũ contradictorium de prædictis, vt in decreto Vniuerſitatis expreſsè habetur, ſic definitum eſt: *Nos Ioannes de Domelhico* Cancellarius *Vniuerſitatis* Cantabrigiæ *attendentes prædicta conſona eſſe iuri & rationi; auditis rationibus, allegationibus; viſiſque priuilegijs, lectis & examinatis vnà cum nonnullis alijs monimentis & ſcripturis antiquis; de conſilio & conſenſu Diſcretorum & Iuriſperitorũ dictæ Vniuerſitatis nobis aſſiſtentium in ea parte, & per eandem deputatorum, dictum ordinem Fratrum B. Mariæ de monte Carmeli in iure communi ac ſpeciali confirmatum, & titulo Beatæ Mariæ Dei genitricis fore ſpecialiter inſignitum; ac etiã Fratres dicti ordinis, prout ſufficientèr apparuit per premiſſa exhibita producta & allegata, Elię & Eliſei Sanctorum Prophetarum fore imitatores & ſucceſſores, cauſæ cognitione & iuris ordine, in ea parte de iure requiſitis ad plenum obſeruatis reputamus, decidimus, & decidendo declaramus in his ſcriptis &c.* Poſſent adduci penè innumeri ex Doctoribus ordinis, quorum authoritas eſt plurimum æſtimanda, & in iure recipienda, maximè ſi fuerint viri ſanctitate ſimul & doctrina inſignes; ne tamen faſtidium generetur, ſufficiet aliquot indicare. Præter Ioannem 44. & Vvaldenſem citatos ſupra, S. Cyrillus Conſtantinopolitanus, qui viginti & ſeptem annis fuit Generalis ordinis noſtri circa annum Domini milleſimum ducenteſimum in libro ad Euſebium Eremitam montis Neroi ſic ait: *Illo itaque tempore, quamuis pauci, veruntamen probatiſſimi monachi noſtrę Religionis, dimiſſis manſionibus quas habebant in vrbibus & villis, hunc Carmeli montem non deſerentes, iugiter in eo, & quibuſdam alijs eremis Terrę Sanctę permanſerunt, ſub diſciplina monaſtica vitæ eremiticæ per Eliam prophetam inſtitutæ:* nullus autem dubitat eiuſdem ordinis eſſe Carmelitas huius temporis & illius S. Cyrilli. Hanc materiam ex profeſſo tractarunt Baptiſta Mantuanus in apologia ſpeciali: P. M. Ionnes Baptiſta de Lezana in apparatu primi & ſecundi tomi Annaliũ Carmelitarum, noſter Franciſcus a S. Maria in hiſtoria prophetica & deinde in Apologia, N. Thomas Aquinas à S. Ioſeph in ſuo libro de Patriarchatu Eliæ, & alij plures.

Tertiò probatur ratione ex dictis & quibuſdam alijs adiunctis efficaciſſima: Eſt authoritas plurium Summorũ Pontifi-

tificum, quòd Religio per Eliam in Carmelo fundata hactenus perſeueret ſubſtantialitèr in Carmelitis: eſt authoritas Sacræ Congregationis de Ritibus, in conceſſione officij S. Eliæ tanquam patroni & Patriarchæ Carmelitis facta: eſt authoritas plurium Sanctorum, qui ſæpe diuino ſpiritu motu loquuntur: Eſt communis, immemorialis, & non interrupta vnquam traditio, tum in tota religione noſtra, tum apud externos religioſos & ſæculares: Eſt plurium doctiſſimorum virorum ſententia, etiam ex omnibus alijs ordinibus religioſis, qui contra proprias religiones agere videntur, dum noſtram antiquitatem confirmant, vnde ſola rei veritate moti ſtant pro nobis: Eſt deciſio vnius celeberrimę Vniuerſitatis, quæ vbique habetur maximæ authoritatis, cum ad illam concurrant doctiſſimi ac prudentiſſimi viri, poſt longam in iudicio contradictorio rerum diſcuſſionem. Inſuper non aſſignatur, nec aſsignari poteſt alius Patriarcha Religioni Carmelitanæ ab Elia, nam ante quemcumque alium aſſignabilem ſub Elia reperiuntur exiſtentes Carmelitæ; Et quidem in lege gratię demonſtratur teſtimonio Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitanini, ipſe enim viuẽs in principio quinti ſæculi a Chriſto fatetur ſe alumnum Religionis Carmelitanæ, & Carmelitas ſucceſſores Eliæ; ſi autem eſſet alius Patriarcha religionis Carmelitanæ, non fuiſſet illi viuenti in primis Eccleſiæ temporibus ignotus; quantum ad legem veterem conſtat ex ſupradictis. Poſſeſſio nominis, & loci Carmelitani penè continua, in quo Elias ſuum ordinem religioſum inſtituit, denotat religionem Carmelitanam eandem eſſe cum illa quam Elias fundauit: Et quidem quantũ ad nomen, conſtat iam a pluribus ſæculis Religionem noſtram à Carmelo vocari Carmelitanam, ſicut denominantur mutuato nomine à natali fundationis loco plures aliæ religiones, vt Ciſtercienſis, Carthuſiana, Premonſtratenſis &c. Quãtum ad locum, conſtat ex ſupra dictis, & infra dicendis, Eliæ diſcipulos continuò a ſua fundatione perſeueraſſe in monte Carmelo toto tempore legis antiquæ, & quatuor primis ſæculis legis gratiæ: Et quamuis tempore Homar omnes ibi Carmelitæ fuerint trucidati, ceſſante tamen perſecutione rurſus ſanctũ montẽ incoluerunt Eliæ filij & ſucceſſores amore ducti natalis loci religionis. Vnde tẽpore Aymerici Legati Apoſtolici à ſexcentis ferè annis reperiuntur degentes in Carmelo, vtique hæreditaria ſucceſſione, vt conſtat citata S. Cyrilli authoritate quaſi teſtis oculati, qui aliquot ex ipſis videre potuit, & cum illis ibidem morari: Imò anno 1283. ſcripta fuit epiſtola Bonifacio VIII. Sũmo Pontifici a magno magiſtro Hoſpitalium, a magno magiſtro Templariorum ab Archiepiſcopo Nicoſienſi in Cypro inſula; & ab Epiſcopis Tyberiadis & Ebronenſis, in qua hęc habentur: *Credimus vos non ignorare, Pater ſancte, qualiter ordo Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmelo in his marinis partibus (ſcribitur epiſtola ex Accon, olim Ptolemaida vix duabus leucis a Carmelo diſtante) & huius Terræ Sanctæ ſolatium, a tempore cuius non extat memoria inſtitutus, longè lateque poſtmodum diuina opitulatione eſt extenſus.* Et quamuis poſt captam Ptolemaidam paulò poſt tempus prædictæ epiſtolæ conuentus noſter Carmelitanus fuerit a Saracenis incenſus, & Carmelitæ à ſuo Carmelo expulſi: tamen eiuſdem ſancti montis habitationẽ perpetuò exoptarunt, donec anno Domini 1631. magno labore & ſumptibus noſtri Diſcalceati illam obtinuerunt, quos ibi vidi per viginti tres dies à vigilia omnium Sãctorum anno 1640. rediens ex Indijs orientalibus & Perſide, maxima quidem conſolatione plenos ex hæreditaria ſancti montis poſſeſſione, quãuis aliunde plurimùm ab illis barbaris afflictos, & alijs humanis deſtitutos ſolatijs. Denique idem penè habitus cum zona peliicea, quamuis ex dono Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſcapulari auctus & decoratus: Et eædem prorſus

Gg obſer-

obſeruantiæ, vt ex mutua earum expenſione conſtare poteſt, indicant eandem ſubſtantialitèr eſſe religionem Carmelitanam cum illa ab Elia in Carmelo fundata. Quod confirmatur ex eo quòd S.Elias Propheta aliquando apparuit in noſtro habitu Carmalitano, vt pluribus & authenticis habetur hiſtorijs in noſtris annalibus relatis, quas proinde hic non refero timens prolixitatem.

Quartò probatur continuata Carmemelitarum exiſtentia a tempore, quò cœpit Ordo Carmelitanus eſſe vnus ſpecialis ab alijs diſtinctus. Religio poſt Eliam in Crmelo fundata toto tempore legis antiquæ, & quatuor primis Eccleſię ſæculis indiuiſa perſeuerauit, vt ſupra fusè probatum eſt: Vnde nunc ſufficit authoritas S. Hieronymi epiſtola ad Paulinum, vbi ſic ait; *Nos autem* (loquitur de monachis) *habeamus propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios; Et vt ad ſcripturarum authoritatem redeam, noſter Princeps Elias, noſter Eliſeus, noſtri duces filij prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis*: Idem docet epiſt.22.ad Euſtochium, imo probat ibidem monachos primitiuæ Eccleſiæ ſucceſſores eſſe Eſſenorum ex communibus amborum regularibus obſeruantijs. Tūc diuiſiones in ſtatu monachali religioſo ſucceſſerunt, multiplicatis fundatoribus per aliqualem eorum reformationē in obſeruantijs: Vnde in Aegypto cœpit religio S. Antonij, etiam editis nouis regulis: Religio S. Antonij monachalis perſeuerat apud Armenos: In Ponto cœpit religio S.Baſilij, quæ nunc etiam inter Grȩcos floret: In Africa religio S.Auguſtini, nunc illuſtris in Europa: Vtrum cœperit tunc religio S. Hieronymi, non ita conſtat. Noſter Ioannes 44.Patriarcha Ieroſolymitanus manens fidelis Eliæ ſuo Patriarchæ religionem Carmelitanam in ipſomet Carmelo & alibi ſub nomine & patriarchatu eiuſdem ſancti prophetę perſeuerantem illuſtrauit, & edito libro de Inſtitutione monachorum in antiquā lege exortorū, & in noua perſeuerantium, inſtruxit, & firmauit quaſi primitiuam & cæterarum matrem: qui liber continens geſta Eliæ ac diſcipulorum ipſius, necnon modum vitę ipſorum, habebatur vt regula. Floruit Ioannes anno Domini 412. & aſſumptus in Patriarcham Ieroſolymitanum habuit ſucceſſorem in officio Prioris Carmeli diſcipulum ſuum Capraſiū illuſtrem ſanctitate, qui anno Domini 451. è vita daceſſit: Cuius ſucceſſores ſpatio octoginta ſex annorum vſque ad Choſroæ Perſarum Regis perſecutionem in Carmelo perſeuerarunt, quę perſecutio cœpit anno Chriſti 537. cuius rabie plurimum afflicti ſunt noſtri Carmelitæ, qui degentes in Carmelo alijſque Terræ Sanctæ deſertis ſequenti ſæculo crudeliorem aliam Homar paſſi ſunt, vt refert S. noſter Cyrillus Conſtantinopolitanus in libro citato ſeù epiſtola ad Euſebium montis Neroi eremitam, vbi ſic ait: *Cum igitur Chiſtianiſſimus Imperator Heraclius de Perſano Choſroa victoriam obtinuiſſet, & poſt recuperationem Terræ Sanctæ cū triumpho ad propria remeaſſet; quidam prophanus Rex Arabiæ nomine Homar; diſcipulus perfidi Mahometi, atque regni eius ſucceſſor tertius, cum ingenti multitudine Saracenorum contra Terram Sanctam veniens, eam totam obtinuit, ſanctamque ciuitatem Hieruſalem anno Domini ſexcenteſimo trigeſimo nono cœpit; Alios ex Chriſtianis huius patriæ necans, alios ad ſuam perfidiam trahens; cęteros autem, etſi non perfidię, ſuo tamen dominio ſubdens. Illo itaque tempore quamuis pauci, veruntamen probatiſſimi monachi noſtræ religionis, dimiſſis manſionibus quas habebant in vrbibus & villis, hunc Carmeli montem non deſerentes, iugiter in eo & in quibuſdam alijs eremis Terrę Sanctę permanſerunt ſub diſciplina monaſtica vitę eremiticæ per Eliā prophetam inſtitutæ, & in prędicto Ioannis librò deſcriptę: Qui ſicut & cæteri chriſtiani huius patrię duro infidelium iugo dediti, multis tribulationibus, & iniurijs fuerunt a paganis per annos circiter quadriu-*

dringentos ſexaginta afflicti. Hactenus noſter Cyrillus author antiquus, qui circa annum Domini milleſimum ducenteſimum mortuus eſt. Nec ſolùm in Carmelo in deſertis Palæſtinæ, & alibi in Oriente prædictis quadringentis annis viguit noſtra Religio Carmelitana, ſed etiam in Occidente floruit: plures enim è noſtris, vt Diuino cultui liberiùs vacarent, indicatas perſecutiones fugiendo venerunt in Europam, vbi multos fundarunt conuentus. Anno Domini 707. reperiuntur prima conuentus Senenſis auſpicia. Anno 743. fundatus eſt conuentus Florentinus. Circa illud tempus etiam Piſanus creditur fundatus: nam in quodam ſepulchro intra clauſtrum habetur, quòd in eo ſepultus fuerit vir deuotus Beatæ Virgini qui anno 800. deceſſerat ex hac vita. In Sicilia reperitur fundatus ſub anno 837. conuentus Leontinus. In Germania ſub anno 900. reperitur contractus noſtrorum Carmelitarum Vrbis Toncherſpiele cum fundatore ſuo. Anno 1045. habetur etiam in Germania conuentus Bopardienſis, cuius primus Prior dicitur Henricus. Anno 1098. fundatus eſt Conuentus Colonienſis. Et anno 1100. conuentus Burdegalenſis in Gallia. Huiuſmodi fundationes authenticè deſcribuntur à P.M. Lezana tomo 3. Annaliũ ſub annis indicatis. Anno verò Domini 1120. reſtaurata fuit noſtra Religio: cum tali anno creatus fuit primus Latinorum Generalis S. Bertholdus, cuius ſucceſſores habemus ſigillatim ad hæc vſque tempora. Et per hæc ſatis ſuperque probata manet prima pars noſtræ concluſionis, quòd Religio Carmelitana, ſeu in Carmelo per Eliam fundata, ſucceſsione hæreditaria nunquam interrupta, nunc etiam ſubſtantialitèr perſeuerat in Carmelitis, ita vt illa religio Eliana ſit eadem realiter ac ſubſtantialitèr quòd noſtra Carmelitana: Vnde Elias propheta Sanctiſsimus verè propriè ac rigoroſè loquendo, eſt fundator ſpecialis, & Patriarcha Religionis Carmelitanę; ſi quis tamen plura veritatis huius monumenta deſiderat, legat citatos authores noſtros.

Probatur ſecunda pars concluſionis, ſcilicet quòd religio Hieronymitarum eſt diſtincta ab illa Eliana, quaſi filia a matre: Vnde S. Elias eſt tantùm generalis eius fundator, quomodo & cœterarum omnium religionum. Hoc ſtatuimus contra prædictum Creſcentium, & duo probabimus: Primum quidem, quòd nec apparentèr aliquid dicit ad ſuum intentum, nempè quòd ſua religio Hieronymitarum ſit illa primitiua per Eliam fundata, imo ſibi contradicit: ſecundum autem, quòd nec probabiliter oſtẽdit ſuam Religionem a S. Hieronymo inſtitutam fuiſſe, & ab illo abſque interruptione ad hæc vſque tempora proceſſiſſe; Et ſic author iſte, dum vult aliena rapere, ſua non tuetur: Proteſtor tamen, quòd non intendo quicquam dicere contra ſacram hanc Religionem, quam à S. Hieronymo deriuatam credo, eo modo quo ipſa credit iuxta ſuam traditionem; ſed ſolùm intendo proponere debilitatem probationis ipſius, ad hoc vt cõſultis ſuę religionis veteribus monumentis ſolidiùs confirmetur. Primum dictum ſic probo: Iſte author ſolùm dicit quòd ſua religio Hieronymitarum eſt illa primitiua per Eliam fundata: Ad cuius probationem non adducit authoritatem Summorum Pontificum, aut alicuius Congregationis Pontificiæ: nec authoritatem Sanctorum Patrum: nec communem ſuæ religionis traditionem, quia de facto non eſt, imò aliqui ex eius alumnis palam fatentur & probant noſtram Religionem Carmelitanam eſſe illam Eliæ primitiuam; Audiat indicatum ſuperius Didacum de Yepes Turiaſonenſem Epiſcopum ſui ordinis alumnum, qui poſtquã capite 1. vitæ S.M.N. Thereſiæ docuit religionem Carmelitanam ab Elia fundatam ſub auſpicijs & tutela Beatiſsimæ Virginis, a filijs Prophetarum & Eſſenis in antiqua lege continuatam, & à S. Ioanne Baptiſta ad legem gratiæ tranſlatam fuiſſe, ſic proſequitur; *Proceſſit poſtea religio iſta, nova*

Digitized by Google

na luce prædicationis Euangelicæ perfuſa eiſdem paſſibus quibus primitiua Eccleſia per deſerta loca, cryptas, cauernas, ac remotas ſpeluncas gradiebatur; Fuerunt hæc felicia tempora Eccleſiæ, & huius religionis, quando Aegypti & Palæſtinæ deſerta tot monachis ornata, quot cæli ſtellæ erant; Quæ fælicitas quaſi trecentis annis in Eliæ prophetæ ordine durauit, donec Homar & aliorum tyrannorum ſæua crudelitas tot Sanctorum vitis finem, & ipſorum gloriæ initium dedit: Nullam adducit authoritatem Doctorum particularium religioſorum aut ſæcularium, multò minus alicuius Vniuerſitatis: non Sanctum Eliam ſuum agnoſcit fundatorem, ſed S. Hieronymum, vt poſtmodum ampliùs expendetur: non adducit poſſeſſionem nominis aut loci Religionis Elianæ: Ergo nec apparentèr aliquid dicit ad ſuum intentum, nempè quod ſua religio Hieronymitarum ſit illa primitiua per Eliã fundata: ſolus ipſe dicit abſque probatione, ſed dictum eius non eſt oraculum, cui ſtatim credere debeamus; Ipſe dicit quandoque, noſtros Scriptores ſomniare, nolo hunc dedecoris titulum ipſi retribuere, quem malitioſè filij Iacob fratri ſuo Ioſeph impoſuerunt; ſolùm ipſi conſiderandum & iudicandum propono, quis potius dicendus eſt ſomniare, an noſtri Carmelitæ qui tot & tam validis fundamentis innixi loquuntur, an ipſe qui ſolùm ex ſeipſo loquitur hanc nouitatem abſque fundamento inducẽs, de qua fortè pœnitebit. Deinde: ſi religio Hieronymitarum eſt eadem cum illa primitiua per Eliam fundata, ſequitur quòd Elias ſit Hieronymitarum fundator, & Patriarcha, non autem S. Hieronymus, qui ad ſummum poterit dici reformator ipſius, vt ex ſe conſtat, nam ſi illa & iſta ſunt eadem ſubſtantialitèr religio, Elias fundator illius eſt quoque fundator iſtius: ſed hoc non admittunt Patres Hieronymitæ, qui nec Eliam vocant fundatorem, nec eius officium, quaſi fundatoris recitant, at iſtos honores S. Hieronymo deferunt; ſi autem hoc admittit author iſte, duplicem infert iniuriam, vnam Eliæ per negationem debiti cultus; aliam Hieronymo per exhibitionem indebiti cultus, Sancti namque non gaudent, at potius irritantur fictis honoribus: Ergo religio Hieronymitarum non eſt eadem cum illa primitiua per Eliam fundata; maximè quia filialem erga Eliam non oſtendit affectum, nec curat de impugnationibus ipſius, vt dum aliqui negant quòd mereatur, quòd poſsit inuocari: & ſimilia; cum tamen hæreditatis iure qui gaudet commodis & honore, debet quoque onera ſubire: vnde patet, quòd author iſte ſibi contradicit, ſed ad hæc omnia non attendit, & tantùm voluit ſibi facere nomen ſuam religionem ſupra modum exaltans. Secũdum dictum ſic probo: Iſte author probat quidem S. Hieronymum fundaſſe monaſterium Romæ deinde in Bethleem, quod certum eſt: Probat etiam quòd tunc multiplicata ſunt monaſteria tum in Græcia, tum in Italia, tum in Gallia, tum in Britannia Scotia & Hibernia, tum in Hiſpania: ſed non probat quod huiuſmodi monaſteria fuerint ſub ſpeciali inſtituto nouæ religionis Hieronymianæ fundata (ſi quam inſtituit S. Hiernnymus, de quo non diſputo (vel ſub generali inſtituto monachali, quod Eliam ſolum Patriarcham agnoſcebat: Deinde multò minus probat hęc monaſteria perſeueraſſe ſub illo ſpeciali inſtituto abſque interruptione; imò vt certum habemus antiqua illa monaſteria paulò poſt ad inſtitutum tunc floridum S. Benedicti tranſijſſe, vt ex mox dicendis patebit: Ergo iſte author nec probabiliter oſtendit ſuam religionem a S. Hieronymo inſtitutam fuiſſe, & ab illo abſque interruptione ad hæc vſque tempora proceſſiſſe. Quod ampliùs vrgeo: vel prætendit author iſte quod illa monaſteria a S. Hieronymo erecta, & alia ab ipſis procedentia fuerunt nouæ religionis, tunc ab illo inſtitutæ, quæ non interrupta perſeuerauerit ad hæc vſque tempora, & cuius S. Hieronymus ſit ſpecialis Patriarcha: vel prætendit quòd huiuſmodi monaſteria perſtiterint

in pri-

Digitized by Google

in primitiuo monachali inſtituto per Eliam fundato, & per Hieronymum continuata: ſi dicitur primum, ſequitur quod religio Hieronymitana procedens ab illa non eſt primitiua religio per Eliã fundata, ſed filia illius antiqua, ſi dicatur ſecundum, ſequitur quòd religio, quæ huiuſmodi monaſteria agnoſcit vt ſua, non debet vocari Hieronymitana, nec vocare S.Hieronymum patriarcham & fundatorem ſuum, ſed ad ſummum poteſt vocare ſuum reformatorem ſub Elia primitiuo fundatore & Patriarcha ſpeciali, & non tantùm generali, vt ſupra dicebamus, eo prorsùs modo quo plures religioſę congregationes a varijs reformatæ colunt S.Benedictum vt ſuũ fundatorem primitiuum ſpecialem. Ad hæc non aduertit author iſte, qui voluit incompoſſibilia coniungere, quæ ſe mutuo deſtruunt: Vnde ille Religionis Hieronymitanæ deſtructionem molitur, dum credit eam ſtabilire primitiuam eſſe illam ab Elia fundatam. Vt autem clariùs oſtendamus, quòd nec probabilitèr author iſte oſtendit ſuam religionẽ a S.Hieronymo inſtitutam fuiſſe, & ab illo abſque interruptione ad hęc vſque tempora proceſsiſſe, oſtendo quod omnia illa monaſteria, quę agnoſcit vt primos ſuæ religionis canales, non ſunt ipſius, ſed noſtræ Carmelitanæ: Et ne gratis hoc dictum eſſe videatur, adduco iudicem omni exceptione maiorem, in quo ſcilicet nullus eſt ſuſpicionis locus, cum ſit vir doctiſſimus, & aliàs Benedictinæ congregationis Anglicanæ alumnus. Hic eſt Clemens Reinerus, qui poſtquam in ſuo libro, cui titulus eſt, *Apoſtolatus Benedictinorum in Anglia*, tractatu 1. ſectione 1. probauit in partibus Scotiæ, Angliæ & Hiberniæ fuiſſe monachos, qui Aegyptiorum & Palæſtinorum viuendi ritum, non Baſilianum, & Auguſtinianum, & multò minus Benedictinum obſeruabant, vt potè ab illis non ab iſtis progeniti, ſic ſectione 20. loquitur ad intentum noſtrum: *Quos autem Sanctiſſimos monachos animaduertimus; vel ante D. Benedictum vixiſſe, vel poſt ipſum qui illius regulam profeſſi non videntur fuiſſe, quãuis fortè colore tantùm habitus, & pauciſſimis obſeruantijs ab eius inſtituto differentes, noſtri tamen ordinis eſſe non putamus: Vnde nec Scotos, Britannoſque maioris inſulæ Britanniæ incolas, ante tempora Auguſtini, prædicationemque Vuilfridi, Cuthberti & Egberti, noſtro numero adijciendos putamus; nec eos etiam qui in Hibernia exercebantur, donec à Sede Apoſtolica monachiſque Anglis correcti Catholicum Paſcha, tonſuramque monachorum Romanorum receperunt, quia nimirum, quantumuis moribus, & aſceſis ſeu exercitationis genere parum aut nihil a noſtris diſtabant, regulam tamen Sancti Benedicti nondum ſuſceperant. Simili cauſa nec eos, qui ante D. Patrem Benedictum viuebant, ſiuè in Lirinenſi & Agaunenſi, aut Maſſilienſi, clariſſimis cœnobijs Galliarum; ſiue per monaſteria Italiæ, Aegypti vel Syriæ, arrogamus tanquam ordinis noſtri communitates; quia regulæ noſtrę, quę anima eſt & forma ordinis noſtri non fuere ſubiecta. Quare propter eandem hanc in diſciplina monaſtica continuatam ſucceſſionem, quod nos non facimus (qui vltra regulę noſtrę legiſlatorem Benedictũ natales noſtros non arceſcimus) ſuo tamen iure videntur facere Carmelitæ, qui cum reuera a monachis Syriæ & Palæſtinæ per non interruptam ſeriem ſeſe deriuent (à Carmeli enim monaſterijs in Angliam, ab Anglia in reliquas prouincias ſeſe dilatauerunt) merito antiqui monachatus Aegyptij Palæſtinique profeſſores, tanquam patres ſuos ordiniſque ſui ſydera colunt & venerantur.* Poſtquam multa de noſtris adduxit Carmelitis, quæ breuitatis cauſa hic omittuntur, & dixit quòd antiqui illi monachi vitam ſuam gubernabant ſine regula ſcripta per ſolas traditiones patrum ſuorum, ſic concludit: *Atque hæc ideò libentiùs de Carmelitis tam fusè diximus, quia ſicut eos Syriæ Angliæ, ita Anglia reliquo occidendi dedit; vnde conſtat & veriſimilitudo ſententiæ, quàm ſuperiùs de primis monachis Britonum & Scotorum diximus, eos ex Aegypto & Palæſtina in Bri-*

Britannicas Inſulas monachatum detuliſſe; Et illud etiam, quod antea diſputauimus meritò Carmelitas, cum ſucceſſionem minimè interruptam ab antiquis Paleſtinæ monachis deducant, earundem prouinciarum Sanctos antiquos ſuo ordini aſcribere. En quàm expreſsè hic author doctiſſimus ordini Carmelitano cuncta reſtituit monaſteria, quæ alter hinc inde collegerat vt derelicta, ſuoque attribuerat ordini. Prædicta ſolùm attuli, vt ius noſtrũ defenderem; non autem, vt ſacro Hieronymitarum ordini nocerem: Vnde illæſis ipſorum traditionibus circa antiquitatem, id quod habemus indubitatum de eo, eſt Emmanuele Roderico referente tomo 1. qu.3. art.9. & 10. quòd ſunt tres eius congregationes: Prima dicta Piſana à B.Petro de Piſa anno Domini 1380. inſtituta: ſecunda vel inſtituta, vel reformata a B.Lupo de Olmeto Hiſpano, qui obijt anno Dom:1433. Tertia habuit originem à ſocijs cuiuſdã ſancti viri Fratris Thomę in Hiſpania, quæ à Gregorio XI. Summo Pontifice fuit approbata ſub regula S. Auguſtini anno Domini 1375. die S.Lucæ.

AD primum ergò dicendum, quòd ex dictis videtur omninò probabile, imò certum quòd religio fundata ab Elia per tot ſæcula perſeuerauit abſque interruptione. Vnde ad rationem in contrarium, & ad ſingulas eius inſtantias dicendum, quòd Deus miraculose conſeruauit religioſos Carmelitas tempore captiuitatum Iudaicarum; vt ſuo loco ſuperiùs oſtenſum eſt. Tempore Titi Imperatoris fuerunt conſeruati benignitate eiuſdem Imperatoris; eo maximè quod a Sanctis Carmelitis prænouerat ſuam de Iudæis victoriam. Tempore Choſroæ Perſarum Regis, etſi plures Carmelitæ fuerint occiſi; nonnulli tamen euaſerunt qui latitantes in Carmelo, alijſque Palæſtinæ deſertis Domino ſeruierunt; Et aliqui tyrannidem declinantes, in prouincias Chriſtianorum occidentales fugierunt, vbi monaſteria ordinis ſui condiderunt, vt dictum eſt. Quamuis autem tempore Homar omnes religioſi Carmelum incolentes fuerint occiſi; Erant tamen alibi Carmelitæ, qui paulò poſt ad Carmelum rediere.

AD ſecundum dicendum, quòd licèt Religio Carmelitana ſit antiquiſsima, & prima omnium aliarum, vt dictum eſt: quia tamen eius initium, & continuata ſucceſſio fuit in Carmelo & alijs partibus Orientis; ac vltima quatuor mendicantium apparuit, aut fuit approbata in Italia & alijs partibus Occidentis; Inde eſt, quod in publicis actibus indicatis ſedet & procedit vltima, non tamen vbique. Deinde hæc præcedentia aliarum religionum, cùm dependeat a voluntate Summi Pontificis, potuit ex priuilegio Summorum Pontificum ex alijs religionibus aſſumptorum eis concedi; plures enim fuere Summi Pontifices Dominicani, Fraciſcani & Auguſtiniani. Ad illud quod ſubditur dicendum, quòd quãdiu Carmelitę manſerunt in Carmelo & Oriente ſolitarij non opus habebant recurrere ad curiam Pontificis, vt fauores, priuilegia, & protectionem ab ipſis obtinerent: Vnde non mirum; ſi ab aliquot tantum ſæculis ſit mentio Carmelitarum in Bullis Pontificijs, poſt Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. in quo Pontifex confirmationẽ religionum & regimen ſibi reſeruauit, quæ prius ad Epiſcopos ſpectabant.

AD Tertium patet ex dictis in ſecunda parte concluſionis: multa enim continet falſa; Quia certiſſimum eſt, quod Car-melitæ in ſuo florebant Carmelo tempore Sancti Hieronymi, primo ſub Ioanne 44. deinde ſub Capraſio, de quo loquuntur plurimi, ipſe quoque S. Hieronymus. Ille autem Baſilides erat vir Sanctus Carmelita, qui ſpiritu prophetico prædixit Tito Imperatori victoriam de Iudæis: Sed Suetonius & Tacitus authores ethnici miſcuerunt ſortes ac ſacrificium animalium huic Prophetiæ, quia neſciebant orationes & ſacrificia ſpiritualia Chriſtianorum, quibus diuina promerebantur oracula; Et ita recurrerunt ad ritus prophanos Gentilium: imò certiſſimum eſt, in Carmelo hunc

à mul-

a multis ſæculis poſſeſſo a Iudæis non fuiſſe Gentiles ethnicos incolas ante Titi Imperatoris victoriam. Tandem conſtat ex adductis teſtimonijs, quàm falsò dixerit author ille, quod nullus in hác parte non habens intereſſe ſtat pro Carmelitis, & omnes ſtant contra; imò multò plures ſine comparatione fautores habemus quàm aduerſarios. Et ſic mirum eſt quòd Cardinalis Baronius ſit nobis contrarius, cum aliàs ita veneretur dicta & authoritatẽ Pontificum; Sed fortè non aduertit ad hæc, cum valde difficile appareat, quòd tot materias ab ipſo conſcriptas exactè ponderauerit: Vnde dico quòd non habuit ſufficientem notitiam noſtrarum traditionum, Alij dicunt fuiſſe irritatum ab vno authore Carmelita, qui contra eum ſcripſit. Concludamus ergo cum Carthagena libro 17. homiliarum ad 5. obiectionem, vbi ſic ait: *Quamuis autem prædictorum Pontificum teſtimonia non id* (ſcilicet originem Carmelitarum ab Elia) *tradant tanquam rem fide diuina credendam; infra limites tamen humani teſtimonij nullum maius aut firmius proferri poteſt, quàm tot Summorum Pontificum teſtificatio.* Et paulò poſt ſubdit: *Cum de hác antiquitate ſit immemorialis traditio in tota Carmelitarum Religione, prudenter ſtandum eſt tali traditioni, vt ratio ipſa præſcribit; nam ſi cum quis poſſidet rem aliquam bona dumtaxat fide per triennium, perpetuo gaudet præſidio, vt habetur decima ſexta quæſtione ſexto capite præſcriptionum; multò rationabilius religio habens traditionem a prædeceſſoribus ſuis per multos annos de antiquitate fundationis illius, præſidio talis antiquitatis debet gaudere.* Vnde meritò Petrus Poyreus è Societate Ieſu in triplici corona B. Virginis Matris Dei Gallicè conſcripta tractatu 1. cap. 12. aſſerit certum eſſe negari non poſſe Carmelitas ab Elia alijſque prophetis originem accepiſſe, cum id adeò expreſsè tradant Summi Pontifices in ſuis Bullis.

Quia deinceps nulla reperitur difficultas circa ſucceſſionem noſtræ Religionis Carmelitanæ: Poſtquàm illam ſtabiliui tam in antiqua quam in noua lege vſque ad tempora S. Antonij in quarto ſæculo; operæ pretium iudicaui, a fine dicti ſæculi illam continuare vſque ad tempus de quo hic agimus, vt lector hic ſimul legitimos illius probationes per ſingula digeſtas ſæcula, & ab authoribus coæuis vt plurimum productas habeat: vnde in quatuor articulis demonſtratam noſtræ antiquitatis ſeriem habet, Primus eſt, vtrum noſtra religio Carmelitana perdurauerit toto tempore legis antiquę; Secundus, vtrum tranſiens in legem nouam perſeuerauerit vſque ad tempora Sancti Antonij; Tertius, vtrum ab initio ſuæ fundationis permanſerit in monte Carmelo vſque ad annum Domini 1120. Quartus eſt præſens articulus ſatis diffuſus, quaſi continens ſimul hic compendiosè collecta, quæ in præcedentibus diſperſa circa hanc rreligionis durationem continentur; ad cuius maiorem notitiam ac demonſtrationem ſubiecta lege. In quarto ſæculo fit mentio ſucceſſorum Eliæ in monte Carmelo a S. Gregorio Nazianzeno, dum ait oratione S. *Elia Carmelum agitabam, & Ioannis deſertum, ac mundo ſublimiorem eorum, qui hoc philoſophiæ genus profitentur, viuendi rationem.* Et carmine de vita ſua numer. 12. ſic ait.

Ac iam quidem pridem ſteterat, haud me dare
Carni, ſubibat Elias menti meæ,
Carmelus eius, & nouum victus genus,
Et ſolitudo, Prodromi dulce opus,
Ac vita ſimplex filiorum Ionadab.

In quinto ſæculo recenſetur a S. Ioanne Chryſoſtomo hom. 69. in Matthæum, dum ait de Anachoretis tunc florẽtibus; *Non effeminatæ ac eneruatæ per terram ſibi veſtes trahunt, ſed ita eis præparatę sũt, vt Beatiſſimis Angelis illis, Eliæ dico, Eliſæo, Ioanni, ac vniuerſis Apoſtolis; etenim alijs caprarum, alijs camelorum pilis confectæ ſunt, multis coria ſolum & ea vetuſtate conſumpta ſatisfaciunt*: Cumque eſſet ſuperior ſui monaſterij propè Antiochiam ſuis proponebat monachis exem-

Digitized by Google

xemplum Eliæ, velut Patriarchæ, iuxta dictum Georgij Archiepiſcopi Conſtantinopolitani a Surio relati, ſic enim ait; *Adhortatus eſt eos, vt Sanctorum conuerſationem pia æmulatione imitarentur, præcipuè quidem Eliæ & Eliſæi Prophetarum, qui quidem Angeli terreſtres affecti pretio inopiæ, & extremæ penuriæ mercatum Regnum cœlorum conſecuti ſunt*. Sozomenus libro 3. loquens de monachis huius ſæculi ſic ait; *Iſti ad exemplum Eliæ Thesbitis pellibus ſe induebant, vt ſinguli ex pelle corpori circumiecta (ſicut mihi quidem videtur) virtutem prophetæ ſemper in memoriam reuocantes, ſtrenuè contra cupiditates venereas confligerent, atq; ad eius vitam imitandam incendebantur, & ſpe ſimilium præmiorum conſequendorũ inducti multo alacriore animo ſe a voluptate temperarent*. In hoc ſæculo fuit Superior Generalis Carmeli Ioannes Nepos Syluanus deſcendens ex primis Conſulibus Vrbis Romanę, qui factus in monte nitriæ monachus fuit diſcipulus B. Pambo, ſed intruſi Patriarchę Alexandrini Lucij Ariani pulſus, inde cum alijs pluribus venit Diocesaream ſiue Sephorim, inde conſcendit Carmelum, ex quo fuit aſſumptus in Patriarcham Ieroſolymitanum: Floruit etiam in Carmelo Sanctus Cyrillus poſtea Patriarcha Alexandrinus.

In ſexto ſæculo reperiuntur in monte Carmelo religioſi Eliani inſtituti in conuentu ædificato ad promontorium ipſius a Sancta Imperatrice Helena in honorem S. Eliæ, cuius ruinas vidi, & hactenus ille locus dicitur Sanctus Elias: In præcedenti ſæculo Prior illius anno 448. interfuit concilio Conſtantinopolitano, cui ita ſubſcripſit; *Euſebius Præsbyter & Archimandrita monaſterij Eliæ ſubſcripſi in depoſitione Eutichis*: In hoc verò ſæculo Priores duo eiuſdem monaſterij ſubſcripſerunt alteri concilio Cõſtantinopolitano anno Domini 536. Primus ita; *Silas Præsbyter & Prior monaſterij Eliæ rogatus ſubſcripſi*: Quo mortuo ſubſcripſit ita eius ſucceſſor; *Babulas Præsbyter & Archimandrita monaſterij nominati ſanctę mem: Eliæ ſubſcripſi*, Quæ ſubſcriptio habetur in actiones. cũ alter ſit ſubſcriptus in alijs prioribus. In eodem monte ad ruinas vrbis Ecbatanæ tunc reperiuntur Sancti monachi, quorum Abbas nomine Seridus recepit S. Dorotheum Magiſtrum Sancti Doſithei, inter alios ſuos priores diſcipulos, quorum excellentiores erant Barſanuphius & Ioannes cognomento propheta. In eodem monte Carmeli eſt deſertum Porphyrionis denominatum a vicina ciuitate Porphyrio nunc vulgo Caipha, in quo florebat hoc ſæculo S. Iacobus eremita, qui lapſus diuturnam in quodã ſepulchro duxit pœnitentiam, donec diuina reuelatione didicit peccatum ſuum fuiſſe remiſſum.

In ſeptimo ſæculo referuntur in Hiſpania Sanctus Leander, & Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis germani fratres ordinis Eliani Prophetici profeſſores. Martyrologium enim Hiſpanicum ad 4. Aprilis habet, quòd S. Ildephonſus ſequentes verſus ſuper ipſorum ſepulchrum inſculpi curauit.

Crux hæc alma gerit geminorum corpora fratrum,
Leandrum, Iſidorum pariterque ex ordine
Vatum &c.

Hoc autem ſatis indicat authoritas ipſius S. Iſidori adducta alibi, qua monſtrat ſpecialem notitiam originis ſtatus Religioſi, quam non habuiſſet niſi fuiſſet monachus. Eodem Sæculo martyrium paſſus eſt noſter S. Anaſtaſius Perſa.

In octauo ſæculo referuntur fundationes conuentuum Carmelitarum in Ciuitatibus Etruriæ Florentia, Senis & Piſa, qui ex Carmelo fugerant ob perſecutionem tam Perſarum quàm Saracenorum, licet aliqui in eiuſdem montis ſaltu remanſerint.

In nono ſęculo in Palæſtina reparãtur monaſteria Carmelitarum ex piorum eleemoſynis in Europa collectis: Et ad hũc effectum conceſſæ fuerunt a Leone IV. Summo Pontifice indulgentię; quæ ſic incipiebant; *Omnibus Chriſti fidelibus, qui*

Digitized by Google

qui Eccleſias Beatiſſimę Dei Genitricis Mariæ de monte Carmelo deuotè viſitauerint, ſe u domos confractas eiuſdem ordinis refecerint. Tunc Baſilius Imperator Cōſtantinopoli inter aliàs Eccleſias reſtituit aliquas in honorem S. Eliæ dicatas, vt aſſerit Cedrenus numero 288. his verbis; *Eliæ vatis fanum in petrio ſplendidè reſtituit, inſtaurauit & templa palatina Seruatori Chriſto; Michaeli Archangelo principi, & Eliæ vati dicata, & Deiparæ &c. multa alia etiam delubra in palatio cōdidit de nomine Eliæ vatis*. Tunc etiam In Europa factę ſunt noſtrorum Carmelitarum fundationes, vt ſuo loco dicitur.

In ſæculo decimo deſtruuntur Eccleſiæ Chriſtianorum in Oriente mandato Principis Saracenorum, vt habetur in epiſtola Nicolai Patriarchæ Conſtantinopolitani ad ipſum his verbis; *Indixiſti omnia Chriſtianorum ſub tuo Imperio degentium templa deuaſtari*: In eremis tamen etiam Carmeli perſeuerarunt noſtri religioſi, iuxta dictum S. N. Cyrilli Conſtantinopolitani adductum alibi: In Occidente verò conſtruebantur noſtræ Eccleſiæ, vt conſtat ex indulgentijs ad hunc effectum datis a Summis Pontificibus Sergio III. Ioanne X. Ioanne X. & Gregorio V.

In ſęculo vndecimo, præter adductam N. S. Cyrilli Conſtantinopolitani authoritatem, multa habemus noſtræ religionis tunc florentis, tam in Oriente quàm in Occidente monumenta in particulari. Inuenimus enim Petrum Eremitam ſanctitate conſpicuum, qui ſacram expeditionem pro recuperanda Ieroſolyma promouit, vt ſuo loco dicitur. Habetur authoritas noſtri Baptiſtæ Mantuani in Apol. pro Carmeli. cap. 4. vbi ſic ait: *Habeo apud me decretum Godifredi, qui capta Hieroſolyma de Syris triumphauit ſuper quadam pietate quam omni ſabbatho iubebat exhibere fratribus noſtris, qui tunc incolebant Montana Iudææ, per quæ tranſiuit Maria cum ad ſalutandum Elizabeth ſe conferret; quod decretum fuerat ipſi allatum è Cypro Inſula a quodam noſtro religioſo nomine Iordano, vbi illud inuenerat cum quatuor bullis Pontificum ad Patriarchas Ieruſalem circa negotia noſtræ religionis*: nec mirum quod inter tot alia monaſteria Syrię & Palæſtinæ fuerint aliqua noſtræ religionis: de monaſterijs Syrię in monte nigro ſeu Amana teſtantur Coęui authores, Iacobus de Vitriano cap. 32. ſic; *In eo ſunt multi Eremitæ ex omni gente & natione, & plura monaſteria tam Græcorum quàm Latinorum monachorum*: Guillelmus Tyri capit. 10. ſic ait loquens de eodem monte; *Vbi priſcis temporibus multa traducitur fuiſſe virorum religioſorum monaſteria, & vſq; in præſens Deum timentium loca plura fouet, & nutrit venerabilia*: De monaſterijs autem Paleſtinæ hanc idem Guillelmus Tyri facit commemorationem lib. 7. cap. 23. *Quatuordecim aureorum millia, tum a Patriarcha qui tunc Vrbi Ieruſalem pręerat, tum a populo Ciuitatis, tum ex adiacentibus monaſteryjs abſtulerunt*. Habemus etiam Bullas Indulgentiarum pro ijs, qui ſuis eleemoſynis vel reparabant, vel ædificabant Eccleſias Beatæ Mariæ de monte Carmelo, hoc ſæculo conceſſas a Sergio IV. qui obijt anno Domini 1012. ab Alexandro II. qui obijt anno 1072. & a Gregorio VII. qui obijt anno 1085. confirmatis a Sixto IV. Iulio II. & Gregorio XIII.

In ſæculo duodecimo iam capta a Chriſtianis Ieroſolyma, renouatur in Oriente noſtra religio Carmelitana, & in Carmelo inſtituitur primus Generalis inter Latinos S. Bertholdus, cuius ſucceſſores abſque interruptione nominatos habemus.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum Religio Carmelitana ſit antiqua in Europa ſub nomine Carmelitano.

AD Secundũ ſic proceditur: Videtur quòd Religio Carmelitana non ſit antiqua in Europa, ſaltem ſub nomine Carmelitano. Probatur: Abbas Ioachim, qui floruit circa annum Domini milleſimum ducenteſimum, prædices fundationem Religionis Carmelitanæ in Europa, dixit ad cap. 14. Apocalyp. *Surget ordo, qui videtur nouus, & non eſt, hic defendet fidem vſque ad mundi finem in ſpiritu & virtute Eliæ, hic erit ordo Eremitarum imitantium vitam Angelicam*: Ipſimet Carmelitæ hoc dictum exponunt de fundatione Religionis ſuę in Europa: Ergo religio Carmelitana non eſt antiqua in Europa, ſub nomine Carmelitano, vbi ad ſummum eſt a quadringentis annis.

¶ 2. Pręterea: Carmelitæ dicunt, quod Sanctus Ludouicus Rex Galliæ rediens ab Oriente, ipſos induxit in Europam, quod contigiſſe dicunt anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto: Ergo religio Carmelitana non poteſt dici antiqua in Europa.

¶ 3. Præterea: Ex vna parte apud antiquiores authores nulla fit mentio Religionis Carmelitanæ in Europa ſub nomine Carmelitano: Ex alia verò parte Carmelitę, cum primo venerunt in Europam cum Sancto Ludouico, non vocabantur Carmelitæ, ſed Barrati ex pallijs ſuis variegatis ſiue diuerſi coloris: ergo religio Carmelitana non eſt antiqua in Europa, ſaltem ſub nomine Carmelitano.

SED CONTRA eſt authoritas fidelium relationum, quarum aliquas authenticas legi hic apponendas.

CONCLVSIO.

Religio Carmelitana eſt antiqua in Europa, ſub nomine Carmelitano.

RESPONDEO dicendum, quod noſtra religio Carmelitana eſt antiqua in Europa ſub nomine Carmelitano, a mille ferè annis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd affirmatiua huius dubij reſolutio eſt pro nobis demonſtratiua contra eos, qui negant noſtram religionem Carmelitanam extitiſſe ante annum Domini milleſimum centeſimũ, circa nouam acquiſitionem Terræ Sanctę ſub Godifredo Bullioneo: Vnde in præſenti oſtendemus eſſe multò antiquiorem etiam in Europa, aſcendendo per aliquot ſæcula, in quibus erat florida & notiſſima, ſub nomine Carmelitano: nam quòd ſub alio nomine fundata fuerint plura eius monaſteria in Europa, dicimus alibi, ſolùm hic indicamus aliqua; monaſterium Toletanum antiquiſſima traditione, & certis monumentis ipſius dicitur fundatum anno Domini quadrageſimo, vt refert Lezana tomo 2. ad dictum annum numero 12. Daniel in vinea Carmeli pag. 242. & Iulianus Perez ſeu Petri, Archipresbyter Sanctæ Iuſtæ Toletanæ in tractatu de Eremitorijs numero 15. vbi ſic habet; *Eremitorium Toleti in ſuburbio Sanctæ Mariæ de Alf. (id eſt Alfizem, qui titulus eſt* Eccleſiæ *Carmelitanæ Toletanæ:) A temporibus antiquiſſimis tria templa Toletanorum, quo venerunt olim monachi Carmelitæ, & tempore captiuitatis fuit Eccleſia Regis Alphonſi VI.* Hoc monaſteriũ fuit Toleti fundatum a Sancto Elpidio, quem alibi fuiſſe noſtrum Carmelitam monachum probamus ex Luitprando, Et tranſijt in Hiſpaniam ex Ieroſolymis, in prima perſecutione Chriſtianorum, cum lapidatus fuit Sanctus Stephanus Protomartyr. Tunc etiam ædificatum traditur aliud monaſterium in Anglia a S. Ioſepho ab Arimathia, vnde fuit aſſumptus Sanctus Patricius: Videatur Leza-

Lezana tomo 3. p. 152. Alibi oſtenditur, qualiter authores etiam exteri, vt Clemens Reinerus Benedictinus, omnia antiqua monaſteria Britanniæ, Scotiæ, Hiberniæ, ſicut & Galliæ Lirinenſe, Maſſilienſe & Agaunenſe, quaſi propria noſtræ Religionis Carmelitanæ referunt, quamuis ſub nomine Carmelitano non fuerint fundata. In præſenti agimus de illis ſolùm, quæ noſtra Religio nomine Carmelitano inſignita fundauit in Europa.

Probatur concluſio fideli relatione fundationis diuerſorum conuentuum. Et quidem vt certiſſimum fatentur omnes, quòd religio Carmelitana eſt antiqua in Europa ſub nomine Carmelitano a quadringentis & ampliùs annis: nã Sanctus Ludouicus Rex Galliæ ſex Carmelitas religioſos in monte Carmelo aſſumpſit, & ſecum detulit in Galliam, eis primum ædificauit monaſterium Aquilatenſe ad tria propè Maſſiliam milliaria, deinde Pariſienſe &c. Hoc ſucceſſit anno Domini 1254. Eodem prorsùs tẽpore authenticum habemus monaſterij Genuenſis ſub nomine Carmelitano monumentum, quod fortè erat multò antiquius: hoc monumentum ex eius Archiuijs accepi, datum ſub anno Domini 1260. ſupponens monaſterium iam exiſtens: Sic autem habet hoc monumẽtum; *In nomine Domini Amen: Ego Raymundus Purpurerius loco vobis Fratri Stephano* Priori *monaſterij ſiue domus* Eccleſiæ *Sanctæ Mariæ de Carmo Genuenſis, Fratri Thomæ, Gualtherio, Fr. Ramerio, Fr. Petro, Fr. Matthæo, Fr. Martino, Fr. Oberto ff. eiuſdem ordinis partes terræ & domus meæ, poſitæ vbi dicitur in Territio, cui terræ cohæret a duabus partibus via, & alia parte terra quam tenet Henricus de Riba; Et quas partes emi a dictis perſonis, ſecundùm quod plenius continetur in inſtrumentis infra ſcriptis per manum Ioannis de Pollanetis notarij, pro mercede ſolidorũ centum Genuenſium in anno vſque ad annum vnum dantibus & ſoluentibus mihi: Et promitto vobis dicto Priori & Fratribus dictis nomine dicti monaſterii dictorum Fratrum, dimittere & non impedire vobis vſque ad dictum tempus. Et nos dicti* Prior *& Fratres promittimus tibi dicto Raymundo dictam terram pro te tenere vſque ad dictum tempus, & dictam penſionem ſoluere tibi, & in fine termini dicti dictam terram tibi reſtituere; ſub pœna dupli & quitto: Nunc autem dicta terra, vel pro tempore valitura ſeu meliorata fuerit, tibi ſtipulanti ſpondemus; & pro pæna, & ad ſic obſeruanda, omnia bona dicti monaſterij habita & habenda tibi pignorari obligamus. Actum Genuæ extra portam* S. *Agnetis in Eccleſia* S. *Mariæ de Carmo. Teſtes Petrus de S. Agnete* Purpurerius, *Hugo de Riparollia, Thomas Picem quondam* Petri, *Bartholomæus Ioannes de Briſſono, anno Dominicæ natiuitatis mille ducentis ſexaginta indictione* 2. *die* 4. *Septembris inter nonam & veſperas.*

Ioannes de Pollaneti notarius rogatus ſcripſi.

Et in plico erat ſcriptum ſicut ſequitur.

Raymundus Purpurerius locat domum & Terram vbi dicitur in Territio, Priori & Fratribus Sanctæ Mariæ pro ſolidis centum, 1260. *die* 4. *Septembris num.* 1. *Canteræ primæ.*

In principio eiuſdem ſæculi circa annum Domini 1210. reperimus ex Palæſtina in Angliam nauigaſſe duos ex noſtris Carmelitis Rodulphum & Iuonem, qui noſtræ religionis monaſteria condiderunt in hac inſula, & Sanctum Simonem Stoch receperunt, quo paulò poſt etiam nauigauit ex monte Carmelo B. Alanus Generalis noſtræ Religionis.

Sæculo præcedenti, nempe anno Domini milleſimo centeſimo reperitur fũdatum Burdigalenſe monaſterium, de quo ſic habetur in archiuijs dicti monaſterij. *Conuentus Burdegalenſis Carmelitarum tribus vicibus extructus eſt in tribus diuerſis locis ciuitatis Burdegalenſis, intra tamen ambitum eiuſdem parochiæ, quæ dicitur S. Eulaliæ Virginis & martyris.* Pri*mò fundatus fuit anno Domini* 1100. *vi voti facti in honorem B. Mariæ Virginis de monte Carmelo per Illuſtriſs. D. de la*

Digitized by Google

Lande, eo fine vt victoriam obtineret contra Gigantem ſeu hominem proceræ ſtaturæ, qui ex parte inimicorum Burdegalam obſidentium, ad ſingulare certamen cum aliquo Burdegalenſi ineundum deſtinatus erat, vt de ſumma belli diſceptarent: obtenta victoria ope Deiparæ conuentum Carmelitarum extruxit; quem deinde alius eiuſdem familiæ, dictus Gagliardus de la Landa reedificauit in alio loco anno Domini 1217. *Tandem tertiò extructus fuit dictus conuentus anno Domini* 1497. *liberalitate Dominæ Catharinæ de la Lande &c.*

Priori ſæculo circa annum Domini milleſimum inuenitur ędificatus Buppardicenſis ſiue Bopardienſis conuentus, vt deducitur ex Miſcellaneis rerum Carmelitarum collectis a R. P. Angelo Auguſto Genuenſe Priore & agente Generali, vbi ſic habetur: *Conuentus Buppardienſis, licet in ſuperiori Germania reperiatur, dicitur tamen pertinere ad prouinciam Germaniæ inferioris; Quo tempore, anno & die fundatus fuerit, vſque modo non reperi; ſed quod ſit antiquiſſimus, & inſignis fuerit, exprimit lapis tumuli primi Prioris dicti conuentus, qui eſt in ipſo ingreſſu & ambitu chori, & in quo legitur dictum Priorem vocatum Henricum obijſſe anno Domini* 1113. *vt in ſequenti Epitaphio legitur.*

Dū ſol mille ſuo curſu compleuerit annos
Virgineo a partu, centum ſimul, & duo luſtra,
Et tres exactos, fatalis terminus inſtat
Octobris nigro vere ſignanda lapillo,
Vltima lux rapuit virtutum luce coruſcum
Parca ſeuera virum, quem ſacri gurgitis vnda
Abluit Henricum, rara virtute Priorem
Ordinis agnoſcit ſacri ſententia nomen,
Qui ſibi Carmeli diuino munere poſcit,
Atque Vrbs fauſta colit Sanctè Boppardia, ſaxum
Oſſa tenet, iacet hic gelida tumulatus arena
Virtutum exemplar fulgens Henricus, & aſtra
Mens tenet, & ſuperum felici ſede moratur.

Hic conuentus Bopardienſis dicitur fundatus a S. Gerardo noſtro Patriarcha Antiocheno: Lezana ponit hunc conuentum fuiſſe fundatum circa annum 1040. ne dicatur prædictus Prior, ſi fuit primus & ab initio fundationis factus, vixiſſe ad centum annos.

Anteriori ſæculo reperitur fundatus conuentus Tonchelſpiele, de quo hæc mihi ſcripſit R.P. Gabriel ab Annunciatione Aſſiſtens Generalis Germaniæ: *Conuentus Tonchelſpiele ſitus in ciuitate Imperiali eiuſdem nominis in Sueuia, eſt prouinciæ Germaniæ ſuperioris; habent monumenta eiuſdem ciuitatis fundatum fuiſſe a quodam ruſtico, qui Carmelitis ſui dedit villam circa annum Domini nongenteſimum; Et ex occaſione ruſticorum, qui conuentui famulantes iuxta illum domos conſtruxerunt, dicitur ciuitas paulatim accreuiſſe, quæ hodie eſt vna ex Imperialibus. In Chronico paruo Sueuiæ Germanico idiomate per Martinum Zeillerum Vlmæ* 1653. *impreſſo habetur ciuitatem Dinokelſpilenſem exordium ſuum ſumpſiſſe a villa quadam vulgo Dinckelhof; nam olim ruſticus inhabitans ſæpius tranſmigrātes religioſos Carmelitas hoſpitatus eſt, & illis demum villam donauit; Hinc Carmelitę antiquiores ciuitate ſunt: Anno* 928. *ſub regimine Cæſaris Henrici primi hoc oppidum villicum ſimplici muro circumcinctum.*

Anno Domini 837. fundatus reperitur in Sicilia conuentus Leontinus. Cōuentus autem Piſanus multo ſupponitur antiquior; de ipſo enim habetur in quodam ſepulchro intra clauſtrum, quòd in eo ſepultus fuerit quidam vir deuotus Beatæ Virgini, qui anno Domini 800. ex hac vita deceſſerat, quot annis fundatio conuentus præceſſerat, non habetur.

Ad aliud tandem ſæculum retrocedētes, inuenimus in eadem Italiæ prouincia, nempe Thuſcia ſeu Hetruria, ſub anno

Digitized by Google

anno Domini 707. prima conuentus Senenſis auſpicia; quem volunt aliqui fundatum a quodam ordinis noſtri religioſo nomine Thoma, ipſumque Thomam è monte Carmelo affirmant adductum a Carolo Magno. Sub idem tempus fundatus fuit conuentus Florentinus, anno ſcilicet 743. vt conſtat ſequēti monumento: *Nos Thomas miſeratione diuina Florentiæ Epiſcopus proteſtamur expreſſè ad perpetuam rei memoriam, & poſteris futuram fidem, quòd ad honorem Dei, & Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, & omnium Cæleſtem Ciuium in cæleſtibus triumphantium, præſentibus Mauritio Cionio Catherio Ardingo a Sancto Geminiano, & Gottifredo Cuſſa, Omnibus Eccleſiæ Florentinæ Præsbiteris, necnon & præſentibus Eremitis eiuſdem Carmeli montis, Gēneſio, Baſilide, Cyrillo, Enoc, Phronto, Hanuphrio, & Elpidio, ex eodem ſancto monte ab Arabiæ iniquo machometi ſucceſſore & diſcipulo Humar Rege fugientibus, & in hanc prouinciam decurſis, hac præſenti die infraſcripta primum lapidem paruæ Eccleſiæ in remoto loco, pro eiſdem eremitis Carmeli, ad totius Florentini populi placitum & concurſum, proprijs noſtris manibus, Deo dante, poſuimus propè ciuitatem iuxta Piſanam viam & fluuium Arni. Acta ſunt hæc Florentiæ in Palatio Epiſcopali, teſtibus ad omnia vocatis, Ioſeph a S. Viualdo, Balduino Balduini de Colle Vallis Elſæ, & Gualterio quodam Vicedomino Florentino, ſub anno Domini 743. menſe Maio, eius verò die prima, indictione decima tertia &c. Ego Raynerius Simeonis a Signa, Apoſtolica & Imperiali auctoritate Notarius Florentinus rogatus mea manu confeci, & ſignum mei tabellionatus appoſui &c.*

Locus ✝ ſigni.

Inſcriptio in Clauſtro Conuentus Florentini.

D. O. M.

A CHRISTI *Natiuitate Ann.* 743. *Kalend. Maij ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo erecta fuit parua quædam Eccleſia, cuius primum lapidem poſuit Reu. DD. Thomas Epiſcopus Florentinus in receſſu propè Ciuitatem iuxta Piſanam viam & flum. Arni, pro Eremitis quibuſdam montis Carmeli, Geneſio ſcilicet, Baſilide, Cyrillo, Enoc, Phronto, Honuphrio, & Elpidio, Humar Arabiæ Regis Mahometi ſucceſſoris tyrannidem fugientibus, nutu diuino in hanc Vrbem perductis. Deinde Ann.* 1268. *Kal. Iulij extra Ciuitatem fundata fuit hæc ſecunda Eccleſia per Reuerendiſs. DD. Ioannem Florent. Antiſt. ſub titulo fratrum eiuſdem Ordinis, præſentibus pluribus, perſonis Religioſis ac ſecularibus. Qui Antiſtes donauit pedem S. Agnetis Virg. & mart. & caput S. Cor lubæ itidem Virg. & mart. S. Vrſulæ ſociæ, quę ſunt adhuc in eadem Eccleſia. Poſt fundationem verò anno* 1422. *Dominica in Albis die* 19. *Aprilis, ex conceſſione Martini Papæ V. ad preces D. Franciſci de Soderinis per Reuerendiſs. D. D. Americum Corſinium primum Florentiæ Archiepiſcopum ſolemniter conſecrata fuit, aſſiſtentibus RR. DD. Antonio Fidei Carmelita Epiſcopo Suanenſi, & Benotio Federigo Epiſcopo Feſulano Florentinis; In qua conſecratione idem Reuerendiſſimus donauit reliquias de Sanctis Barthelom. Thoma, & Barnaba Apoſtolis, Marco Euangeliſta, Clemente & Antero PP. & MM. Laurentio, Sebaſtiano, & Pācratia MM. quæ in eadem Eccleſia conduntur. Quam cuilibet contrito & confeſſo in Dominica in Albis idem Archiepiſcopus pro tunc indulgentiam quadraginta dierū viſitanti conceſſit. Quam plenariam & perpetuam fecit SS. D. N. Gregorius fel. recor. dat. PP. XIII. Ann. ſalutis* 1585. *vt ex originalibus in Arca conuentus poſitis, quorū copiæ fide dignæ in Sacriſtia extāt affixæ.*

Nota

Nota quod anno 1660. data occaſione bis diſſerui de antiquitate noſtræ religionis Carmelitanæ, cum R. P. Godifredo Henſchemio Belga Societatis Ieſu, qui plurimum in hiſtoria eruditus negabat Carmelitas eſſe antiquiores S. Alberto legiſlatore noſtro, qui a quingentis ferè annis viuebat: Sed cum præſentem ei diſcurſum feciſſem, per tot ſæcula retrocedendo, tandem reſpondit ſe non ampliùs dubitaturum de noſtra ſucceſſione hæreditaria ab Elia propheta, abſque interruptione, ſi vera eſſent quæ modo ſcripſi de fundatione conuentus Florentini; & quod in credito foret trãſiturus Florentia ad comprobandam huius rei notitiam: Intererant eius ſocius iunior item Belga, ſucceſſor electus in ſcribendo, & ex noſtris P. Celeſtinus a S. Ludouina Batauus, in noſtro conuentu S. Mariæ de Vittoria ad montem Quirinalem Romę. Poſtmodum reſciui a R. P. Gabriele ab Annuntiatione Carmelita, eius olim in lingua Græca diſcipulo, quod ipſi Florentiæ exiſtens ſcripſerat, ſe ibi vidiſſe monumenta antiquitatis noſtræ, de quibus iam non dubitabat; quod etiam confirmauit alteri Patri Carmelitæ in Belgio, vt litteris inde miſſis didici.

AD primum ergo dicendum, quod tempore Abbatis Ioachim admodum pauci erant Religionis Carmelitanæ cõuentus in Europa: Vnde ordo ipſe erat ignotus, & videbatur nouus, cùm paulò poſt cœpit ampliùs apparere multiplicatis conuentibus.

AD ſecundum dicendum, quòd celebris fuit illa miſſio religioſorum noſtrorum è monte Carmelo in Europam ſub Sancto Luduico Rege Galliç; Tunc enim ſub eius auſpicijs quamplures fundati ſunt noſtrę Religionis conuentus, tam in Gallia quàm extra: Prius tamen accidit fundatio conuentuum aliquorum ipſius ſub nomine Carmelitano, per varias Occidẽtis regiones, tẽpore Caroli Magni, qui ad Terram Sanctam Saracenos expulſurus nauigauit; & inde glorioſus triumphator rediens, tam Sanctorum reliquias, quam ſanctè viuentes monachos ſecum in Galliam adduxit, etiam ex noſtris Carmelitis, quem in hoc ipſo poſtea S. Ludouicus eius ſucceſſor imitatus eſt.

AD Tertium dicendum quantùm ad primam partem, quòd licet apud antiquiores authores non ſit mentio Carmelitarum in Europa ſub nomine Carmelitano, propter paucitatem ipſorum tunc temporis; habetur tamen mentio ipſorum in antiquis paucorum conuentuum monumentis, vt conſtat ex dictis. Quantùm ad ſecundam partem dicendũ, quòd tunc noſtri religioſi, licet a multis præſertim plebæis vocarentur Barrati ex pallijs; agnoſcebantur tamen ab omnibus vt Carmelitæ, & tales à pluribus etiam vocabantur.

ARTICVLVS III.

Vtrum Religio Carmelitana ſit perſeueratura vſque in finem mundi.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd Religio Carmelitana non poſſit cum fundamento, & prudenter dici perſeueratura vſq; in finem mũdi: Ita videtur tenere Lucas Vaddingus, cum in vita S. N. Petri Thomæ impugnat reuelationẽ Beatiſſimæ Virginis Mariæ ipſi factam de hac perſeuerantia. Probatur: De futuris contingentibus nõ datur ſcientia; Et multò minus de his quæ merè pendent a Diuina voluntate, qualis eſſet dicta perſeuerantia Religionis Carmelitanæ vſque in finem mundi; Imò nec poteſt de his haberi aliqua certitudo moralis ſine reuelatione, vel ſufficienti fundamento, quod in præſenti non apparet: Ergo Religio Carmelitana non poteſt cum fundamento & prudenter dici perſeueratura vſque in finem mundi.

¶ 2. Prętereа: Non poteſt prudenter & cum fundamento affirmari de alijs

alijs religionibus, quòd ſint perſeraturę vſque in finem mundi, hæc de facto affirmatur de aliqua: Ergo nec poteſt prudentèr & cum fundamento affirmari, quòd religio Carmelitana ſit perſeueratura vſque in finem mundi, vt conſtat ex paritate rationis; imo a maiori ad minus, nam cum ſint plures aliæ Religiones in Eccleſia potentiores, magis multiplicitatę, & melius ſtabilitæ, quàm Religio Carmelitana, ſi de illis non poteſt prudenter affirmari, quòd ſint perſeueraturæ vſque in finem mundi, multo minus de iſta.

¶ 3. Pręterea: Fundamentũ huius perſeuerantię aſsignatur reuelatio Beatiſs. Virginis Mariæ facta S. Petro Thomæ, in qua dixit ei perſeuerantiam huiuſmodi conceſſam fuiſſe S. Eliæ fundatori ipſius à Chriſto Domino in monte Thabor die Transfigurationis: Sed hoc non eſt veriſimile, quia ſecundùm Euangeliſtas Chriſtus Dominus Moyſes & Elias loquebantur de exceſſu, quem completurus erat ipſe Chriſtus in Ieruſalem, & non de alijs: Ergo non ſubſiſtit tale fundamentum; ac proinde non poteſt prudenter dici, quòd Religio Carmelitana ſit perſeueratura vſque in finem mundi.

¶ 4. Præterea: Si quæ ratio ſuaderet Religionem Carmelitanam fore perſeueratura vſque in finem mundi eſſet iſta quia ex ſpeciali prouidentia Dei reſeruarentur alumni eius, vt ſuis dictis, & factis fideles tunc roborararent contra ſæuiſsimam Antichriſti perſecutionem: Sed ad hoc ſufficiunt Enoch & Elias, potentiſsimi in verbo & opere; vt colligitur ex capite 11. Apocalypſis, de his quippe ſolis ibi fit mentio quaſi reſiſtentibus Antichriſto; Et ſi non ſufficerent hi duo, potiùs videntur aſſumendi alij Religioſi, qui ex proprio inſtituto addicti ſunt prædicationi, miſsionibus, & actioni charitatiuæ erga proximum, quã Carmelitæ, quorum inſtituti principalior pars eſt contemplatio, & talis actio eſt pars minùs principalis: Ergo non poteſt Religio Carmelitana prudentèr dici perſeueratura vſque in finem mundi.

SED CONTRA eſt fundamentum Sacræ Scripturæ, expreſſa Beatiſsimæ Virginis Mariæ reuelatio cum alijs, plurium authorum ſententia, & multiplex congruentia.

CONCLVSIO.

Cum Elias Religionis Carmelitanæ Patriarcha viuet vſque in finem mundi, tunc pugnaturus contra Antichriſtum, & ipſa Religio Carmelitana fuerit inſtituta expreſſo & authentico Dei mandato quantum ad primitiuam eius fundationem, velut radix & origo cæterarum, videtur congruum quòd ſit perſeueratura vſque in finem mundi.

RESPONDEO dicendũ, quòd Religio Carmelitana eſt perſeueratura vſque in finẽ mundi, & hoc poteſt prudenter affirmari. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt; quòd tam in fundatione quàm in continuata ſucceſsione Religionis Carmelitanę peculiaris Dei prouidentia & ſingularis protectio Beatiſsimæ Virginis Marię eluxit: Anno igitur à creatione mundi 3127. & ante Natiuitatem Chriſti 929. Elias Propheta ſanctiſſimus religioſam & prophetalem vitam eremiticam ſancto dictante, & mandante ſpiritu inchoauit, & inſtituit, vt ait Ioannes 44. cap. 2. non dubium, quin præter diuinum mandatum habuit in hac inſtitutione motiuum hoc ſcilicet educare viros Sanctos, qui ſuo exemplo & doctrina idolorum cultoribus tũc in Iſraël potentibus reſiſterent, & populum fidelem inſtruerent, ne ad idola & vitia deflueret: Cum ergo, vt ait idem Ioannes cap. 11. de ſpelunca montis Horeb, in qua aliquandiu manſerat, fuiſſet Elias iuſſu Dei reuerſùs in terram Iſraël ipſe collectis in vnum diſcipulis ſuis in monte Carmeli, protinùs ſtuduit ſecundum formam ſibi a Deo traditam denuò inducere eos ad obſeruandam vitam monaſticam; quod magis declarat ipſe Ioan-

Digitized by Google

Ioannes cap.19. dicens: *Quia ex tunc, & non antea fuit Eliæ & ſuis diſcipulis liberum in regno Iſrael ſecurè conuerſari, ſtuduit ipſe deinceps religionem quam inchoauerat* (ſcilicet in torrente Carith exercens vota Religionis) *in loco idoneo plantare; quoniam ad ſui & ſuorum diſcipulorum iugem manſionem elegit præ alijs eremis Carmeli montem, tanquam commodiorem ad propheticam diſciplinam & vitam monaſticam in eo edocendam & exercendam*. Primus Eliæ diſcipulus ordine temporis fuit Ionas Propheta de regione Geth quæ eſt Ophir, filius illius mulieris viduæ, cui ligna colligenti in Sarephta Sidoniorum Elias obuiauit, & in cuius domo lituit dum rex Achab per omnes gentes & regna cum ad mortem perquiri fecit: Hunc Ionam puerum Elias tunc ſuſciuauit a mortuis, cum ſuſtentaretur in domo matris illius; quem ob hoc mater ex deuotione tradidit Eliæ erudiendum in diſciplina prophetica vitæ monaſticæ. Secundus Eliæ diſcipulus ex his qui noti ſunt, fuit S. Eliſęus filius Saphat. Tertius Michæas filius Iemla. Quartus Abdias. Cum his Elias nouæ religionis fundamenta iecit in Carmelo, quæ à tam paruis principijs adhuc etiam viuente inter diſcipulos Elia plurimùm creuit: nam ante raptum eius enumerantur plura monaſteria, vt in Carmelo, in Galgalis in Bethel, & in Iricho, vt conſtat ex 4. Regum capit. 2. Eius alumni primò vocati ſunt filij Prophetarum, deinde Eſſeni ſiue Eſſæi, poſtmodum vocati ſunt Aſſidæi poſtremis Synagogæ temporibus, quamuis etiam tunc ſub nomine Eſſeno reperiantur apud authores. In principio legis Gratiæ reperitur adhuc nomen Eſſenū apud Ioſephum & Philonem, quamuis tunc cōmunius alumni Religionis Carmelitana vocarentur diſcipuli Ioannis ob inſignem ſanctatatem huius Præcurſoris, qui fuit alter Elias, quia venit in ſpiritu & virtute Eliæ. Tandem inceperunt vocari Fratres Beatæ Mariæ de monte Carmelo, ſiue breuius Carmelitę à natali ſolo religionis. Hęc religio plurimum ſub lege Gratiæ per Paleſtinam, Aegyptum, & Thebaidem dilatata eſt: Deinde ad alias Orientis partes, & ad plura Occidentis regna pertranſijt, maxime ſub S. Ludouico Rege Gallię, qui Carmelitas aliquot è monte Carmelo in ſuum regnum traduxit, qui poſtea religionem multum dilatarunt: Vnde nunc Patres calceati triginta duas habent Prouincias, noſtri verò Diſcalceati viginti & vnam in vtraque congregatione Italica & Hiſpanica. Vt autem eſt conditionis humanę & miſerię temporum, hæc ſacra Religio varias paſſa eſt in ſuis obſeruantijs mutationes: Vnde plures fuerunt reformationes ipſius, extat adhuc Mantuana ſub ſpeciali congregatione eiuſdem nominis: ſed mirabilior apparet noſtra Diſcalceatorum; Tum quia renuntians priuilegio mitigationis, primitiuam Carmeli regulam amplexa eſt; Tum quia plurimùm creuit, ita vt vix vlla ſit mundi regio, in qua non ſint Carmelitæ Diſcalceati; Tum denique, quia eius inſtauratrix fuit vna Virgo Sancta nomine Thereſia a Ieſu: In hac quippè Religionis reformatione quædam reſulxit primæuæ fundationis eius imago; nam ſicut tunc Beatiſſima Virgo *Maria* Dei genitrix Eliæ reuelata fuit principalis eius cauſa motiua, & Elias executor ipſius; ſic nunc in eius reformatione aſſumpta fuit alia Virgo quaſi Vicaria Reginæ Virginum, vt principalis eius cauſa motiua, & V. P. N. Ioannes a cruce alter Elias vt executor & fideliſsimus Coadiutor. Propter maximam autem Religionis antiquitatem non habetur omninò certa Superiorum eius Generalium memoria, tum tempore Synagogę, tum primis Eccleſiæ ſeculis: Et quidem tempore Synagogę poſt Eliam ſanctiſſimum fundatorem, & Eliſeum eius poſt raptum ſucceſſorem, qui mortuus dicitur anno ante Chriſtum natum 857. neſcitur quis totam Religionem gubernarit octo illis ſęculis; nonnulli tamen in hoc regimine ſubſtituunt Eliſæo Ionam, alij Ionadab. Ante paſsionem Chriſti fortè S. Ioannes Baptiſta fuit ſuperior

Gene-

Generalis Carmelitanæ religionis, cum a multis vocetur Princeps Eſſenorum, quos probauimus fuiſſe alumnos huius religionis. Eius ſucceſſorem faciunt aliqui Agabum prophetam, de quo Actuũ 11. & qui fuit vnus de ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis. In principio Eccleſię reperitur Prior Carmeli iam Chriſtiani S. Enoch de Amachim anno Domini 64. cuius fit mentio in Bullis Pontificijs: cui videtur immediatè ſucceſſiſſe Baſilides, qui anno Chriſti 72. regebat Carmelum, & vt referunt Suetonius & Tacitus, Tito Imperatori prædixit victoriam de Iudæis. Poſt prædictos non inuenitur alius determinatus vſque ad annum Chriſti 373. tunc verò floruit prior Carmeli S. Euticius, qui S. Baſilio Religionis habitum tradidiſſe legitur. Poſt illum S. Cyrillus fuit Prior, qui anno 386. regebat Carmelum, & inde aſſumptus eſt in Patriarcham Ieroſolymitanum: Deinde anno 432. fuit Ioannes ille vir egregius, qui etiam factus eſt Patriarcha Ieroſolymitanus 44. Huic ſucceſsit Capraſius, ad quẽ prædictus Ioannes ſuum direxit librum de Inſtitutione monachorum. Poſtea aduenit circa annum Domini 534. perſecutio Coſroë Regis Perſarum, quæ plurimos Carmelitas conſumpſit, alios diſperſit: non multò poſt ſecunda contigit perſecutio Homar ſucceſſoris Mahometi, qui penè omnes deleuit Carmelitas, Et ita non ſimul, ſed hinc inde diſperſi etiam in Carmelo degebant. Vnde in illis miſeris temporibus de ſuperioribus Carmelitis vix aliquid auditur vſque ad annum Chriſti circitèr milleſimum centeſimum, quo cœperunt Generales Latini, Et primus ipſorum Sanctus Bertholdus de Malafayda Lemouicenſis; cui ſucceſſerunt abſque interruptione anno 1145. S. Brocardus Ieroſolymitanus, cui data fuit regula a B. Alberto Patriarcha: Anno 1197. S. Cyrillus Conſtantinopolytanus Doctor. Anno circiter 1200. B. Bertholdus II. Lombardus: Anno 1207. B. Alanus Brito: Anno 1215. aduenienti in Europam Alano ſucceſsit S. Simon Stoch Anglus: An. 1265. B. Nicolaus Gallus: An. 1270. Rodulphus d'Alemaña. Anno 1273. Petrus de Aemiliano: Anno 1293. Raymundus ab Inſula: Anno 1297. Gerardus de Bononia: Anno 1318. Guido de Perpiniano: Anno 1321. Ioannes de Alerio: Anno 1330. Petrus de Gaeſa: Anno 1342. Petrus Raymondi de Graſſa: Anno 1358. Ioannes Baliſtarius: Anno 1375 Bernardus Olenſis: Anno 1381 Michael de Bononia: Anno 1384. Raymondus d'Aquario: Anno 1389. Ioannes de Groſsi: Anno 1425. Bartholomæus de Racoli, factus poſtea Maſſilienſis Epiſcopus: Anno 1430. Ioannes Faci, poſtea Epiſcopus Regienſis: Anno 1451. Ioannes Soreth: Anno 1472. Chriſtophorus Brixianus: Anno 1482. Poncius Auenionenſis: Anno 1490. Petrus Teraſſa: Anno 1498. Baptiſta Mantuanus: Anno 1512. Bernardinus Landucius Senenſis: Anno 1525. Nicolaus Audet Cyprius: Anno 1569. Ioannes Baptiſta Rubeus a Rauenna tempore S. M. N. Thereſię. Anno 1580. Ioannes Baptiſta Caffardus: Anno 1593. Ioannes Stephanus Chizola, ſub quo noſtra Diſcalceatorũ congregatio proprium obtinuit Generalem. Exinde Ioanni Stephano Chizolæ ſucceſſerunt in officio Generalis ordine ſequenti Hẽricus Siluius Aſtenſis, Sebaſtianus Fantonius Præneſtinus, Gregorius Canalius Venetus, Theodorus Stratius, Albertus Mazzarinus, Leo Bonfilius, Antonius Philippinus, Marius Venturinus, & Hieronymus Ari. Apud noſtros autem Diſcalceatos electus fuit primus Generalis V. P. Nicolaus a Ieſu Maria Genuenſis ex Auriaca domo, cui ordine ſequenti ſucceſſerunt quolibet ſexenio Elias à S. Martino, Franciſcus à Matre Dei, Alphonſus à Ieſu Maria, Ioſeph à Ieſu Maria, Alphonſus ſecundò, Ioannes a Spiritu Sancto, Stephanus a S. Ioſeph, Ioannes ſecundò, Ioannes Baptiſta, Hieronymus ab Aſcenſione, Didacus à Præſentatione, Gabriel a Matre Dei: & Stephanus à S. Ioſeph. Sed quia

Digitized by Google

Patres Hiſpani nouæ Diſcalceatorum Congregationis obſeruantiæ zelo decreuerant in ſola Hiſpania viuere; Summus Pôtifex Clemens VIII. volens Diſcalceatos dilatare, ex vna parte ad inſtantiam Regis Catholici conceſſit Hiſpanis, vt in ſola Hiſpania remanerent; Ex alia verò parte authoritate Apoſtolica permiſit ijs qui congregationis augmentum deſiderabant, vt ex Hiſpania venirent in Italiam, ad erigendam nouam Diſcalceatorum Congregationem; Et ſic inde venientibus multis ſanctiſſimis & doctiſſimis viris ſubdiuiſa eſt Diſcalceatorum familia in duas Congregationes Hiſpanicam & Italicam ſub diſtinctis Generalibus. Vnde ſtatim ab initio pręficitur Italicæ Congregationi authoritate Apoſtolica R. P. Petrus a Matre Dei ex oppido Daroca in Regno Aragoniæ, quo teſte Baronio tunc non videbatur poſſe ſanctior inueniri Romæ: Deinde ex electione quolibet triennio Generales ordine ſequenti ſucceſſere: Anno 1606. Ferdinandus a S.Maria Hiſpanus. Anno 1608. Idem Petrus à Matre Dei: Anno 1611. Ioannes à Ieſu Maria vir doctiſſimus: Anno 1614. Ferdinandus ſecundò: Anno 1617 Dominicus à Ieſu Maria Pragenſis victorię miraculo notiſsimus. Anno 1620. Matthias à S. Francisco: Anno 1623. Paulus Simon à Ieſu Maria noſtræ miſſionis Perſicæ fundator. Anno 1626. Matthias ſecundo: Anno 1629. Ferdinandus tertiò: Anno 1632. Paulus Simon ſecundò: Anno 1635. Ioannes a S. Hieronymo. Anno 1638. Philippus a S.Iacobo: Anno 1641. Paulus Simon tertiò: Anno 1644. Eugenius a S. Benedicto: Anno 1647. Laurentius à Sancto Elia: Anno 1650. Franciſcus à Sanctiſsimo Sacramento: Anno 1653. Ioachimus à Ieſu Maria: Anno 1656. Iſidorus à S.Dominico: Anno 1659. Dominicus à Sanctiſsima Trinitate, qui reelectus fuit diſpenſatione Pontificis, qui hac via Apoſtolica authoritate Capitulum Generale de triennio ad ſexennium prolongauit, ſicut & ſuperiorum Generalium electiones; Tandem anno 1665. die 25. Aprilis me tantorum Patrum ſucceſſorem indignum elegerunt. Hæc videbantur neceſſaria, ad demonſtrandam ſucceſsionem continuatã Religionis Carmelitanæ, & ad aliqualem eius notitiam: quæ ſemper & ſanctitate, & doctrina fuit in Eccleſia venerabilis & proficua, vt aſſerunt multi Pontifices, ex quibus Clemens VI. in Bulla ſacra ait: *Sacri Carmeli Ordinis profeſſores cæleſtium contemplationi vacantes inſiſtunt iugiter, & profectibus animarum:* Et Vrbanus VI. ait in quadam Bulla: *Hęc ſacra Carmelitarum religio ex ſuo exordio per inſignium meritorum gratiam, & exẽplaris vitæ doctrinam vberes hactenus in vniuerſali Eccleſia fructus protulit:* Vnde meritò Petrus Caluus in Defenſ. Relig. c. 13. ait; *Pulchritudinem & fœcunditatem per totum orbem Carmelitanæ religionis, nec calumniatores Eccleſię negare poſſunt; clarè enim oſtendunt, ad rorem ſpiritualis terræ promiſſionis fuiſſe plantatos.* Ex quibus omnibus apparet, quis fuerit, & quis ſit ſtatus noſtræ religionis Carmelitanæ: ſolùm reſtat inquirendum de ſtatu futuro ipſius; Vnde nunc dicimus, quòd ſit perſeueratura vſque in finem mundi.

Probatur concluſio authoriiate Sacræ Scripturæ: Hieremiæ cap. 32. vbi dicitur: *Et erit deſertum in Carmelo, & Carmelus in ſaltum reputabitur, & habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Carmelo ſedebit, & opus erit iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ, & ſilentium & ſecuritas vſque in ſempiternum:* Quæ clarè denotant Carmelitarum perſeuerantiam vſque in finem mundi. Et cap. 35. habetur promiſſum Dei factum Rechabitis, & ab ipſo propheta ſic intimatum: *Domui autem* Rechabitarum *dixit Hieremias; Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, pro eo quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa quæ præcipit vobis; propterea hæc dicit Dominus exercitũũ Deus Iſrael, non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab ſtans in conſpectu meo*

cunctis

Digitized by Google

cunctis diebus. Hæc Diuina promiſsio & Hieremiæ prophetia non videtur hactenus impleta & deinceps adimplenda; niſi dicatur quòd Religio Carmelitana per Eliam inſtituta, cuius fuit alumnus Ionadab cum ſuis Rechabitis modo ſuperiùs explicato, ſit perſeueratura vſque in finem mundi; Et quòd Carmelitæ filij huius Religionis, ac ſucceſſores Ionadab, ſint permanſuri in ſeruitio & cōſpectu Dei cunctis diebus, ſiue vſque ad conſummationem ſæculi & finem mundi. Vnde optimè conuenit Eliæ & Eliſæo illud Eccleſiaſtici 44. *Viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt, cum ſemine eorum permanent bona, hæreditas ſancta nepotes eorum, & in teſtamentis ſtetit ſemen* (videlicet tam in veteri ſub Synagoga quàm in nouo ſub Eccleſia) *Et filij eorum propter illos vſque in æternum manent, ſemen eorum & gloria eorum non derelinquetur*.

Secundò probatur authoritate Beatiſſimæ Virginis Mariæ reuelantis S. Petro Thomæ hanc religionis Carmelitanæ perſeuerantiam vſque in finem mundi; Hæc reuelatio refertur à Philippo Mazerio dicti Sancti comite, & Ioanne Fauentino in vita S. Petri Thomę, item a Carthagena libro 17. homilia 2. Et examinata ac confirmata a Sacra Congregatione de Ritibus, ſic proponitur in lectionibus officij ipſius S. Petri Thomæ. *Pro ſui ordinis perpetua conſeruatione & augmento frequentes ad Deum & Beatiſſimam Virginem orationes fundens, intimaque inter orandum edens ſuſpiria, ipſa nocte Pentecoſtes cum id inſtantiùs poſtularet, à Beatiſſima Virgine mirabili hoc reſponſo dignatus eſt: Confidito Petre, Religio enim Carmelitarùm in finem vſque ſæculi eſt perſeueratura; Elias namque eius inſtitutor iam olim etiam a filio meo id impetrauit* (ſcilicet in die Dominicæ Transfigurationis, quando S. Elias cum Moyſe Chriſto Domino aſsiſtit; Hęc reuelatio, præter examen & approbationē Sacræ Rituum Congregationis maximę authoritatis, habet omnia ſigna verę reuelationis: nam primò nihil cōtinet contra fidem & bonos mores; Deinde facta fuit a Beatiſsima Virgine ſuo deuotiſsimo ſeruo, aliàs doctiſsimo tam in Theologia Schalaſtica quàm myſtica, ſimul & prudentiſsimo cum & Epiſcopus & Patrircha Conſtantinopolitanus, ac Sedis Apoſtolicæ Legatus toties fuerit; Denique fuit illi facta inter orandum in feſto principaliſsimo, quaſi neceſſaria ad ſolatium tanti viri, & habuit optimos effectus, nempè cauſare in dicto Sancto ſpecialem confidentiam erga Sanctiſsimam Virginem, & augere filialem eius amorem in ipſam; nec poteſt aſsignari malus aliquis eius effectus: Quæ omnia probant efficaciter hanc reuelationem proceſsiſſe a Beatiſsima Virgine, & non a cerebro læſo vel a dæmone; Vnde cum hic Sanctus ad ſolatium religionis eam manifeſtaſſet pro conſtanti habetur traditione, & circumfertur ſequenti diſticho, quaſi a B. V. Maria prolato, hæc perſeuerantia Religionis Carmelitarum vſque in finem mundi

Dum fluet vnda maris, curretque per æthera Phœbus;

Viuet Carmeli candidus Ordo mihi:

His non obſtantibus Lucas Vvāddingus hanc reuelationem conatur infirmare in ſuis votis ad vitam S. Petri Thomæ; Tū ratione ſuperius adducta, & inferiùs ſoluenda; Tum quia dicit, quòd boni authores negant Eliam eſſe inſtitutorem religionis Carmelitanæ, licet alij affirment: ſtatimque ſubiungit, quòd etiam S. Franciſcus habuit reuelationem de perſeuerantia ſuæ religionis vſque in finem mundi; nec adducit congruentias, aut quid aliud ad hoc probandum: Sed miror hunc authorem ita incredulam de hac Beatiſsimę Virginis reuelatione, quę tamen tam ſolidis innititur fundamentis cum velit nos ſic eſſe credulos de reuelatione ab ipſo adducta, & abſque probatione; ſed qui fidem a nobis exigit fidem nobis præbeat: Credo tamen dictæ eius reuelationi propter eximia S. Franciſci merita, & inclytæ eius religionis opera, ipſique congratulor de

Digitized by Google

perſeuerantia promiſſa: Quantum ad id, quòd iſte Author adducit, quod boni authores negant Eliam eſſe Inſtitutorem Carmelitanæ religionis, licet alij affirment; ſi per alios non intelligat bonos authores, fallitur pace eius dixerim; pro nobis enim habemus, non ſolùm bonos, ſed etiam optimos & plurimos alibi ſæpiùs adducendos, vt multos Summos Pontifices, ſolùm hic nominamus ei Nicolaum IV. ex eius religione, legat inſuper ſuum Carthagena.

Probatur tertiò alijs reuelationibus & authoritatibus: V. Ioachim Abbas Flor. in cap. 14. Apocalypſis ſic ait: *Surget ordo, qui videtur nouus & non eſt* (quia ſcilicet poſt tempora Abbatis Ioachim de nouo apparuit in Occidente, cum tamen ab Elia deſcendens continuata ſucceſſione perſeueraſſet in Oriente) *Induti nigris veſtibus, & accincti deſuper Zona:* Hi *creſcent, & fama eorum diuulgabitur, & prædicabunt fidem; quam & defendent vſque ad mundi conſumptionem in ſpiritu Eliæ; qui erit ordo Eremitarum æmulantium vitam Angelorum, quorum vita erit quaſi ignis ardens in amore & zelo Dei.* De hoc noſtro ordine Carmelitano expreſſiùs fuerat locutus in cap. 2. Apocal. his verbis: *In tempore & numero ſigilli quarti, quo* Elias *&* Eliſeus *claruerunt in terra Iſrael, & filij prophetarum in Ierico &* Bethel *&c. Eodem tempore apertionis quartæ inuenta ſunt reliquiæ in populo Græcorum; & viri probatiſſimi habitatores Eremi, quorum alij, qui in imitatione* Eliæ *ante præceſſerant, omninò iam areſcere incipiebant; alij verò, qui ſucceſſerãt in imitatione Eliſai, cœperunt fieri patres monachorum & Virginum, quorum imitatio vſque ad Latinos peruenit; ſicut enim Elias Propheta fugijt à populo Iſrael propter immunditias adinuentionum ſuarum, & peruenit vſque ad mulierem viduam, quæ erat in Sarephta Sydoniorum; Ita perfectio illa vitæ monaſticæ, quæ primo tempore viguit apud Græcos, multiplicatis erroribus apud eos, tempore Eccleſiæ quarto trãſlata eſt ad Latinos.* Idem Abbas in Ieremiæ cap. 1. de ipſomet ordine noſtro ſic ait: *Licet nouus ordo prædicantium Eccleſiæ oriatur; tamen ordo ipſe initiatus eſt à Prophetis, Apoſtolis & Doctoribus tertij temporis Eccleſiaſtici, charus & cognitus, & electus & acceptatus à Deo:* Hunc commentarium ſcribebat hic V. Abbas anno Domini 1119. vt ipſemet ait in c. 24. Ieremiæ; hoc autem anno præcisè renouabatur ordo noſter Carmelitanus in ipſomet monte Car-melo ſub S. Bertholdo, qui ſequenti anno fuit electus primus Latinorum Generalis. Quamuis aliqui vaticinium primum approprient alteri religioni, nulli tamen ita conuenit ac Carmelitanæ per Eliam inſtitutæ, quæ viuit in eius ſpiritu & virtute cum habitu nigro ſeu fuſco, ſimulque eſt eremitica, & ita vocatur in principio regulæ. Item habetur Prophetia Sanctæ Ildegardis ordinis Sancti Benedicti in c. Filiæ Sion, vbi ſic ait: *Venient equi varij coloris, quorum egreſſio ab Oriente in Occidentem; ſed mutato vellere paulatim incedent, horum progreſſio ab Occidente in Orientem; Hi primi & nouiſſimi:* Ad intelligentiam huius Prophetiæ ſciendum eſt, quod poſtquam Saraceni montem Carmeli inuaſerunt, coegerunt Carmelitas pallium album deponere eorum ſacerdotibus & ſatrapis proprium, & aſſumere variegatum ſiue barratum, vſque ad tempora Honorij IV. tunc enim egreſſi ab oriente venerunt in occidentẽ, vbi beneficio dicti Pontificis priſtinam veſtem albam reſumpſerunt; Et ſic mutato vellere iterum ab occidente in oriẽtem ad ſuum Carmelum progreſſi ſunt: Hi ſunt primi omnium Religioſorum, vtpote ab Elia directè procedentes; Et erunt nouiſſimi, qui perſeuerabunt vſque ad finem mundi. Poſſunt ad noſtrum intentum adduci aliæ duæ prophetiæ ſiue reuelationes; Prima eſt S. M. N. Thereſiæ, ſecunda eſt V. M. Catharinæ de Cardona: Sancta Thereſia refert ſe aliquando vidiſſe S. Albertum ordinis noſtri, qui ipſam alloquens de noua reformatione Carmelitanæ Religionis tunc incepta (vt ipſamet ſociæ ſuæ V. M. Annæ à S. Bartholomæo dixit) ſic prænuntiauit

tiauit; *Florebit hæc religio temporibus futuris, & erunt quàm plurimi martyres in ea*: Quæ videntur indicare tempora futura conſummationis ſæculi, tempora quippe futura propriè connotant tranſitum ſæculorum, & non tantùm pluriũ annorũ, in fine autẽ mundi tẽpore Antichriſti erit frequens occaſio martyrij, maximè Carmelitis tunc cum ſuo Patriarcha S. Elia contra impios bellantibus Venerabilis autem M. Catharina de Cardona ſic ſuam profert viſionem apud N. Thomam a Ieſu in ſtimulo miſſionum: *Vidi ſupra montem maximam multitudinem Carmelitarum occumbentem pro Chriſto Ieſu*: Hęc Prophetia non aptiùs poteſt referri, quàm ad tempora Antichriſti; De hac V. Matre loquimur alibi in hoc etiam opere, cuius vita & cõuerſatio fuit Sãctitate & prodigijs plena. Adductis authoribus ſacris poſſent adiungi aliæ virorum Illuſtrium: Onuphrius Maneſcal agens de Beata Maria de monte Carmelo ait; *Omnium ordinũ Religioſi pro Chriſto pugnabunt tempore Antichriſti, ſed potiores Carmelitæ Eliæ filij*. Carthagena libro 17. homilia 2. ad nonam obiectionem probat ex profeſſo noſtram concluſionem duplici ratione ſtatim proponenda.

Quartò probatur duplici ratione ſiue congruentia, quam ſequentibus verbis proponit Carthagena loco citato: *Congruentem autem huius durationis eam crederem eſſe rationem, quòd huius antiquiſſimæ religionis author Elias adhuc viuat, vt multa ſacræ ſcripturæ teſtimonia comprobant, Malachiæ 4. Eccleſiaſtici 44. & 48. Apocal. 11. & Matthæi 17. venturuſque ſit in fine mundi, vt Chriſti Eccleſiam defendat, & publicè contra Antichriſtum, a quo eſt interficiendus, prædicationis vocem exaltet; Rationi ergo conſonum eſt, vt huius Religionis alumni tanquam legitimi Eliæ filij, in aduentum eius conſeruentur, vt pariter cum illo ſub tanti Ducis vexillo contra Antichriſtum acriter dimicent, fideles doceant, debiles confirment, ac tandem Chriſti gloriam & honorem tueantur: Deinde, nonne rationi conſonum eſt, vt religio alicuius tandiu ſaltem ducet, quandiu durat* Patronus & I*nſtitutor illius? ſi ergo huius Religionis parens Elias adhuc viuit, viuetque vſque ad finem mundi, vt ſacra teſtantur eloquia, congruit ſanè ſacrum hunc ordinem vſque in mundi finem durare*. Hæc Carthagena, quibus duplex alia congruentia poteſt adiungi: Prima eſt, quia Religio Carmelitana fuit inſtituta per Eliam expreſſo formali publico & authentico Dei mandato: iuxta ſuperiùs dicta: Vnde conueniens eſt; quod ſemper perſeueret vſque in finem mundi; licèt concederetur quod aliæ Religiones, quę non habuerunt ſimilem fundationem, non eſſent perſeueraturę vſque in finem mundi, ex vi namque talis ſuæ fundationis debet habere maiorem ſtabilitatem; cum aliàs congruum ſit, vt ſaltem aliqua religio pro miſerrimo illo tempore ad ſolatium & ſalutem fideliũ conſeruetur: Secunda eſt, quia Religio Carmelitana per Eliam inſtituta eſt prima ordine temporis omnium aliarum, vt alibi probatur; imò eſt radix & origo, cæteræ verò rami & riui, vt etiam alibi probatur: Ergo congruum eſt; vt ſit nouiſſima quoque & vltima ordine temporis; Et quamuis concederetur alias Religiones aliquando ceſſaturas, ipſa tamen vt radix & origo aliarum deberet remanere & perſeuerare vſque ad finem mundi.

AD Primùm ergo dicendum, quòd habentur & reuelationes, & ſufficientiſſima fundamenta, ad hoc vt habeatur pia credulitas, & moralis certitudo de hoc futuro contingenti, ſcilicet de perſeuerantia Religionis Carmelitanæ per Eliam inſtitutæ vſque in finem mundi, vt dictum eſt.

Ad Secundum dicendum, quòd poteſt prudenter affirmari, alias religiones, ſaltem maiori ex parte perſeueraturas vſque in finem mundi, vt habetur ex adducta Onuphrij Maneſcal authoritate; quęnam verò illę ſint in particulari, ignoro: Sed dato quòd aliæ non eſſent perſeueraturæ, conſtat ex dictis cur etiã in illo caſu religio Carmelitana eſſet perſeuera-

ſeuera-

Digitized by Google

ſeueratura vſque in finem mundi: Dato etiam & conceſſo quod ſint aliæ religiones noſtra Carmelitana potentiores, magis multiplicatæ, ac m eliùs ſtabilitæ; tanta tamen eſt rerum humanarum mutabilitas, vt ſæpe quòd apparet firmius, ſtatim corruat: Vnde in his potiùs recurrendum eſt ad diuinam prouidentiã, quàm ad humanam apparentiam, quæ ordinariè fallit hominum iudicia.

AD Tertium dicendum, quòd huiuſmodi fundamentum eſt firmum, vt conſtat ex dictis in confirmatione reuelationis huius. Vnde ad impugnationẽ dicendum, quòd Euangeliſtę quidem dicunt quòd in monte Thabor Chriſtus Dominus, Moyſes & Elias loquebantur de illo exceſſu; ſed non dicit quod tantùm de illo loquebantur: quod ſuadetur ex illo quòd ait Origenes homilia 7. in numer. cap. 12. *Quem oportebat orare ad Dominum pro ſanitate populi illius, niſi Moyſem? Moyſes Domino Ieſu Chriſto colloquebatur, cum in monte transformatus eſt, petens ab eo, vt cum plenitudo gentium introiſſet, tunc omnis Iſrael ſaluus fieret*; Si tunc Moyſes oraſſe dicitur pro ſalute populi ſui, potuit & Elias oraſſe pro conſeruatione ſuæ Religionis. Deinde potuit tunc S. Pater Elias mentaliter hoc deſiderium de perſeuerantia ſuæ Religionis exponere Chriſto, & quòd Chriſtus illum exaudiuit. Denique potuit Elias noſter hoc impetraſſe in Paradiſo Terreſtri poſt Reſurrectionem Domini.

AD Quartum dicendum, quòd aſſignata ratio eſt optima. Vnde ad primam eius impugnationem dicendum, quod Enoc & Elias ſunt ſufficientes ad reſiſtendum Antichriſto quaſi duces pręcipui exercitus Chriſti; Et maximè in ciuitate Ieroſolyma curia ipſius Antichriſti, & ipſorum vt talium ſit mentio in ſacra Scriptura: deſiderantur tamen alij duces, & plurimi milites exercitus chriſtiani, quia perſecutio Antichriſti erit vniuerſaliſſima, & vbique fideles vrgebit; Vnde præter ſpecialem Dei prouidentiam de abbreuiatione illorum dierum, vt ait Chriſtus Dominus, opus erit vt eadem ſpeciali prouidentia præparentur & exponantur plures idonei miniſtri & cooperatores fideliſſimi prædictorum Prophetarum ipſiuſque Summi Pontificis: conſtat autem non fore magis idoneos, quàm Religioſos qui mundum contempſerunt, & ſe per profeſſionem religioſam in obſequium ac cultum Dei immobiliter manciparunt. Ad ſecundam impugnationem dicendum, quòd religio Carmelitana eſt aptiſſima ad miſſiones, vt probat noſter Thomas a Ieſu in ſuo ſtimulo miſſionum: freqẽtiùs enim fiunt conuerſiones per bonam & ſanctam conuerſationem cum modeſta inſtructione, quàm per doctas prædicationes ſine vita exemplari; Et plus proficiunt viri contemplatiui paucis verbis ex corde proficiſcentibus, quàm alij longis diſcurſibus: Quamuis autem principalior pars inſtituti noſtri ſit contemplatio, & actio ſit pars minùs principalis; in maxima tamen illa neceſſitate Carmelitæ ad imitationem ſui fundatoris Eliæ plus incumbent actioni charitatiuæ quàm contemplationi.

QVAESTIO XIII.

De Præceſſione cæterarum Religionum a Carmelitana.

NON ſolùm Religio Carmelitana eſt prima cæterarum, ſed etiam eſt aliquo modo principium & cauſa, vt in præſenti dicetur illud primùm in communi probando, deinde oſtendendo in particulari primos penè omnium Religionum fundatores fuiſſe alumnos religionis Carmelitanæ: Circa quòd quæruntur vndecim.

¶ Primo, vtrum Religio Carmelitana ſit radix & origo cæterarum religionum.

¶ Secundo, vtrum Sanctus Antonius

nius

Digitized by Google

nius Abbas fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ Tertio, vtrum S. Hilarion Abbas fuerit alumnus Religionis Carmelitanę, eiuſque reparator.

¶ Quarto, vtrum Sanctus Baſilius fuerit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ Quinto, vtrum Sanctus Pachomius Abbas fuerit alumnus Carmelitanę religionis.

¶ Sexto, vtrum S. Simplicianus, Magiſter S. Auguſtini, fuerit Carmelitanę religionis alumnus.

¶ Septimo, vtrum S. Romanus monachus, Director S. Benedicti, fuerit Carmelitanæ religionis alumnus.

¶ Octauo, vtrum V. Frater Gerardus Inſtitutor Ordinis Hoſpitalariorum S. Ioannis Baptiſtæ fuerit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ Nono, vtrum S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor fuerit Carmelitanæ religionis alumnus.

¶ Decimo, vtrum S. Honoratus fundator monaſterij *Lirinenſis* in Gallo prouincia fuerit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ Vndecimo, vtrum S. Caſſianus fundator monaſterij Maſſilienſis S. Victoris fuerit alumnus religionis Carmelitanæ.

Articvlvs I.

Vtrum Religio Carmelitana, ſit radix & origo cęterarum religionum.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd religio Carmelitana non ſit radix & origo cæterarum religionum. Ita tenent, qui negant eius ab Elia Propheta inſtitutionem & hæreditariã ſucceſſionem. Probatur: Religioſi cæterarum Religionum expreſsè ac vnanimiter negant ſuas religiones procedere a religione Carmelitana; Et conſtanter affirmant ſuos fundatores ſpeciali Dei motione ac directione in inſtitutione ſuarum religionum proceſſiſſe: Ergo religio Carmelitana non eſt radix & origo cæterarum religionum.

¶ 2. Præterea: Cæterę religiones non potuerunt procedere a religione Carmelitana, niſi duplici via; Vel quia fundatores ipſarum fuerint perſonaliter instructi ab aliquibus Carmelitis, & ab ijſdem moti ad fundandum ſuas religiones; vel quia dicti fundatores cæterarũ Religionum, videntes obſeruantias regulares religionis Carmelitanæ, ſimiles introduxerunt in ſuis religionibus: Sed neutrum dici poteſt, ſaltem reſpectu religionum antiquarum Occidentalium, cum fuerint fundatæ ante aduentum Carmelitarum in Occidentem, a quadringentis circiter annis, cum eos audire ac videre non potuerint. Ergo Religio Carmelitana non eſt radix & origo cæterarum religionum.

¶ 3. Præterea: Si religio Carmelitana eſſet radix & origo cæterarum Religionum, hæ deberent eſſe ſimiles illi in obſeruantijs & exercitijs religioſis, vt ex ſe patet: Sed plures ſunt Religiones admodum diſſimiles religioni Carmelitanæ in obſeruantijs & exercitijs religioſis, vt conſtare poteſt inductione: Ergo religio Carmelitana non eſt radix & origo cæterarum religionum.

SED CONTRA eſt authoritas plurium Sanctorum Patrum ac fundatorũ cæterarum religionum, & communis ſententia Doctorum tam noſtræ religionis quàm aliarum, ac etiam ſæcularium.

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Cum Religio Carmelitana per Eliam Sanctiſſimum Prophetam inſtituta ſit omnium prima eſt radix & origo cæterarum.

RESPONDEO dicendum, quòd Religio Carmelitana eſt radix & origo cæterarum religionum, quia omnes aliæ aliquid de obſeruantijs religioſis ab ipſa acceperunt. Aliquæ magis, aliquæ minus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd in Eccleſia ſunt multę religiones, tam ab inuicem quàm a Carmelitana ſubſtantialiter diſtinctæ ac diuerſæ: Diuiditur enim primum religio in monachalem, clericalem, & militarem; militaris ſubdiuiditur in plures, vt Melitenſem, Teutonicam &c. Similiter clericalis ſubdiuiditur in plures, nempe Theatinorum, Ieſuitarum, Clericorum Minorum, Barnabitarum &c. Monachalis autem ſubdiuiditur in clauſtrales & Mendicantes: Clauſtrales dicuntur illi, qui ſub ſtrictiori clauſura manent in clauſtris, vt Benedictini primarij, Ciſtercienſes, Carthuſiani, Camaldulenſes, Hieronymitæ, Cęleſtini &c. Mendicantes inſtitutæ ſunt primò hæ quatuor, Prędicatorum, Minorum, Auguſtinianorũ, & Carmelitarum; quibus aliæ poſtmodum adiunctæ ſunt, vt Minimorum, Seruitarum, Trinitariorum &c. Quælibet ex his ſacris religionibus ſuum habet fundatorem ſiue Patriarcham, noſtra Carmelitana Sanctum habet Eliam, vt ſuo loco probatum eſt: Præter enumeratas religiones, adhuc multæ ſunt in Occidente; Et in Oriente velut in propria ſede perſeuerat tam religio S. Baſilij pręſertim inter Græcos, quàm religio Sancti Antonij inter Armenos. Horum alumni verè induuntur habitu monachali, & vitam pœnitentem ac rigidiſſimam ducunt, vt ex diuturna eorum conuerſatione didici, dum in miſſionibus Orientalibus ſpatio duodecim annorum occupatus fui; quorum obſeruantias regulares in Itinerario meo deſcripſi: Vnde non ampliùs in his immorabor, ſicut nec in Occidentalibus alijs religionibus deſcribendis, quarum fundatores habitus, obſeruantia, & principia viris doctis, cum quibus agimus, nota ſunt. Dicimus igitur in præſenti, quòd prædictæ omnes religiones procedunt aliquo modo à religione Carmelitana, ſiue quòd religio Carmelitana eſt radix & origo ipſarum, quòd idem eſt.

Probatur prima pars concluſionis ex ſæpiùs repetitis in hoc opere, quibus manifeſtè conſtat Eliam eſſe primum fundatorem ſtatus monaſtici & religioſi; Primum autem in aliquo genere eſt cauſa cæterorum illius generis, ſaltem exẽplaris; Et ſic de Elias eſt fundator mediatus omnium aliarum religionum, per hoc quod ſit immediatus fundator Religionis Carmelitanæ cæterarum primæ; cum ſaltem ad eius exemplum alij fundatores ſuas religiones inſtituerint; Et conſequenter religio Carmelitana eſt radix & origo cæterarum religionum. Nũc probatur ex profeſſo authoritate Sãctorum Patrum, præſertim eorum qui fuerunt fundatores religionum. *S. Baſilius* apparens S. N. Cyrillo Conſtantinopolitano glorioſus, dixit ſtupenti; *Ne timeas Cyrille, ego ſum Baſilius montis Carmeli quondam eremita, Cæſarienſium Paſtor*; qui poſtea fuit Inſtaurator, non author monachorum in Ponto: De ipſo ſcripſit S. Gregorius Nyſſenus frater eius, in epiſtola ad Chilon. quod *in ſeipſo veſtes pelliceas, & res mirabiles Eliæ expreſſerit*. S. Auguſtinus ſermone ad Fratres in eremo 39. dicit quod *illis datum eſt, vt viuerent in eremo cum* Elia *& Ioanne*: ſubditque; *Hæc eſt illa religio, cuius ſanctitas per orbem diuulgatur, quorum vita a cunctis miratur* S. Hieronymus ſæpe, & pręſertim in epiſtola ad Euſtochium, & in alia ad Paulinum ait; *Nos autem* (ſcilicet monachi) *habeamus propoſiti noſtri* Principes, *Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios*, Et *vt ad Scripturarum authoritatem redeam, Noſter princeps* Elias, *noſter* Eliſæus, *noſtri*

Duces

Digitized by Google

Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Iordanis. Sanctus Athanaſius in vita S. Antonij ſic ait: *Igitur S. Antonius ſecum reputans oportere Dei famulum ex inſtituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud ſpeculum vitam ſuam debere componere, ad ſepulchra non longè a villa conſtituta ſeceſſit*. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus in dialogo de dignitate ſacerdotali ait: *Omnis religionis Elias parens eſt & origo fontalis*. S. Iſidorus Hiſpalenſis de monachis ait: *Vnde ad monahos ſtudium fluxerit paupertatis, vel qui huius conuerſationis extitit auctor, vel cuius iſti habitum imitantur, quantum pertinet ad auctoritatem veterũ Sanctorum, huius propoſiti princeps Elias & diſcipuli eius, qui habitabant in ſolitudine, & faciebant ſibi domunculas iuxta fluenta Iordanis*. S. Bernardus Abbas Clareuallenſis epiſtola ad Fratres de monte Dei, qui non erant ordinis Carmelitarum, ait: *Religio veſtra antiqua eſt, & hæreditas Eccleſiæ Dei, inſtituta tempore prophetarum, ſcilicet Eliæ & Eliſæi*. S. Antoninus Ordinis Prædicatorũ 2. p. Summæ titulo 36. cap. 2. ſic ait: *Meritò Doctores Eliam appellauerunt totius vitæ monaſticæ patrem; omnium ordinum exordium, Religionum vexilliferum & anteſignanum*. Tandem Caſſianus antiquus fundator monaſterij S. Victoris Maſſilienſis, quòd nunc eſt ſub regula S. Benedicti, ſæpe repetit antiquos monachos eſſe ſucceſſores Eſſenorum diſcipulorum: Et in præfatione ad Caſtorem fatetur ſe introducere in ſuo monaſterio modum viuendi iuxta regulam prædictorum monachorum; ſic enim ait: *Secundùm eam, quam vidimus monaſteriorum, regulam, per Aegyptum & Palæſtinam antiquitus fundatorum, vel adijciam, vel recedam: nequaquam enim credas rationabilius quidquam, vel perfectius in occiduis Galliarum partibus reperiri potuiſſe, quàm illa ſunt inſtituta, quibus ab exordio, prædicationis Apoſtolicæ a ſanctis & ſpiritualibus Patribus fundata monaſteria ad nos vſque perdurant*. Plura poſſent adduci aliorum Sanctorum Patrum teſtimonia: ſed ſufficit audiſſe prædictos, qui maiori ex parte ſunt fundatores aut reformatores aliarum religionum, & qui fatentur ſe ex religione ab Elia in Carmelo primitùs fundata deriuaſſe ad ſuas religiones modum viuendi religioſum & obſeruantias regulares: nam quantũ ad præſens intentum, idem eſt dicere omnes religiones ab Elia procedere, vel quid ſimile, ac dicere illas procedere a primitiua religione per Eliam in monte Carmelo fundata; non enim quantùm ad hoc ponunt in numero Elias & eius religio, quia cæteri fundatores religionum fuerunt immediatè inſtructi per Eliam in vita religioſa, ſed hi religioſas regulares obſeruantias in ſucceſſoribus ac diſcipulis Eliæ videntes, eas in nouas religiones ſuas deriuarunt; vel immediatè, ſicut primi fundatores, vt Baſilius & Antonius; vel mediatè, ſicut poſtremi fundatores; ita quod prima origo huiuſmodi regularium obſeruantiarum ſit Elias in ſua religione, quam alibi probauimus eſſe Carmelitanam. Vnde religio Carmelitana eſt radix & origo cæterarum religionum, quæ ſolùm conſtant ex religioſis regularibus obſeruantijs in habitu pœnitentiæ. Secundò probatur authoritate virorum illuſtrium & maximè aliarum religionum, qui ſine dubio non admitterent dependentiam & ſubordinationem in obſeruantijs regularibus ſuarum religionum a Carmelitana, niſi veritate ipſa cogerentur. Antonius Abbas Vercellenſis ordinis S. Benedicti can. 17. ait: *Omnibus Ordinibus Carmeliticus præſtantior eſt, de cuius plenitudine omnes alij ordines acceperunt*. Philippus Hierapolitanus Abbas eiuſdem Ordinis apud Palæonydorum libro 2. cap. 1. ait: *O Carmelitarum religio quàm magna facta es in domo Domini? nunquid ne olim a modico fonte Eliæ Dei Prophetę principium habuiſti? Et ecce nunc in magnum flumen creuiſti; Tu olim plantata in eremo, nunc facta eſt ciuitas plena populo; Tu fundatorem habes adhuc in Paradiſo viuentem, & glorioſam Virginem*

nem Mariam, Reginam cæli, Dominam mundi in patronam ſingularem: Sicut enim de te olim proceſſerunt Patriarchæ (ſcilicet aliarum religionum) *& Prophetæ; ſic nunc de te procedunt Sacerdotes & Leuitæ, Doctores & Euangeliſtæ, qui patres patroni omnium religioſorum facti ſunt.* His poſſet adiungi Trithemius Abbas eiuſdem Ordinis, qui hanc veritatem ſæpe repetit. Polydorus libro 1. cap. 3. ait: *Quicquid virtutis & perfectionis eſt in quouis monaſtico Ordine, a caſtiſſimo propheta & patre Elia, tanquam a primordiali eremitarum, monachorum, & etiam vniuerſorū religioſorum inſtitutore, velut a fontali principio emanauit.* Carthagena ex ordine Minorum libro 17. homilia 1. poſtquam dixit quantum Eccleſia debet Sanctis alijs religioſorum ordinum fundatoribus, vt Dominico, Franciſco, Auguſtino, Benedicto, & Baſilio; ſic concludit: *Igitur ſi ijs Sanctis Patribus tantum debemus, quid ſanctis viris huius ſacræ religionis* (loquitur de noſtra Carmelitana) *fundatoribus deberi iudicabimus, cum non ſolùm bonorum operum fructus, quos ſacra hęc religio edidit, ſed omnes etiam ſpirituales fætus, quos vniuerſæ religiones hucuſque pepererunt, meritò illis tanquam fontalibus primordijs aſcribi debent: quod ne meo marte affirmare videar, Eliam & Eliſæum religioſæ vitæ principia dediſſe grauiſſimi auctores conteſtantur, nam Sancti Patres Elias & Eliſæus non tantum huius Ordinis, verum* (*audeo dicere*) *etiam omnium fundatores fuerunt.* Aegidius Camartus olim Generalis Minimorum libro de rebus geſtis Eliæ prophetæ cap. 6. ſect. 8. ſic ait: *Quo fit vt Hieronymus in vita Pauli eremitæ, Ioannes Hieroſolymitanus de Inſtitutione monachorum cap. 4. Caſſianus & alij quotquot de monaſticis rebus ſcripſerunt, aſſeruerint Eliam omnium monachorum parentē fuiſſe, qui tria eſſentialia religionis vota primus ipſe opere adimpleuit.* Petrus Valderama ordinis Sancti Auguſtini ſic ait de Elia: *Ergo Illuſtriſſime Patriarcha, Anteſignane & primum caput religionum, fælices amici tui, Beata religio tua ſacra, quæ tali patre & fundatore fruitur, quem nos omnes patrem appellare poſſumus, quandoquidem vitæ monaſticæ initia dedit.* Tertiò Probatur ratione indicata, ſed nunc fuſiùs expenſa: Religio Carmelitana per Eliam inſtituta eſt radix & origo cæterarum religionum, ſi cæteræ religiones acceperint tria vota eſſentialia ſtatus religioſi, habitum religioſæ pœnitentiæ, & plures obſeruantias regulares ab illa; ſiue ſi prædicta religioni Carmelitanæ ab Elia eius fundatore communicata & ſtabilita, fundatores cæterarum religionum in ijs ad imitationem Eliæ introduxerint, vt ex ſe patet; Cum enim tria vota ſtatus religioſæ pœnitētiæ ſint euidens ſignum ipſius, ac obſeruantiæ regulares ſint ipſiuſmet complementum; ſine dubio cæteræ religiones ab illa procedunt vt a radice & origine, a qua accipiunt prędicta, & de hoc nulla poteſt eſſe difficultas: Sed cæteræ religiones acceperunt a religione Carmelitana tria vota eſſentialia ſtatus religioſi, habitum religioſæ pœnitentiæ, & plures obſeruantias regulares; ſiue prędicta religioni Carmelitanæ ab Elia eius fundatore communicata & ſtabilita fundatores cæterarum religionum in ijs ad imitationē Eliæ introduxerunt; nam, vt ſupra dictū eſt, Elias fuit primus, qui tria vota eſſentialia ſtatus religioſi opere adimpleuit, & ſuis alumnis implenda propoſuit; ipſe primus veſtes pelliceas & melotem ſibi & ſuis, tanquam habitum religioſæ pœnitentiæ appropriauit, ita vt ex deſcriptione talis habitus fuerit agnitus ab Ochozia Rege; ipſe primus plures obſeruantias regulares introduxit in ſua religione Carmelitana: Vnde continua ſucceſſione priores cæterarum Religionum fundatores prædicta acceperunt immediatè ab Elię diſcipulis, poſteriores verò fundatores ſaltem mediatè: Ergo religio Carmelitana eſt radix & origo cæterarum religionum. Quod confirmatur ex his, quæ Authores fide digni referunt de SS. Auguſtino & Benedicto, qui ſunt celeberrimi & quaſi primi fundatores religionum in Occidente.

De

De S. Auguſtino docent S. Antoninus 3. p. titulo 24. Poſſid. & Groſſen. in vita ipſius, & alij, quod Sanctus Simplicianus (quem omnes faciunt monachum, & aliqui etiam diſcipulum Capraſij mōtis Carmeli Prioris) qui poſtea fuit Archiepiſcopus Mediolanenſis, dum adhuc eſſet illius Eccleſiæ Archidiaconus, eum inſtruxerit in fide Chriſti, fuſcam tunicam zonamque pelliceam induerit, & vitam monaſticam edocuerit; quam vitæ normam primò ſuis ſocijs, mox factus Hipponenſis Epiſcopus ſuis clericis & Canonicis ſeruandam propoſuit: De S. Benedicto docent Gordian. in vita S. Placjdi, Muñoz & Allegre, quòd a S. Romano Capraſij montis Carmeli Prioris diſcipulo fuerit ouinis pellibus & melote indutus, primò monaſtica Sācti Antonij Abbatis Eliotæ, poſtea anachoretica vita per tres annos in ſpelunca edoctus; qui poſtmodum celeberrimę ſuæ religionis fundator extitit, & reſtitutor occidentalis monaſticæ diſciplinæ. Quibus poteſt addi circa religionem Hoſpitalarem S. Ioannis Baptiſtæ (quæ deinde militaris nobiliſſima fuit effecta) id quòd docet Palæonydorus libro 3. c. 1. ſcilicet V. F. Gerardum eius Inſtitutorem eximiæ ſanctitatis virum fuiſſe noſtrum Carmelitam, de quo agitur ſpeciali dubio. Vnde meritò noſter Mantuanus libro 3. Parthenices ſic canit de Carmelo.

Mons Patrum pietate ſacer, latèque priorum
Inclytus hoſpitio vatum: nam dicitur illinc
Diſcipulo ambuſtam iaciens ex aere veſtem
Elias ardenti cælum petijſſe volatu.
Illinc perpetuis ceu miſſi è fontibus amnes
Religio, & ſacri fluxit reuerentia cultus:
Quicquid habent alij montes pietatis, ab iſto
Ducitur: hac vna plures è vite racemi
Diffuſi latè terras, atque æquora complent.
Hinc Carthuſiacis æterna ſilentia clauſtris:
Hinc varias Benedictus oues collegit, ab iſto
Canabe nodoſa tunicas arcere fluentes
Lignipedes didicere viri, quique arua colebant,
Inuia, & aſſiduo terras ardore calentes,
Et quos Cyriacus de littore vexit Ibero:
Hinc orti Sanctum, & Summo genus ordine digna
Hinc noſtri venere patres.

Idem canit in Eglogis dicens ſub metaphoris.

Paſtores alij quotquot per rura vagantur,
Omnia ſunt riui noſtris de fontibus orti:
Nos dedimus leges paſcendi, oſtendimus artem,
Nos radix, alij rami; ſed nos quoque rami
A veteri radice patrum iam ætate caduci;
Tradidit Elias certam paſtoribus artem.

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis. Dictum eſt quòd omnes alię religiones acceperunt a noſtra Carmelitana regulares obſeruantias, & quod ipſa propterea eſt radix & origo cęterarum: certum eſt autem quòd aliquę plus aliæ minus de illis acceperunt: nam religiones monachales vltra tria vota eſſentialia acceperunt alias obſeruantias integrantes, puta orationem, pſalmodiam, ſolitudinem, ſilentium &c. cum perfecto habitu pœnitentiæ; quod ſic verum eſt de monachis Orientalibus S. Antonij & Baſilij, vt eaſdem ferè omnes habeant obſeruantias regulares, quaſi noſtri Diſcalceati iuxta primitiuam Carmelitarum regulam obſeruant: Religiones clericales acceperunt a Carmelitana tria vota eſſentialia, & aliquas alias obſeruantias, ſed non tot quot monachales; acceperunt etiam ab illa habitum religioſæ pœnitentiæ, quamuis non omninò ſimilem: Tandem religiones militares, licet minus de his obſeruantijs acceperint a noſtra Carmelitana, aliquas tamen acceperunt cum tribus votis eſ-

ſentialibus (ſi de aliquibus loquamur, vt Melitenſi S.Ioannis) & cum aliquali habitu pœnitentię religioſæ cruce inſignito.

AD primum ergo dicendum, quòd plures viri docti aliarum religionum ingenuè fatentur ſuas religiones procedere a noſtra Carmelitana per Eliam inſtituta, modo tamen explicato; imò quod mirabilius, & firmius eſt, id affirmant plures illlarum fundatores, vt oſtenſum eſt: Illi autem religioſi, qui negant ſuas religiones a noſtra Carmelitana procedere, vel rem ſufficienter non expenderunt, vel ſcientes hanc veritatem fateri noluerunt in detrimentum, vt putabant, ſuarum religionum, ſi talem proceſſionem & ſubordinationem in ipſis admitterent.

AD ſecundum dicendum, quod illa duplici via religiones alię proceſſerunt à noſtra Carmelitana, vt conſtat ex dictis. Vnde ad impugnationem dicendum, quòd licet religio Carmelitana principaliter perſeuerauerit in Oriente vſque ad vltima dicta ſecula, quando totaliter ab Oriente per Saracenos expulſa fuit, capta ab ipſis Terra Sancta; Et tunc omnes eius alumni, qui perſecutionis rabiem euaſerunt, in Occidentem venerunt; Priùs tamen aliqui noſtræ religionis alumni ad Occidentem venerant ab ipſo etiam Eccleſiæ principio, vt ſpecialiter affirmat Luitprandus ſeu Eutrandus in fragmentis, ſic enim ait: magna pars eorum, qui diſperſi in perſecutione Sancti Stephani ad varias partes traiecerant, & ad Hiſpaniam plurimi venerant, erat ex monachis montis Carmeli, prædicationibus Chriſti & Apoſtolorum ad fidem conuerſi; In quibus Elpidius, & ſocij Pontifices à S.Iacobo creati, & poſt martyres effecti: Hic Elpidius fuit primus Epiſcopus Toletanus, vt aſſerit idem Author, qui fuit Epiſcopus Cremonenſis: Ab his ergo & alijs alumnis noſtrę religionis Carmelitanæ potuit in Occidente haberi principium & inſtructio vitæ monaſticæ; Et quamuis nullus ex ipſis veniſſet in Occidentem, ſufficiebat fama & certa relatio de regularibus obſeruantijs noſtræ Religionis Carmelitanæ, ad hoc vt fundatores aliarum religionum ſimiles in ſuis religionibus introducerent.

AD Tertium dicendum, quòd licet in alijs religionibus aliquę regulares obſeruantiæ ſint diſſimiles obſeruantijs noſtræ Religionis Carmelitanę; plures tamen, & præcipuè ſunt ſimiles, & præſertim obſeruatiæ trium votorum eſſentialium, quòd ſufficit ad intentum noſtrum.

ARTICVLVS II.

Vtrum S.Antonius Abbas fuerit alumnus Carmelitanæ Religionis.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd S.Antonius Abbas nō fuerit alumnus Carmelitanæ religionis. Probatur authoritate S. Hieronymi epiſtola ad Paulinum, vbi ait: *Nos autem* (ſcilicet monachi) *habeamus propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios*; Et quamuis immediatè poſt recurrat ad Eliam velut ad primum principem ſtatus religioſi, videtur tamen ex ipſo Hieronymo, quòd fuerit interruptus ordo ille religioſus ab Elia fundatus, & de nouo pullulauerit ſub S.Antonio: Ergo Sanctus Antonius Abbas nō fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: Sanctus Athanaſius in vita S.Antonij ſic habet; *Hactenus non erant tam crebra in Aegypto monaſteria, nec omnino quiſquam auiam ſolitudinem nouerat, ſed quicumque in Chriſti ſeruitute ſibimetipſi prodeſſe cupiebat, non longè à ſua villula ſeparatus inſtituebatur, & hoc propter Imperatorum Gentilium perſecutiones; Erat tunc in agello vicino ſenex quidam vitam ſolitariam a prima ſectatus ętate, quem cœpit Antonius imitari*; Ex quibus conſtat, quòd S.Antonius vitam ſolitariam didicit à quodā ere-

Digitized by Google

eremita, non autem à religoſo cœnobita: Ergo S. Antonius Abbas non fuit alumnus Carmelitanæ Religionis.

¶ 3. Præterea: Habitus religioſi alicuius eſt ſignum religionis, cuius fuit alumnus: ſed ex vna parte habitus Carmelitanæ Religionis quantum ad palliũ eſt candidus; ex alia verò parte habitus S.Antonij eſt totus niger, ſic enim depingitur, & eius religioſi Armeni monachi talem geſtant habitum: Ergo Sanctus Antonius Abbas non fuit alumnus Carmelitanæ religionis.

SED CONTRA eſt antiqua religionis Carmelitanæ traditio, & authoritas etiam ſpecialis Sanctorum Patrum ac illuſtrium Doctorum.

Conclvsio.

Sanctus Antonius Abbas fuit alumnus Carmelitanæ religionis.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Antonius Abbas fuit alumnus Carmelitanæ religionis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd S.Antonius cũ circitèr viginti eſſet annorum, parentum morte remanſit orphanus cum paruula ſorore ſua: Ex tunc diuina vocatione motus cogitabat qualitèr Apoſtoli ſpretis omnibus ſequuti fuerant Saluatorem & ingreſſus aliquando Eccleſiam audiuit Euangelium, in quo dixit Dominus ad diuitem; *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis Theſaurũ in cœlo:* Hanc Domini doctrinam velut ſibi ſpecialitèr traditam imitari decreuit vnde venditis poſſeſſionibus ſuis pretiũ pauperibus erogauit, paucis pro ſorore reſeruatis: Cum alia vice ingreſſus Eccleſiam audiſſet ex Euangelio ſententiã Domini dicentis, *Nolite cogitare de craſtino*, domum rediens reliquam bonorum portionem pauperibus diſtribuens, aſperum religioſæ vitæ ſuſcepit inſtitutum: Igitur vale dicens mundo, ad ſenem monachum acceſſit, vt religioſæ vitæ moribus inſtrueretur: Acceſſit poſtea ad alios monachos longius reſidentes ab vrbibus, vt a ſingulis aliquem vitæ ſpiritualis profectum eliceret: ab his principijs permiſit eum Dominus varijs dæmonum tentationibus agitari, qui modo delicias mundi ſuggerebant, modò difficultates vitæ religioſæ proponebant, modò alijs artibus vexabant; quos tamen ſeruus Dei confidens in Domino deſpiciebat: Cum eſſet annorum triginta quinque, de licentia magiſtri ad interiora deſerti penetrauit, & caſtellum dirutum venenoſis animalibus plenum in ſuæ manſionis ſtationem elegit, vbi per annos viginti ſolitarius vixit, recepto pane modico & aqua in vitæ ſuſtentationem; Cum Antonij fama ex illis erumperet eremis, multi properabant ad illum, vel venerationis cauſa, vel gratia ſanitatis, vel religioſæ vitæ deſiderio; Vnde breui tempore Antonij ſollicitudine multa fuerunt in hoc monte conſtructa pro ſpiritualibus filijs eius monaſteria; inde tamen cum exigeret cauſa fidei ſub Maximiani perſecutione, vnà cum ſuis diſcipulis petijt Alexandriam dicens, *Pergamus ad glorioſos fratrum triumphos, vt aut ipſi congrediamur, aut ſpectemus alios præliantes*: Et cum Iudex monachos è ciuitate iuſsiſſet exire, Antonius neglecto eius imperio, lauit veſtem, qua candente præcinctus ſtans in eminenti loco iudicem ſuo prouocabat aſpectu, flagrans cupiditate martyrij, & contriſtabatur quòd ſibi volẽti pro Domino pati negabatur martyrium: Pergit deinde monitus ab ipſo Domino ad interius deſertum, vbi montem excelſum inuenit, ad cuius radices fons aquæ dulcis labebatur, & palmæ videbantur neglectæ: Tandem inuentus à diſcipulis, rogatur vt monachorum pater monaſteria filiorum inuiſere: multis claruit miraculis, & ſpiritu prophetico futura prædixit; quibus prærogatiuis toto fuit celeberrimus orbe, ita vt Conſtantinus Imperator ſe precibus eius commendaret: Venit ad vitæ finem, cũ centum & quinque foret annorum, & & inter alia præſentibus diſcipulis ſic ait:

Digitized by Google

ait: *Confido in Domino, quia neceſſariò reſurrectionis tempore hoc corpuſculum reſurget incorruptum; veſtimentorum autem meorum ſit iſta diuiſio, melotem & pallium tritum, cui ſuperiacco, Athanaſio Epiſcopo date, quod ipſe nouum mihi detulerat, Serapion Epiſcopus aliam accipiat melotem, vos cilicinunn habetote veſtimentum; & valete viſcera mea, Antonius enim migrat, & iam non erit in præſenti ſæculo vobiſcum*; Et ita quieuit in Domino: Hæc pauca ſufficiunt ad aliqua lem tanti viri notitiam, ex multis quæ ſcripſit in eius vita S. Athanaſius, quaſi teſtis oculatus multorum, & de alijs fideliter inſtructus.

Probatur concluſio generali ratione, ex ſupradictis, & alibi probatis demonſtratiua. Tempore quo Sanctus Antonius factus eſt monachus, ſtatus religioſus erat adhuc indiuiſus, vnde ſola tunc florebat religio per Eliam in monte Carmelo fundata, quam eſſe noſtram Crmelitanam alibi probamus, ita quòd omnes monachi faterentur Eliam ſuum Patriarcham; ſolùm enim poſt mortem Sancti Antonij diuiſus eſt ſtatus religioſus in varios ordines; ex quo ſequitur, quòd omnes illi monachi, à quibus receptus fuit iuuenis S. Antonius, & in vita monaſtica inſtructus, diſcipuli fuerunt Sancti Eliæ, & alumni Religionis eius Carmelitanæ, Ergo etiam S. Antonius fuit eiuſdem Carmelitanę religionis alumnus.

Secundò probatur duplici authoritate ſpeciali. Prima eſt S. Athanaſij Epiſcopi in vita S. Antonij, vbi ſic ait: *Igitur Sanctus Antonuis ſecum reputans oportere Dei famulum ex inſtituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud ſpeculum vitam ſuam debere componere*. Secunda eſt Authoris Græci vitæ Sancti Pachomij, in qua ſic ait: *Erat per id tempus Beati Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè propoſita, qui magni Elię, atque Eliſæi, nec non & Sancti Ioannis Baptiſtę æmulator exiſtens, ſecreta interioris eremi ſtudio ſectatus eſt ſingulari, vitamque cęleſtium in terris geſſit amore virtutis*: Conſtat autem ex iam dictis, quòd ſi Sanctus Antonius fuit diſcipulus Eliæ, ſimul fuit alumnus Religionis Carmelitanæ. Poſſet hoc confirmari plurium ex noſtris authoritate, ſed duplex adducta ſufficit.

AD primùm ergò dicendum, quòd hæc authoritas S. Hieronymi eſt pro nobis: nam in ea citat quaſi principes inſtituti monaſtici, etiam Iulianos, à Sancto ſcilicet Iuliano ſponſo S. Baſiliſſæ, qui fuit Pater plurium monachorũ, ſicut & illa mater plurium monialium, ante tempora S. Antonij, vt certum eſt apud authores, & alibi probamus oſtendendo ſeriem monachorum non interruptam: Ex quo ſequitur, quòd S. Antonius fuit alumnus religionis Elianæ Carmelitanæ.

AD Secundum dicendum, quòd ante tempora S. Antonij monaſteria non erant quidem tam crebra in Aegypto, erant tamen aliqua; Et maximè cum cellulis ab inuicem diſsitis: Ita vt plures eſſent monachi in locis deſertis ſub vnius Patris ſeu Abbatis obedientia, qui ſeparatis in manſiunculis degentes ad communem Eccleſiam ſeu oratorium conueniebant; nam ſubdit immediatè Sanctus Athanaſius, quòd S. Antonius paulò poſt primam inſtructionem illius ſenis monachi, qui tamen ſub alicuius ſuperioris obedientia creditur vixiſſe, acceſſit ad monachos magis a populo remotos ſimul conniuentes, quos S. Hieronymus vocat ſucceſſores Eſſenorum ac filiorum prophetarum, à quibus vitam religioſam ab Elia inſtitutam didicit.

AD Tertium dicendum, quòd S. Antonius cum Eliano & Carmelitano habitu depingitur, vt Romæ depictus apparet ſuper portam Eccleſię Xenodochij ipſius propè Sanctam Mariam maiorem, cum tunica fuſca, zona coriacea, & pallio albo, ita quòd appareat Carmelita: Ipſum cum albo pallio ſiue candente præcinctum veſte proponit S. Athanaſius cap. 23. vitæ eius: Quòd ſi vulgo ſub nigro pallio repræſentetur, hoc ideo eſt quòd

Digitized by Google

quòd ſucceſſores eius monachi inter Armenos & alios orientales Chriſtianos pallium album in nigrum mutare coacti ſunt a Mahometanis, ſub quorum tirannide viuunt, quod etiam noſtris Carmelitis ſucceſſerat color enim albus eorum ſacerdotibus reſeruatur; Licet autem S. Antonius ſuos monachos ſub diſciplina monaſtica vitæ & religionis Elianæ inſtruxiſſet, ipſum tamen poſt mortem quaſi fundatorem ſuum ſpecialem venerati ſunt, propter eximia doctrinæ ipſius religioſæ documenta. Hæc quę dicta ſunt de habitu S. Antonij confirmant concluſionem, nam habitus religioſus fuſcus, & pallium album ſunt propria religionis Elianæ Carmelitanę: fundantur vero in authoritate S. Athanaſij, qui indicans ipſius habitum ait; *Veſtimento cilicino intrinſecus, deſuper pelliceo vtebatur:* Veſtimentum autem cilicinum eſt fuſci coloris, quale ſuadebat ipſe S. Athanaſius Virginibus in libro de Virginitate dicens; *Indumentum tuum fuſcum ſit, non tinctum, ſed natiui coloris:* clamys autem pellicea erat alba, vt ipſemet Athanaſius dicit his verbis; *Alia die ſtans in quodam eminenti loco, candente præcinctus veſte.*

ARTICVLVS III.

Vtrum S. Hilarion Abbas fuerit alumnus Carmelitanæ Religionis, eiuſque reparator.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd S. Hilarion Abbas non fuerit alumnus Carmelitanę Religionis, nec etiam eius reparator. Probatur: Religio monachalis S. Antonij Abbatis nō eſt eadem ac Carmelitana, vt fatentur ipſimet Carmelitæ: Sed S. Hilarion Abbas fuit alumnus religionis S. Antonij, nam ab eodemmet S. Antonio ſumpſit habitum religioſum, vt docet S. Hieronymus in vita ipſius Hilarionis, dicens de eo; *Igitur ſacco tantùm membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quē illi Beatus Antonius proficiſcenti dederat, ſagumque ruſticum:* Ergò S. Hilarion Abbas non fuit alumnus Carmelitanæ Religionis, nec eius reparator.

¶ 2. Præterea: Tempore S. Hilarionis Abbatis nec erant monaſteria, nec monachi in Palæſtina & Syria, vt idem S. Hieronymus affirmat in eius vita dicens; *Nec dum enim tunc monaſteria erant in Paleſtina, nec quiſquam monachum ante S. Hilarionem in Syria nouerat, ille fundator & eruditor huius conuerſationis & ſtudij in hac prouincia primum fuit:* Ergo non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ quaſi præexiſtentis, nec eius reparator, quin potiùs fundator nouæ religionis.

¶ 3. Pręterea: Concedunt omnes authores etiam Carmelitæ, quòd ſtatus religioſus antea indiuiſus cœpit diuidi in varias religiones ſub Sanctis Antonio Baſilio, & alijs fundatoribus, ita quòd ex tunc monachi ſub illis multiplicati & diuiſi diuerſarum eſſent religionum alumni, cum priores monachi forent omnes eiuſdem religionis Carmelitanæ. Ergo cum S. Hilarion Abbas ſit iunior S. Antonio; ait enim S. Hieronymus in eius vita, *Habebat Dominus Ieſus in Aegypto ſenem Antonium, habebat in Palæſtina Hilarionem iuniorem,* potuit eſſe alumnus alterius Religionis à Carmelitana, & fundator potiùs nouæ, quam huius reparator.

SED CONTRA eſt vniuerſalis, & antiquiſſima noſtræ Religionis Carmelitanæ, quæ de ipſo quaſi de Sancto proprio recitat officium, benè fundata traditio.

CON-

CONCLVSIO.

Cum S. Hilarion Abbas monachus fuerit ante diuiſionum ſtatus religioſi, nec propriam inſtituerit religionem, fuit alumnus Religionis Carmelitanæ, eiuſque reparator.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Hilarion Abbas fuit alumnus Religionis Carmelitanę. 2. eiuſque reparator. 3. etiam in monte Carmelo. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt ex his quæ ſcribit fusè Hieronymus in eius vita, quòd ortus eſt Tabathæ in Palæſtina ex parentibus infidelibus, Alexandriam miſſus ſtudiorum cauſa, ibi morum & ingenij laude floruit: vbi Ieſu Chriſti ſuſcepta religione, in fide & charitate mirabilitèr profecit; frequens enim erat in Eccleſia; aſſiduus in ieiunio & oratione, omnes voluptatum illecebras, & terrenarum rerum cupiditates contemnebat, non circi furoribus, non arenæ ſanguine, non theatri luxuria delectabatur, ſed tota illi voluntas in Eccleſiæ erat congregatione: Cum autem Antonij nomen in Aegypto celeberrimum eſſet, eius viſendi ſtudio in ſolitudinem contendit, & mutato habitu priſtino, videlicet ſeculari in religioſum, duobus ferè menſibus iuxta eum manſit, contemplans ordinem vitæ eius morumque grauitatem: Inde cum monachis quibuſdam reuerſus ad patriam, parentibus iam defunctis, partem ſubſtantiæ fratribus, partem pauperibus diſtribuit, nihil omninò ſibi reſeruans; Sic nudus & armatus in Chriſto, cum eſſet annornm quindecim, ſolitudinem non longè a Maiuma Gazæ emporio ingreſſus eſt, latrocinijs obnoxiam, vbi extructa caſula, quæ vix ipſum caperet, humi cubabat, nec verò ſaccum, quo ſemel amictus eſt, vnquam aut lauit aut mutauit, cum ſuperuacaneum eſſe diceret mundicias in cilicio quærere. Ibi plures dęmonum inſidias ſuperauit, multa patrauit miracula, & inſignes actus virtutum, ieiunij rigorem, ac cœleſtium contemplationem exercuit: Poſt viginti & plures annos inde digreſſus vadit in Aegyptum, & ad vlteriorem Oaſim eremum tranſijt: Exinde nauigauit in Siciliam, vbi non longe a Pachyno promontorio per triennium habitauit miraculis clarus: Traiecit poſtea ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum, indeque nauigauit in Inſulam Cyprum, vbi cum octuageſimum annum ageret, in morbũ incidit, cuius in eum extremo penè ſpiritu conflictaretur dicebat: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſeruiſti Chriſto, & mortem times?* In hæc verba exhalauit ſpiritum. Ecce quis fuerit S. Hilarion Abbas, de quo hic agimus.

Probatur prima pars concluſionis ex dictis approbatis alibi. ſtatus religioſus ab Elia inſtitutus manſit indiuiſus in propria ipſius religione, dicta vel Eliana, vel prophetica, vel Carmelitana, donec multiplicitatis religionum fundatoribus diuiſus eſt in plures religiones; quod accidit, cùm diſcipuli Sanctorum Antonij, Baſilij &c. illos vt proprios Patriarchas colere cœperunt, ac eorum nomenclatura inſigniri; cæteri verò remanſerunt ſub Patriarchatu Eliç: Vnde omnes monachi non inſigniti prædictorum Patriarcharum particularium nomenclatura, erant alumni Religionis Elianæ, ſiue propheticæ, ſiue Carmelitanæ, præſertim ſi nouam non inſtituebant religionem, vt etiam ſuo loco probatum eſt: Sed S. Hilarion Abbas fuit indutus monachus à S. Antonio ante prædictam ſtatus religioſi diuiſionem, quæ ſolùm fuit poſt eius mortem ex pia diſcipulorum erga eum affectione, qua cœperunt eum ſuum nominare Patriarcham; ipſe namque, vt ait S. Athanaſius in eius vita, noſtrum Eliam vt ſuum & omnium monachorum parentem venerabatur, didit enim, *Igitur Sanctus Antonius ſecum reputans oportere Dei famulum ex inſtituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud ſpeculum vitam ſuam debre componere*, Nec vllibi legitur

tur

Digitized by Google

tùr S.Hilarionem nouam inſtituiſſe religionem, vt ſtatim expendetur: Ergo fuit alumnus Religionis Carmelitanæ. Deinde probatur à poſteriori: noſtra Religio Carmelitana recitat ab immemoriali tempore officium diuinum Sancti Hilarionis Abbatis quaſi proprij, miſſamque ſolemnem celebrat ex authoritate Eccleſiæ, nam a quingentis annis certum de hoc teſtimonium habetur S. Cyrilli, vt dicetur in tertia parte cōcluſionis. Ergo S. Hilarion Abbas fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

Probatur ſecunda pars concluſionis: Tum noſtræ religionis vniuerſali & antiquiſſima traditione: Tum communi Doctorum noſtrorum authoritate: Tum ſequenti ratione. Ex vna parte non inuenitur quòd S. Hilarion nouam religionem fundauerit, ſicut inuenitur de S.Antonio & alijs, nullibi quippè nominatur religio S.Hilarionis, ſicut nominatur religio S.Antonij, S.Baſilij &c. Ex alia verò parte S.Hilarion multa fundauit monaſteria per Palæſtinam, vtique ſub primitiua Eliȩ religione eiuſque ſacro Patriarchatu, quæ quotannis velut Prouincialis aut Generalis viſitabat, vt ait S.Hieronymus in eius vita: Ergo fuit reparator Religionis Carmelitanæ.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate S.Cyrilli Conſtantinopolitani, qui ab hinc quingentis florebat annis, mortuus eſt enim circa annum Domini milleſimum ducenteſimum: Is in epiſtola ad Abbatem Ioachim de Oraculo Angelico ſic ait inter alia; *Igitur cum pro veneranda ſolemnitate Sancti Hilarionis Coeremitæ noſtri miſſarum ſolemnia cum chariſſimo Fratre Euſebio inchoaſſem*: Quibus verbis indicat ipſum S. Hilarionem fuiſſe montis Carmeli eremitam, vel permanentèr per aliquod tempus, vel tranſeuntèr in ſuis annuis viſitationibus; non enim mons Carmelus ab eius monaſterio Maiumæ multum diſtabat; cum vnico die ſpatium illud per mare vento ſatis ordinario pertranſiri poſſit. Deinde ſtatim a tempore S. Hilarionis inuenimus montem Carmelum plenum monachis inſtituti Eliani: nam tunc legitur Prior illius S.Euticius, qui S.Baſilium religionis propheticæ habitu inueſtiuit; Et Sanctus Cyrillus Ieroſolymitanus noſter Carmelita potuit S. Hilarionem vidiſſe, ſicut & noſter Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus, eodem namque ſȩculo quarto cum S.Hilarione vixerunt: Vnde hæc monachorum in monte Carmelo reſtitutio non videtur ad alium referenda, quàm ad S.Hilarionem. Denique dicit S.Hieronymus in eius vita, quòd auditis ipſius miraculis certatim ad eum de Syria, & Aegypto populi confluebant, ita vt multi crederent in Chriſtum, & ſe monachos profiterentur: Quid igitur mirum, quòd aliqui ipſorum facti monachi redierint in Syriam, & in medium Carmelum valde propinquum, & totius Palæſtinȩ aptiſſimum pro vita monaſtica, vt conſtat ex dictis in inſtitutione Religionis Carmelitanæ per Eliam, ibique per S. Hilarionem inſtructi inſtitutum Elianum reſtituerint, aut potiùs in perſeuerantibus monachis omninò ſolitarijs ac penitùs ignotis, tunc inuentis renouauerint, quod ſuo loco diſcutitur: Ergo S.Hilarion Abbas fuit reparator Religionis Carmelitanæ, etiam in monte Carmelo.

AD Primum ergo dicendum, quòd religio monachalis S.Antonij erat eadē cum Carmelitana, quando S.Hilarion ſumpſit habitum religioſum de manu ipſius S.Antonij: ſed poſt mortem eiuſdem S. Antonij cœpit eſſe diſtincta religio, quando ipſius diſcipuli ad venerationem eius cœperunt eum vocare Patrem & Patriarcham ob eas regulares obſeruantias quas introduxit, & quibus ſtatum religioſum renouauit & illuſtrauit. Diſcipuli verò S. Hilarionis, licet ipſum velut religionis ſuȩ reparatorem venerati fuerint; non tamen quaſi fundatorem, vt dicetur ad tertium.

AD ſecundùm dicendum, quòd ſolùm probat S.Hilarionem Abbatem non ſumpſiſſe habitum religionis Carmeli-

Digitized by Google

tanæ in Syria vel Palæſtina, quod conceditur vltrò; ſumpſit enim illum in Aegypto à S. Antonio, qui propterea vocabat eum ſuum filium, ibique factus eſt alumnus religionis Carmelitanę, quã poſt debitam inſtructionem, intulit in Palæſtinam & Syriã, vel ſaltem ibi penè collapſam reparauit, de quo diſſeritur alibi: Authoritas autem S. Hieronymi ſolùm conuincit, quòd ante S. Hilarionem non erant in Paleſtina monaſteria, nec monachi in Syria publici; vnde ipſe fuit fundator & eruditor huius conuerſationis & ſtudij publici in hac prouincia. Poteſt etiam dici inhærendo verbis S. Hieronymi, quod in Palæſtina negat tantùm monaſteria, & non monachos; monachos àutem negat in Syria: Vnde in hac vltima prouincia dicit ipſum fuiſſe primum fundatorem & eruditorem monaſticæ conuerſationis; quòd et am debet intelligi pro illo tempore, naim certum eſt prçceſſiſse aliàs in vtraque prouincia & monaſteria & monachos, vt ſuo loco probatur.

AD Tertium dicendum, quòd hæc diuiſio ſtatus Religioſi in plures religiones facta eſt primò poſt mortem S. Antonij in Aegypto, & tempore S. Baſilij in Ponto: Cum enim eorum diſcipuli tantam ipſorum venerationem haberent, quia nouis regularibus obſeruantijs antiquos monachos penè collapſos renouauerant, inde eſt quòd eos quaſi nouos religionum fundatores coluerunt: In Palæſtina verò S. Hilarion Abbas ſuos inſtruxit monachos ſub primitiuo Eliç inſtituto, cuius memoria in monte Carmelo extabat, Et ita monachi Palæſtinæ ſub patriarchatu Eliæ perſeuerantes, non alium agnouerunt Patriarcham, quamuis S. Hilarionem agnoſcerent reparatorem ac reformatorem. Refert quidam Ioannes author vitæ S. Epiphanij, quod S. Hilarion inſtituit conuentum in pago Beſanduc vicino ad tria milliaria ciuitati Eleutheropoli pro ſuis diſcipulis, ad quem aliquando de intima ſua ſolitudine veniebat: In eo erat Lucianus monachus, cuius conſuetudine conuerſus fuit S. Epiphanius de Iudaiſmo ad fidẽ Chriſti cum eſſet ſexdecim annorum, & factus eſt ibi poſtea monachus; Vnde etiam S. Hilarionem agnouit, & quaſi magiſtrum vitæ ſpiritualis monaſticæ eſt imitatus, vt refert S. Hieronymus in vita S. Hilarionis ſucceſſu temporis Sanctus Hilarion diſcipulum ſuum Epiphanium huius conuentus Abbatem creauit ſed hic non multò poſt exemplo ſui magiſtri in horridam receſsit ſolitudinem nomine Spanydrion. Verùm cum aduenientibus hominum turmis inquietaretùr, ſe tranſtulit ad deſerta Aegypti, vbi Paphnutium S. Antonij diſcipulum cõſuluit an ibi in Nitria remaneret, ſed diſſuaſus venit in Bucholia loca Eſſenorũ quondam diſcipulorum S. Marci, deinde redijt in ſuum conuentum, vbi cum audijſſet S. Hilarionem nauigaſſe in Cyprum, illuc perrexit ipſe magiſtri amore inſtinctu diuino, nam ibi Salaminæ Epiſcopus factus eſt.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Sanctus Baſilius fuerit alumnus Carmelitanæ Religionis.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Baſilius non fuerit alumnus Carmelitanæ religionis. Probatur: Quamuis habeatur vt certum, quòd S. Baſilius viſitauerit monaſteria Aegypti Palæſtinæ, Coeleſiriæ & Meſopotamiæ, & etiam quòd fuerit monachus: Iamtamen ordo monaſticus erat diuiſus a morte S. Antonij; Et ita potuit eſſe monachus Antonianæ, vel alterius religionis Carmelitanæ: Ergò non poteſt certò dici, quòd S. Baſilius fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Pręterea: Habitus religioſus S. Baſilij, etiam pallium fuit nigri coloris, qualis nunc geſtatur in ordine ipſius; Et tamen habitus religionis Carmelitanę, quantùm ad pallium, fuit tempore S. Baſilij coloris albi ſeu candidi: Ergo

cum

cum S. Baſilius non geſtauerit habitum religionis Carmelitanæ, non fuit alumnus illius.

¶ 3. Præterea: Si Sanctus Baſilius fuerit alumnus religionis Carmelitanæ, non fundaſſet in Ponto nouam religionem ſub ſuo nomine, cum iam ibi exiſteret antiqua ſua Religio Carmelitana, quam potiùs reformaſſet; Et hoc ex motiuo humilitatis, ac ſimul reuerentiæ filialis erga S. Eliam ſuum Patriarcham: Sed Sanctus Baſilius fundauit in Ponto nouam religionem ſub ſuo nomine hactenus perſeuerantem, eique propriam preſcripſit regulam, ex qua dicitur deſumpta fuiſſe poſtmodum Carmelitana: Ergo Sanctus Baſilius non fuit alumnus Carmelitanæ religionis,

SED CONTRA eſt antiqua Carmelitanæ Religionis traditio, & plurium Doctorum etiam exterorum authoritas.

CONCLVSIO.

Sanctus Baſilius fuit alumnus Carmelitanæ Religionis.

RESPONDEO dicendum, quod Sanctus Baſilius cognomento magnus fuit alumnus Carmelitanæ religionis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod fuit nobilis Cappadox, natus Helenoponti anno Domini 327. fuit a pijs parentibus in fide Catholica ac in bonis moribus inſtructus ab infantia: Deinde ſeptennis puer vacat humanioribus litteris, exinde Mathematicis, & philoſophicis diſciplinis; Et decimo ſeptimo ætatis anno vadit Athenas florentiſſima Græcorum Academiam: Quid poſtea fecerit, narrat ipſemet epiſtola 79. ad Euſtochium ſic dicens: *Ego ſanè poſteaquam multum temporis vanitati impendiſſem, & omnem prope iuuentutem inani ſtudio aſtriuiſſem quo tenebar, cum apprehendendis infatuatæ à Deo ſapientiæ diſciplinis immorabar; tandem aliquando, vbi velut ex graui ſomno expergefactus; ad Euangelicæ veritatis admirabile lum\[en\] r\[e\]ſpexi; agnouique inutilitatem ſapientiæ principum huius ſæculi, qui abolentur: deplorata plurimum miſerabili mea vita, ductorem mihi dari optabam, qui ad pietatis me dogmata introduceret: Et cum primis hoc mihi curæ erat, vt morum correctionem aliquam inſtituerem, quos per diutinam conſuetudinem cum improbis cõtractam peruerteram: lecto itaque Euangelio, animaduerſoque illic quod plurimũ occaſionis, & momenti adferat ad perfectionis ſtudium, ſi quis bona ſua vendat, deque illis egenis fratribus communicet, & prorsùs nulla teneatur vitæ iſtius cura, nec patiatur mentem ſuam aliqua rerum preſentium affectione turbari: optabam dari aliquem ex fratribus, cui iſtud vitæ genus arrideret, cum quo profundum vitæ huius pelagus ſuperare liceret: Inueni ſanè multos apud Alexandriam, nec paucos apud reliquam Aegyptum, deinde & alios in Paleſtina, & Cæleſyria, & Meſopotamia; quorum admiratus ſum cum in ſeruandæ dietę temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam.* Ex hac peregrinatione rediens Athenas, inter alios ſuum Philoſophiæ præceptorem Eubulum conuertit ad fidem, quẽ poſtmodum habuit in religione comitẽ: Profectus iterum in Palæſtinam cum Eubulo, in ipſo monte Carmelo religionis noſtræ ſumpſit habitum, vt ſtatim dicetur: Inde diſceſſit ad alia Syrię monaſteria, & ſub Mariani monachi magiſterio plurimum profecit, & a Meletio Patriarcha Antiocheno fit Diaconus: Deinde vocatus in Pontum patriam ſuã ad prædicandum Chriſti Euangelium, ordinatur Pręsbyter ab Euſebio Cæſareę Epiſcopo: Pręexiſtentes in Ponto monachos inuenit, Eliani ſcilicet inſtituti, qui cum ſolitariæ penitùs vitæ vacarent, ipſe nouos inſtituit ad Eccleſię neceſſitatem ac Euangelij prædicationem, ſolitarię & actuoſæ vitæ ſimul vtilitates coniugens, qui ipſum poſt mortem vt ſuũ agnouerunt Patriarcham: anno Domini 369. eligitur ſucceſſor Euſebij in Epiſcopatu Cæſarienſi, cooperante Sancto Gregorio Nazianzeno eius aliàs in mo-

Digitized by Google

naſterio fideli comite & amico, ibi multas a Valente Ariano Imperatore paſſus eſt perſecutiones, multis claruit miraculis, & heroicis refulſit virtutibus: Tandem ſanctitate conſpicuus mortuus eſt anno Domini 378. die 1. Ianuarij, cuius tamen feſtiuitas die 14. Iunij celebratur.

Probatur concluſio authoritate Sanctorum Patrum, qui S. Baſilium faciunt Eliæ diſcipulum, ac proinde Elianæ & Carmelitanæ Religionis alumnum: Hi Sancti Patres ſunt, Gregorius Nazianzenus S. Baſilij in monaſterio ſocius, & Gregorius Nyſſenus S. Baſilij frater, quibus vt teſtibus oculatis & omni exceptione maioribus credendum eſt: Primus ſic ait oratione 30. de Laudibus ipſius Baſilij; *Cum Elia & Ioanne ſummis Philoſophis ſolitudinem amplectitur*: Secundus in epiſtola ad Chilonem dicit quod Baſilius *in ſeipſo veſtes pelliceas & res mirabiles Eliæ expreſſerit*. Confirmatur vtriuſque authoritate alia: Sanctus Gregorius Nazianzenus profitetur ſe fuiſſe Carmeli montis Religioſum, ac Eliæ & Eliſæi Melote indutum, in oratione ad Arianos reſpondens quòd ab illis inculparetur ruſticitatis, inter alia ſic ait per ironiam; *Enimuero me quoque fallebat Eliæ Carmelus, qui currum igneum accepit, & Eliſæi Melotes, quæ plus virium habuit quàm fila ſerico & aurum veſtibus per vim aſſutum*; conſtat autem, quod S. Baſilius & Sanctus Gregorius Nazianzenus fuerunt eiuſdem religionis alumni: Sanctus Gregorius Nyſſenus, volẽs ſuum laudare Baſilium; Eliæ quaſi comparat, ſicut diſcipulum in vita religioſa ſuo magiſtro & Patriarchæ religionis, ait enim in citata oratione; *An etiam audebimus ad ſublimem Eliam ſermone aſcendere & oſtendere noſtrum Doctorem ſua vita inſtituto illius gratiæ aſſimilari*.

Secundò probatur antiqua noſtræ Religionis Carmelitanæ traditione, quã referunt plures authores, etiam externi: Habet enim huiuſmodi traditio, quòd dum Sanctus Baſilius & Eubulus, viſitatis ex parte ſacris Paleſtinæ monaſteriis, in Cœleſyriam progrediuntur alia inuiſuri monaſteria ſecundùm adductam ipſius Baſilij epiſtolã, in noſtrum venerunt montẽ Carmelũ, vbi tunc Sanctus Euticus ſuperior ordinis Carmelitani sãctitate & doctrina florebat, qui iuxta Palæonydorum lib. 2. capit. 5. & alios authores, eos ad prophetalẽ inſtitutionem acceptans, ſanctæ Religionis habitu inueſtiuit, vbi per aliquot annos in monaſtica vita deſudantes, ſanctæ Religionis ſpiritum hauſerunt. Confirmatur reuelatione eiuſdem S. Baſilij relata ab eodem Palæonydoro libro 3. cap. 4. vbi loquens de N. S. Cyrillo Conſtantinopolitano ſic ait: *Alicuius temporis interuallo vidit per quandam noctem virum aſpectu eximium venerandum iuxta ſe ſtantem, capite infulatum, & dicentem ſibi; Ne timeas Cyrille, ſum enim Baſilius, quondam montis Carmeli eremita, Cæſarienſium Paſtor, veniens hoc tibi denuntiare, quatenus in Armeniam pergas &c.*

Tertiò probatur ſequenti ratione, efficaciſſima ac demonſtratiua ex alibi probatis: Licet tempore Sancti Baſilij cœpiſſet ordo monaſticus in Aegypto diuidi, quia diſcipuli S. Antonij ipſum vt ſpecialem ſui inſtituti fundatorem poſt mortem agnouerunt, alij verò monachi ſub Eliæ Patriarchatu perſeuerabant; In Syria tamen & Palæſtina permanebat indiuiſus ordo monaſticus ſub Patriarchatu eiuſdem Eliæ a Sancto Hilarione reparatus, ita quod tunc omnes monachi Syriæ ac Paleſtinæ eſſent alumni religionis Elianæ ſeu Carmelitanæ: Sed vltra hoc quòd dictum eſt de receptione & reſidentia S. Baſilij inter noſtros Carmelitas monachos, habemus quod idem Baſilius factus iam monachus diu manſit in monaſterijs Syriæ ſub diſciplina Marciani monachi, ex authoritate Theodoreti relata libro 9. de Vitis Patrum cap. 3. ſequentibus verbis, *Nunc videlicet eum ſimul coniungentes cum Elia & Ioanne & ſimilibus, qui circuibant in ouinis & caprinis pellibus egentes, & afflicti, & vexati, quibus dignus non erat mundus; errantes in ſolitudinibus, & montibus,*

ribus, & ſpeluncis, & foraminibus terræ; huius autem Philoſophiæ fructum quoque percepit admirandus ille Baſilius, qui multis poſtea temporibus apud Seleucobelum (eſt autem vrbs Syriæ) monaſticum extruxit habitaculum; Et *clarus quidem fuit in multis generibus virtutum, inſigniter autem clarus in ea quæ longè Deo eſt gratiſſima poſſeſſione charitatis, & in diuina opere hoſpitalitatis;* Porrò *hic Marcianus nobili proſapia & regia ſanguine ortus ſolitudinem petijt, & cella non maiori corpore ſuo ſe incluſit; poſt orationem & pſalmodiam lectionem adhibebat ſcripturarum, cibus ei erat ſolus panis in modiciſſima mēſura, nunquam ſatur, ſemper eſuriens, ſemper ſitiens;* Habuit *poſtea duos contubernales, Euſebium & Agapetum, ex quibus Agapetus ad Epiſcopalem dignitatem vocatus clarus & illuſtris euaſit, Euſebius autem ſacri illius tugurij fuit hæres, & Marciani eiuſque auſteritatis æmulator, nam cum centum & viginti ferri libras corpori haberet impoſitas, ſibi quoque impoſuit alias quinquaginta Agapeti, & alias octoginta Marciani;* En *magnum Marcianum magni Baſilij in doctrina ſacra & vita monaſtica magiſtrum*: Ergo Sanctus Baſilius fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Primum ergo dicendum, quòd licet ordo monaſticus tempore S. Baſilij iam eſſet diuiſus in Aegypto; non tamen ibi factus eſt monachus, cum ibi monaſteria viſitauit adhuc iuuenis, ſed in Carmelo Palæſtinæ in ſecunda peregrinatione, & deinde manſit in Syria, vbi hactenus ordo monaſticus erat indiuiſus ſub vnico Patriarchatu Eliæ, vt dictum eſt.

AD Secundum dicendum, quòd habitus Religioſus S. Baſilij quantùm ad pallium fuit albus ſaltem in principio, ſicut noſter Carmelitanus: Vtrum poſtea mutauerit ipſe, dum nouum monachorum inſtitutum fundauit, vel vtrū Baſiliani poſtmodum fuerint coacti a Saracenis illum mutare, vt dictum eſt in ordine S. Antonij, & in noſtro Carmelitano, ignoratur [illegible]

AD Tertium dicendum, quòd Sanctus Baſilius habuit intentionem, in hac nouorum conuentuum erectione, ſolùm reformandi & perficiendi monaſticum ordinem ſub Patriarchatu Eliæ, faciliùs enim eſt noua fundare monaſteria reformata, quàm antiqua reformare; eius tamen diſcipuli ipſum poſt mortem agnouerunt vt ſpecialem Patriarcham, & tūc etiam in Ponto diuiſus eſt ordo monaſticus; Vnde licet S. Baſilium dicamus alumnum Reli-gionis Carmelitanæ, non tamen tales dicimus eius diſcipulos. Propter dicta Baronius ad annum Domini 328. hæc ait; *Baſilius imitator potiùs acceſſit* (ſcilicet ad antiquos monachos Eliæ filios) *quàm inuentus ſit author.*

ARTICVLVS V.

Vtrum S. Pachomius Abbas fuerit alumnus Carmelitanæ Religionis.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd S. Pachomius Abbas non fuerit alumnus Carmelitanæ religionis. Probatur: Sanctus Pachomius a Spiritu Sancto fuit inſtructus in vita monaſtica, vt dicitur de Sancto Honorato, ſicut ait Gennadius in Cathalogo Illuſtrium Eccleſiæ Scriptorum cap. 8. dicens de Theodoro Pachomij diſcipulo; *Frequenter meminit magiſtri & Inſtitutoris ſui Pachomij, ac doctrinæ eius ac vitæ proponit exempla, quæ ille vt doceret Angelo adminiſtrante didicerat*; quamuis poſtea ad Abbatem Palæmonem acceſſerit maioris gratia perfectionis: Ergo Sanctus Pachomius Abbas non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Preterea: Sanctus Pachomius Abbas ſtatim a principio fuit electus a Domino fundator nouæ religionis; nam vt refertur in eius vita, ſic ait ei Angelus; *Voluntas Domini eſt o Pachomi, vt ei pura mente deſeruiens multitudinem congreges monachorum, & iuxta formam quæ tibi oſtenſa eſt cunctos inſti-*

tuas

tuas, ac Deo exhibere contendas: Ergo S. Pachomius Abbas non fuit alumnus Religionis Carmelitanę.

¶ 3. Præterea: Sanctus Pachomius Abbas recepit ab Angelo regulas particulares pro ſuis monachis, vt etiam habetur in eius vita, dicitur enim quòd hanc vocem de cælo audiuit; *Mane hic ò Pachomi, & monaſterium conſtrue, venturi ſunt namque ad te quam plurimi tua cupientes inſtitutione proficere, quibus ducatum præſtabis, iuxta regulam quam mõſtrauero tibi*: Ergo ſignum eſt, quod nõ fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt antiqua traditio noſtræ Religionis Carmelitanę, & expreſſa plurium ſcriptorum authoritas.

CONCLVSIO.

Sanctus Pachomius Abbas fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Pachomius Abbas fuit alumnus Carmelitanæ religionis, quod aſſerimus, non ſolùm generali ratione, qua cuncti primitiuæ Eccleſię Monachi ad noſtram religionem Carmelitanam pertinent, ſed etiam ſpeciali ratione ac authoritate. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Sanctus Pachomius Ethnicis parentibus in Tebaide natus anno ſalutis 395. Diuina præuentus benedictione ab ipſis puerilibus annis futuræ Sanctitatis ſpecimen dedit: Contigit enim cum adhuc puer eſſet cum parentibus in templo cuiuſdam ſimulachri, ad eius præſentiam præſtigiæ dæmonis euanuerunt, ſolemnia negantis reſponſa; coactus tandem cauſam ſilentij dare, ſic ait attonitus, *Quid inimicus deorum huc venit? procul pellite, & quantocyus eum amouete*: Cum vigeſimum ætatis annum ageret, miles efficitur in exercitu Conſtantini Magni contra Maxentium; Et expertus aliquando miram Chriſtianorum charitatem ac hoſpitalitatem, & hac occaſione concipiens piam ergo fidem eorum affectionem, eleuans in cœlum manus ſic ait; *Omnipotens Deus; qui feciſti cœlum & terram, ſi reſpiciens reſpexeris ad precem meam, & ſancti tui nominis mihi veram contuleris perfectamque regulam, atque ab hoc me compede mœroris exemeris, ſeruitio tuo me tradam cunctis diebus vitæ meæ, & ſpreto ſæculo tibi iugiter adhærebo*: finito tali bello, Pachomius a militia liber fit cathecumenus, & paulò poſt baptizatus in myſtico vidit ſomno veluti rorem cælitus allapſum ſuam repleſſe dexteram, & in mellis creuiſſe pinguedinem; Audiuit quoque vocem dicentem ſibi, *Conſidera Pachomi quod geritur, eſt enim hoc ſignum gratiæ, quæ tibi a Chriſto collata eſt*: Cum miram Palæmonis Abbatis in eremo conuerſationem audiſſet, eius imitandi deſiderio motus ad ipſum perrexit, cui humiliter ait; *Deus me miſit ad te, vt monachus fiã*: Ab illo tandem receptus, miram pænitentis vitæ aſperitatem, & rigoroſam in pane & aqua temperantiam coluit: Cum die Reſurrectionis Dominicę Palæmon ei iuſſiſſet pro tanta ſolemnitate, cibo quotidiano olera ediungere, ipſe modico condita oleo cum appoſuiſſet magiſtro, ſenex fricans manibus frontem & vbertim lachrymans ait; *Dominus meus crucifixus eſt, & ego nunc oleum comedam?* Maximè in vita monaſtica ſub Palæmonis diſciplina profecit, nudis incedens pedibus, quos ſpinis cruentatos ſentiens lætabatur, recolens quòd Dominus noſter in cruce clauis fuerat affixus, & ſpinis coronatus: Deinde monitus ab Angelo: & data ſibi ſcripta per eum regula dicta Tabennenſium, iuſtructus ad interiora deſerti cum ipſo Palæmone penetrauit vbi iuxta cęleſte præceptum ædificauit monaſterium, ad quòd multi cõfluxerunt monachi, & aliquando Sanctus Athanaſius Patriarcha Alexandrinus acceſſit, quem ſic venerabatur Pachomius, vt nullum præſtantiorem illis temporibus hominem diceret; ſed e cõtra horrebat Origenem velut blaſphemum, cuius volumen cum inueniſſet, in aquas continuò miſit: Denique iam mortuo S. Palæmone, cui Pachomius fideliter-

deliter vſque ad mortem inſeruiuit; ædificato quoque ſorori ſuæ monaſterio, quam ſecularem videre noluerat, decidit in morbum lætalem, iamque morti proximus conuocatis ait diſcipulis, extenuatus quidem at hilari ac fulgida facie; *Ego quidem chariſſimi viam Patrum ſecurus ingredior, nam video me a Domino protinus euocari, Vos ergo mementote verborum, quæ a me frequenter audiſtis, & vigilantes in precibus ſobrii eſtote in operibus veſtris; nulla ſit vobis coniunctio cũ ſectatoribus Meletii, vel Arÿ, vel Origenis, ſeu cæteris Chriſti præceptis aduerſantibus; cum illis autem conuerſamini, qui Dominum metuunt, & poſſunt prodeſſe vobis ſancta conuerſatione, & animabus veſtris ſpiritualia præſtare ſolatia*: Tandem ſignaculo crucis ſe muniens, atque Angelum lucis, qui fuerat ad ſe directus, aſpectu intuens, hilari ſanctam reddidit animam die 9. Maij.

probatur concluſio triplici authoritate, qua Sanctus Pachomius dicitur diſcipulus Eliæ, vel æmulator ipſius, vel ijſdem cum ipſo religioſis veſtibus indutus, quæ ſingula probant efficaciter ipſum fuiſſe alumnum Religionis Elianæ ſiue Carmelitanæ. Author vitæ ipſius, qui creditur Synchronius, in prologo ſic ait de eo alijſque primitiuis Eccleſię monachis: *Hi namque qui de gentibus in Chriſtum crediderunt, conſiderantes martyrum paſſiones, eorumque circa Chriſtum confeſſionis affectum, cæperunt & ipſi gratia Domini Sanctorum vitam conuerſationemque ſectari, & huius inſtitutionis eſſe, vt etiam his aptaretur illud Apoſtoli, circuierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*: D. Thomas in cap. 11. epiſtolæ ad Hebręos ait; *Hæc dicuntur de Elia, & ſic vtebantur* Prophetę. Sozomenus libro 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 13. ſic ait: *Eodem tempore, eodemque loco monaſticam degebant vitam* Pambo, *Heraclides, Cronius, & Magnus Serapion, &* Pachomius *qui* Præſes *fuit eorum qui vocantur Tabiniciotæ; quibus quidem habitus erat, & vitæ inſtitutio a reliquorum diſciplina in quibuſdam regulis diſcrepans, in virtutis contemplatione aciem mentis defigentes, animum ſic tum ad rerum terrenarum deſpicientiam, tum ad cæleſtium indagationem excitantes; vt cum e corporis cuſtodia migrarent, aditum ad cælum haberent perfacilem. Iſti ad exemplum* Eliæ *Thesbitis pellibus ſe induebant, vt ſinguli ex pelle corpori circumamicta (ſicut mihi quidem videtur) virtutem* Prophetæ, *ſemper in memoriam reuocantes, ſtrenuè contra cupiditates venereas confligerent, atque ſtudio quoad eius vitam imitandam incenderentur; Et ſpe ſimilium præmiorum conſequendorum inducti, multò alacriori animo ſe a voluptate temperarent: His legibus diſcipulos inſtituit* Pachomius, *vir cum primis benignus, & Deo valde charus, vt prænoſceret futura, & per ſæpe cum Angelis in colloquium veniret; Degit autem ætatem in Thebana inſula Thebaidis, Vnde Tebenioſitæ vſque ad hoc tempus nominantur*, Nicephorus Calixtus libro 9. Hiſtorię Eccleſiaſticę capit. 14. ſic ait: *Inſuper ingens quoque ille Pachomius, qui dux & author vitæ Tebeniſiotarum fuiſſe dicitur, animum enim aſſueſecit ad virtutem aſpirare, & terrenam proculcare, & ſurſùm reſpicere ſemper, vt facile ſit puluerem hunc deponentibus in cæleſtem peruenire regionem: ſi quidem indumentum illis erat melota ſiue pellis ouina, ſymbolũ atque monumentũ, vt opinor, generoſi & fortis illius Elię Thesbitæ, rei venereæ & concupiſcentiæ macerationis atque mortificationis, vt æmulatione & ardore eiuſdem cum illo ſpei ad continentiam & auſteritatem ſtrenuè graſſarentur*.

Secundò probatur ratione: Primùm quidem, quia regulę ab Angelo traditæ S. Pachomio ſunt penitùs eędem, quæ Religioni Carmelitanę tunc conueniebant, & nunc maiori ex parte, vt in ſpiritu orationis diu noctuque, in receſſum ad ſeparatas cellulas cum communi oratorio & refectorio, in habitu Religioſo Melotæ & ſcapularis ſiue lebitonis ſine manicis quo pręcincti dormirent, vt cõſideranti patet. Deinde eodem tempore & loco inter alios viuebant Pambo & Pacho-

Digitized by Google

Pachomius eiuſdem religionis alumni, vt conſtat ex adducta Sozomeni authoritate; Pambo autem fuit religionis Elianæ Carmelitanę, imò fuit magiſter in vita monaſtica præclari noſtri Ioannis 44. Patriarchę Ieroſolymitani, vt ex hiſtoria Lauſiaca cap. 10. in alio opere de vitis Sanctorum ordinis noſtri probamus. Denique, cum Sanctus Pachomius viſione quadam myſtica præuidiſſet aliquos defectus futuros ſuorum monachorum, pœnituit de fundatis a ſe monaſterijs, quaſi fruſtra laboraſſet in ſua reformatione: ſed a Domino Ieſu Chriſto apparente ſibi inter Angelos ſpinis coronato tale reſponſum conſolationis habuit; *Animæquior eſto, & confortetur cor tuum, quia poſteritas tua manebit in ſæculum, nec vſque in finem mundi deficiet, ipſique qui poſt te futuri ſunt, de profunda illa Religione liberabuntur quotquot vixerint abſtinenter, & curam ſalutis propriæ geſſerint*: Si autem S. Pachomius eiuſque diſcipuli non fuerunt alumni religionis Carmelitanæ, non videtur quomodo ſit implenda hæc Prophetia, cum nulli iam extent religioſi ſub nomine S. Pachomij; euidenter autem apparet implenda in religione noſtra Carmelitana, quæ, iterata promiſſione diuina eſt perſeueratura vſque in finem mundi, vt ſuo loco probatur: Ergo S. Pachomius Abbas fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

AD Primùm ergo dicendum, quòd S. Pachomius non fuit immediatè inſtructus in vita monaſtica a Spiritu Sancto, ſed fuit inſtructus a Palæmone Abbate alumno religionis Elianæ ſiue Carmelitanæ: Gennadius autem loquitur de illa inſtitutione Angelica S. Pachomij in ordine ad reformationem, quam ipſe didicit ab Angelo, & docuit alios.

Ad Secundum dicendum, quòd hec electio S. Pachomij facta fuit, non a principio conuerſionis ipſius, ſed poſtquam fuit inſtructus a Palæmone: nec talis electio fuit ad fundandam nouam Religionem, ſed ad reformandam antiquam Elianam; nec S. Pachomius fuit agnitus vt nouus religionis Patriarcha, etiam a ſuis diſcipulis, at tantùm vt reformator; nec vnquam denominata fuit religio S. Pachomii, at eius congregatio reformata dicebatur Teberneſiotarum a loco reſidentiæ.

AD Tertium dicendum, quòd tempore S. Pachomij nondum habebatur ſcripta regula Carmelitanæ religionis; Vnde ad eius reformationem opus fuit tradi S. Pachomio regulam in ſcriptis, conformem primitiuo Elię inſtituto, qualis fuit iſta, ſicut euidenter apparet collata ijs quę paulò poſt ſcripſit de tali inſtituto noſter Ioannes 44. in libro ſuo de Inſtitutione monachorum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sanctus Simplicianus Magiſter S. Auguſtini fuerit Carmelitanæ Religionis alumnus.

AD Sextum ſic proceditur: Videtur quòd S. Simplicianus Magiſter S. Auguſtini non fuerit alumnus *religionis* Carmelitanæ. Probatur: Ex vna parte nullus dicit expreſsè, quòd S. Simplicianus fuerit alumnus Carmelitanæ Religionis, ſed tantùm dicitur quòd fuerit monachus: Ex alia verò parte tunc diuiſo ſtatu religioſo ſub multiplicatis fundatoribus, plures aliæ religiones erant a Carmelitana diſtincta: Ergo fruſtra S. Simplicianus Magiſter S. Auguſtini dicitur fuiſſe Carmelitanæ religionis alumnus.

¶ 2. Preterea: Si S. Simplicianus Magiſter S. Auguſtini fuerit Carmelitanæ religionis alumnus, ſequitur quòd etiam ipſe S. Auguſtinus fuerit eiuſdem religionis Carmelitanæ aliquando alumnus: Sed hoc nullus dicit, nec dici poteſt: Ergo S. Simplicianus Magiſter S. Auguſtini non fuit alumnus Carmelitanæ Religionis.

¶ 3. Præterea: non conueniunt authores Carmelitæ in hoc aſſerto: nam aliqui

Digitized by Google

aliqui ex ſolo generali titulo monachi S. Simplicianum faciunt Carmelitanæ religionis alumnum; Alij verò ſpeciali titulo, quaſi diſcipulum Capraſij Prioris montis Carmeli: Sed neutrum iſtorum ſubſiſtit; non primum, propter adductā rationem in primo argumento; nec ſecundum, quia diſcipulus ille Capraſij vocatur ab Arnoldo Boſtio Simplicius, & non Simplicianus: Ergo S. Simplicianus Magiſter S. Auguſtini non fuit alumnus religionis Carmelitanę.

SED CONTRA eſt antiquiſſima noſtræ religionis Carmelitanę traditio, & communis ſententia Doctorum ipſius ac plurium exterorum.

CONCLVSIO.

Sanctus Simplicianus Magiſter S. Auguſtini fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Simplicianus Magiſter S. Auguſtini fuit alumnus religionis Carmelitanę. 2. in ipſo monte Carmelo ſecundùm aliquos authores. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic S. Simplicianus fuit vir inſignis & ſanctitate & doctrina; propter quod factus eſt Romanus Præsbyter, vt docet Baronius ad annum 385 & poſtea Archiepiſcopus Mediolanenſis ſucceſſor S. Ambroſij, a quo habebatur & diligebatur veluti pater, vt dicit S. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 2. De quo etiam refert ibidem, quod Romę exiſtens celebre illud facinus geſſit conuerſionis ad fidem Marij Victorini Afri, Romani Rhetoris celeberrimi, & ſtatua in foro Romano decorati: Mediolani verò idem S. Simplicianus tunc S. Ambroſij coadiutor conuerſioni Sancti Auguſtini multum cooperatus eſt, tam in ordine ad fidem, quàm in ordine ad ſtatum religioſum; In ordine quidem ad fidem conuerſionis huius principalis miniſter fuit S. Ambroſius, & coadiutor etiam in hoc S. Simplicianus, præueniēte tamen Domino cœleſti hoc oraculo *Tolle lege*, ac lectione S. Pauli Apoſtoli; In ordine vero ad ſtatum religioſum ipſe S. Simplicianus fuit principalis miniſter, narrans quæ de noſtris monachis in oriente viderat, cui plurimum iuuit exemplum S. Antonij Abbatis occaſione ſequenti propoſitum, quam noſter Boſtius libro 1. hiſtorię cap. 8. ſic narrat: *Igitur cum apud Mediolanum eſſet Auguſtinus, & Alipius in domo, & abſens eſſet Nebridius, venit ad eos Pontianus quidam ciuis ipſorum ex Africa: Quo narrante ortus eſt ſermo de S. Antonio Aegyptio monacho ſectatore SS. Eliæ & Eliſæi & Ioannis Baptiſtæ Prophetarum, cuius nomen excellenter clarebat apud monachos Carmelitas ſeruos Dei: Stupebant autèm illi audientes tam recenti memoria, & propè ſuis temporibus tanta mirabilia: Demū volutus eſt ſermo eius ad monaſteriorum greges, & mores tam Carmelitarum quàm Tabennenſiotarum, quorum illi nihil ſciebant; Cumque Pontianus talia loqueretur, ingemiſcebat Auguſtinus, & confundebatur pudore horribili*: Hæc Boſtius: Tandem S. Simplicianus anno Chriſti 397. mortuo S. Ambroſio ſuſficitur in Epiſcopatu Mediolanenſi totius populi deſiderio, & poſtmodum ſanctitate clarus obijt in Domino, ſicut in maxima ſanctitate ſemper vixerat; dicit enim de ipſo Sanctus Auguſtinus ſermone 21. ad fratres in eremo, *A iuuentute ſua deuotiſſimè Deo vixerat in omni charitate.*

Probatur prima pars concluſionis Tum adducta noſtræ religionis traditione, Tum authoritate Doctorum ipſius, præſertim Palæonydori, Coriæ, Thomæ a Ieſu, quos ſequuntur Embum, Fuente, Guadalaxara, Caſſanate, & Lezana tomo 2. ad annum 375. Tum quia tunc omnes monachi non alium agnoſcebant Patriarcham quàm Eliam, quamuis enim Sanctus Antonius & S. Baſilius ſuas incepiſſent religiones, non tamen ſtatim acceptæ ſunt vt diſtinctæ a primitiua Eliæ Carmelitana, nec ipſi velut fundatores agniti ſunt, cum ſe diſcipulos Eliæ fuerint profeſſi, ſed paulò poſt aucto diſcipulorum numero; Conſtat autem

Digitized by Google

quòd S. Simplicianus fuit contemporaneus S. Antonij, qui mortuus eſt Anno Domini 358. potuitque ipſum vidiſſe, ſicut & S.Baſilium. Tum quia S. Antoninus 3. p. tit. 24. Poſſid. & Groſſen in vita Sancti Auguſtini dicunt quòd Sanctus Simplicianus dum eſſet Mediolani Archidiaconus, ipſum Auguſtinum in fide Chriſti inſtruxerit, fuſcam tunicam zonamque pelliceam induerit, & vitam monaſticam edocuerit, quam vitæ normam primùm ſuis ſocijs, mox factus Epiſcopus Hipponenſis ſuis Clericis & Canonicis ſeruandam propoſuit. Tum denique, quia videtur quòd S. Ambroſius a S.Simpliciano didicerit tot particularia de noſtra religione Carmelitana, quæ refert in epiſtola ad Vercellenſes, præcipuè de Sanctis Elia & Ioanne Baptiſta, cuius partem in ſpeciali articulo de Sancto Ioanne Baptiſta referimus, Et quæ vix ſciri poſſunt niſi vel a teſte oculato, vel ex eius relatione.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate prædictorum Authorum in prima parte concluſionis, qui dicunt Sanctum Simplicianum in Carmelo mõte religionis habitum accepiſſe, ibique diſcipulum fuiſſe Capraſij tunc ibi celeberrimi & poſtmodum Prioris: Quod fundatur in ſequente teſtimonio S. Ambroſij loquentis ſic ad ipſummet Sanctum Simplicianum epiſtola 2. *Quid eſt quod ipſe dubites, & a nobis requiras, cum fidei, & acquirendæ cognitionis diuinæ gratia totum orbem peragraueris?* Videtur enim conſequens, vt qui totum orbem peragrauit fidei, & acquirendæ cognitionis diuinæ gratia, practicè præſertim in ſtatu religioſo, ad montem Carmelum illius natale ſolum acceſſerit, tunc mira ſanctitate florentem & doctrina, ſub Ioanne noſtro 44. & Capraſio ſucceſſore. Diſſentit tantùm Lezana in hoc, quod S. Simplicianus non fuerit miſſus a Capraſio in Italiam, quia tunc ibi non erat Prior Capraſius; Et ille qui miſſus dicitur, vocatur a Boſtio Simplicius non Simplicianus, qui etiam dicitur miſſus a S. Timotheo montis nigri Priore: Sed hæc non ſic vrgent, vt communem aliorum ſententiam deſeramus; non primũ, quia ſufficit quòd tunc ibi fuerit Capraſius magnæ authoritatis, vt ab eo miſſus dicatur, fuit autem talis, cum paulò poſt ſucceſſerit Ioanni 44. in officio Prioris; nec ſecundùm, quia fortè error eſt in Boſtio nominante Simplicium loco Simpliciani, de quo Simplicio non fit alibi mentio, nec ipſe Lezana quicquam de eo ſcit aut adducit, cum è contra de S. Simpliciano habeamus quod totum orbem peragrauerit fidei tuendæ gratia, quæ fuit cauſa Capraſio & Timotheo mittendi ſuos diſcipulos in Italiam & ad alias regiones contra Eutichianos; nec tertium, quia tam Capraſius quàm Timotheus fuerunt authores huius miſſionis, Vnde alterutri attribuitur.

AD Primum ergo dicendum, quantum ad primam partem, quòd citati authores noſtri dicunt expreſsè S.Simplicianum fuiſſe alumnũ noſtræ religionis Carmelitanæ. Quantùm ad ſecundam partem dicendum quod tunc adhuc non erant multiplicatæ Religiones; Et ſic omnes monachi erant alumni *primitiuę* religionis Carmelitanæ, vt dictum eſt.

AD Secundum dicendum, quòd hoc nõ ſequitur euidenter: Potuit enim fieri quod S. Simplicianus ſolùm induxerit S. Auguſtinum ad amplectendum ſtatum religioſum, & etiam ei habitum tradiderit, vt Eccleſiæ Mediolanenſis Archidiaconus; Et quod ipſe S.Auguſtinus ſtatim ſuam Religionem inſtituerit, abſque alia maiori & ſpeciali inſtructione. Vnde pertinet aliquo modo ad religionem Carmelitanam, quaſi aliquid acceperit ab ea in inſtitutione ſua; ſicut ipſemet indicat ſermone ad fratres in eremo 39. dicẽs quod illis datũ eſt, vt viuerẽt in eremo cũ Elia & Ioanne Baptiſta; ſubdens, *Hæc eſt illa religio, cuius ſanctitas per orbẽ diuulgatur, quorum vita a cunctis miratur.*

AD Tertium dicendum, quòd minor eſt falſa quoad vtramque partem: Et ad impugnationem vtriuſque patet ex dictis.

ARTI-

Articvlvs VII.

Vtrum Sanctus Romanus monachus, Director S. Benedicti, fuerit Carmelitanæ Religionis alumnus.

AD Septimum ſic proceditur: Videtur quòd S. Romanus monachus Director Sancti Benedicti non fuerit alumnus Carmelitanæ religionis. Probatur: Hic Romanus dicitur ſolùm nomine generali monachus; nam in lectionibus S. Benedicti habetur, quòd *in altiſſima Sublaci ſpelunca ſic per triennium delituit, vt vnus id ſciret Romanus monachus, quo ad vitæ neceſſitatem miniſtro vtebatur*: Sed tunc plures erant alij monachi quã religionis Carmelitanæ, præſertim in Occidente, puta in monaſterijs Lirinenſi, Maſſilienſi & Agaunenſi: Ergo S. Romanus monachus Director S. Benedicti non fuit alumnus Carmelitanæ religionis.

¶ 2. Præterea: Licèt admitteretur, quòd hic S. Romanus monachus ex Oriente venerit in Europam, non tamen ſequitur quòd fuerit Carmelitanæ religionis alumnus; nam tunc in Oriente multiplicatæ erant religiones ſub varijs fundatoribus, vt ſub Sancto Antonio, & S. Baſilio. Ergo S. Romanus monachus, Director S. Benedicti, non fuit alumnus Carmelitanæ religionis.

¶ 3. Præterea. Si S. Romanus monachus, Director S. Benedicti, fuerit Carmelitanæ religionis alumnus, ſequitur, quòd etiam S. Benedictus ab ipſo directus in vita monaſtica quaſi diſcipulus, fuerit eiuſdem Carmelitanę religionis alumnus: Sed nullus hoc dicit, nec admittetur à quoquam; imò S. Benedictus celebratur vt primus Patriarcha monachorum Occidentis: Ergo S. Romanus monachus Director S. Benedicti non fuit alumnus Carmelitanæ Religionis.

SED CONTRA eſt antiquiſſima noſtrę Religionis Carmelitanæ traditio; & communis ſententia Doctorum ipſius, ac plurium exterorum.

Conclvsio.

S. Romanus monachus, Director S. Benedicti, fuit Carmelitanæ religionis alumnus.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Romanus monachus, Director S. Benedicti, fuit Carmelitanę religionis alumnus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, id quod S. Gregorius Magnus refert de directione ac miniſterio huius Romani monachi reſpectu S. Benedicti libro 2. Dialogorum cap. 1. ſic autem loquitur: *Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quàm laudes, & pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauore extolli, nutricem ſuam occultè fugiens, deſerti loci ſeceſſum petijt, cui Sublacus vocabulum eſt, qui ab Romana Vrbe quadraginta ferè millibus diſtans, frigidas atque perſpicuas emanat aquas; Quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenſo priùs loco colligitur, ad extremum verò in amnē deriuatur: Quò dum fugiens pergeret, monachus quidam Romanus nomine hunc euntem reperit, quò tenderet requiſiuit: Cuius cum deſiderium cognouiſſet, & ſecretum tenuit, & adiutorium impendit, eique ſanctæ conuerſationis habitum tradidit, & in quantum licuit miniſtrauit: Vir autem Dei ad eundem locum perueniens, in arctiſſimum ſpecum ſe tradidit, & tribus annis, excepto Romano monacho, hominibus ibi incognitus manſit: Qui videlicet Romanus non longè in monaſterio ſub Theodaci Patris regula degebat; ſed piè eiuſdem Patris ſui oculis furabatur horas, & quem ſibi ad manducandum ſurripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat; Ad eundem verò ſpecum è Romani cella iter non erat, quia excelſa deſuper rupes eminebat; ſed ex eadem rupę in longiſſimo fune Romanus depònere panem conſueuerat, in qua etiam reſti paruum tintinnabulum inſeruit, vt ad eius ſonum vir Dei*

cognoſceret, quando Romanus ſibi panem prębęret, quem exigens acciperet: Sed antiquus hoſtis vnius charitati inuidens, alterius refectioni; cum quadam die ſubmitti panem conſpiceret, iactauit lapidem, & tintinnabulum fregit; Romanus tamen modis congruentibus miniſtrare non deſijt. Hæc S. Gregorius, ex quibus conſtat, hunc Romanum monachum fuiſſe ſimul directorem & miniſtrum S. Benedicti: Directorem quidem ſiue magiſtrum, tradendo ipſi ſanctæ conuerſationis aut monaſticę vitę habitum, & religioſum viuendi modum docendo; miniſtrum verò, ſubminiſtrando cibum ipſi de furto tam pio, & in pluribus alijs obſequendo.

Probatur concluſio authoritate Doctorum noſtræ religionis, inter quos clariùs loquitur Arnoldus Boſtius libro 5. hiſtor. cap. 73. vbi loquens de noſtro Capraſio montis Carmeli Priore ſic ait: *Liberatum cum Felice ad Africam mittens, S. Timotheum monaſterio Carmelitarum in Nigra Montana propè Antiochiam* (vulgo monte negro ſiue Neroi, olim Amana) *vt illud contra Eutichianos defenderet: Is itaque S. Thimotheus plures etiam habuit optimos diſcipulos, quos eadem de cauſa hinc inde diſperſit; Ad Italiam namque miſit Simplicium, & S. Romanum Conſtantinopolim, qui tandem inde pulſus per Eutychianos receſſit Romam, & inde in deſertum, cui Sublacus vocabulum eſt, vbi tribus annis S. Benedictum pauit Patrem monachorum S. Benedicti, vt dictum eſt ſupra cap. 10. primi libri.* Sic autem dixerat citato cap. 10. *Inſuper & S. Romanus Eremita quondam montis Carmeli de Conſtantinopoli cum pleriſque alijs Catholicis monachis, ſanctiſque viris expulſus eſt, qui veniens Romam ſeceſſit in deſertum; cui Sublacus vocabulum eſt, quę a Romana Vrbe quadraginta fere milliaribus diſtans, frigidas & perſpicuas habuit aquas emanantes; ibique cum ſuis ſocijs ædificans monaſterium per plures annos ſub obſeruantia in ſancta conuerſatione deſudauit: Tandem aliquibus tranſactis, ſcilicet circa annum 495. cum S. Benedictus &c.* Subdit autem, quòd hæc in Chronicis Gręcorum leguntur, quę etiam docent Palæonydorus libro 2. cap. 6. Coria libro 9. cap. 16. Thomas a Ieſu libro 1. Antiquit. cap. 12. Lezana tom. 3. Annalium ad annum Chriſti 495. Caſanate & alij ex noſtris; Et confirmantur ex peruetuſto Ordinis noſtri Calendario Mechlinienſi, vbi ſic habetur *pridie Calendas Martij, Romani Abbatis Carmelitæ, qui dedit habitum S. Benedicto*. Ex Benedictinis plures idem docent; addentes tamen quòd ipſe poſtea in Gallia regulam S. Benedicti acceperit, vt Antonius de Yepes ſub anno Chriſti 546. Benedictus Haeftenus in Commentario vitæ S. Benedicti cap. 1. num. 15. Quibus non contradico; cum aliàs certum ſit, non ſolùm plures ex noſtris antiquis monachis, ſed multa quoque monaſteria noſtræ Religionis regulam S. Benedicti ſumpſiſſe, multum noſtro conformem inſtituto; tunc enim nulla erat religionis Carmelitanæ præceptiua regula, ſed ſolis dirigebatur traditionibus maiorum noſtrorum in libro Ioannis 44. Ieroſolymitani expreſſis, quòd prędicta S. Gregorij authoritate videtur indicari, nam ex illo libro Ioannis de Inſtitutione monachorum ſuperiores ordinis pro diuerſitate locorum & temporum particulares edebant regulas pro ſuis monaſterijs: Et inde eſt, quòd S. Gregorius dicit, quòd S. Romanus hic *degebat ſub regula Theodaci Patris*, quē alij Deodatum vel Adeodatum vocant.

AD primum ergo dicendum, quòd hic S. Romanus, quamuis ab aliquibus, & in dictis lectionibus dicatur tantùm generali nomine monachus; ab alijs tamen quam plurimis citatis dicitur monachus Carmelita, pręſertim ab Arnoldo Boſtio graui & antiquo authore; ex cuius habetur authoritate, quòd priùs fuerit eremita in monte Carmelo ſub Capraſio Priore, deinde in conuentu montis Amana, ſiue nigri, & corruptè Neroi propè Antiochiam ſub Sancto Timotheo, qui conuentus fuit celebris

Digitized by Google

lebris in noſtro ordine, & ſexcentis annis poſthęc habitatus a noſtris Carmelitis ſub Generali S. Cyrillo Conſtantinopolitano & Euſebio Priore. Quamuis autem non fieret mentio S. Romani quaſi monachi Carmelitæ, ſufficeret quòd fieret mentio ipſius quaſi monachi Palæſtini vel Syri, tunc enim illarum Prouinciarum omnes monachi erant alumni religionis Carmelitanæ; Sanctus autem Romanus venerat ex illis partibus. Ad illud quòd ſubditur, dicendum quòd illa monaſteria Occidentis, nempè Lirinenſe, Maſſilienſe, Agaunenſe, &c. fuerunt in principio religionis Carmelitanæ, deinde tranſierunt ſub religionem S. Benedicti, vt docent ipſimet Benedictini, & probatur ſuo loco.

AD ſecundum dicendum, quod Sanctus Romanus venit ex Palæſtina & Syria, vbi tunc omnes monachi erant alũni religionis Carmelitanę, quamuis in alijs partibus Orientis eſſent alię religiones, vt S. Antonij in Aegypto, & S. Baſilij in Ponto: Deinde ſpecialitèr probatum eſt, quòd S. Romanus fuit eremita montis Carmeli.

AD Tertium dicendum, quòd S. Benedictus in illo principio, quo fuit ſub directione S. Romani, verè fuit monachus, vt ſupponit & indicat D. Thomas 2.2. q.187. ar.4. probans religioſos poſſe de eleemoſynis viuere, affert in argumento Sed contra; Quod B. Benedictus tribus annis in ſpecu permanens de ijs quæ à Romano monacho miniſtrabantur, refectus eſt; Vnde concludit; *Ergò Religioſi licitè poſſunt de eleemoſynis viuere*; niſi verò S. Benedictus tunc fuiſſet verè monachus religioſus, argumentum D. Thomæ nihil concluderet, quod de tanto Doctore Angelico dici non poteſt. Cuius autem inſtituti tunc S. Benedictus fuerit monachus, videtur quòd eiuſdem ac S. Romanus eius Director, qui de licentia ſaltem interpretatiua & tacita Abbatis Theodaci tradidit ei habitum religioſum; quamuis paulò poſt fuerit inclytus Patriarcha Religionis ab ipſo denominatæ, quæ a tot ſæculis, præſertim in Occidente, floruit ſanctitate & doctrina.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum V. Frater Gerardus, Inſtitutor Ordinis Hoſpitalariorum S. Ioannis Baptiſtæ, fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ?

AD Octauum ſic proceditur. Videtur quòd V. Frater Gerardus Inſtitutor Ordinis Hoſpitalariorum Sancti Ioannis Baptiſtę non fuerit alumnus religionis Carmelitanæ: Ita tenet Melchior Inchofer è Societate Ieſu primo tomo Annalium Hungariæ ad annum Chriſti 1030. qui eum facit Fratrẽ Sancti Franciſci Tertij Ordinis: Probatur: In Chronicis ſiue hiſtoria huius Ordinis Equeſtris, nunc dicti Melitenſis: dum refertur Vita V. Fratris Gerardi Inſtitutoris ipſius, nihil dicitur quòd fuerit Carmelita; Et tamen non præſumitur, quòd ignoraſſent, aut tacuiſſent huius Ordininis profeſſores, ſi talis fuiſſet: Ergo non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: V. F. Gerardus Inſtitutor Ordinis Hoſpitalariorum Sancti Ioannis Baptiſtæ, pro tali ordine elegit regulã S. Auguſtini, & non regulã S. Baſilij quam tunc Carmelitæ ſeruabant, vt ex ſe conſtat: Ergo non fuit alumnus religionis Carmelitanę, quia ſi fuiſſet talis, ad honorem ſuę religionis, ipſi potiùs quàm Auguſtinianæ hunc ordinem aggregaſſet ita nobilem.

¶ 3. Præterea: Authores Carmelitæ differunt inter ſe in determinando quis fuerit iſte V. F. Gerardus; Arnoldus Boſtius dicit fuiſſe Fratrem laicũm non ſacerdotem; Petrus autem Saracelnus facit ipſum Epiſcopum, ad quod inclinant Equites Melitenſes: Ergo nihil habetur certi de ipſo; Et ita poteſt etiam

dubiu...

dubitari, quòd fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt vniuerſalis, & antiqua noſtræ religionis Carmelitanæ traditio, ac communis ſententia Doctorum ipſius.

CONCLVSIO.

Venerabilis Frater Gerardus, Inſtitutor Ordinis Hoſpitalariorum S. Ioannis Baptiſtæ, fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd V.F. Gerardus Inſtitutor Ordinis Hoſpitaliorum S. Ioannis Baptiſtæ, fuit alumnus religionis Carmelitanæ. 2. nec potuit eſſe Tertij Ordinis S. Franciſci. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd tam nobilis eſt, tamque proficuus Eccleſiæ ſemper fuit Ordo Huſpitalariorū S. Ioannis Baptiſtæ, nunc dictus Melitenſis, quòd maximum erit decus Carmelitanæ religionis, ſi probatum fuerit Inſtitutorem illius fuiſſe iſtius alumnū, quòd in præſenti affirmamus: Hic ordo cœpit Hieroſolymis ſub Balduino IV. Rege Almarici filio, ſub titulo S. Ioannis Baptiſtæ Præcurſoris & S. Catherinæ Virginis & martyris: ſæpiùs manſionis ſuæ locum mutauit; capta namque ciuitate Ieroſolyma à Saracenis, Ptolemaidæ reſedit, eique nomen ſuum Sancti Ioannis communicauit, vt deinceps dicta ſit ciuitas S. Ioānis d'Acri per corruptionem, quia vocatur à Saracenis Acon ſeu Aca: Qua etiam capta, receſſit in Rhodum inſulam, ac tandem in Melitenſem, vbi nunc cum tanta gloria perſeuerat. Fuit autem V.F. N. Gerardus ex Galloprouincia, Marticenſis vt dicitur, quamuis alij faciant eum Palæſtinum, ſed probabilius eſt, ipſum natione Gallum, & manſione Palæſtinum eſſe; audiui namque dum eſſem in Inſula Melita, linguam Gallo-prouincialem primam eſſe inter alias totius religionis S. Ioannis, ob ſui reuerentiam Inſtitutoris V.F. Gerardi ex illa prouincia Galliæ oriundi.

Probatur prima pars concluſionis authoritate multiplici. Arnoldus Boſtius libro 1. ſpeculi hiſtorialis cap. 19. ſic ait: *Hoſpitalariorum militaris ſacer Ordo Sancti Ioannis Baptiſtæ de Ieruſalem ſiue Rhodis, licet quidam putant incepiſſe tempore Apoſtolorum, eo quod tunc inuenitur in Hieruſalem honeſtus conuentus nigro habitu propter mortem Chriſti veſtimento ſuo exteriori cruce impreſſa non ad militandum & bellandum, ſed potiùs ad orandum, & à bellatoribus mala patiendum inſtructus: Qui quidem Ordo non durauit, ſed pereunte ciuitate Ieruſalem per Titū & ipſe perijt; ſed anno Domini* 1179. *octo annis antequam à Saladino Ieruſalem caperetur, primò fuerunt regulariter inſtituti ſub Patre Gerardo Eremita ſeu Fratre montis Carmeli, vt patet in Hiſtoria Hieroſolymitana; quæ ſic incipit; Terra Sancta promiſſionis &c. Hic inquam Gerardus cum fuiſſet inſtitutus per S. Brocardum Priorem montis Carmeli ad vitam eremiticam, tandem in Ieruſalem miſſus eſt, monialium ſororum eiuſdem religionis, non longè à ſepulchro Domini procurator: Is ſiquidem non erat ſacerdos, ſed Frater laicus; Et Fratres laicos ad talia officia in monte Carmeli poni erat conſuetum: Qui videns ex militantium defectu Chriſtianis periculum imminere, & ordinem Templariorum in cunctis proſperè ſuccedere, S. Ioannem Baptiſtam, & S. Virginē Catharinam eligens in Patronos, nouum militiæ ordinem inchoauit: Videns autem Balduinus Rex Ieruſalem Almarici Regis filius zelum Fratris Gerardi, & eū bellicis rebus induſtrioſum, dedit ei in Ieruſalem hoſpitale cum prouentu Eccleſiarū eius, & inde dictus eſt ordo ille ab illo die Ordo Hoſpitalariorum S. Ioannis; Et quia exercitium militare, & exercitium in monaſterijs degentium ſunt diuerſa, ideò præfatus Gerardus non accepit regulam S. Baſilij; ſed S. Auguſtini, ſuperaddens ſtatuta intentioni vitæ militantium congrua & honeſta, quę approbata ſunt.* Ioannes Palæonydorus libro 3. cap: 1. ſic ait: *Gerardus interea Ordinis Carmeli, atque montis Frater laicus, procurator monia-*

lium

Digitized by Google

lium Ordinis noſtri in Ieruſalem, perpendens Chriſtianis continuè periculum imminere in ſubſidium peregrinorum inchoauit nouum ordinem militantium Hoſpitalariorum S.Ioannis Baptiſtæ ſub regula Sancti Auguſtini. Idem docent Coria lib. 9. ſuæ Chronologiæ cap. 30. Petrus Saraſenus, & Marcus Antonius Alegre de Caſanate, qui inter alia ſic habet loquẽs de anno Chriſti 1166. *Gerardus montis Carmeli monachus laicus ex his, quos in ordine iſto Fratres de obedientia vocant, natione Palæſtinus, vir fuit miro in pauperes feruidus amore, & ſingulariſſimum hoſpitalitatis in peregrinos exemplar: egregiæ ſanè indolis & ſolertiæ vir, prudentia & fortitudine, & multo virtutum nitore clarus: Is cum Procuratoris vices pro Abbate Carmeli in cœnobio ſanctimonialium Ieroſolymæ, vt refert Palæonydorus, pro ſubleuandis peregrinorum neceſſitatibus & ærumnis a Saracenis in aduenas illatis, & leuandis vtriuſque ſexus ægrotis, ex varijs orbis partibus confluentibus illò, vt ſacra redemptionis noſtræ loca, & glorioſum Chriſti Domini ſepulchrum venerarentur & exoſcularentur, cœnobia Carmelæi ordinis duo vetuſta, quæ Saracenorum infeſtationibus penè erant depopulata, de licentia Abbatis Generalis Carmeli in duo inſignia Xenodochia charitate feruidus erexit: In ijs ipſe a Calliſto II. Papa pro viris factus eſt Rector & Præſes, primuſque confirmatus Inſtitutor, & Anteſignanus, & magnus magiſter nobiliſſimæ militiæ Hoſpitalariorum, quos nunc vocant milites Sancti Ioannis Baptiſtæ in Melite ſiue Malta: Pro fœminarum alendarum Xenodochio altero Ioannam ſiue Agnetam quandam Romanam Europæam Rectricem Gerardus inſtituit. Religio iſta militaris nobiliſſimorum Eccleſiæ militum ſub ſtatutis primùm à Gerardo, & Raymundo de Podio immediato ſucceſſore magnoque Religionis magiſtro datis aliquandomilitauit, ſed tandem ex decreto Concilij Lateranenſis ab Innocentio III. celebrato, Sancti Auguſtini Regulam, quam modo profitentur, amplexata eſt, ſub qua & certis ordinis decretis, iuxta varia illius Comitia ſiue Sambleas, clariſſimè floret: Porrò cum excellentiſſimis charitatis exemplis erga peregrinos, & ægrotos nouos ſuos milites Gerardus inſtruxiſſet, zelo noui augendi inſtituti totus ebibitus, poſt annos ſexdecim a ſua Equitum ſiue Hoſpitalariorum Sancti Ioannis Baptiſtæ in Ieruſalem inſtitutione Ieroſolymis in ſuo Xenochiali cœnobio è ſæculo vitæ in pace deſcendit propè annos Chriſti Ieſu 1166. ſub Alexandro III. Pontifice Optimo Maximo, & Occidentis Imperatore Federico Aenobarbo iuxta computa Claudij.*

Probatur ſecunda pars concluſionis contra prędictum Authorem: Venerabilis hic Frater Gerardus ex ipſo morteus eſt anno Domini 1141. (quamuis alij dicant mortuum eſſe circa annum 1166. Sed tunc nondum erat nec primus nec Tertius Ordo S. Franciſci: nam vt habetur in eius lectionibus, hic Sanctus Fundator Romã venit anno ſalutis milleſimo ducenteſimo nono, vt ſui Ordinis regula ab Apoſtolica Sede confirmaretur: Ergo V. F. Gerardus Inſtitutor Ordinis Hoſpitalariorum S. Ioannis Baptiſtæ non potuit eſſe Tertij Ordinis S.Franciſci.

AD primùm ergò dicendum, quòd hi nobiliſſimi Equites potiùs armis quã ſcripturis ab ipſomet principio ſuæ inſtitutionis attenderunt: Vnde non mirum; ſi talis hiſtoria poſt quingentos penè annos ſcripta non omnia dicat, cũ plura huius religionis monumenta perierint; Huic autem authoritati negatiuæ præualet authoritas poſitiuã præadducta tot Scriptorum Ordinis noſtri.

AD Secundum dicendum, quòd V. F. Gerardus non accepit regulam *Sancti* Baſilij omninò monaſticam (quam tunc Carmelitæ vt plurimùm ſuis traditionibus conformem obſeruabant) ſed S. Auguſtini ſtatui militari non repugnantem, ſuperaddens ſtatuta intentioni vitæ militantium congrua & honeſta; quòd poſtmodum fuit approbatum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio.

AD Tertium dicendum, quòd hæc diffe-

Digitized by Google

differentia inter Authores Carmelitas in qualitate perſonæ V. F. Gerardi non obſtat ſubſtantiæ rei. Nos ſtamus pro Arnoldo Boſtio antiquiore, quem communitèr alij ſequuntur, potiùs quàm pro Petro Saraceno, qui tres Gerardos in vnũ confudit. Noſter autẽ hic Gerardus, quamuis non eſſet Sacerdos, erat tamen prudentiſſimus & ſanctitatis opinione clarus; Vnde communiter nominatur Beatus: Nec rarum eſt, quòd res etiam nobiliſſimæ à modicis principijs incipiant, tam in ſæcularibus quam in religioſis familijs: Et fortè præter prudentiam & ſanctitatem hic noſter Gerardus generis habuit nobilitatem, quam deſiderat inclyta religio Melitenſis.

ARTICVLVS IX.

Vtrum S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor fuerit Carmelitanæ Religionis alumnus.

AD Nonum ſic proceditur: Videtur quòd S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor non fuerit Carmelitanæ religionis alumnus. Ita tenet Ioannes Petrus Creſcentius in ſuo Defenſorio Romano, qui illum quidem fatetur alumnum Religionis Elianę in Carmelo fundatæ, ſed negat eam eſſe ipſam quæ nunc dicitur Carmelitana, & affirmat eſſe eam quæ nunc dicitur Hieronymiana, ab ipſomet S. Hieronymo denominata. Probatur: S. Hieronymus in nullo Carmelitanæ religionis monaſterio ſumpſit habitum religioſum, at electione ſua penetrauit in ſolitudinem Chalcidis cum duobus ſocijs Innocentio & Hyla; nec videtur emiſiſſe profeſſionem ſub aliquo Superiore, cum ad libitum multas tum Orientis, tum Occidentis regiones peragrauerit: Ergo non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: Licet Sanctus Hieronymus manſerit in conuentu Bethleẽ, à S. Paula Fundato; non tamen conſtat eum fuiſſe inſtituti Carmelitani, imò poteſt dici primus Religionis Hieronymianæ; nec conſtat, quòd in eo fieret profeſſio, cum etiam ex illo receſſerit in Aegyptum: Ergo S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor, non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Sanctus Auguſtinus non poteſt dici Carmelitanæ religionis alumnus, ſed eſt Patriarcha religionis Auguſtinianæ, nõ obſtante quod agnouerit, & imitatus fuerit S. Eliam, quaſi principem ſtatus religioſi; dicit enim ſermone 39. ad fratres in eremo, quod illis datũ erat vt viuerent in eremo cũ Elia, & Ioanne; ſubdens, *Hæc eſt illa religio, cuius ſanctitas per orbem diuulgatur;* Ergo pari ratione, licet S. Hieronymus agnouerit & imitatus fuerit S. Eliam, quaſi principem ſtatus religioſi, non debet dici alumnus Religionis Carmelitanæ, at debet dici Patriarcha ſuæ religionis Hieronymianæ.

SED CONTRA eſt expreſſa ipſiuſmet S. Hieronymi authoritas, & communis Doctorum ſententia, qui religionem Carmelitanam à S. Elia fundatore deducunt:

CONCLVSIO.

Cum S. Hieronymus vocet S. Eliam principem ſtatus monaſtici, & monachos ſui temporis appellet ſucceſsores diſcipulorum ipſius, fuit alumnus religionis Carmelitanæ ipſe factus monachus.

RESPONDEO dicendum, quòd Sãctus Hieronymus Eccleſiæ Doctor fuit Carmelitanæ Religionis alumnus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd S. Hieronymus natus eſt anno Domini 342. ſub Conſtantino Imperatore filio Conſtantini Magni in oppido Stridone, nunc vulgo Strigna ſeu Sdrigna dicto in confinijs Hungariæ, ex nobilibus & Chriſtianis parentibus: Romam miſſus, Donato præceptore humanioribus litteris & Rhetoricæ incubuit, ibique

Digitized by Google

quæ adulta iam ætate ſacramentum baptiſmi ſuſcepit, & pietatis addictus exercitijs, cryptas & cæmetaria ſæpiùs frequentans, martyrum reliquias venerabatur: Addiſcendi deſiderio profectus eſt in Galliam, vbi multos collegit libros; inde recedens iter ſuum in Orientem direxit, tranſiens Aquileia, & patriam in tranſitu viſitans; Conſtantinopoli in Græcia Sancto Gregorio Naziãzeno in addiſcenda Theologia operam dedit: Poſt tres annos inde diſcedens, Religionis cauſa ſacra Paleſtinæ loca viſitaturus, Aſiam minorem peragrauit, Antiochiam Siriæ petijt, ibique viſo S. Malcho monacho primum monaſticę vitæ deſiderium concepit, quod Theodoſij aliorumque monachorum conſuetudine ita creuit, vt ſe eorum precibus ad hunc finem vocationis conſequendũ commendauerit; ſic enim ad eos ſcripſit, *Nunc veſtrum eſt, vt voluntatem ſequatur effectus, meum eſt vt velim, obſecrationum veſtrarum eſt vt quod velim & poſſim*: Inde Terram Sanctam luſtrauit, & rediens ad prædictos ſuæ conuerſionis authores monachos, ac in ſancto propoſito confirmatus, in vaſtam Syriæ ſolitudinem nomine Chalcidem ſeceſſit cum Innocentio & Hyla monachis, quibus acceſſit poſtmodum Heliodorus, ibique quadriennium in lectione diuinorum librorum, & cœleſtis beatitudinis contemplatione conſumpſit, aſſidua ſe abſtinentia, vi lachrymarum, & corporis afflictatione diſcrutians: Elapſis quatuor annis iuit in Paleſtinam Hebraicæ linguæ deſiderio, poſtea redijt Antiochiam, vbi a Paulino Epiſcopo Ciuitatis illius ordinatur preſbyter, cum quo deinde ac S. Epiphanio Salaminę Cypri Præſule Romam ad concilium generale nauigauit anno Domini 382. inuitatus a Summo Pontifice, qui ipſum in ſcribendis Apoſtolicis litteris coadiutor adhibet, & tunc Sanctus Hieronymus in translatione Sacræ Scripturæ ac in alijs pro gloria Dei ac bono Eccleſiæ plurimum laborauit ſub S. Damaſo Papa: Anno 385. nauigauit iterum in Orientem, & receſſit in Bethleem, vbi monaſterium a S. Paula ad ipſius inſtantiam conſtructum ingreditur, ibi Angelicam ducens vitam aſſiduus in translatione ſacræ ſcripturę fuit: Inde profectionem Aegyptiacam ſuſcepit, vt ipſe teſtatur dicens in Apologia aduersùs Ruffinum; *Contendi in Aegyptum, luſtraui monaſteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aſpides latere perſpexi* (ſcilicet origeniſtas) *protinus concitò gradu Bethleem meam reuerſus ſum*: Tandem plenus annorum ad bonorum operum animam ſuam Deo reddidit die 30. Septembris anno 420. vel ſecundùm alios 422. ſub Honorio Imperatore, cuius ſacrum corpus in Bethleem ſepultum, poſtea Romam in Baſiticam Sanctæ Mariæ ad præſepe translatum eſt.

Probatur concluſio authoritate expreſſa ſeu confeſſione ipſiuſmet Sancti Hieronymi epiſtola ad Paulinum, vbi ſic ait: *Nos autem* (loquitur de monachis) *habeamus propoſiti noſtri princeps, Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones*; *Et vt ad ſcripturarum authoritatem redeam, noſter princeps* Elias, *noſter* Eliſæus, *noſtri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis*. Idem penitùs dicit in epiſt. 22. ad Euſtochium Virginem filiam S. Paulæ; quæ demonſtrant concluſionem, ſuppoſito quod S. Elias Propheta fuerit fundator religionis Carmelitanæ; & filij prophetarum eiuſdem religionis primi patres; quod alibi probatur fuſius.

Secundò Probatur ratione eiuſdem S. Hieronymi: Hic Sanctus Doctor in citata epiſtola 22. ad Euſtochium probat monachos primitiuæ Eccleſiæ vſq; ad ſua tempora, eſſe ſucceſſores Eſſenorum, & hoc ex vniformitate ac identitate obſeruantiarum regularium, quas cum ſigillatim adduxiſſet, ita concludit; *Tales Philo Platonici ſermonis imitator, tales Ioſeph Græcus Liuius in ſecunda Iudaicæ captiuitatis hiſtoria Eſſenos refert*: Vnde ex ipſo S. Hieronymo, tam ipſe monachus, quàm alij monachi a quibus

Digitized by Google

fuit inſtructus, fuerunt veri ſucceſſores Eſſenorum: Sed Eſſeni fuerunt alumni Religionis Carmelitanę, vt ſupra ſuo loco probatum eſt; cum fuerint hæreditarij ſucceſſores filiorum Prophetarum, vt communiter docent Sancti Patres ac alij expoſitores: Ergò S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor fuit alumnus religionis Carmelitanę.

AD primùm ergò dicendnm, quòd S. Hieronymus ſumpſit habitum religionis Carmelitanæ, ſicut & inſtructionem monaſticam a prædicto Theodoſio monacho, ſicut & ab eius ſocijs, qui omnes erant alumni Religionis Carmelitanæ. Quando autem emiſerit profeſſionem, non conſtat: Eſt tamen certum ex his quæ refert S. Caſſianus alibi citatus, quod fiebat ſolemnis profeſſio ab omnibus monachis monaſterij Bethleemitici, in quo diutiùs vixit S. Hieronymus: quòd ſi per multas regiones eſt peregrinatus, hoc fecit obtenta ſuperioris licentia, quæ facilè concedebatur ad inuiſendos eremorum monachos.

AD Secundum dicendum, quòd ille conuentus Bethleemiticus fuit inſtituti Carmelitani, vt conſtabit ex dicendis infra de S. Caſſiano illius incola, ſicut & quod in eo fieret profeſſio ſolemnis; non autem conſtat, quod S. Hieronymus tunc nouum ordinem religioſum inſtituerit, ſed eſto quod inſtituiſſet, ipſius inſtitutio religioſa per monachos inſtituti Carmelitani ſeu Eliani priùs facta fuerunt, vnde verè fuit alumnus religionis Carmelitanę.

AD Tertium dicendum, quod aliqui admittunt paritatem rationis inter S. Hieronymum & S. Auguſtinum, quantùm ad hoc quod vterque fuerit alumnus Religionis Elianę, & conſequenter Carmelitanæ: ſed ego non admitto, quia S. Hieronymus fatetur expreſsiùs in adductis authoritatibus quod S. Elias ſit Patriarcha monachorum ſui temporis; ac proinde quòd ipſe ſit alumnus inſtituti monaſtici Eliani; Diuus autem Auguſtinus non ita clarè loquitur in adducta authoritate, Et inſuper habetur certum, quod ex tunc ipſe fundauit nouum ordinem Religioſum a ſe denominatum.

ARTICVLVS X.

Vtrum S. Honoratus Fundator Monaſterii Lirinenſis in Gallo Prouincia fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Decimum ſic proceditur: Videtur quòd S. Honoratus fundator monaſterij Lirinenſis in Gallo prouincia non fuerit alumnus Religionis Carmelitanę. Probatur: Hoc monaſterium Lirinenſe in Gallo prouincia eſt inſtituti Benedictini ab immemoriali tempore; Vnde ſub hoc inſtituto videtur fuiſſe fundatum, & non ſub Carmelitano: Ergo S. Honoratus eius fundator potiùs eſt dicendus Benedictinæ religionis alũnus, quàm Carmelitanę; præſumitur enim, quod eius fundator fundauerit monaſterium inſtituti ſui.

¶ 2. Præterea: Eſto dicatur *hoc* monaſterium Lirinenſe fundatum fuiſſe ante tempora S. Benedicti, fuit tamen fundatum ſub inſtituto S. Hieronymi, vt probat Petrus Crezentius in ſuo præſidio Romano: Ergo S. Honoratus eius fundator, ob adductam rationem, potiùs eſt dicendus Hieronymitanæ religionis alumnus, quàm Carmelitanæ.

¶ 3. Prętereа: Si quid ſuaderet S. Honoratum fuiſſe Carmelitanæ Religionis alumnum, maximè quia fuit diſcipulus S. Capraſij, quem aliqui faciunt priùs fuiſſe Priorem montis Carmeli, ad quem Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus ſuum de Inſtitutione monachorum librum direxit: Sed Lezana & alij negant ipſum eundem fuiſſe: Ergo S. Honoratus fundator monaſterij Lirinenſis in Gallo prouincia nón fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt authoritas plurium authorum, tam religionis Carmelitanæ

Digitized by Google

tanæ quàm extranei,& ſpecialiter noſtri Ludouici à s. Thereſia in libro ſucceſſionis S. Eliæ Prophetæ capit. 173. & 174.

CONCLVSIO.

Cum S. Honoratus fundator monaſterij Lirinenſis in Gallo prouincia fuerit inſtructus in vita monaſtica iuxta regulares obſeruantias Religionis Carmelitanæ, fuit alumnus illius.

RESPOMDEO dicendum, quod S. Honoratus fundator monaſterij Lirinẽſis in Gallo prouincia fuit alumnus religionis Carmelitanę. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, monaſterium hoc Lirinenſe celeberrimum eſſe apud authores, tum mira ſanctitate monachorum illius, tum rara ipſorum doctrina, tum maximè quia ex illo prodierunt quàm plurimi Pręſules Eccleſiæ Gallicanæ, & primus ipſemet S.Honoratus, qui anno 426. aſſumptus fuit in Archiepiſcopum Arelatenſem, Cui in eadem Archiepiſcopali ſede ſucceſſores fuerunt S.Hilarius eius diſcipulus, & S.Cæſarius monaſterij huius alumnus; Item S.Eucherius Lugdunenſis Archiepiſcopus ipſiuſmet S. Honorati diſcipulus, S.Lupus Trecenſis Epiſcopus, S.Maximus item Epiſcopus Rhegienſis in Gallo prouincia, Anatolius ſiue Antiolius &c. Inſula Lirinenſis, nunc dicta communiter Sancti Honorati, ab hoc tam celebri eius incola, eſt admodum parua, circiter vnius milliaris in circuitu habens inter ſe & continentem aliam maiorem inſulam nunc dictam S. Margaritæ: nunc monaſterium Lirinenſe metu incurſionum piratarum, eſt ad modum caſtri munitum, & non multis ab hinc annis erat antiquiſſimis ac præcelſis pinis amœnum quæ in vltimis bellis ſciſſæ ſunt. Hic ſuam manſionem monaſticam inſtituit S. Honoratus, quem dicimus alumnum religionis Carmelitanæ.

Probatur concluſio non ſolùm illa generali ratione, quæ ſæpiùs vſi ſumus, nẽpe quòd ordo monaſticus adhuc indiuiſus, vnicum Patriarcham agnoſcebat Eliam, præſertim in Palęſtina & Aegypto; Vnde tunc omnes monachi in illis partibus erant Eliæ filii, ac proinde Religionis Carmelitanæ alũni; ſed etiã multiplici ratione, quia ſcilicet s. Honoratus in ſpiritu zeli Elię dicitur vixiſſe magiſtrum habuit vitę monaſticę S. Capraſium Carmelitanæ religionis alumnum, & regulares obſeruantias eius exactè cuſtodiuit, quod totum demonſtratur authoritate S.Hilarij Archiepiſcopi Arelatẽnſis & diſcipuli eiuſdem S. Honorati, qui ſermone de ipſo, relato apud Bollandum die 16. Ianuarij, Surium & alios, eius peregrinationẽ ac profeſſionẽ religioſam deſcribit, dicens quod *S. Honoratus volens omninò renuntiare mundo, cum fratre ſuo maiori natu Venantio Mediterraneum ingreditur mare, & nauigat littus Achaiæ, diciturque appuliſſe mirodunum inſulam maris Cretæ, vbi repertum aſſumunt ſenem perfectæ conſumatæque grauitatis, quem ſemper in Chriſto Patrem computantes, patrem nominabant Sanctum Capraſium, Angelica in terra adhuc conuerſatione degentem: Cuius quamquam dilectio veſtra nomen hactenus ignorauerit, & adhuc neſciat vitam, amicis eum ſuis Chriſtus annumerat, hunc tanquam ordinatorem in Domino, atque cuſtodem ſuę ætatis aſſumunt, quos cuſtodes ſibi plurima iuuentus elegerat*: Hic S.Capraſius, vt habetur in eius vita per Gononum ſcripta, per terras mariaque Honoratum & Venantium aſſiduè comitatus eſt; quia vt ait S.Caſſianus in præfatione collationis vndecimæ, *vt corporali monachorũ ædificaretur aſpectu, Aegyptum penetrare voluitt*; Et ſubdit author eiuſdem vitę, quòd *tranſcurſis è Nicomedia immenſis terræ mariſque ſpatijs vir Dei Capraſius cum Honorato ſanctam inſulam Lirinenſem illuſtrauit*: Ibi vt proſequitur S.Hilarius, *Omnis eius vita illam Eliæ vocem habuit; Viuit Dominus, cui adſto hodie*: De quo Sanctus Eucherius in epiſt. de laude eremi. 15. volumine Bibliothecæ Patrum ait; *Hæc nunc*

(ſcilicet Lirinenſis inſula) *poſſidet venerabilem grauitate Capraſium, veteribus ſanctis patrem, hæc nunc habet ſanctos ſenes illos, qui diuiſis cellulis Aegyptios patres Gallijs noſtris intulerunt* : Quantùm ad modum viuendi Sancti Honorati, ſicut & diſcipulorum eius, habetur in lectionibus officij eius apud antiquum Maſſilienſe breuiarium a Bollando relatis ; *Licet exiſteret cibus eius aridus panis & aqua, in ſolis ſolemnitatibus ſalſatas herbas, vel infuſa legumina propter reuerentiam adiungendo, nihilominus conabatur diebus ſingulis pulmentum fratribus præparare, vt ferrent liberè fortes & debiles iugum Chriſti; tegebant itaque cilicium & veſtis rigida & munda ſuum corpus, & caput arcta melota, & tetræ ſcarpæ ex palmarũ folijs latos pedes*: Sydonius Apollinaris epiſ. 14. loquẽs de Anatolio Lirinẽſi monacho & alijs dicit quod *Affectabant parcimoniæ ſaltibus conſequi memphiticos & Palæſtinos Archimãdritas*; Et Sanctus Cæſarius hom. 25. tomo 5. Bibliothecæ Colon. ait illis, *Ab Oriente vſque ad Occidentem, & ab omnibus penè locis in quibus Chriſtiana Religio colitur, religioſiſſima veſtra conuerſatio ad Chriſti gloriam prædicatur* : Nec hi monachi intra anguſtias paruæ Lirinenſi inſulæ coarctabantur, ſed diffuſi ſunt ad proximam maiorem Inſulam S. Margaritæ, vbi Sanctus Eucherius ex citato Caſſiano fuit ſuperior ; imò & ad vicinum promontoriũ rubrum, vulgo Cau Roux ex rubea terra, vaſtum & eminens, ipſique mari prominens, ac pinis conſitum, vbi propè portum Agay videtur ſpelunca vulgo Balma Sancti Honorati. Ex quibus omnibus ſic formatur ratio concluſionis: Sanctus Honoratus ita deſcribitur ſimilis Eliæ, quaſi filius Patriarchę ſuo, quòd omnis eius vita zelum ipſius ſaperet, ex quo colligitur eius dici diſcipulum potiùs quàm alterius Patriarchæ, quia dum laudatur aliquis Religioſus, aptiùs comparatur ſuo Patriarchæ quàm externo: Habuit in magiſtrum vitę monaſticæ S. Capraſium, quem affirmant aliqui eundem fuiſſe ac illum qui Prior ante fuerat montis Carmeli diſcipulus Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani, & cum fundamento, nam eſt omninò contemporaneus, & illius ſub hoc tempus nulla fit mentio in mõte Carmelo, vnde ex aliqua Infidelium perſecutione creditur receſſiſſe; Et quãuis non eſſet idem, hic tamen fuit etiã inſtituti Eliani, nam iuuentus in Græcia potiùs viſitauit monachos Palæſtinæ & Aegypti tunc omnes Elianos, ſaltem in Palæſtina, ad perfectionem vitę monaſticæ comparandam, quàm Baſilianos in eadem Grecia ad Pontum commorantes: Denique vita & habitus, ſicut & habitatio in cellis ſeparatis, repræſentant modum viuendi antiquum diſcipulorum Elię in monte Carmelo ſiue Carmelitarum : Ergo Sanctus Honoratus fundator monaſterij Lirinenſis in Gallo prouincia, fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Primum ergo dicendum, quòd quia Sanctus Honoratus eſt multò antiquior, ſcilicet vno ferè ſæculo, quàm Sanctus Benedictus non potuit monaſterium Lirinenſe fundare ſub inſtituto S. Benedicti, vt etiam fatentur patres Benedictini, præſertim Clemens Reinerus in ſuo libro, cui titulus eſt *Apoſtolatus Benedictinorum in Anglia*, alibi citato, qui author hoc monaſterium noſtro ordini Carmelitano in ſua fundatione ſciens & volens concedit.

AD Secundum dicendum, quòd hic Petrus Crezentius ex ſuo ſolùm capite dicit quod monaſterium Lirinenſe fuit fundatum ſub inſtituto S. Hieronymi, prout nunc eſt diſtinctum a Carmelitano S. Eliæ; concedimus tamen fuiſſe fundatum ſub inſtituto, quod profeſſus eſt Sanctus Hieronymus, quòd fuit Elianum & Carmelitanum, vt ſuo loco probatur.

AD Tertium conſtat ex dictis, quod hic Sanctus Capraſius, ſiue fuerit idem ac ille Ioannis 44. diſcipulus, ſiue alius, fuit ſemper Carmelitanæ Religionis alumnus. Notandum tamen quòd hoc monaſterium poſtea recepit regulam

San-

Digitized by Google

Sancti Benedicti, ſicut & alia antiquiora, etiam ex decretis Conciliorum, vt Arelatenſis Canone 6. quia ex vna parte ordo S. Benedicti tunc florebat plurimum, ex alia verò parte hæc monaſteria Carmelitani ordinis erant longè diſſita à ſuo ſuperiore Generali reſidente in monte Carmelo, qui proinde non poterat obſeruantiæ regulari inuigilare.

ARTICVLVS XI.

Vtrum S. Caſſianus fundator monaſterij Maſſilienſis S. Victoris fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Vndecimum ſic proceditur. Videtur quod S. Caſſianus fundator monaſterij Maſſilienſis S. Victoris, non fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ. Probatur: Si S. Caſſianus fundator huius monaſterij fuit alumnus religionis Carmelitanæ, ſequitur quòd illud fundauerit ſub inſtituto Carmelitano, & poſtea fuerit vſurpatum a Patribus Benedictinis, quod proinde non poſſiderent iuſto titulo, & Carmelitæ poſſent illud repetere; Sed nec illi hoc credunt, nec iſti hoc poſſunt: Ergo S. Caſſianus fundator monaſterij Maſſilienſis S. Victoris non fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Prẹterea: Si S. Caſſianus fuiſſet alumnus Religionis Carmelitanę, & fundaſſet monaſterium Maſſilienſe ſub huius Religionis inſtituto, nunquã tale monaſterium fuiſſet ab eo ſeparatũ, cum religio Carmelitana ſemper floruerit, & ſaltem aliquando illud repetiiſſet: Ergo cum acciderit contrarium, debet dici quod S. Caſſianus non fuerit alumnus religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Ex vna partẹ non agnoſcunt Carmelitẹ S. Caſſianum vt alumnum ſuæ religionis, maximè quia fuit ſuſpectus hæreſis ſemipelagianæ; Ex alia verò parte S. Caſſianus ſolùm dicit ſe fundaſſe hoc monaſterium iuxta modum viuendi monachorum Aegypti & Palæſtinæ, qui eius tempore non erant omnes alumni religionis Carmelitanæ: Ergo ſine fundamento dicitur, quod ipſe fuerit alumnus religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt authoritas ipſiuſmet S. Caſſiani, ac plurium aliorum, etiam extra religionem Carmelitanam.

CONCLVSIO.

Cum S. Caſſianus agnoſcat Eliam *Prophetam ſolum Patriarcham monachorum Aegypti & Palęſtinæ ſui temporis, iuxta quorum inſtitutum fundauit ſuum Maſſilienſe Monaſterium, fuit alumnus Religionis Carmelitanę.*

RESPONDEO dicendum, quod S. Caſſianus fundator monaſterij Maſſilienſis S. Victoris, fuit alumnus religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, ipſum fuiſſe natum circa annum Domini 370. honeſtis parentibus, vel Athenis, vt aſſerit auctor vitæ ipſius, vel in Scythia ſiue Tartaria minori, nunc dicta Crimæa à metropoli ciuitate Crima, aut Procopæa quia foſſis multiplicibus munita quæ in Europa inter Boriſthenem ac Tanaim fluuios; ac Mœotidem paludem Pontumque Euxinum ſita Turcis obedit: ipſe S. Caſſianus dicitur communiter Scytha, vel natiuitate, vel ſolùm origine paterna: Deinde Conſtantinopolim adoleſcens adductus S. Ioanni Chryſoſtomo quaſi diſcipulus adhæſit, cuius ſuaſu & benedictione religioſum ſuſcepit habitum in quodam Syriæ monaſterio, cuius facit mentionem collatione 11 cap. 1. dicens; *Cum cœnobio Syriæ conſiſtentes, poſt prima fidei rudimenta, ſuccedentibus aliquatenus incrementis, maiorem perfectionis deſiderare gratiam cæpiſſemus*: Volunt aliqui monaſterium hoc Syriæ idem eſſe ac Bethleemiticum, de quo loquitur ipſe libro 3. Inſtitutionum cap. 4. dicens;

In

Digitized by Google

In noſtro monaſterio, vbi Dominus noſter Ieſus Chriſtus natus ex Virgine, humanæ infantię ſuſcipere incrementa dignatus, noſtram quoque adhuc in religione teneram & lactentem infantiam ſua gratia confirmauit; Nam ibi ſolemnem emiſit profeſſionem, vt aſſerit collatione 17. c. 70. dicens, *Promiſſionem coram cunctis Fratribus in ſpelæo, in quo Dominus noſter ex aula vteri Virginalis effulſit, ipſo teſte deprompſimus*: Ibi maximam cum S. Germano Abbate contraxit amicitiam, ſimulque cum eo poſtmodum obtenta ſuperiorum licentia, nauigauit in Aegyptum, & in intimam Thebaidem penetrauit, vbi ſeptennium compleuit, vt Sanctorum Anachoretarum exemplo maiorem vitæ monaſticæ perfectionem acquireret, vt ipſemet loco proximè citato affirmat Abbati Chæremoni his verbis; *Huc de Bethleemitici cænobij rudimentis inſtitutionis veſtræ deſiderio, & profectus noſtri amore properauimus*: Inuenit ibi, vt ipſe refert collatione 18. cap. 1. plurima celeberrimaque cœnobia ab antiquis patribus inſtituta. Redijt in Bethleem, vbi ſocium vitæ Religioſæ & fratrem habuit S. Hieronymum, cuius ſcripta doctiſſima tunc vidit, & honorabilem ipſius facit mentionem ad Caſtorem: inde perrexit ad S. Ioannem Chryſoſtomum Patriarcham Conſtantinopolitanum, cuius directione Scytharum conuerſioni de erroribus Arij ſedulus incubuit anno Domini 401. vt conſtat ex eius collatione 24. cap. 1. Cumque anno 404. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus fuiſſet in exilium eiectus, fidelis eius diſcipulus noſter Caſſianus in ipſius defenſionem venit Romam ad Innocentium Summum Pontificem, cuius litteras ad chorum Conſtantinopolitanum S. Chryſoſtomi iuſtificatiuas retulit: Sed anno 407. mortuo S. Chryſoſtomo, ipſe Conſtantinopoli expulſus Romam redijt, ibique manſit vſque ad Romanum excidium per Alaricum Regem Gothorum anno Domini 410. Tunc enim in Gallo prouinciam nauigauit, Lirinenſem inſulam viſitauit, vbi Sanctos Honoratum & Eucherium agnouit; Stechades etiam inuiſit inſulas non longè diſſitas, vbi etiam Monachos inuenit; In tranſitu vidit Foroiulij S. Leontium Epiſcopum, ac tandem anno 420. appulit Maſſiliam tempore S. Proculi Epiſcopi, a quo locum obtinuit condendi monaſterij ſecus ipſam ciuitatem, ad vnam ſpeluncam ſubterraneam (ad quam frequenter recedebat orationis cauſa S. Maria Magdalena, cum Maſſilienſium conuerſioni attendebat) vbi celeberrimę S. Victoris Abbatiæ fundamenta iecit; ſic autem creuit monachorum numerus, vt totam illam oram ſatis diffuſam vſque ad littus maris, aliàs nemoribus conſitam, & collibus vallibuſque diſtinctam, quæ nunc Paradiſus vulgo ab eorum ſanctitate denominatur, implerent. Poſtquam ibi plures diſcipulos ad perfectionem vitæ monaſticæ, tum verbo tum exemplo inſtruxiſſet, ſancto fine quieuit, ibique ſanctæ eius videntur reliquiæ, & eius feſtum communiter celebratur: Fuit ſemper maximæ venerationis.

Probatur concluſio multiplici ratione: Sanctus Caſſianus agnoſcit S. Eliam prophetam ſuæ profeſſionis religioſæ fundatorem; fatetur ſe didiciſſe ab antiquis Aegypti & Palæſtinæ monachis inſtitutum vitæ monaſticæ, illudque ſuo Maſſilienſi monaſterio tradidiſſe; eundem vitæ rigorem duxit, quem olim Eſſæni Carmelitanę Religionis alumni; eundem etiam geſtauit habitum: Ergo fuit alumnus religionis Carmelitanæ; quia Sanctus Elias eſt fundator religionis Carmelitanæ, cuius alumni fuerunt tam monachi Paleſtinæ & Aegypti illis temporibus, quàm Eſſeni in antiqua lege, vt ſuis locis probatum eſt: Antecedens, in quo ſolùm poteſt eſſe difficultas, ſigillatim oſtenditur; Quantùm ad primam partem ſic habet ipſemet Caſſianus libro 1. de Inſtitutis ac regulis monachorum cap. 2. *Itaque monachum, vt militem Chriſti, in procinctu ſemper belli poſitum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere, hoc enim habitu etiam illos ambulaſſe, qui in veteri Teſtamento profeſſionis*

Digitized by Google

feſſionis huius fundauere primodia, Eliam ſcilicet & Eliſæum, Diuinarum ſcripturarum authoritate monſtratur; Quantùm ad ſecundam partem, ipſemet Caſſianus in præfatione ad Caſtorem Epiſcopum Aptenſem ſic ait, *Secundùm eam quam vidimus monaſteriorum regulam per Aegyptum vel Palæſtinam antiquitus fundatorum, fideli ſermone vel adyciam vel recedam, nequaquam credens rationabilius quidpiam vel perfectius conſtitutionem nouellam in occiduis Galliarum partibus reperire potuiſſe, quàm illa ſunt inſtituta, in quibus ab exordio prædicationis Apoſtolicæ a Sanctis ac ſpiritualibus Patribus fundata monaſteria ad nos vſque perdurant*; Itē ait, Ea *quæ a pueritia noſtra inter eoſdem conſtituti, atque ipſorum incitati quotidianis adhortationibus & exemplis vel agere tentauimus, vel didicimus, vel viſu percepimus*; Quantùm ad tertiam partem, conſtat quod in ijs monaſterijs antiquiſſimis (quæ ab ipſo Caſſiano dicuntur fundata ab exordio prædicationis Apoſtolicæ, ac proinde inſtituti Elliani & Carmelitani, cum præcedant diuiſionem ſtatus religioſi primam ſub Sanctis Antonio & Baſilio) cibus ordinarius erat panis & aqua, in diebus autem ſolemnibus adhibebantur herbæ & legumina, vel communes fructus, quo poſt ſolis occaſum reficiebantur, & dormiebant ſuper ſtoream ſiue Piathium ex iunco, Idem autem cibus & lectus fuit a S. Caſſiano introductus in monaſterio Maſſilienſi, vt docent authores illius temporis; Quantùm ad quartam partem, conſtat ex ipſomet Caſſiano, qui deſcribens ſpeciali libro religioſum habitum ſuorum monachorum, ijſdem penè vtitur verbis, quibus ante fuerat vſus noſter Ioannes 44. in ſuo libro de Inſtitutione monachorum, referens habitum religioſum noſtrorum Carmelitarum illius temporis; Et quòd magis eſt, in receptione nouitiorum Sanctus Caſſianus introduxerat ritum illum, quem ſupra diximus vſitatum fuiſſe apud Eſſenos, vt conſtat ex ipſomet Caſſiano lib. 4. de Inſtitutione cap. 3. & ſequentibus.

Secundò probatur authoritate Clementis Reinerij Benedictini, loco citato in præcedente articulo, vbi ſic habetur inter alia: *Simili cauſa nec eos, qui ante D. Patrem Benedictum viuebant, ſiue in Lirinenſi & Agaunenſi, aut Maſſilienſi, clariſſimis cœnobijs Galliarum, ſiue per monaſteria Italiæ, Aegypti vel Syriæ, arrogamus tanquam ordinis communitates, quia regulæ noſtræ, quę anima eſt & forma ordinis noſtri, non fuere ſubiecta; Quare propter eandem hanc in diſciplina monaſtica continuatam ſucceſſionem, quod nos non facimus (qui vltra regulæ noſtræ legiſlatorem Benedictum natales noſtros non arceſſimus) ſuo tamen iure videntur facere Carmelitæ, qui tum reuera a monachis Syriæ & Palæſtinæ per non interruptam ſeriem ſeſe deriuent (a Carmeli enim monaſterijs in Angliam, ab Anglia in reliquas prouincias ſeſe dilatauerunt) meritò antiqui monachatus Aegyptij Palæſtinique profeſſores, tanquam Patres ſuos, ordiniſque ſui ſydera colunt & venerantur*.

AD Primum ergo dicendum, quòd Sanctus Caſſianus fundauit monaſteriū Maſſilienſe ſub inſtituto Carmelitano, quod poſtea vel ſponte, vel decretis cōciliorum ceſſit inſtituto Benedictino iuſto titulo, præſertim annuentibus Carmeli ſuperioribus, qui manſionem orientalem occidentali ſemper prætulerunt vſque ad annum 1212. maximè quia tunc ſtatus religioſus etiam in oriente cœpit diuidi in varias religiones, & noſtri ſuperiores non potuerunt tam remotis attendere: Et ſic Benedictini iuſtè poſſident monaſterium Maſſilienſe, nec illud Carmelitæ poſſunt repetere, ſaltem ob preſcriptionem tot ſæculorum.

AD Secundum dicendum, quod licet religio Carmelitana ſemper floruerit tunc in oriente, vbi erant ſuperiores; iudicatum tamen fuit in concilijs, quòd huiuſmodi monaſteria ſic diſſita non poterant perſeuerare in primitiua ſua obſeruantia ex abſentia ſuperiorum; Vnde ſubiecta fuerunt ordini nouo S. Benedicti conſentientibus eorum ſuperioribus, quæ proinde non repetierunt.

Digitized by Google

AD Tertium dicendum, quantum ad primam partem, quòd Carmelitę docti agnoſcunt S. Caſſianum vt alumnum ſuæ Religionis, quem quidem multi dicunt adhæſiſſe opinioni ſemipelagianorum, ſed quia nondum fuerat damnata; non poteſt ipſe dici, nec dicitur fuiſſe hæreticus. Quantùm ad ſecundam partem dicendum, ſicut dictum eſt, quòd illi monachi Aegypti & Palæſtinę fuerunt alumni Carmelitanæ Religionis.

QVAESTIO XIV.

De Apoſtolicis in conuerſione Gentium alumnis religionis Carmelitanæ.

QVIA Sanctus Elias propheta ſpiritum miſſionum habuit,& introduxit in ſua religione Carmelitana,eius alumni eodem ſpiritu moti ſemper conuerſionem Infidelium procurarunt: Iam ſupra indicauimus Ionam, qui plures conuertit in ſola Niniue quàm ſi regnum integrũ conuertiſſet: Indicauimus etiam alios, qui Apoſtolis ſunt cooperati in conuerſione totius mundi: nunc tres adducimus, qui ex conuerſione regnorum nomen Apoſtolorum obtinuerunt: Circa quòd queruntur quatuor.

¶ Primo, Vtrum S. Palladius Scotorum Apoſtolus fuerit Carmelitanę Religionis alumnus.

¶ Secundo,vtrum S.Gerardus Hungarorum Apoſtolus fuerit Carmelitanæ religionis alumnus.

¶ Tertio, Vtrum S. Gerardus Patriarcha Antiochenus Carmelita ſit ipſemet Hungarorum Apoſtolus:

¶ Quarto, Vtrum S.Cyrillus Conſtantinopolitanus,Carmelitanæ religionis alumnus, fuerit Apoſtolus Armenorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sanctus Palladius Scotorum Apoſtolus fuerit Carmelitana Religionis alumnus.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd S. Palladius Scotorum Apoſtolus non fuerit Carmelitanæ religionis alumnus. Probatur: Hic Sanctus Palladius fuit diſcipulus S. Ioannis Chryſoſtomi, vt traditur: Sed Sanctus Ioannes Chryſoſtomus non fuit Carmelitanæ Religionis alumnus, vt colligitur ex eo quòd rixæ fuerint inter ipſum & S.Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, quem Carmelitæ ſuum faciunt, non poteſt autem præſumi, quòd huiuſmodi rixę fuiſſent inter fratres: Ergo Sanctus Palladius Scotorum Apoſtolus non fuit Carmelitanæ religionis alumnus.

¶ 2. Pręterea: Si Sanctus Palladius Scotorum Apoſtolus fuerit Carmelitanæ religionis alumnus; etiam poterit dici quod Caſſianus fundator monaſterij S. Victoris Maſſiliæ fuerit eiuſdẽ religionis alumnus, cum hic fuerit ſocius illius, & S. Ioannis Chryſoſtomi diſcipulus: Sed nullus hoc dicit: Ergo S. Palladius Scotorum Apoſtolus non fuit Carmelitanæ religionis alumnus.

¶ 3. Præterea: Vel Sanctus Palladius Scotorum Apoſtolus eſt ipſemet, qui in Vitis Sanctorum legitur hiſtoriã Lauſiacam compoſuiſſe, vel alius ab illo: Primum negat Lezana, quia ille fuit hæreticus Origeniſta: Secundum dici non poteſt cum fundamento, quia non inuenitur alius ab illo Palladius qui fuerit religioſus: Ergo Sanctus Palladius Scotorum Apoſtolus non fuit Carmelitanæ Religionis alumnus.

SED CONTRA eſt communis ſententia Doctorum Carmelitarum, & plurium exterorum, pręſertim Clementis Reinerij Benedictini poſtea citandi.

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Sanctus Palladius Scotorum Apoſtolus fuit Carmelitanæ Religionis alumnus.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Palladius Scotorum Apoſtolus fuit Carmelitanæ Religionis alumnus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod Scotorum patria propriè Hiberniç fuit, Teſte Venerabili Beda de geſtis Anglorum libro 1. cap. 1. & libro 3. c. 3. Vnde Oroſius ait; *A Scotorum gentibus colitur Hibernia*: Et Geraldus Cambrenſis dicit; *Gentem Scoticam ex Hibernia fuiſſe propagatam, tam linguę quàm cultus, tam armorum quàm morum vſque ad hodiernum probat affinitas*: Dicitur ergo, Britannia maior dicta nunc Anglia, maiori ex parte Romanorum bellis exhauſta, Scoti ſiue Hiberni ad viciniorem eius partem ex ſua Inſula Hiberniç traijcientes, eam occuparunt, & a ſe ipſis Scotiam denominarunt, quę nunc ſola nominatur Scotia, & eſt pars Septentrionalis Angliæ: Sanctus igitur Palladius dictus Scotorum Apoſtolus, tam Hiberniam quàm ſeptentrionalem Anglię, partem nunc dictam vulgo Scotiam primò conuertit ad fidem Chriſti; Et hunc dicimus fuiſſe religionis Carmelitanæ alumnum.

Probatur concluſio ex relatis in centuria 14. catalogi Scriptorum Britanniæ, vbi habetur: *Palladius Græcus primus Scotorum, Ioannis quadrageſimi quarti Hieroſolymorum Epiſcopi diſcipulus olim fuit vt author eſt Nicolaus Harlemius, dum adhuc eremi cultor ſolitaria Syriæ loca, potiſſimè Carmelum incoleret &c.* Deinde ſequenti ratione: Sancti illi monachi qui Scotos ad fidem Chriſtianam conuerterunt in principio quinti Eccleſiæ ſæculi, fuerunt Carmelitanæ Religionis alumni, ex Aegypto & Palæſtina traijcientes ad illas Inſulas: Sed horum dux fuit Sanctus Palladius: Ergo S. Palladius Scotorum Apoſtolus fuit Carmelitanę Religionis alumnus: minor conſtat ex traditione, & amplius conſtabit ex dicendis in ſecunda ratione: maior autem proponitur a Clemente Reinerio in libro ſuo Apoſtolatus Benedictinorū in Anglia tractatu primo, vbi poſtquam ſectione prima probauit in partibus Scotiæ, Angliæ & Hiberniç fuiſſe monachos, qui Aegyptiorum & Palæſtinorum viuendi ritum; non Baſilianum, Auguſtinianum, & multò minus Benedictinum obſeruabant, vt pote ab illis, non ab iſtis progeniti, ſic S. 20. loquitur ad intentum noſtrum. *Quos autem ſanctiſſimos monachos animaduertimus vel ante Diuum Benedictum vixiſſe, vel poſt ipſum qui illius regulam profeſſi non videntur fuiſſe, quamuis fortè colore tantùm habitus, & pauciſſimis obſeruantijs ab eius inſtituto differentes, noſtri tamen ordinis eſſe non putamus. Vnde nec Scotos, Britannoſque maioris inſulæ Britanniç incolas, ante tempora Auguſtini prædicationemque Vuilfridi, Cuthborti & Egberti, noſtro munere adijciendos putamus; nec eos etiam qui in Hibernia exercebantur, donec a ſede Apoſtolica, monachiſque Anglis correcti catholicum Paſcha, tonſuramque monachorum Romanorum receperunt: quia nimirum quamtumuis moribus, & aſceſis ſeu exercitationis genere parum aut nihil a noſtris diſtabant; regulam tamen Sancti Benedicti nondum ſuſceperunt: Simili cauſa nec eos qui ante Diuum Patrem Benedictū viuebant ſiue in Lirinenſi, & Agaunenſi, aut Maſſilienſi clariſſimis cœnobijs Galliarum; ſiue per monaſteria Italiæ, Aegypti vel Syriæ, arrogamus tanquam ordinis noſtri communitates; quia regulæ noſtræ, quæ anima eſt & forma Ordinis noſtri, non fuere ſubiecta: Quare propter eandem hanc in diſciplina monaſtica continuatam ſucceſſionem, quod nos non facimus (qui vltra regulę noſtrę legiſlatorem Benedictum natales noſtros non arceſſimus) ſuo tamen iure videntur facere Carmelitæ, qui cum reuera a monachis Syrię & Palæſtinæ per non interruptam ſeriem ſeſe deriuent (a Carmeli enim monaſterijs in Angliam, & ab Anglia in reliquas prouincias ſeſe dilata-*

dilatauerunt) meritò antiqui monachatus Aegypti Palæſtiniquè profeſſores, tanquam Patres ſuos Ordiniſque ſui ſydera colunt & venerantur: Et poſt multa de noſtris Carmelitis relata ſic concludit; *Atque hæc ideò libentiùs de Carmelitis tam fuſè diximus, quia ſicut eos Syria Angliæ, ita Anglia reliquo Occidenti dedit; Vnde conſtat & veriſimilitdo ſententiæ, quam ſuperiùs de primis monachis Britonum & Scotorum diximus, eos ex Aegypto & Palæſtina in Britannicas inſulas monachatum detuliſſe; Et illud etiam, quod antea diſputauimus, meritò Carmelitas, cum ſucceſſionem minime interruptam ab antiquis Palæſtinæ monachis deducant, earundem prouinciarum Sanctos antiquos ſuo Ordini aſcribere.* Hæc ille, quibus nihil clarius.

Secundò probatur ſpeciali & fideli relatione Vitæ huius Sancti Palladij, quam nuper anno Domini 1635. miſit Pater Simon Stoch ab Anglia, ex antiquis collectam monumentis: Sanctus Palladius fuit natione Galata, pauperibus ortus perentibus Euagrium origine Iberum circa Pontum Euxinum Conſtantinopoli habuit magiſtrum, cum quo Hieroſolymam pergens, a Melania ſingularis opinione ſanctitatis fœmina, viduaque Romana, Marcelli viri conſularis filia perſuaſus monaſticum cum eodem habitum ſumpſit in monte Sion anno ætatis ſuæ vigeſimo, qui habitus fuit Melota ex pellibus caprinis contexta fuſci coloris, cucullus hirtus, zona pellicea, ſcapulare paruum, & cappa ſiue clamys candida, ad inſtar habitus Carmelitani, ſicut erat Ordinis Carmelitani conuentus ille montis Sion ad portam auream. Vitam monaſticam profeſſus S. Palladius, Alexandriam versùs profectus eſt Euagrio comite ſecundo conſulatu magni Theodoſij Imperatoris, vt ſanctos ibi monachos degentes inuiſeret, & maiorem vitæ perfectionem acquireret: Exinde pedeſtri ſemper itinere ſe contulit ad montem Nitriæ, vbi cum anachoretis integro manſit anno: Inde penetrauit in Thebaidem octodecim dierum ſpatio, partim pedibus, partim nauigio ad Sanctum Ioannem vrbis Lyconis Abbatem recluſum, Sanctum quoque Pachomiū viſitauit, reliquoſque monachorum conuentus in Aegypti ſolitudine, in Lybia Thebaide & Syene vbi per tres annos cœleſtem eorum vitam didicit cūque in morbum incidiſſet, remittitur Alexandriam, & cum vrgeret hydropiſis periculum, iuſſu medicorum redire cogitur in Palæſtinam, vbi aliorum conſuetudine inficitur Origenis erroribus, vt apparet ex epiſtola S. Epiphanij ad noſtrum Ioannem 44. Ieroſolymorum Epiſcopum, quæ ſic habet; *Palladium vero Galatam, qui quondam nobis charus fuit, & nunc miſericordia Dei indiget, caue; quia Origenis hæreſim prædicat & docet, ne fortè aliquos de populo tibi credito ad peruerſitatem ſui inducat erroris:* De Palæſtina iuit in Bithyniam, vbi trigeſimo tertio ætatis ſuę anno perſonam hominis Catholici induens creatur Celionopoleos Epiſcopus, & cum S. Ioanne Chryſoſtomo Patriarcha Conſtantinopolitano ſocietatem inijt, pro cuius defenſione Romam ad Innocentium Pontificem venit, cum Theophili Patriarchæ Alexandrini ſollicitudine tam Origenis, quàm Pelagij errores fuiſſent in Concilio damnati, noſter Palladius ad fidem Catholicam reuertitur, & renuntians Epiſcopatui a Cœleſtino Pontifice Romanæ Eccleſię Diaconus conſtituitur: Cum tunc de Scotorum conuerſione procuranda Pontifex ageret, ſe Palladius ad ſatisfactionem erroris præteriti miniſtrum illius miſſionis obtulit: Vnde Apoſtolicus miſſionarius effectus, cum tribus monachis ipſius diſcipulis, ſcilicet Auguſtino, Benedicto & Albio Hiberno traiecit in maiorem Scotiam ſeu Hiberniam anno Domini 426. ſed exorta contra ipſum perſecutione grauiſſima tranſijt ad Inſulas Hebridas, & alias adiacentes, ducto ſecum Hiberno puero, quem baptizatum vocauit Ternanum: Ibi multos Idololatras conuertit Scotos cum eorum Rege Ferguſio, & tribus filijs Eugenio, Donaldo & Conſtanti-

ſtantino, qui nuper ex Dania venerant: & in vna Hebridum inſula nomine Iona duo ampliſſima fundauit monaſteria, monachorum vnum monialium aliud: Inde Albium iam factum Epiſcopum ad Hiberniam remiſit; ipſe Romam pro bono miſſionis Scoticæ ad Summum Pontificem Cœleſtinum reuerſus, illorum Epiſcopus deſtinatus poſtmodum rediјt poſtquam multa in bonum illarum Inſularum obtinuiſſet; & præſertim pro Britannia ad extinguendam hæreſim Pelagianam obtinuit Sanctum Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopũ & Sãctum Lupum Trecenſem Epiſcopum, olim monachos Lirinenſes: eius reditus fuit anno Chriſti 431. mortuo Fergusio & regnante Eugenio: Auſtrales Pictos in Anglia paulò ante à S. Ninia Epiſcopo de natione Britonum Romæ inſtructo conuerſos a Pelagiana hæreſi liberauit; quibus præfecit Ternanum prædictum electum Archiepiſcopum, & Seruanum Epiſcopum ad Orcades idololatras deſtinauit; Ipſe verò maioris Scotiæ ſeu Hiberniæ curam aſſumens, Archiepiſcopum nominatur, & poſt mortem Sanctum Patricium genere Britannum habuit ſucceſſorem: Cumque mira ſollicitudine Eccleſias illarum inſularum Epiſcopis & paſtoribus prouidiſſet, & fundata a ſe monaſteria ſanctiſſimis legibus muniſſet ad inſtar Orientialium Aegypti & Palæſtinę muniſſet iuxta inſtitutum Eliæ Carmelitanum, ac ſua cohabitatione illuſtraſſet mirabilium virtutum exemplis; tandem moritur anno Domini circitèr 450. 18. Calendas Ianuarij in vico Fordon ſanctitate conſpicuus, poſtquam viginti annos in Scotorum conuerſione laboraſſet; cuius reliquiæ Fordoni aſſeruatæ, tam propter populorum confluentium deuotionem venerabiles in argentea capſula conditæ ad decentiorem locum cum ſolemni apparatu repoſitæ fuerunt ab Archiepiſcopo S. Andreæ anno Domini 1490. Hęc pauca ſufficiunt ad probandum quòd S. Palladius fuerit Carmelitanæ Religionis alumnus, & Scotorum Apoſtolus: De cuius Apoſtolatu ſic habet Baronius in ſuo Martyrologio Martij 17. *Cum autem in prædictis authoribus quos citauimus, legatur Sanctum Patricium primum omnium Scotis prædicaſſe Euangelium, & ad Chriſti fidem eoſdem perduxiſſe; nos maiorem fidem habere cogimur Sancto Proſpero Aquitano, qui illis temporibus vixit, ac rem geſtam ob oculos penè habuit ipſe in Chronico in conſulatu Dionyſij & Florentij, & iterùm in conſulatu Baſſi, & Antiochi teſtatur, Scotos, antequam* S. *Patricius prędicationem Euangelij aggrederetur, conuerſos ad fidem fuiſſe per Palladium, quem Romanæ Eccleſiæ Diaconum S. Cæleſtinus Papa illuc ad prædicandum Euangelium miſerat: Idem etiam habet libro aduersùs collatorem in fine: Item Beda Hiſtoria de geſtis Anglorum libro 1. cap. 13. & libro de ſex ætatibus: & Marianus Scotus libro 2. ſuæ ætatis anno Domini 432. Ex his itaque arguitur error Probi, dum ait Palladium intactis rebus Scotorum ab illis fuiſſe repulſum, ac in munere quo fungebatur Archidiaconatus fuiſſe defunctum; cum prædicti omnes affirment illum ordinatum eſſe a S. Cæleſtino Papa primum Scotorum Epiſcopum, cui ſucceſſit Patricius ab eodem Cæleſtino Papa conſecratus.* Hæc Baronius.

AD Primum ergo dicendum, quòd S. Palladius potuit eſſe diſcipulus S. Ioãnis Chryſoſtomi ſolùm in ſcientijs; Et tunc non currit argumentum; Deinde concedendo; quod etiam fuerit diſcipulus in vita monaſtica, dicendum quòd S. Chryſoſtomus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ, vt ipſemet indicat, dum ſui monachalis inſtituti non alium agnoſcit fundatorem quàm SS. Eliam & Ioannem Baptiſtam ſic ait in dialogo de dignitate ſacerdotali, *Omnis religionis Elias parens eſt, & origo fontalis*; De ſecundo autem ait homilia 1. in Marcum, *Sacerdotum principes ſunt Apoſtoli, ſic monachorum Princeps Ioannes Baptiſta eſt*: Quod confirmatur ex eo quòd licet paulò ante cœpiſſet diuiſio ſtatus religioſi Ponto ſub S. Baſilio, & in Aegypto ſub S. Antonio; monachi tamen Palæſtinæ

Digitized by Google

& Syrię ſtabiles ſub Elia noſtro manſerunt, S. autem Ioannes Chryſoſtomus factus eſt monachus propè Antiochiam fortè in monte Amana ſiue Neroi, vbi fuit inclytus noſtræ Religionis conuentus: Quia tamen in eodem Ordine Carmelitano plures erant congregationes, inter illarum alumnos potuerunt eſſe rixæ.

Ad Secundum dicendum, quòd Caſſianus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ a S. Elia fundatæ, talem enim ſe profitetur: Tum quia deſcribens habitum ſuorum monachorum libro 1. vtitur ijſdem penè verbis; quibus Ioannes Ieroſolymitanus dum habitum Carmelitarum deſcribit, qui idem erat in omnibus ferè monachis: Tum quia, cum paſſim in ſuis operibus docuiſſet antiquos Aegypti & Palęſtinæ monachos eſſe ſucceſſores Eſſenorum, quos probauimus fuiſſe alumnos Religionis Carmelitanę, ſe horum monachorum facit diſcipulum & imitatorem, dicens in Præfatione ad Caſtorem; *Secundùm eam, quam vidimus monaſteriorum regulam per Aegyptum & Palæſtinam antiquitùs fundatorum, vel adijciam vel recedam; ne quaquam enim credas rationabilius quidquam, vel perfectius in occiduis Galliarũ partibus reperiri potuiſſe, quàm illa ſunt inſtituta, quibus ab exordio prędicationis Apoſtolicæ à Sanctis, & ſpiritualibus Patribus fundata monaſteria ad nos vſque perdurant*. Quòd confirmatur præadducta Clementis Reineri authoritate.

AD Tertium dicendum, quòd eſt vnus & idem Palladius Scotorum Apoſtolus & author Hiſtoriæ Lauſiacæ, qui priùs fuit infectus hæreſi Origenis; ſed conuerſus hac miſſione Scotica & bonis operibus fuit inſignis: Lezana autem non habuit plenam illius informationem; Vnde duos ponit Palladios, vnum bonum, alium malum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Sanctus Gerardus Hungarorum Apoſtolus fuerit Carmelitanæ Religionis alumnus.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd S. Gerardus Hungarorum Apoſtolus non fuerit Carmelitanæ religionis alumnus: Ita tenet Arnoldus Vvron in eius vita, & Melchior Inchofer primo tomo Annalium Hungarię ad annum Chriſti 1030. Probatur: Hic Sanctus Gerardus fuit alumnus religionis Benedictinæ in celebri conuentu S. Georgij Venetijs, vt habetur in eius vita communitèr receptum; nec conſtat ipſum ad Religionem Carmelitanam tranſiſſe: Ergo non fuit Carmelitanæ Religionis alumnus.

¶ 2. Pręterea: Nobilis Sagredorum familia Sanctum hunc Gerardum ex ipſa oriundum ſolummodò Benedictinum agnoſcit, & non Carmelitam: Ergò ſignum eſt, quòd non fuit Carmelitanę religionis alumnus; nam ſi talis fuiſſet, hoc eius familia non ignoraret.

¶ 3. Præterea: Sanctus Gerardus, qui dicitur Carmelitanę religionis alũnus, vocatur ab ipſis Carmelitis Patriarcha Antiochenus: ſed Sanctus Gerardus Hungarorum Apoſtolus non fuit Patriarcha Antiochenus, at tantùm Epiſcopus Canadienſis in Hungaria: Ergo Sanctus Gerardus Hungarorum Apoſtolus non fuit Carmelitanæ Religionis alumnus.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiqua noſtræ Religionis, Carmelitanæ traditio, & communis Doctorum ipſius ſententia.

CON-

Digitized by Google

Conclvsio.

Sanctus Gerardus Hungarorum Apoſtolus fuit Carmelitanæ Religionis alumnus.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Gerardus Hungarorum Apoſtolus fuit Carmelitanę religionis alumnus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic Gerardus Venetijs natus eſt ex nobili Sagredorum familia, de quo ſic ait Benedictus Gononus de Vitis Patrum Occidentis libro 5. *Beatiſſimus Gerardus huius lucis lumen per Venetos parentes ſortitus, Dei gratia illum præueniente ab ipſa pueritia cæpit Domino Chriſto eſſe deuotus, & doctrinæ Euangelicę per omnia parere*: Cum quinque tantum eſſet annorum, Benedictinis Patribus monaſterij S. Georgij maioris Venetiarum oblatus eſt, ibique religioſum S. Benedicti habitum ſuſcepit: Cum in ſancta conuerſatione ac ſuaui bonorum operum odore vixiſſet in hoc monaſterio, & Abbatis etiam munere functus eſſet, ad noſtrum Ordinem Carmelitanum tranſijt, vt poſtea dicetur. Cum ei ſummum ſacra Palæſtinæ loca inuiſendi deſiderium inceſſiſſet, arrepto de Superioris licentia cum aliquot ſocijs itinere, contigit eum per Pannoniam ſeu Hungariam, vbi tunc Sanctus Rex, qui primus in eam ſacrum Domini Euãgelium induxit, Stephanus nomine regnabat, pertranſire: Cuius cum optimã conuerſationem Rex ille notaſſet, eum apud ſe retinere conſtituit; Quod aduertens Dei ſeruus tandem petitioni Regis conſenſit, ex cuius beneplacito ſeceſſit in eremum, vbi per ſeptennium contemplationi cœleſtium, ac vitæ rigori vacauit ab omni hominum conuerſatione remotus, præterquã vnius Mauri monachi, qui ei ad victum neceſſaria ſuppeditabat: Inde vocatus à Rege, ad regendam Dei Eccleſiam, & populos in fide inſtruendos acceſsit; Et numero fidelium creſcente multas extruxit Eccleſias, ſed præcipuam ac velut aliarum matrem ad Moriſij fluminis ripam in qua primus eſt Præſul conſtitutus: Factus igitur Canadienſis Epiſcopus nihil de priſtino viuendi rigore remiſit; Et forma factus gregis ſui, ſingulas virtutes Chriſtianas & religioſas multò feruentiùs, quàm antea exercuit: Animarum ſalutem adeo ſitiebat, vt nihil non intentatum relinqueret, quod animabus Chriſti ſanguine redemptis vtile crederet poſt pijſſimi Regis Stephani mortem diabolus ſeditionem excitauit, in qua Sanctus Epiſcopus primùm lapidibus fuit appetitus, deinde præcipitatus à monte lancea percuſſus obijt corona martyrij coronatus anno Domini milleſimo quadrageſimo ſecundo, cum priùs perſecutoribus adinſtar S. Stephani Protomartyris oraſſet.

Probatur concluſio tum traditione religionis noſtræ vniuerſali & antiqua, quæ hunc Sanctum Gerardum velut vnum è ſuis ſemper agnouit. Tum decreto ipſius facto Romæ in conuentu S. Martini anno 1564. à Capitulo Generali ſequentis tenoris; *Sancti Ordinis noſtri redigantur in Catalogum ſeu Calendarium Sanctorum, & de illis fiat officium duplex: non amoueantur tamen ab ipſo Calendario Sancti, de quibus celebrantur officia, & iam diu celebrata fuerunt*; In Calendario autem eodem anno Romæ impreſſo apud Antonium Bladum Typographum Cameralem habetur pro die 23. Septembris ſic; *Gerardi Epiſcopi Antiocheni & martyris ordinis noſtri*: Tum communi ſententia Doctorum noſtræ religionis, & ſpecialitèr Petri Saraceni in Menologio Carmelitarum, Michaelis Muñoz in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 3. cap. 1. ar. 2. Auguſtini Biſcarreti in palmitibus vineæ Carmeli, Lezanæ to. 4. pag. 465. quamuis antiquiores alij, vt Arnoldus Boſtius, Ioannes Palęonydorus, Didacus Coria, Petrus Lucius, & cum illis Petrus Præmonſtratenſis in ſua Chronica Gerardum hunc Epiſcopum Canadienſem cum alio etiam Ordinis

dinis

Digitized by Google

dinis noſtri Patriarcha Antiocheno confundant.

Secundo probatur authoritate Sacræ Congregationis de Ritibus ſub Paulo V. anno 1610. quæ poſt debitum examen conceſſit nobis officium huius S. Gerardi velut noſtri pro die 24. Septembris, vnde habetur in Calendario; *In feſto Sancti Gerardi Epiſcopi & martyris Ordinis noſtri, duplex minus.* Idem habetur in ſubſequentibus eiuſdem Calendarij editionibus pro noſtris Diſcalceatis, vt anno 1616. & 1628. ſub Vrbano VIII. Pro ſingulis autem officijs dicti Calendarij noſtri factum, eſt ab eadem Sacra Congregatione ſequens decretum, in fine appoſitum; *Officia ſupraſcripta Sanctorum Ordinis Carmelitarum ad inſtantiam Generalis eiuſdem Ordinis, & fratrum Reformatorum, quos Diſcalceatos vocant, qui Breuiarum Romanum acceptarunt, ad vſum dicti Breuiarij Romani reformata ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Cardinale de Torres recognita & ſubſcripta; Et quorum aliqua aliàs ſub die 20. Iunij 1609. ab Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Cardinale Bellarmino de mandato Sacræ Rituum Congregationis reuiſa & approbata fuerunt, eadem Sacra Congregatio, vt ab vniuerſo Carmelitarum Ordine liberè & licitè recitari, aut etiam pro maiori commoditate imprimi poſſint, licentiam & facultatem dedit & conceſſit. Die 12. Iunij 1628. Coſmas Cardinalis de Torres, F. Fuluius Benign. Secr.*

Tertiò probatur ex eo quòd hic Sanctus Gerardus in antiquis imaginibus inuenitur depictus in noſtro habitu Carmelitano. Et confirmatur ex eo quòd hic Sanctus habuit voluntatem inuiſendi Palæſtinam, & commorandi in conuentu Bethleemitico, qui fuit noſtræ religionis Carmelitanæ; Vnde denotatur quod ipſe fuerit alumnus eius.

AD primùm ergò dicendum, quòd verum eſt hunc Sanctum Gerardum fuiſſe religionis Benedictinæ alumnum; ſed tamen dicimus; quòd poſtmodum ad noſtram religionem Carmelitanam tranſijt. Nec eſt ſingularis hic tranſitus ab vna ad aliam religionem, Benedictinę Carmelitana dedit, tum Iacobum Furnerium poſtea Cardinalem & Summum Pontificem dictum Benedictum XII. tū Ioannem Brixillotum Atrebatenſem poſtea ex Abbate factum Cardinalem: Poteſt ſimilitèr Carmelitanę religioni Benedictina concedere Sanctum hunc Gerardum, quem etiam vt ſuum priùs alumnum colere valet.

AD Secundum dicendum, quòd quia Sancti Gerardi plura habentur monumenta in monaſterio Benedictinorum S. Georgij maioris Venetis, quia diutiùs in hoc manaſterio manſit, non mirum, quòd nobilis Sagredorum familia ipsū agnoſcat Benedictinum, & non Carmelitam, præſertim quia multum eſt antiquus, a ſexcentis & viginti duobus annis; Tunc autem Carmelitæ non ita multiplicati & noti erant in Europa.

AD Tertium dicendum, ſicut iam dictum eſt, quòd aliqui ex antiquis noſtris authoribus immeritò confuderunt hunc S. Gerardum Canadienſem Epiſcopum cum alio ſimilitèr noſtro Patriarcha Antiocheno: ſed hoc non obſtat, quin vterque ſit alumnus noſtræ religionis Carmelitanæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum S. Gerardus Patriarcha Antiochenus Carmelita ſit ipſemet Hungarorum Apoſtolus.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd S. Gerardus Patriarcha Antiochenus Carmelita ſit ipſemet Hūgarorum Apoſtolus: Ita tenet ex Carmelitis Petrus Saracenus. Probatur: In Calendario Carmelitarum edito Romæ anno 1564. pro die 24. Septembris ſic habebatur: *Gerardi Epiſcopi Antiocheni & martyris Carmelitæ duplex*: Conſtat autem quòd illa die celebratur feſtum S. Gerardi Hungarorum Apoſtoli: Ergo Sanctus Gerardus Patriarcha Antiochenus

nus

Digitized by Google

nus Carmelita eſt ipſemet Hungarorum Apoſtolus.

¶ 2. Præterea: Idem eſt tempus, quo vterque dicitur floruiſſe circa annum Domini milleſimum: nihil aſſeritur de Antiocheno quod non poſſit conuenire Hungarorum Apoſtolo, vel è conțra, vt poteſt facilè generali inductione probari: Ergo S. Gerardus Patriarcha Antiochenus Carmelita eſt ipſemet Hungarorum Apoſtolus, maximè, quia non aſſignatur dies mortis eius diſtincta.

¶ 3. Præterea: Si quid non obſtaret, quin S. Gerardus Patriarcha Antiochenus Carmelita eſſe ipſemet Hungarorum Apoſtolus, maximè quia hic fuit Epiſcopus Canadienſis: Sed potuit fieri, quòd eſſet Epiſcopus Canadienſis, & ſimul ad honorem electus Patriarcha Antiochenus: Ergo S. Gerardus Patriarcha Antiochenus Carmelita eſt ipſemet Hungarorum Apoſtolus. Quod confirmatur ex eo, quòd inter Patriarchas Antiochenos illius temporis non inueniatur vllus Gerardus.

SED CONTRA eſt communis ſententia penè omnium Doctorum noſtræ religionis Carmelitanæ.

CONCLVSIO.

Sanctus Gerardus Patriarcha Antiochenus Carmelita non eſt ipſemet Hungarorum Apoſtolus.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Gerardus Patriarcha Antiochenus noſter Carmelita non eſt ipſemet Hungarorum Apoſtolus. Ad cuius euidentiã ſciendum eſt, ex Arnoldo Boſtio lib. 6. Speculi hiſtorialis cap. 1. quod *anno Domini* 1041. *Henricus Imperator* (quẽ Palæonydorus lib. 2. cap. 10. vocat primum, cum ſit ſecundus) *Vindelicos ſubegit Sueuis conterminales, qui fortunam adorabant: Huius tempore S. Gerardus Eremita montis Carmeli aſſumptus in Patriarcham Antiochenum, & veniens Romam ad faciendum querelas Chriſtianorũ Principibus aduersùs crudelitates Paganorum* (ſeu Infidelium Saracenorum) *quos ſuſtinebant Chriſtiani in terra Sancta à Benedicto Papa IX. ſuſcipitur, & factus a latere Legatus Henrico Imperatori ſociatus eſt: Henricus autem Imperator anno ſequenti per orationem huius S. Gerardi, & aliorum Sanctorum virorum auxilio Dei ſibi procurato Odelricum (ſiue Oldericum) Ducem Bohemiæ ſubiugat*. Proſequitur Arnoldus Boſtius loco citato ſucceſſus huius noſtri Gerardi mirabiles & propheticos deſcribere; ait enim: *Videns Guidonem de Malephayda Lemouicenſem nobilem militem in exercitu Imperatoris, induſtrium & deuotum iuuenem, verbis diuinis eum adeò inflammauit, vt penè militiæ cingulum deponere, & venditis omnibus montem Carmeli locum pacis & quietis adire diſponeret: ſed aliquibus diebus tranſactis quadam nocte viſionem habuit, vt ad patriam & natiuum ſolum rediret: In craſtino autem viſitans Imperatorem, vt ab eo licentiam redeundi ad natale ſolum obtineret, cum eo ad Eccleſiam venit, quam cum ingreſſus eſſet, inuenit ibidem Sanctum antedictum Gerardum Epiſcopum ſolum in parte ſeorſum cũ vno clerico: mox Guido pedibus eius aduolutus confitetur humiliter ſe peccaſſe, quòd tanto tempore monitis eius, immemor beneficiorum Dei: non acquieuiſſet: Tunc Epiſcopus manum eius apprehendens humo procumbentem deuotum militem leuauit, patriamque reuiſere ſuam, vxoremque ducere, & filios procreare perſuaſit: Et tum idem miles de tanti viri conſilio ſubitò mutato miraretur; addidit* Epiſcopus dicens, *De feruore tuo duo luminaria magna hac nocte Omnipotens Deus mihi oſtendit, Eccleſiam Orientalem illuſtrantia procedere*. Huius viſionis ac propheticæ prædictionis fœlicem euentum ſic deſcribit idem author libro citato cap. 2. dicens: *Porrò Guido de Malaphayda Lemonicenſis natione miles prædictus, cum eſſet Salamoni Hungariæ Regi propter militares ſuas probitates acceptus & charus, idem Rex tradidit dicto militi neptem ſuã in vxorem circa annum Domini* 1045.

de qua

Digitized by Google

de qua idem Guido poſtmodum genuit duos fratres, videlicet Haymericum Epiſcopum Podienſem Venerabilem virum, & Sanctum Bertholdum primum Priorem Generalem Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ Virginis in monte Carmelo: Anno Domini 1070. *Guido miles prædictus miſit duos filios ſuos, Haymericum ſcilicet & Bertholdum Pariſios ad vniuerſale ſtudium, qui primò in artibus, deinde in Theologia proficientes, magni in prædicta vniuerſitate Doctores effecti ſunt.* Hæc ſunt, quæ de noſtro S. Gerardo habemus, quem dicimus alium eſſe à S. Gerardo item noſtro Hungarorum Apoſtolo.

Probatur Concluſio communi ſententia Doctorum noſtræ Religionis Carmelitanæ: præſertim Arnoldi Boſtij loco citato, Ioannes Palæonydori libro 2. cap. 10. Coriæ, Lucij, Lezanæ tom. 3. ad annum 1041. Deinde probatur ratione ex adducta huius S. Gerardi relatione deducta: Hic S. Gerardus fuit eremita montis Carmeli, vnde aſſumptus fuit in Patriarcham Antiochenum; Inde venit Romam ad faciendum querelas Principibus Chriſtianis contra Saracenorum crudelitatem in Terra Sancta, miſſus fuit a Benedicto Papa IX. Legatus a latere ad Henricum ſecundum Imperatorem in Germaniam: Sed nihil horum conuenit S. Gerardo Hungarorum Apoſtolo, vt conſtat ex eius vita; nunquam enim fuit in Terra Sancta, ad illam quidem properabat cum retentus fuit in Hungaria à Sancto Rege Stephano; Et ex tunc ſemper ibi manſit, maiori ex parte in deſerto, factuſque Moriſſenſis ſiue Canadienſis Epiſcopus, præſens attendit ſuo gregi vſque ad mortem: Ergo S. Gerardus Patriarcha Antiochenus Carmelita non eſt ipſemet Hungarorum Apoſtolus, at alius diſtinctus.

AD primum ergo dicendum, quòd Calendarium illud poſt debitum examen, & omnibus diligenter ponderatis fuit emendatum: Et in nouo Calendario ſic emendato die 24. Septembris ſic habetur: *Sancti Gerardi Epiſcopi & martyris ordinis noſtri*, dempto Antiocheni: Ex quo manifeſtè conſtat, quòd S. Gerardus Epiſcopus & martyr, qui fuit Hungarorum Apoſtolus, tali die mortuus non eſt idem ac noſter hic Gerardus Patriarcha Antiochenus, ſed alius.

AD Secundum dicendum, quòd quidem eſt idem tempus, quo vterque Sanctus Gerardus floruit: ſed tamen plura ſunt, quę aſſeruntur de vno, quæ non conueniunt alteri, vt conſtat ex probatione concluſionis. Ad illud quod ſubditur, dicendum quòd ignoratur vbi Sãctus Gerardus Patriarcha Antiochenus obierit, multa namque religionis noſtrę monumenta perierunt: fortè redijt ad Orientem, vbi in aliquo conuentu ſolitario obierit propter crudelitatem Saracenorum contra Chriſtianos; tunc enim Antiochia ſedes eius Patriarchalis ſub horum infidelium tyrannide detinebatur, in cuius conſpectu erat noſter conuentus montis Amana, ſiue nigri, corruptè Neroi: Vnde non mirum, ſi dies etiam mortis eius ignoretur; cum tamen conſtet fuiſſe pretioſam & ſanctam coram Domino, ex vniuerſali & *antiquiſ*ſima noſtrę religionis traditione.

AD Tertium dicendum, quòd fundamentum noſtræ concluſionis eſt incompoſſibilitas geſtorum vtriuſque Gerardi in vno & eodem: Vnde non tollitur per hoc præcisè, quòd idem potuerit eſſe ſimul Epiſcopus Canadienſis & Patriarcha Antiochenus, quamuis hoc non ſit receptum in Eccleſia Romana. Ad confirmationem dicendum, quòd tunc omnia erant confuſa in Antiochẽſi Eccleſia, propter crudelitatem tyrannorum infidelium contra Chriſtianos, vt dictum eſt; Vnde non mirum ſi noſter hic S. Gerardus inter Patriarchas Antiochenos non numeretur; maximè quia parum reſedit in illa Eccleſia propter ſuas legationes Pontificias.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Vtrum S. Cyrillus Conſtantinopolitanus Carmelitanæ Religionis alumnus fuerit Apoſtolus Armenorum.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd S. Cyrillus Conſtantinopolitanus. Carmelitanę religionis alumnus non fuerit Apoſtolus Armenorum. Probatur: Sanctus Bartholomæus Chriſti Domini Apoſtolus omnium primus Euangelium in maiori Armenia prædicauit, vbi Polymium Regem & coniugem eius, ac duodecim ciuitates ad fidem perduxit; qua propter ab Aſtynge Regis fratre detracta pelle martyr effectus eſt: Ergo ſolus ipſe dici poteſt Armenorum Apoſtolus, & non alius.

¶ 2. Præterea: Eſto Armeni defecerint a fide Chriſti poſt mortem Sancti Bartholomei redierunt tamen ad illam opera Sancti Gregorii Illuminati ſub Sancto Syluestro Papa & Conſtantino Magno; propterea dicitur etiam Armenorum Apoſtolus, cum eius ſollicitudine facta reperiatur concordia fidei Catholicæ inter ipſum & Sanctum Syluestrum, ac inter Regem Armeniæ & Conſtantinum Imperatorem; nec legitur Armenos ab illo tempore defeciſſe a fide: Ergo Sanctus Cyrillus Conſtantinopolitanus Carmelitanę Religionis alumnus, qui poſt Sanctum Gregorium elapſis octo ſæculis venit, non fuit Apoſtolus Armenorum.

¶ 3. Præterea: Non legitur in hiſtorijs Eccleſiaſticis, nec ab ipſis traditur Armenis, quod hic Sanctus Cyrillus Armeniam ad fidem conuerterit aut reduxerit; Cum tamen res tanti momēti non fuiſſet ſub ſilentio prætерita: Ergo Sanctus Cyrillus Conſtantinopolitanus Carmelitanę religionis alumnus non fuit Apoſtolus Armenorum.

SED CONTRA eſt traditio noſtræ Religionis Carmelitanæ, & communis conſenſus Doctorum ipſius.

CONCLVSIO.

Cum S. noſter Cyrillus Conſtantinopolitanus fuerit a Deo miſſus ad conuerſionem Armeniæ, eamque de facto conuerterit, verè fuit Armenorum Apoſtolus.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Cyrillus Conſtantinopolitanus noſtræ religionis Carmelitanæ alumnus, fuit a Sancto Baſilio ipſi apparente miſſus in Armeniam in nomine Domini prędicandi Euangelij gratia; Vnde eam conuertit: Ac proinde verè fuit Armenorum Apoſtolus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic Cyrillus fuit natione Græcus, familia nobiliſſimus, ac talentis inclytus: natus eſt anno Domini 1126. Et cum ab infantia Deo Deiparæque Virgini Mariæ ſuam dicaſſet virginitatem, in clericalem militiam adſcriptus eſt, & ad præsbyteratus ordinem euectus; quo in ordine ſic ad omnia genera doctrinarum capeſcenda ſe tradidit, vt inſignis & eximius Doctor ab omnibus haberetur: Anno Domini 1169. Iconij Sultanum mahometicæ legis ad fidem conuertit, Et poſt reditum a ſua legatione Romana, iuſſu Pontificis Alexandri III. in ſolemnitate Paſchali baptizauit; apud quem Legati munere functus eſt alijs aſſociatus ex parte Ioannis Comneni Imperatoris: Poſt quam Conſtantinopolim redijt, cōtrouerſiæ inter ipſum & Patriarcham Conſtantinopolitanum ortæ ſunt de Spiritus Sancti proceſſione, ipſo firmiter aſſerente a Patre & Filio procedere, illo verò tantùm à Patre ſtatuit Græcos Schiſmaticos ex toto deſerere: Cum talia vir Dei reuolueret animo, aſtitit ei Beata Virgo, quæ inter alia ſic ait; *Sola virtus animam fælicitat, ſi fides fuerit abſque errore; viam in eremo montis Carmeli tibi monſtrandam aſſume, ſic itur ad*

 aſtra;

Digitized by Google

aſtra: Cui Cyrillus reſpondit; *O Domina Virgo Maria gaude, nam cunctas hæres ſola interemiſti in vniuerſo mundo*: Igitur vir Sanctus in Terram Sanctam nauigauit, Et cum ſanctam ciuitatem Ieroſolymam deuotionis cauſa luſtraret, a Sancto Brocardo noſtro perhumaniter excipitur, & in montem Carmelũ deducitur; Cui Beata Virgo Maria cum mira claritate rursùs apparens ait, *Hic tutus eris*; Vnde religioſum ibi ſumit habitum: De cuius ſanctitate plura dicit, Ioannes Bolandus Ieſuita, & inter alia, quòd *Vitam cœlibem ducens, Angelico aſpectu ſæpe conſolatus eſt, & diuinis conſolationibus crebrò illuſtratus*. Poſt aliquod tempus cum Armenos ad fidem conuertiſſet, fuit a Cœleſtino III. nominatus Epiſcopus, promiſſo etiam Patriarchatu Ieroſolymitano: ſed humilis ſeruus Dei vtramque dignitatem recuſauit. Anno Domini 1173. mortuo S. Brocardo ſufficitur in officio Generalis: multas habuit cęleſtes reuelationes, ſed principales ſunt Duæ; Prima quidem miſſo ad ipſum Angelo, qui duas detulit tabulas argenteas Græcis litteris ſcriptas, qua ipſi mirabiles ſucceſſus in Eccleſia tunc futuros aperuit (Et cuius interpretationem ego ſpeciali libello dedi) ſecunda verò qua nouit Terram Sanctã Chriſtianis ob eorum ſcelera eripiendã a Saracenis. Tandem clarus opinione ſanctitatis obijt in Carmelo die 6. Martij circa annum Domini 1200. Tam in vita quàm in morte miracula fecit: Duo in vita referuntur, nempe illuminatio cęci, & ſuſcitatio eiuſdem demortui: Duo etiam in morte, ſcilicet ſanatio Claudi ex tactu corporis eius inſepulti, Et ſuſcitatio hominis in mari ſubmerſi ſuper eius ſepulchrum collocati. Hæc paucula ad aliqualem tanti viri notitiam dicta ſufficiunt.

Probatur concluſio fideli relatione miſſionis huius Sancti Cyrilli in Armeniam cum omnibus circumſtantijs eius ex Arnoldo Boſtio in ſpeculo hiſtoriali libro 7. capit. 7. vbi ſic ait: *Mox eum Deus mirabili gratia perfudit; nam paucis annis euolutis* (ex quo ſcilicet factus fuerat Carmelita) *dum ſomnum caperet Beatus Cyrillus, nimio primum cum ſplendore terruerat, quem poſtquam ſine trepidatione ſuſtinuiſſet, mira dulcedine captus orare cœpit. Itaque videndi auidus caput eleuans hinc inde reſpexit; Et ecce lumen æthereum, quod acies humana non pertulit virum iuxta ſe ſtantem grandæuum, ac multa maieſtate venerandum conſpexit. Non fuit neceſſe nomen eius percunctari, quia religioſus habitus, caput infula decoratum, cum & Græca facundia magni Baſilij Epiſcopi indicium præferebat (Tunc Baſilius Cyrillo noſtro reuelauit, ſe aliàs factum fuiſſe in monte Carmelo religioſum ſub Euticio Priore) ſequentibus verbis; Ne timeas Cyrille, ſum Baſilius Carmeli quondam montis Eremita, Cæſarienſium Paſtor) qui dixit ſe a Deo miſſum, & viro Dei iniungendum, qui ſemper ſui nominis amantiſſimus fuit, vt in Armenia verbum Dei prædicaret, cuius linguam nuper in ciuitate Conſtantinopoli didicerat. Et continuò inter alia ſubiunxit: Dilectus es Deo ex millibus, & in hoc ſæculo, & in futuro maximè honorandus; vbicumque igitur tibi viſum fuerit pedem fige, vt per Armeniam prædicando lucernam Chriſti accendas. Quod cum Sanctus Cyrillus Beato Brocardo & alijs Patribus indicaſſet, dederunt ei ſocium Fratrem Euſebium, & versùs Armeniam miſerunt, qui decem annis ibidem prædicauit, & totum Regnum ad Chriſtum conuertit: qui interim regi & eius militibus perſuaſit, vt Domino Papæ ſe ſubijcerent. Quod & fecit; Et ex tunc tota Armena cum Epiſcopis & ſubditis Lucio Papæ III. ſe ſubiecit: miſſis namque legatis rogat ſibi verum ritum ſacrificandi & ſubditos regendi Romano more miniſtrare, eo quod in ijs cum Græcis diſcreparet. Papa libenter petita faciens, miſſam coram eis in feſto Dedicationis Eccleſiæ Sancti Petri, quod in octaua Sancti Martini colitur, vt diligenter addiſcerent monendo Armenos, celebrauit. Quorum vnus qui fuit Epiſcopus, ſolaris fulgoris radium, & in ipſo duas columbas aſcendentes & deſcendentes ſuper caput Papæ aſpexit: Vnde ad ſubiectionem*

Digitized by Google

ctionem magis animatus, hoc D. Papæ indicauit; qui non hoc ſuis meritis, ſed vt ipſi agnoſcerent Sacramentorum virtutem, veritatis luce perfuſus factum eſſe affirmabat; Et eis canones veræ fidei Catholicæ exhibuit. Hæc Author ille antiquus, qui miſſionem huiuſmodi Apoſtolicam Sancti Cyrilli, & conuerſionem Armeniæ per ipſum a teſtibus penè oculatis traditam recepit. Ex hac relatione fideli ſequens ratio deducitur: Ille verè dicitur Apoſtolus Regni, vel Prouinciæ alicuius, qui non ſolùm primo eam conuertit ad fidem Chriſti, verùm etiam qui poſtea reducit eam vel ad fidem Chriſtianam, vel ad fidem Catholicam ex ſchiſmate ac hæreſi; hoc enim titulo præter duodecim Apoſtolos Chriſti, plures alij vocantur Apoſtoli diuerſarū nationum, & in hoc nulla videtur inter authores difficultas; quod ſi fuerit miſſus expreſſo Dei mandato exteriùs confirmato Apoſtolatus eius erit illuſtrior: Sed Sanctus Cyrillus noſter Conſtantinopolitanus fuit a Sācto Baſilio ipſi apparente miſſus in Armeniam in nomine Domini ſeu expreſſo Dei mandato, prædicandi Euangelij gratia, eamque totam ad fidem Chriſtianam, aut ſaltem Catholicam conuertit: Ergo verè fuit Armenorum Apoſtolus. Ad plenam huius conuerſionis Armæniæ notitiam dicimus, quod Armenia monarchis Aſſyriorum, deinde Perſarum & Græcorū paruit: A Pompeio Magno ſub monarchia Romanorum Regem proprium obtinuit Tigranem, & ſucceſſiuè alios vſque ad Exedarum, qui metu Coſroë regnum dimiſit, ac deinde inter Romanos & Perſas fuit de hoc regno diſſentio; Et ita potuit a fide Chriſti deficere ſub dominio Perſarum Mahometanorum: S. Cyrillus noſter circa annum Domini 1200. mortuus eſt: tunc autem eius prædicatione firmatum fuit regnum in fide Chriſtiana catholica conſtat, ex eo quod anno 1253. inueniatur Haiton Rex Armeniæ, qui Mangu Kan Tartarorum Imperatorem, ad fidem Chriſti conuertit, & aduersùs Saracenos in Terram Sanctam allexit; ac poſtquam 45. annis regnaſſet, fit monachus anno 1270: & vocatur Macharius, relinquens regnum filio nomine Liuon: Hic Haiton vel fuit Rex a Cyrillo noſtro conuerſus, aut eius filius. Noſtri Cyrilli honorificum facit elogiū Eucardus in faſciculo temporū, dicens de eo: quòd *fuerit melliflui Carmeli Prior, Doctorque tum vitæ ſanctitate, tum Prophetiæ ſpiritu conſpicuus, multa conſcripſit poſteris pro futura ſæculis, & copioſis miraculis Deo procurauit gloriam, mundoque ſtuporem*. De eo etiam loquitur honorificè Ioannes Bolandus Ieſuita dicens: *Fuit vir doctus, ſcientijs ſacrarum litterarum eruditus, Deo multum deuotus, nomine Cyrillus in Terra Sancta tunc a chriſtianis poſſeſſa, ſanctè & piè conuerſatus, in ordine presbiterii conſtitutus; qui quidem ob contemplationem miræ ſanctitatis & vitæ puritatis Fratrum in mōte Carmeli commorantium, & omnipotenti Deo, & eiuſdem Glorioſæ Genitrici Virgini Mariæ gratum famulatum diu noctuque in pænitentia, auſteritate, & proprietatis abdicatione præſtantium, eundem mōtem affectuoſiùs adiit*: Et poſt alia ſubiungit; *Ibidem Sanctus Cyrillus deuotis Fratribus in chara fraternitate, & dulci conuictu iuxta modum eorum viuendi erat ſociatus, vitam cælibem ducens, Angelico aſpectu ſæpe conſolatus, diuinis conſolationibus crebrò illuſtratus*.

AD Primùm ergo dicendum, quòd Sanctus Bartholomæus eſt quidem primus & principalis Apoſtolus Armenorum, quia primus omnium eos conuertit ad fidem Chriſti: hoc tamen non obſtat, quin alii poſſint eſſe ſecundarij & minus principales Apoſtoli, qui eos ad fidem Chriſti reduxerunt, vt noſter Cyrillus.

AD Secundùm dicendum, quòd poſt mortem Sancti Gregorij Illuminati martyris, Armeni defecerunt a fide Chriſtiana & Catholica, vt dictum eſt, ad quam eos reduxit Sanctus noſter Cyrillus.

AD Tertium dicendum, quòd adducta authoritas Arnoldi Boſtri eſt ſuf-

Digitized by Google

ficiens ad hanc veritatem comprobandam neſcio an in alijs authoribus reperiatur. Armeni autem nunc ſunt valde ignorantes, & in ſcientijs, & in hiſtorijs; Vnde non mirum, quòd ſuam a Sancto Cyrillo conuerſionem ignorarent, quãuis aliquid ſciant in confuſo de prædicto S. Gregorio, cuius miſſio & prædicatio fuit ſolemniſſima, quia fuit inſtitutus Armeniæ Patriarcha, in qua perſeuerauit vſque in finem, ibique ſunt ſacrę eius reliquiæ: noſter autem Cyrillus finita ſua miſſione per conuerſionem Armeniæ, redijt in montem Carmelum, vbi ſanctè vixit & mortuus eſt; Et ſic in Armenia non ita celebratur eius memoria ex defectu prædictorum.

QVAESTIO XV.

De Virginibus Heroinis Carmelitanæ Religionis.

POSSENT adduci Virgines plurimæ Carmelitanę religionis alumnæ: ſed in præſenti quinque tantùm adducimus ex ſpeciali probatione nobis debita: Vnde quęruntur quinque.

¶ Primo, Vtrum S. Veneranda Virgo & Martyr fuerit alumna religionis Carmelitanæ.

¶ Secundo, vtrum S. Eugenia Virgo & Martyr fuerit alumna religionis Carmelitanæ.

¶ Tertio, Vtrum S. Euphraſia Virgo fuerit alumna religionis Carmelitanæ.

¶ Quarto, Vtrum S. Euphroſina Virgo fuerit alumna Religionis Carmelitanæ.

¶ Quinto, vtrum S. Angela, Regis Bohemiæ filia, fuerit alumna religionis Carmelitanæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sancta Veneranda Virgo & Martyr fuerit alumna Religionis Carmelitanæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd S. Veneranda Virgo & Martyr non fuerit alumna Religionis Carmelitanæ. Probatur: Sancta Veneranda nata fuit circa annum Domini centeſimum, vt dicitur in eius vita: Sed tunc in Italia, vbi dicitur nata, non erãt monaſteria Virginum, & multò minùs Carmelitanæ Religionis, vix enim tunc Chriſtiani propter Imperatorem perſecutionem audebant apparere: Ergo Sancta Veneranda Virgo & Martyr non fuit alumna religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Pręterea: Sancta Veneranda multas orbis prouincias peragraſſe traditur ſola prædicandi Euangelij gratia, nempe Gręciam, Italiam, Galliam, aliaſque remotiores: Sed ſimiliter peregrinari non decet Virginem religioſam, ob periculum caſtitatis: Ergo Sancta Veneranda Virgo & Martyr non fuit alumna Religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Nulla fit mentio apud authores monaſterij, in quo Sancta Veneranda ſumpſit habitum Religioſum, vel ſuperioris a quo accepit, nihilque particulare dicitur ad hoc probandum: Ergo ſine fundamento affirmatur, quòd Sancta Veneranda fuerit alumna Religionis Carmelitanę.

SED CONTRA eſt traditio Religionis Carmelitanæ, & communis Doctorum ipſius ſententia.

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Cum Sancta Veneranda in antiquiſſimis picturis repræſentetur in habitu monialium Religionis Carmelitanæ, fuit alumna illius.

RESPONDEO dicendum, quod S. Veneranda fuit alumna religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod Sancta Veneranda vulgò dicitur Sancta Venera, & a Græcis S. Paraſceue: Eius parentes fuerunt Agatho & Polita ſeu Hippolita, conuerſi in Gallo prouincia prædicatione Sanctæ Mariç Magdalenę, Sanctæ Marthæ, & ſociorum Diſcipulorum Chriſti circa annum Domini 57. qui cum fructu coniugij per triginta quinque annos caruiſſent, peregrinationem Romanam ſuſcipiunt ad veneranda loca ſancta: Inde in Campaniam progreſſi, ad prouinciam Magnæ Græciæ inter Adriaticum, Ionium & mediterraneum mare ſitam, nunc dictam Calabriam & Appuliam peruenerunt, ab aduenis Gręcorum colonijs cultam, vbi tunc inter alias ciuitates florebat Loccon, quæ poſtmodum a Chriſtianis habitatoribus dicta eſt Ieracion ſeu Ciuitas Sancta: Reſederunt ibi coniuges pij, & diuina benedictione circa annum Chriſti centeſimum filiam procrearunt in pago dictæ ciuitatis; Et quia nata fuit in die Veneris ſancto ſeu Paraſceues, a Græcis nominata eſt Paraſceue, a Latinis autem Veneranda, vel Venera, ne diceretur venus ab infami illa dea Gentilium: Poſt octo dies a natiuitate ipſius in Eccleſiam adducta a parentibus offertur Deo, quæ accelerato diuinitùs vſu rationis ſeipſam in perpetuum Deo holocauſtum conſecrauit, vt a multis authoribus, & in Menologio Græcorum ſcribitur: Ab infantili ætate ſanctitatis futurę ſpecimen dedit, primò Chriſtianæ pietati, deinde mortificationi iugiter attendens: Cum a parentibus coniugio deſtinaretur; reſpondit ſe ſoli Chriſto velle adhærere, nullũque terreſtrem ſponſum admittere: Cum eſſet annorum viginti, mortuis parentibus, & diſtributis in pauperes facultatibus ſuis, ſtatum eligens religioſum, monaſterium Sacrarum Virginum ingreditur, & ab Epiſcopo loci velum virginitatis accepit: Triginta annorum effecta maximum martyrij deſiderium concepit, quo approbato, & obtenta Abbatiſſæ licentia, ſolo Crucifixo & Euangeliorum libro munita nauigat in Græciam, vbi plures ad Chriſti fidem conuertit: Poſt decem annos rediens in Italiam, tranſijt ad prouinciam Romanam, in cuius ſuburbijs & pagis cum fructu prædicans, apud Antonium Præſidẽ accuſatur, cuius impietati reſiſtens eijcitur primùm vt fatua; deinde galeam ignitam capiti impoſitã paſſa, nec vnus aduritur capillus, nec faciei pulchritudo alteratur; exinde cruci clauis affigitur, neruis percutitur, mammillis forcipibus diſruptis torquetur, ac comportato ſuper eam ingenti ſaxo comprimitur; Sed accedente viſibiliter Angelo ſaxum illud longè proijcitur, & curatis mammillarum totiuſque corporis vulneribus, a cruce liberatur, eique dixit Angelus, *Alacriter Veneranda triumphatrix in Domino, noli tyrannorum formidare tormenta, qui talibus inſtrumentis tantum paſſus eſt, te adiuuabit & ab omni paſſione liberabit*: Tandem in ollam ſuccenſam pice reſina & ſulphure plenam inijcitur, vbi manens illæſa penitùs ſuauiter cantauit hymnum *Benedicite omnia opera Domini Domino*; cumque per ſeptem dies ſic perſeueraſſet, acceſſit Præſes, ipſam accuſat artis magicæ, ſimulque in Chriſtum blaſphemat; Vnde Virgo Eliç zelo mota, ex inſpiratione diuina ſuccenſam ex olla materiam aſſumens in faciem blaſphemantis proiecit, qui tactus in oculis ſtatim excæcatur: Hac vexatione reſipiſcens Antonius, ad Sanctam Virginem recurrit, quę Chriſtum imitata ex ſputo ac puluere lutum faciens liniuit eius oculos, quo facto ſtatim illuminatus tam in mente quam in corpore exclamauit; *Viuat magnus & verus Deus*

Deus Chriſtianorum, non eſt alius Deus, nec alia lex præter eam quam miraculoſa Veneranda prædicat; Ac ſuſcepto cũ ſuis baptiſmo fit chriſtianus: Virgo Sãcta manens libera prædicationis officiũ proſequitur, & Italia relicta intrauit in quandam regionem barbaram, cui dominabatur Rex dictus a Latinis Temius ſeu Theotimus, & a Græcis Tharaſius; Apud quem accuſata ſuperſtitionis, ducitur ad nemus, in cuius cauerna draco ferociſſimus latebat, Accedente Virgine tremit bellua, & fętidum emittens fumum immaniter ſibilat, ac dæmon aſſiſtens ei ſigno crucis & exorciſmis coactus receſſit horribiliter clamans, *Væ ve mihi miſero & infælici; quo fugiam expulſus a Ieſu Nazareno, & ab hac muliere aduena*; Draco autem aliquantum inde fugiẽs perijt diſcerptus in partes: Hoc inſigni miraculo permotus Rex cum toto Regno ſuo cõuertitur ad fidem Chriſti: Inde diſcedens perrexit in Galliam, & ab Aſclepio Præſide Antonini pij Imperatoris Vicario comprehenſa detruditur in carcerem, eique dentes, ac manuum & pedum vngues euelluntur, deinde in ſuccenſam ollam pice & oleo plenam iniecta, prædictum trium puerorum hymnum decantat, quæ miraculosè diſrupta, & ſuccenſam diffundens materiam multos circunſtantium læſit & occidit: Exinde neruis diu percuſſa ſex lictorum alternantium violentia, deducitur ad Templum Apollinis, cumque ad medium veniſſet, ſic ait; *Tu ſtatua inſenſibilis vis a me ſacrificium recipere, ſoli Deo noſtro vero & æterno debitum?* Cui reſpondit dæmon huic aſſiſtens idolo; *Non ſum ego Deus, nec alius quiſquam ex nobis, Verus Deus eſt ſolus ille quem tu prædicas, nos eramus Angeli, ſed ſuperbia noſtra facti ſumus dæmones, & inuidia decipimus homines, vt nos quaſi deos adorent*: Tunc inſurgens Sancta Virgo replicat; *Cur ergo hic ſtas coram ancilla veri Dei*: Ad hæc verba totum contremuit templum, omnia corruerunt idola, & contrita ſunt. Sed cum hæc arti magicæ attribuerentur, Venerandę Virgini ſacrum caput amputatur die 26. Iulij anno Domini 143. ætatis verò 43. cuius reliquias Antimus illuſtris chriſtianus in decenti loco collocauit die 14. Nouembris; Eius caput in Ciuitatem Ieraci delatũ eſt, vbi multis claret miraculis, Et in hac prouincia multę eius ſunt Eccleſiæ. Hæc ad tam illuſtris Virginis & Martyris notitiam ſufficiunt, quam dicimus noſtræ Religionis Carmelitanæ alumnam.

Probatur concluſio generali, quã iuxta Sanctorũ Patrum authoritatem, & Doctorum communem conſenſum ſupra probauimus, quòd omnes monachi & moniales Eccleſię primitiuæ per quatuor ſæcula fuerunt Eſſenorum ac filiorum prophetarum ſucceſſores: Ergo cum Sancta Veneranda floruerit in principio ſecundi Eccleſię ſæculi, fuit alumna Religionis Carmelitanæ.

Secundò probatur ratione ſpeciali: Sancta Veneranda ab omni antiquitate depingitur cum habitu religionis Carmelitanę, vbicumque videntur eius imagines; vt in Ciuitate Candiæ metropoli Cretenſis Inſulæ, foris ad portam Sancti Georgij, ibi enim eſt Eccleſia magnæ deuotionis, vbi conſpicitur imago antiquiſſima Sanctæ Venerandę cum veſte fuſci coloris, cum ſcapulari longo & ſtricto, cum velo & cappa alba, cum Cruce in manu ſiniſtra pectori admota, & eleuata dextera velut in actum admirationis; Et Lycij in Apulia in noua Eccleſia conuentus noſtri, ad penultimam capellam lateris ſiniſtri, eſt antiquiſſima Imago Sanctæ Venerandæ depicta in muro ad inſtar monialis noſtrę religionis Carmelitanæ, illuc tranſlata ex antiquiſſima Eccleſia huic Virgini & Martyri dedicata, ſed propter ædificium noſtri conuentus deſtructa, vbi 26. Iulij ſolemniſſimum in eius honorem feſtum cum muſica celebratur, magno concurſu populi totius ciuitatis & vicinarum vrbium oppidorumque; conſtat autem, quòd diuerſitas habitus religioſi diſtinguit religiones, & proprius alicuius religionis habitus illam demonſtrat: Ergo S.Vene-

Digitized by Google

S. Veneranda fuit alumna religionis Carmelitanæ.

AD Primum ergo dicendum, quòd etiam tunc fuerunt in Italia tam monachorum quàm monialium monaſteria: Nam ſub eodem Antonino pio Imperatore reperitur Sanctus Teleſphorus Papa, qui fuit monachus noſtræ Religionis Carmelitanæ, natus ſecundùm aliquos in oppido Turio, nunc dicto Terra Noua Calabriæ olim magnæ Græciæ: Similiter legimus, quòd Flauia Domitilla Virgo Romana Titi & Domitiani Imperatorum neptis ſacrum virginitatis velamen a Beato Clemente Papa accepit circa hęc tempora, vnde fuit ſanctimonialis dedicata. Sub Antonino enim pio rigor perſecutionis ceſſauit, poſtquam Sanctus Iuſtinus ex Philoſopho Theologus Chriſtianus Romæ docens, exhibito Apologetico libro, ipſum a Chriſtianis cruciandis deterruit; Et tunc monachi & moniales liberè viuebant, imò plures fidem Chriſti diſſeminantes orbem peragrabant, qui multa patiebantur à malis miniſtris tam boni Principis, vt referunt authores.

AD Secundum dicendum, quòd via ordinaria non debent Virgines Deo conſecratæ ſic ſolæ peregrinari quocumque prætextu: ſed extraordinaria Sancti Spiritus motione poſſunt, & factum fuiſſe ſæpius in primitiua Ecclesia legimus; Imò ſæculo prętérito S. M. N. Thereſia adhuc Virgo tenella tentauit in Aphricam traijcere, eadem intentione prædicandi Euangelij & martyrij ſubeundi.

AD Tertium dicendum, quod in ſucceſſoribus tam antiquis non ſunt exigendæ tot circunſtantiæ; maximè quia tunc monaſteria non erant ita formata ac nunc ſunt: Vnde ſufficit oſtendiſſe, quod illo tempore in illa prouincia Magnæ Græciæ erant monachi & moniales, & quòd S. Veneranda ſacrum velamen virginitatis accepit ab Epiſcopo loci.

ARTICVLVS II.

Vtrum Sancta Eugenia Virgo & Martyr fuerit alumna Religionis Carmelitanæ.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd S. Eugenia virgo & Martyr non fuerit alumna religionis Carmelitanæ. Probatur: Sancta Eugenia fuit recepta in monaſterio monachorum, inter quos non poterat profiteri vitam religioſam; Profeſſio namque facta ab aliqua Virgine in monaſterio virorum non tenet ex decretis Eccleſiaſticis: Ergo etiam admiſſo, quòd illud monaſterium, in quo recepta fuit Sancta Eugenia, fuiſſet Carmelitani inſtituti, ipſa tamen non eſſet alumna Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Prętérea: monaſterium illud, in quo recepta fuit Sancta Eugenia, fuit Eſſenorum quos deſcribit Philo, & aſſerit multas obſeruaſſe cęremonias Iudaicas; Et conſequenter non fuit religionis Chriſtianæ Carmelitanæ: Ergo Sancta Eugenia non fuit alumna religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Si quid ſuaderet Sanctam Eugeniam fuiſſe alumna religionis Carmelitanæ, maximè quia poſtquam fuit à ſuo patre recognita fundauit monaſterium virginum ſibi & alijs ſub inſtituto Carmelitano: Sed hoc fruſtra dicitur, quia potius fundauit hoc nouum monaſteriũ iuxta regulam prioris illius Eſſenorum, in quo fuerat recepta & educata: Ergo non fuit alumna Religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt traditio Religionis Carmelitanæ & communis ſententia Doctorum ipſius.

CON-

CONCLVSIO.

Cum Sancta Eugenia Virgo & Martyr fuerit recepta & educata in monaſterio Religionis Carmelitanæ, fuit alumna illius.

RESPONDEO dicendum, quòd Sancta Eugenia virgo & martyr fuit alumna religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod Sancta Eugenia fuit natione Itala, patria verò Romana, parentes habuit inclytos nobilitate; Pater vocabatur Philippus, Mater Claudia, Fratres verò Auitus & Sergius: Philippus eius pater fuit Præfectus Alexandriæ totiuſque Aegypti Præſes, magis amicus Philoſophorum quàm fautor Idolorum: Eugenia parentum ſollicitudine fuit tam Latino quàm Græco inſtructa eloquio, & Philoſophicis etiam diſciplinis erudita; Et cum Apoſtoli Pauli recepiſſet epiſtolas, earum edocta lectione cœpit animo eſſe Chriſtiana, & cum Chriſtianis voluit conuerſari; quod vt faceret inſcijs parentibus ethnicis, petijt a patre villam ſuam in Alexandriæ ſuburbio ſitam recreationis cauſa adire: Cum ad illam pergit, Chriſtianos audit canentes; *Omnes dij Gentium dæmonia, Deus autem noſter cælos fecit*: Hæc audiens ſuſpirauit & fleuit, & cum Proto & Hyacintho Eunuchis ſuis conſilium init, quomodo Chriſtianam fidem, & religioſam profeſſionem amplecti poſſent; cælitus inſpirata dixit, ſe velle ſexum virgineum habitu virili & capite tonſo celare, & quod deinceps mutuò ſe fratres vocarent, ipſiſque ad omnia conſentientibus iniũxit, vt die ſequẽti præmiſſis omnibus alijs, ipſi iuxta baſternã quæ tecta vehebatur, ambulantes, deponerent propè monaſterium, cui præſidebat S. Helenus Epiſcopus cum Theodoro Præsbytero miraculis claro: Die ſequenti iuxta deſiderium Eugeniæ ſucceſsit, quę S. Heleno Heliopolis Epiſcopo de viſitatione circunſtantium monaſteriorum redeunti vidit innumeram multitudinem obuiam procedentem & audit pſallentes; *Via iuſtorum recta facta eſt, & iter Sanctorum præparatum*, quæ ſuæ intentioni congrua ſuſcipiens, ſe canentium turmis iungit, & dum ſimul ad monaſterium properat mira de ſanctitate & miraculis S. Heleni diſcit, & monachos obuiantes è monaſterio intuetur; Dum mater & fratres Eugeniæ deflent ipſam velut amiſsam, pater eius ex auro puriſſimo conflatam ipſius, vt à dijs raptæ & inter deas aſſumptæ ſtatuam dedicat lætabundus: Dum autem Eugenia poſcit ad S. Helenum admitti, ipſe requieſcens ſomnium vidit, in quo ad ſimulachrum fœminę ducebatur vt illi ſacrificaret, dixitque eis, qui ſeipſum tenebant; *Permittite mihi, vt loquar cum Dea veſtra*: Illi autem ait; *Cognoſce te creaturam Dei eſſe, & deſcende, & noli te permittere adorari*: Cum poſt quietẽ prædicta viſio volueretur in animo Epiſcopi, acceſſit ad eum Eutropius mediator Eugeniæ, ipſam cum ſocijs eorumque intentum ſignificans: Tunc vir ſanctus oculis in cęlum eleuatis ait; *Gratias tibi Ieſu bone refero, qui me præuenire feciſti huius rei notitiam*: Deinde iuſſit tres adduci iuuenes, & apprehendens manum Eugeniæ fudit orationem, & ſeorſum interrogat quinam eſſent quidue peterent; Ad hæc Eugenia reſpondit; *Ciues Romani ſumus, vnus ex his duobus fratribus meis Protus dicitur, alter* Hiacinthus, *ego autem Eugenius vocor*: Cui B. Helenus dixit; *Rectè te vocas Eugenium, viriliter enim agis; nam & hoc ſcias, quia Spiritu Sancto nos te* Eugeniam *corpore ante præuidimus, &c.* Deinde tres ſimul baptiſmo ſanctificatos habitu religioſo induit: Omnes breui maximam acquiſierunt perfectionem & miraculis etiam claruerunt. Contigit quòd matrona quædam Alexandrina nobiliſſima nomine Melanthia ab Eugenia curaretur a febre quartana, quæ capta pulchritudine eius (quem virum habitu & profeſſione credebat) cœpit impuro-

Digitized by Google

paro amore ipſam diligere; ſed cum allicere nec blanditijs, nec promiſſis valuiſſet, paſſa repulſam, conuerſo in furorem amore, perdere decreuit Eugeniam, quæ iam in Abbatem monaſterij fuerat electa: Vnde ipſam impudicitiæ, quaſi vim ſibi voluiſſet inferre, coram Præfecto denuntiat: Siſtens Eugenia, poſtquam chriſtianos omnes & monachos ſuos pro viribus iuſtificaſſet, affirmat conuincendam fore Melanthiam, ſi promittat ipſe conuictam non punire: Habito tali promiſſo, ſcidit Eugenia tunicam, & ſe filiam Præfecti manifeſtauit; A parentibus & fratibus agnita in ſublimi Throno collocatur, totuſque clamat populus, *Vnus Chriſtus, vnus & verus Deus Chriſtianorum*; Et ignis de cœlo deſcendens ſic Melantiæ domum circumdedit, vt nec veſtigium alicuius rei quæ ad eam pertinebat remanſerit. His conuerſus prodigijs Præfectus Philippus Eugeniæ pater baptizatur, & tota Ciuitas Alexandrina penè conuertitur, & Chriſtiani maxima cum libertate viuunt, donec adueniente perenni Præfecto Philippus factus Alexandriæ Epiſcopus ſecuri percutitur, & a S. Eugenia ſepelitur in monaſterio Sanctarum Virginum, quod Alexandriæ conſtrui fecerat, ibique manebat: Tunc pace Chriſtianorum turbata, S. Eugenia Romam cum matre & fratribus redijt, vbi monaſterium ſanctimonialiũ inſtituit, quas S. Cornelius Papa dirigebat, & ſingulis diebus ſabbathi viſitans totam noctem in hymnis peruigilem cum illis ducebat & ad galli cantum ſacra celebrabat myſteria; multas Eugenia Romæ Virgines conuertit, & inter illas Baſillam, quæ pro ſeruanda caſtitate capitis obtruncatione deceſſit: Eius occaſione fuerunt accuſati Protus & Hiacinthus, qui pro fide decollati fuerunt, Eugenia verò ſimilitèr accuſata ducitur ad templum Dianæ, vt ſacrificaret, ſed ipſa orante templum hiatu terræ penitùs abſorbetur cum idolo, facto terræmotu; Vnde præcipitur alligato ad collum ſaxo præcipitari in Tyberim; ſed ſaxo ſtatim diſrupto ſedens ipſa ſuper aqua fluuiali ſuauitèr efferebatur; Inde ſublata mittitur in fornaces Thermarum Seuerianarum; quæ ſic illicò ſunt extinctæ, vt calor refrigeſceret, & incendia deſinerent, Thermæ verò ſic deſtructæ remanſerunt, vt deinceps fuerint inutiles: Poſt hæc mittitur in tenebricoſum carcerem, ſine cibo per decem dies manſura, quem Dominus continuò illuſtrauit ſplendore, ipſumque effecit radiantem; Apparuit etiam illi Saluator ferens in manu ſua panem niuei candoris, ac immenſæ ſuauitatis & gratiæ, dixitque ei panem offerens; *Eugenia accipe cibum de manu mea, ego ſum Saluator tuus, quem tota mentis ac cordis intentione dilexiſti & diligis, eadem die te in cœlis recipiam, quo ego deſcendi ad terram*: Vnde ipſa die natalis Domini miſſus ſpiculator Eugeniam orantem percuſſit, cuius ſacrum corpus non longè ab Vrbe via Latina ſepultum eſt in prędio ipſius proprio, vbi priùs ipſa plurium Sanctorum corpora ſepelierat: Quæ poſtea Claudiæ matri ad ipſius ſepulchrum vigilanti apparuit induta cyclade auro texta Virginum comitatu ſtipata, dixitque ei; *Gaude & lætare, quia me Chriſtus introduxit in exultationem Sanctorum, & patrem meum in Patriarcharum numerum, & te Dominico die ſuſcipiet in gaudium ſempiternum, commenda filijs tuis fratribus meis cuſtodire ſignaculum crucis, vt efficiantur noſtri participes*; Tunc facta fuit maxima claritas, & Angelorum hymni ſunt auditi; De ea ſic habetur in Martyrologio Romano; *Romæ in cęmeterio Aprontani S. Eugeniæ Virginis, quę tempore Gallieni Imperatoris poſt plurima virtutum inſignia, poſt ſacros virginum choros aggregatos, ſub Nicetio Vrbis Præfecto diu agonizans, nouiſsimè gladio iugulata eſt*: Eius martyrium accidit anno Domini 262.

Probatur concluſio ratione generali, ſæpiùs alibi tacta, & ex profeſſo ſuo loco demonſtrata, quæ propterea hic ſolum indicatur: Ordo monaſticus fuit primis quatuor Eccleſiæ ſæculis indiui-

ſus & vnicus, cuius fundator erat ſolus Elias, omnes verò monachi erant eius alumni, & moniales alumnæ, qui ordo tunc vocabatur generaliter monaſticus, ſpecialiter autem Elianus, & nunc perſeuerat in Carmelitis: Ergo cum Sancta Eugenia floruerit ſanctitate in tertio Eccleſiæ ſæculo, & verè fuerit monialis, vt ex ſupradictis conſtat, fuit alumna religionis Carmelitanæ.

Secundò probatur ratione particulari: monaſterium illud, in quo fuit recepta, & inſtructa S. Eugenia, fuit inſtituti Eſſenorũ, de quibus loquitur Philo, vt ipſemet Baronius ad annum Chriſti 188. conceſſit; quod extitiſſe a tempore eiuſdem Philonis, aut etiam antiquius fuiſſe ſub antiqua lege, ſuadetur ex hoc, quòd in eo Sanctus Helenus Heliopolis Epiſcopus, qui tunc præerat, à iuuentute fuerat inſtructus, ac plures ſimul erant monachi, vt ait S. Alcimus Auitus Viēnenſis Archiepiſcopus lib. 1. ad ſororem pag. 417. tom. 6. Bibl. Col. *Et meritis, anniſque graues, longaque verendos relligione ſenes*: Sed Eſſeni, tam antiquæ legis, quam legis gratiæ (inter quos ex eodem Philone fuerunt etiam ſacræ Virgines) fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ, vt ſuo loco ſupra ex profeſſo probatum eſt: Ergo S. Eugenia fuit alumna Religionis Carmelitanæ.

AD Primum ergo dicendum, quòd nunc de iure communi verum eſt Virginem non poſſe profiteri vitam Religioſam in monaſterio virorum ob eccleſiaſtica decreta, & huiuſmodi profeſsionem factam eſſe nullam: Tunc autem non obſtabant hæc decreta, & S. Eugenia inſpiratione diuina, ac ex certa ſciētia & conſenſu S. Heleni Epiſcopi Præſidis huius monaſterij virorũ fecit profeſsionem; Vnde fuit valida, ſaltem ex diſpenſatione Dei, vt ſimilitèr dicetur de S. Euphroſyna; maximè quia illam confirmauit in nouo Virginum monaſterio, quòd ſub eodem Eſſenorum inſtituto iam cognita conſtruxit, vt dicetur ad tertium.

AD Secundum dicendum, quod Eſſeni etiam Chriſtiani tempore Philonis aliquas obſeruabant cæremonias Iudaicas in principio Eccleſiæ, quod tunc permiſſum fuit cæteris Iudæis factis Chriſtianis, ſed non multò poſt omnes illæ cæremoniæ fuerunt abrogatæ; Et ſic Eſſeni tempore S. Eugeniæ, ſi qui tali nomine adhuc vocabantur, fuerunt perfecti religioſi Chriſtiani.

AD Tertium dicendum, quod illud Virginum monaſterium de nouo conſtructum a S. Eugenia, fuit eiuſdem inſtituti, ac aliud prius Eſſenorum, & cōſequentèr fuit religionis Carmelitanæ: Quod vtrum perſeuerauerit vſque ad tempora S. Cyrilli noſtri Patriarchæ Alexandrini quarto Eccleſiæ ſæculo; vel vtrum ab ethnicis deſtructum, quando S. Eugenia Romam petijt, fuerit reparatum ab eodem S. Cyrillo, ignoratur: inuenimus ſolùm ab ipſo S. Antiſtite præfectam fuiſſe Abbatiſſam monaſterio Virginum a ſe inſtituto S. Virginē Saram, quòd fuit noſtræ Religionis Carmelitanæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum S. Euphraſia Virgo fuerit alumna Religionis Carmelitanæ.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quod S. Euphraſia Virgo nō fuerit alumna Religionis Carmelitanæ. Probatur. Hęc Virgo facta fuit religioſa ſub finem quarti ſęculi, cum iam multiplicati fuiſſent ordines religioſi; Vnde potuit eſſe, quòd illud monaſterium, in quo recepta fuit, eſſet inſtituti Baſiliani ex Græcia dilatati, quod non caret coniectura, cum ipſa Euphraſia eſſet Virgo natione Græca, cui religioſi ritus Græci præ alijs placuiſſent, quos viderat in alumnis virginibus cæterorum Aegypti monaſteriorum: Ergo fruſtra dicitur, quod fuerit alumna religionis Carmelitanæ.

Præ-

Digitized by Google

¶ 2. Præterea: Eſto inſtitutum S. Baſilij nondum fuiſſet in Aegypto receptum, cum S. Euphraſia facta fuit religioſa; iam tamen in Aegypto florebat Ordo religioſus S. Antonij, tunc in principio maximæ perfectionis, qualis erat illud monaſterium; quòd S. Euphraſia fuit ingreſſa: Ergo potiùs dicenda eſt alumna religionis S. Antonij, quàm Carmelitanę.

¶ 2. Præterea: Vt conſtat ex vita Sanctæ Euphraſiæ, diuerſa tunc erant inſtituta monaſteriorum Sanctimonialium in Aegypto, cum enim plura cum matre ſua viſitaſſet, inſtitutum illius, quod elegit placuit ipſi præ cæteris; Vnde non omnia huiuſmodi monaſteria tam diuerſi inter ſe inſtituti, fuerunt religionis Carmelitanę, quæ eſt vnicus inſtituti. Ergo ſine fundamento dicitur, quod monaſterium à S. Euphraſia electum fuerit inſtituti Carmelitani, & quòd ipſa fuerit alumna Religionis Carmelitanę.

SED CONTRA eſt traditio antiqua & vniuerſalis Carmelitanę religonis, & authoritas Sacræ Rituum Congregationis.

CONCLVSIO.

Cum Relegio Carmelitana ex approbatione S. Romanæ Eccleſiæ celebret feſtum Sanctæ Euphraſiæ quaſi ſuæ, hæc fuit alumna Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quod Sancta Euphraſia Virgo fuit alumna religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod S. Euphraſia fuit natione Græca, patria verò Cõſtantinopolitana, nata anno Domini 382. ſub Valentiniano & Theodoſio ſeniore Imperatoribus; Parentes eius fuerunt nobiliſſimi, ipſiuſque Theodoſii conſanguinei; Pater vocabatur Antigonus Imperialis ciuitatis Senator primarius, prouincię Lyciæ Gubernator, ipſique chariſſimus Imperatori, mater autem vocabatur Euphraſia naturæ ac gratiæ dotibus conſpicua, qui cum Euphraſiam noſtram ſuſcepiſſent, animis quidem coniuncti, corporibuſque ſeparati ſub eodem tecto annum vnum in timore ac amore Domini exegerunt. Mortuo Antigono, vidua Euphraſia relictis mundi pompis, cum dilecta filia tranſijt in Aegyptum, vt ibi ſecretiùs in monaſterijs Virginum Domino deſeruiret; In interiorem Thebaidem profecta, venit ad quoddam monaſterium, in quo ſub Abbatiſſa vna pluſquam centum & triginta moniales degebant, diſciplinę ſæuerioris obſeruantiſsimæ; Quarum exẽplo mota Virgo Euphraſia noluit domũ ſuam redire cum matre, ſed adhærens Abbatiſſæ dixit; *Verè & ego me voueo Chriſto meo, & vlteriùs cum Domina matre mea non vado*: His filiolæ verbis cõmota mater, eam aſſumens ad Dominicam imaginem adduxit, & extendens manus ad cœlum, cum magno clamore & fletu ait; *Domine Ieſu Chriſte habeto curam ipſius infantulæ, quia te concupiuit, & ſe tibi commendauit*: Et conuerſa ad filiam, & benedicens ait; *Euphraſia filia mea, Deus qui fundauit montes immobiles, ipſe te in ſuo timore confirmet*: Vnde Virgo Euphraſia ex matris beneplacito religioſum ſumpſit habitum, nec multò poſt pia mater plena bonis operibus obijt: Imperator, qui aliàs puellam Euphraſiam cuidam Senatori ſponſam promiſerat, ad eius inſtantiam ſcripſit ipſi vt Conſtatinopolim veniret, & nuptias ſuas celebraret; Propria manu reſcripſit Virgo iu hęc verba; *Domine Imperator, ſuadeſne ancillæ tuæ, vt reſpuam Chriſtum & homini corruptibili coniungar, qui eſt hodie, & cras non erit? Abſit ab ancilla tua, vt hanc iniquitatem faciam; Quapropter Domine, ne vlteriùs vos vir ille fatiget, Ego enim Chriſto conſenſi, & impoſſibile eſt me eum negare*: Hanc cum legiſſet epiſtolam Imperator cum Auguſta, & Senatoribus communicaſſet, fleuerunt omnes Sanctum Virginis propoſitum laudantes: Tunc erat Euphraſia Virgo annorum duodecim, & ad certamina ſe fortitèr exercebat ieiunijs &

Digitized by Google

alijs rigoribus, vt dęmonis tentationes Deo permittente frequentes & acerrimas ſuperaret: Ad exercitium patientię æmulam habuit in monaſterio nomine Germanam, quæ miris ipſam modis vexauit; & diabolus aperta vi ſæuiens in puteum aliquando proiecit, vnde miraculosè euaſit libera: Cum Euphraſia in ſtatu religioſo perfecta ſeruiret Domino, voluit Dominus ipſe bonus & iuſtus coronam ei iuſtitiæ in æterna gloria reddere; Et felicem eius tranſitum Abbatiſſæ myſtico ſomnio reuelauit: monita de hoc Euphraſia febri corripitur,& ſe proximo certamini parat, quòd fœliciter adimpleuit aſtantibus cunctis monialibus, eiuſque ſanctitatem admirantibus; die 13. Martij anno Chriſti 412. ætatis ſuæ 30. Aſtantes ſorores poſt lachrymas deuotionis, glorificauerūt Deū in hac Sancta ſua, quam virtutibus conſpicuam, & miraculis claram viderant, quę ad eius ſepulchrum perſeuerabant, vbi etiam expulſi dœmones clamabant; *Poſt mortem præualet contra nos Euphraſia, & nos perſequitur*.

Probatur Concluſio ratione generali toties adducta: Quatuor primis Eccleſiæ ſæculis ordo religioſus fuit vnicus & indiuiſus vnum agnoſcens Eliam ſuū Patriarcham, & omnes monachos, ac moniales velut ſuas proles conſiderans; donec poſt mortem Sanctorum Antonij & Baſilij cœperunt multiplicari ordines religioſi, ſub inuocatione horum fundatorum: Sed monaſterium illud in quo vixit Sancta Euphraſia, cum iam eſſet antiquum in Thebaide, quando ipſa acceſſit, vt conſtat ex magno monialium numero, non potuit eſſe ſub noua inuocatione Antonij vel Baſilij, Antonius enim qui prior mortuus eſt, anno Chriſti 358. obijt, quinquaginta tantùm annis ante S. Euphraſiam mortuam anno 412. Et tam paucis annis non potuit eius inſtitutum habere tam antiquum monaſterium, & ſatis diſſitum a loco Aegypti, vbi vixit ac fundauit Antonius; Et conſequentèr debuit eſſe ſub antiqua inuocatione S. Eliæ, quæ firmata fuit, & perſeuerauit hactenus in religione Carmelitana, maximè quia non ſtatim poſt mortem Antonij & Baſilij facta fuit huiuſmodi diuiſio ſtatus religioſi in plures ordines: Ergo Sancta Euphraſia fuit alumna Religionis Carmelitanæ.

Secundò probatur ratione ſpeciali: religio Carmelitana ab immemoriali antiquitate celebrat officium diuinum S. Euphraſiæ vt Sanctæ Ordinis, ſicut conſtat ex Martyrologio & Calendario ipſius; Et hanc ſolam aſſumpſit cum S. Euphroſyna inter tot Sanctas moniales antiquas, quas generali ratione velut alumnas ſuas agnoſcit; cui acceſſit authoritas Sacræ Congregationis de Ritibus: Ergo adeſt ſpecialis ratio dicendi, quòd Sancta Euphraſia fuit alumna Religionis Carmelitanæ. Confirmatur communi ſententia Doctorum ipſius religionis Carmelitanæ, quos longum eſſet adducere; imò ſuperfluum, cum eorum authoritates paſſim occurrant: Quam ſequuntur plures extranei, vt Carthagena libro 17. Homiliarum, Laurentius Beyerlinck tomo 6. Theatri vitæ humanę lib. 16. verbo Religioſus & Religio, agens de Carmelitis, Alphonſus Villegas *in vita S.* Euphraſiæ inter extrauagantes, & Cathalogos Sanctorum præfixus operi Nicolai Menerbij de Sanctis.

AD Primum ergo dicendum, quòd non ſtatim poſt mortem S. Baſilij fuit diuiſus ordo monaſticus, ita vt ſtatim ipſe fuerit agnitus quaſi Patriarcha ſpecialis alicuius Religionis; ſed in illo principio tantùm agnoſcebatur vt reformator Ordinis monaſtici: nec illud monaſterium S. Euphraſię potuit eſſe inſtituti ipſius, quia S. Baſilius mortuus eſt anno Domini 378. Et antiquum erat cum illud ingreſſa fuit S. Euphraſia anno 389. duodecim annis poſt mortem S. Baſilij vt conſtat ex eius vita.

AD Secundum dicendum, ſicut iam dictum eſt, quòd illud monaſterium Sanctæ Euphraſiæ, iam antiquum, & ſatis diſſitum a monte Sancti Antonij, non potuit eſſe eius inſtituti; ſed erat alicuius congregationis reformatæ ſub anti-

antiqua religione Carmelitanæ.

AD Tertium dicendum, quòd licet tunc eſſet vnicus ordo monaſticus ſub Patriachatu Eliæ; plures tamen erant eius congregationes, in multis accidentalibus diuerſæ, quamuis in regula vniformes, vt patet tunc in ordine S. Benedicti, & in alijs, in quibus tam diuerſæ ſunt congregationes, etiam in exteriori habitu.

ARTICVLVS IV.

Vtrum S. Euphroſyna Virgo fuerit alumna Religionis Carmelitanæ.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd S. Euphroſyna Virgo nō fuerit alumna Religionis Carmelitanæ. Probatur argumento generali, quòd ſcilicet illo tempore, quo S. Euphroſyna religioſum ſumpſit habitum, iam multiplicati erant ordines monaſtici poſt mortem Sanctorum Antonij & Baſilij, quæ pluribus annis ante ſucceſſerat: Ergo Sancta Euphroſyna non fuit alumna religionis Carmelitanę potiùs quam aliarum.

¶ 2. Præterea: Eſto tunc inſtitutum monaſticum S. Antonij non penetraſſet in Thebaidem & alia loca remotiora, erat tamen celeberrimum Alexandriæ, vbi ipſe Antonius fuerat ſanctitate conſpicuus, & miraculis clarus; Vnde monaſterium illud, quod ingreſſa fuit S. Euphroſyna, poteſt ſaltèm æquè dici S. Antonij, ac Religionis Carmelitanæ: Ergo ſine fundamento dicitur, quòd Sācta Euproſyna Virgo fuerit alumna religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea. Quamuis monaſterium S. Euphoſynę fuerit religionis Carmelitanæ; ipſa tamen non poteſt dici profeſſa talis religionis, quia virgo erat, & non potuit profiteri inter homines, ac præſertim non conſentientes; nam profeſſio religioſa fundatur in mutuo contractu, vt ſit valida, inter religionem ſcilicet admittentem & perſonam ſe tradentem: Ergo S. Euphroſyna Virgo non fuit alumna religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt antiqua & vniuerſalis traditio Carmelitanæ religionis & authoritas Sacræ Rituum congregationis.

CONCLVSIO.

Cum Religio Carmelitana, ex approbatione S. Romanæ Eccleſiæ, celebret feſtum Sanctæ Euphroſynæ Virginis quaſi ſuæ, hæc fuit alumna religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Euphroſyna Virgo fuit alumna religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd S. Euphroſyna fuit Aegyptia Alexandrina, pijs ac nobiliſſimis orta parentibus; Pater vocabatur Paphnutius, cuius vxor cum eſſet ſterilis, apud Deum pro obtinenda prole precibus & eleemoſynis inſtabat, quā tandem obtinuit, & Euphroſynam nominauit: Erat Virgo toto corpore ſpecioſa, & facie pulcherrima, alijſque tum naturæ tum gratiæ donis præſtantiſsima vnde & parentibus erat dilectiſsima: Cū duodecim eſſet annorum, piam matrem amiſit, & patris ſollicitudine in morum honeſtate, ac etiam in humanis litteris iam perfecta deſtinatur matrimonio; breui tradenda erat electo nobili ſponſo, ſed contra propriam ſeruandæ virginitatis inclinationem, quam continuis precibus Domino commendabat, qui virilem ipſi animum inſpirauit: Contigit Paphnutium eius patrem ab Abbate cuiuſdam monaſterij, pro natali ipſius celebrando inuitari, quò per aliquot dies manſurus acceſsit; decreuit hac occaſione pia Virgo fugere ſęculum, & ſtatum religioſum amplecti, obuio cuidam religioſo fidens ſuam aperit mentem, eiuſque conſilio muliebrem habitum decreuit in virilem commutare tonſo capite, & ad idem virorum monaſteriū, vnde pater mox rediturus erat, accedere, ne vllus ſuſpicionis locus eſſe poſset: De-

Digitized by Google

Decretum executioni mandat, & Abbatem conuenit intrepida; Cui dixit Abbas, *Quid eſt, quod huc veniſti fili?* Reſpondit Virgo, *Ego quidem de palatio fui Eunuchus, & deſiderium habui conuerſationis monachorum, notum autem factum eſt mihi de bona veſtra conuerſatione, & cupio habitare vobiſcum*; Cui dixit Abbas, *Bene veniſti fili, quod eſt nomen tuum?* Reſpondit, *Smaragdus*: Tunc introducitur, & quingentos ſolidos Abbati protulit, maiora monaſterio promittens: Credi non poteſt, quantum ex abſentia filiæ Paphnutius afflictionē concepit, vbique requirit latentem, & perditam iugibus deplorat lachrymis; dum illa vitutum exercitio ſub diſciplina monachi ſenioris nomine Agapiti vacans, miros in ſanctitate progreſſus facit: Videns afflictus pater, ſe nullum de filia chariſſima nuntium audire, ad prædictum Abbatem conſolationis cauſa tandem accedit; Cui inter alia ſic ait Abbas, *Scio quod filia tua ſibi bonam partem elegit, propterea nihil nobis de ea reuelatum eſt, ſi in malis operibus verſaretur, quod abſit, nunquam Deus deſpexiſſet tantum laborem Fratrum, habeo fiduciam in Domino, quòd eam in hac vita tibi manifeſtabit*: Cum frequentiùs conſolationis cauſa Paphnutius ad idem monaſterium accederet, quadam die maiori preſſus afflictione, ſe ad Abbatis pedes proiecit dicens; *Ora pro me Pater, quia non poſſum ſufferre dolorem de filiæ meæ iactura*: Quia Smaragdus opinione Sanctitatis erat in monaſterio conſpicuus, ad eius cellam ſpiritualis gratia conſolationis introducitur pater afflictus, quem videns benedicta filia perfunditur lachrymis compaſſiui amoris, ſed ne poſſet colloquens agnoſci, cuculla faciem operuit, præmiſſaque oratione, poſt alia pia colloquia, circa particularem eius afflictionem ſic conſolatur dicens; *Crede mihi, quòd non deſpiciet te Deus, & ſi in via perditionis eſſet anima filiæ tuæ, manifeſtaret eam tibi Deus, ne illa a diabolo retenta perpetuum tibi & ſibi luctum inferret; ſed credo in Deum, quia bonum conſilium ele git ſibi iuxta verbum Euangelij dicentis; Qui diligit patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus; Et ſi quis non abrenuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; poteſt autem Deus in hoc ſæculo manifeſtare eam tibi, ſine iam, ſine luctum, quid temetipſum conficis contriſtando? ſed age gratias Deo nihil deſperans*; his conſolatum dimiſit patrem. Cum Euphroſyna triginta & octo annos in monaſterio ſub Smaragdi nomine egiſſet, in extremā decidit infirmitatē, quā viſitauit Paphnutius, & iuſta interpellat querela, quod moriatur non adimpleta promiſſione de videnda filia: Cui dixit compatiens virgo; *Quid turbaris, & temetipſum interficis? nunquid inualida eſt manus* Domini, *aut quicquam eſt Deo difficile? iam pone finem triſtitiæ, recordare quomodo Patriarchæ Iacob manifeſtauerit Deus filium Ioſeph, quem quaſi mortuum lugebat, ſic tibi filiam tuam manifeſtabit, ſed obſecro te*, vt *per tres dies non me deſeras*: Tertia die ſciens Euphroſina diuinitùs ſe breui morituram, ſic patrem alloquitur; *Quia Deus Omnipotens bene diſpoſuit meam miſeriam, & adimpleuit deſiderium meum, quod ad finem vſque viriliter certando perduxi, non mea virtute, ſed eius adiutorio qui me cuſtodiuit ab inſidijs inimici; Peracto curſu ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, nolo autem te iam ſollicitum eſſe pro filia tua Euphroſyna; Ego enim ſum illa miſera, & tu es pater meus; Ecce iam vidiſti eam, & ſatisfactum eſt tibi; Sed nemo hoc ſciat, & non permittas ab alio corpus meum nudari & lauari, ſed a temetipſo hoc facias; Et quia promiſi Abbati, multas me poſſeſſiones monaſterio daturam, ſi perſeuerare poſſem, imple quod promiſi, quia venerabilis eſt locus iſte, & ora pro me*; Hæc dicens tradidit ſpiritum Kalendis Ianuarij anno Domini 430. ætatis verò ſuæ 56 ſub Imperatore Theodoſio Iuniore. Paphnutius poſt amoris paterni teneritudinem, & curatum filiæ funus, elegit in eadem filiæ cellula perſeuerare, & in eadem mattula dormire; quòd decem annis effecit, & plenus dierum ac bonorum operum deceſſit.

Pro-

Digitized by Google

Probatur concluſio ratione illa generali toties adducta, quòd monachi & moniales quatuor priorum Eccleſię ſæculorum fuerunt Religionis Carmelitanę: Et quia illam articulo præcedenti maturiùs expendimus, non repetimus in præſenti, æquè enim procedit de Sancta Euphroſyna, ac de Sancta Euphraſia, cum eodem penè tempore religioſum ſtatũ ambæ ſuſceperint, Euphraſia enim vix tribus annis in vocatione religioſa præceſſit Euphroſynam, quamuis in morte præceſſerit octodecim annis; nam Euphraſia, vt dictum eſt, obijt anno 412. Euphroſina verò anno 430. Sed hæc vixit in religione triginta octo annis, cum illa tantùm viginti tribus annis vixerit: ſolùm hic notandum eſt, quòd hoc Sanctæ Euphroſyne monaſterium, ad ſuburbium Alexandriæ poſitum inſtituti Eſſenorum idem eſſe videtur ac illud, in quo priùs ducentis quinquaginta circiter annis S. Eugenia Virgo & martyr ſimili arte militans triumphauerat.

Secundò probatur ratione ſpeciali etiam adducta articulo præcedenti, quæ proinde ſolùm hic indicatur: religio Carmelitana ab omni antiquitate celebrat officium & feſtum Sanctæ Euphroſynę, quaſi ſuę; Vnde tam in Calendario quàm in Martyrologio Carmelitano denominatur ſancta ordinis ipſius, Et hoc ex approbatione Eccleſiæ Romanæ: Ergo ſpeciali iure S. Euphroſyna dicitur alumna religionis Carmelitanæ. Confirmatur authoritate Doctorum omnium noſtræ Carmelitanę religionis, ac plurium exterorum, præſertim Carthagenæ libro 17. homiliarum, & Laurentij Beyerlinck lib. 16. tomi 6. Theatri vitę humanæ; verbo religioſus.

AD Primum ergo dicendum, ſicut ſuperiori articulo dictum eſt, quod in Alexandrina Ciuitate nondum erant monaſteria, quæ nouo Sancti Antonij quaſi fundatoris titulo florerent, ſicut nec in eius ſuburbijs, ſed omnia ſub antiquo Elię Patriarchatu militabant, quãuis ſub inuocatione proprij Abbatis. Et idem dicendum de S. Baſilio, cuius inſtitutum non tam citò Græciæ fines præterijt. Et ſimiliter dicendum ad Secundum.

AD Tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de via ordinaria; ſed in præſenti concurrit inſpiratio & diſpenſatio Diuina, quæ eſt ſuper omne ius Eccleſiaſticum.

ARTICVLVS V.

Vtrum Sancta Angela Regis Bohemiæ filia fuerit Carmelitanæ Religionis alumna.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd S. Angela Regis Bohemię filia non fuerit alumna Religionis Carmelitanæ: Ita tenennt aliqui, qui tãtùm concedunt eam geſtaſſe ſcapulare vel habitum Carmelitanum ex deuotione, & ſic ad ſummum fuiſſe tertiariam huius Religionis. Probatur: Sancta Angela, quæ fuit alumna Religionis Carmelitanę, dicitur Tyriæ natione, ac proinde non fuit Regis Bohemiæ, quia de nullo Rege Bohemiæ legitur quod tunc fuerit in Ciuitate Tyri, præſertim cum vxore, vt ei poſſet ibi naſci filia: Ergò S. Angela Regis Bohemiæ filia non fuit alumna religio-nis Carmelitanæ.

¶ 2. Pręterea: Quo tempore Sancta Angela dicitur ſumpſiſſe habitum religionis Carmelitanæ a S. Brocardo Generali legitur in chronicis defunctus ante Sanctus Brocardus: Ergo ruit fundamentum; quo innituntur illi, qui dicunt Sanctam Angelam Regis Bohemię filiam fuiſſe alumnam religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea. Sancta Angela, quæ dicitur alumna religionis Carmelitanæ, vocatur filia Raymundi Regis Bohemiæ: ſed pro illo tempore, quo refertur hæc S. Angela, non inuenitur in Bohemia Rex huius nominis; at potiùs regnabat Vadislaus, vt conſtat ex ſerie &

Chro-

Digitized by Google

Chronologia Regum Bohemiæ: Ergo non ſubſiſtit aſſertio dicentium, quod S. Angela Regis Bohemiæ filia fuerit alumna Religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt antiqua & vniuerſalis traditio noſtræ Religionis Carmelitanæ, cōmunis ſentētia Doctorū ordinis noſtri ac plurium aliorum, & authentica Regni Bohemiæ monumenta.

CONCLVSIO.

Sancta Angela Regis Bohemiæ filia fuit alumna Religionis Carmelitanę.

RESPONDEO dicendum, quòd S. Angela Regis Bohemiæ filia fuit alūna religionis Carmelitanę, cuius habitum inter noſtras moniales geſtauit, ſolemnem emiſit profeſſionem, regulares obſeruantias exercuit, ac ſanctiſſimè vixit & mortua eſt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd inter alumnos noſtræ religionis ſolùm eos & eas numeramus, qui in toto rigore vitam religioſam votis firmatam vſque ad mortem duxerunt: ſi enim adinſtar aliquorum omnes eos numeraremus, qui quaſi tertiarij ordinis eius habitum geſtauerunt, innumeros propemodum referemus, tū Summos Pontifices, tum Imperatores, tum Reges maxmè Sanctum Ludouicū Galliæ & Edoardum Angliæ, tum alios Principes; Ex veris autem religioſis hic occaſione præſenti paucos indicamus, qui ſanguine vel Pontificio, vel Imperiali, vel Regio nati ſanctitate floruerūt; Ex antiquis habemus Sanctas Virgines Eugeniam Philippi in Aegypto Præfecti filiam, Euphroſinam Alexandrinam, & Euphraſiam Conſtantinopolitanam Theodoſij Imperatoris conſanguineam, Franciſcam de Ambaſia Duciſſam Britanniæ; Ex modernis habemus Michaelam a S. Anna adhuc viuentem, Vlyſſipone Imperatoris Matthiæ filiam, Parmæ Thereſiam Margaritam illius Ducis ſororem, Mariam Lieſſam de Luxemburgo; Romæ duas ex inclyta domo Columna Mariam Thereſam & Claram Mariam, ac tandem tum in Italia; tum in Gallia, tum in Hiſpania, tum alibi quā plurimas ex tota nobilitate totius Europæ: Inter noſtros etiam quàm plurimos ſimiles habuimus; Ex antiquis Nōnum Aluarum Pereir & Ioannem Emmanuelem, ex modernis verò Ioſephum d'Alencaſtro & alium ex Regio Luſitanorum ſanguine, qui Ioſeph etiam fuit ex Regia Anglorum familia: Romæ tres vidi inter noſtros Principes, nempe Alexandrum a Sancto Franciſco eodem momento apud nos indutum quo eius auūculus recenter electus ſub nomine Leonis XI. adorabatur, Ioannem Baptiſtam a Ieſu Maria Vrſinum, & Nicolaum Mariam a Spiritu Sancto Barberinum, dimitto reliquos, Ducum, Marchionum, Comitum, & aliorum Magnatum filios quos noui.

Probatur concluſio ex relatione fideli vitæ S. Angelæ, quæ ex Archiuijs Regni Bohemiæ deſumpta fuit, quàm fuſiùs in libro de Vitis Sanctorum noſtri ordinis Carmelitani refero, hic tamen appono ipſiſſimis verbis R. P. Ioannis Bollandi Societatis Ieſu. *Angela Virgo* Vadiſlai Regis Bohemiæ filia, Pragæ nata eſt Regni Metropoli. Eam in cætu religioſarum Virginum à prima ętate educari pater iuſſit, vt linguam latinam, ac probos mores condiſceret, altęq; imprimeret animo. Hic illa Sanctimonialium inſtitutione, & cura atque innocentis vitæ exemplis, vt erat capaci ingenio, magnam hauſit ſacrarum litterarum intelligentiam, alteque Dei in pectore ſuo amorem radicauit. Id documento ſit, quod ipſa Patri retulit conſpectum à ſe cum Sancto Euſtachio virgine Sanctum Hieronymum eſſe, intra monaſterium in medio Sacrarum Virginum conſeſſu. In preces quadam die ſub veſperam antè Maius Altare proſtrata, leni primum ſopore corripitur; Mox Glorioſā Virginem Dei Matrem ſpectat, frequenti ſtipatam Angelorum corona ſuauiſſimum melos concinentium. Experecta, ſibiq; reddita, animaduertit decantari ab ijs adhuc piam illam Antiphonam: *Aue Regina*

Digitized by Google

gina Cælorum, Aue Domina Angelorum &c. Quæ abſoluta Cœleſtium illorum Symphoniacorum vnus ad eam aduolat, monetque vt fugam arripiat, ac Hieroſolymam proficiſcatur, ibique in cœnobio ordinis Beatiſſimę Virginis de monte Carmelo ſacrum induat habitum; id enim agitare nunc Patrem, vt ipſam ad Regiam reuocet, ac mortali copulet ſpõſo. Pragam venerat ipſo tempore Hungarię Regis filius, ac hæres, eximia ſpecie Iuuenis, Angelæ videndæ ſtudio, inque coniugem poſtulandę. Illa verò illibatam perpetuò tueri virginitatem cupiens, Angeli monitu in tempeſta nocte profugit, relicta in conclaui ſchedula, qua latinis verbis propria manu cõſignata, parentem, ac religioſas de fuga ſua fugęque conſilio edocebat. Hinc veſtem ſuam ſplendidam vulgari, eaque virili permutat ſexum conditionemque occultura, tradito ei, à quo hanc mercabatur, Chirographo: *Ego Angela veſtem hanc à te accipio, proque illa meam pretioſam do, vt ea diuendita aliam tibi compares.* Mittuntur poſtridiè ad Cœnobium viri nobiles, qui eam ad aulam reducant religioſarum vt abeſſe eam didicerunt turbati non leui ſolicitudine animi. Rex ira ęſtuans ad monaſterium aduolat, ingreſſuſque filiæ conclaue, eius manu his verbis latinè exaratam ſchedam reperit: *Quæretis me, & non inuenietis, propterea vobis hac ſcriptura animi mei propoſitum indico: Ieſum Chriſtum amo ſuper omnia, cui fidem, meq; ipſum voui, ac ſacraui: Ideò hinc abſceſſi, inflammatum enim eſt cor meum vehementi deſiderio attentè contemplandi cubile ſponſi mei, in quo in meridie cubat. Noſtis igitur vbi ſim. Quamobrem mi Pater, ſi te mihi Patrem, tibi me filiam vis eſſe obſecro ne me à Cæleſti Patre meo abſtrahas. Pater quidem tù mihi es, fateor, tibi ego filia: verùm alius mihi in Cælis Pater, qui Rex Regum eſt, & Dominus Dominantiũ. Hic miſſis nuntijs iſta mihi pręcepit: Audi filia, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui.* Obſtupuit Rex ijs perlectis, atque vbertim lachrymans ſedulò percunctatur, an nulla ſanctimonialium gnara extiterit conſilij, quod filia ceperat. Negare ſingulæ, vllam ſe tam ſubiti, & clandeſtini abitus cauſam ſcire. Rex ad palatium mœrens reuertitur, huius rei præcipuè eum pœnitebat, quòd iſthic inſtitutionis gratia filiam collocaſſet. Certatim eum Aulici, ac proceres his ferè rationibus, vt mœrorem poneret hortabantur: *Si Diuino inſtinctu ad Religioſam vitam vocetur, nefas eſſe ei obſtaculum ponere, ne Deo repugnare velle parens videatur: Si proprio quodam impetu id aggreſſa ſit breui pręſentia ſua ſolatium Patri allatura; inſtabiles eſſe natura, minimeq; propoſiti tenaces fæminas, eam verò & pecunia deſtitutam, neque aut ferendæ inopiæ aſſuetã, aut labori ſuſcipiendo idoneam, ętate adhuc in ſcholis exacta, nedum habilem operi, quo vitam ſuſtentet, faciendo. Reperiri autem breui dimiſſis circum monaſteria, & Xenodochia nunciis poſſe.* Pacatus vtcunque his ſermonibus Regis animus eſt. Mox Clientum turbam quaqua versùs ablegat iuſſos nulli parcere induſtriæ ac labori, dum Regiam Virginem aſſequantur; Inanis horum diſcurſus, ac conatus fuit. Angela die toto per vaſtam ſolitudinem, ac ſaltus immenſos vagata, ſub noctem conceſſit in hominis adhuc gentilitijs erroribus detenti domum, quem ipſa religionis noſtræ myſterijs eruditũ Eccleſiæ aggregauit, ac Deo Sanctæque Dei Matri caſtas inter preces commendauit. Tum feſſum Viæ labore, & incõmodis corpus modica quiete recreauit ſub auroræ ortum excitat à ſomno Angelam Virgo Deipara aſpectabili ſpecie, monetque præparaſſe illi ſe idoneam requiei ſedem. Illa ſubito gaudio perfuſa domo egreditur, abit in aliam ſolitudinem, terribilem adeò, vt per eam nemo abſque Duce iter capeſſeret. Paululum progreſſę obuiam veniunt quidam, & rati in tam denſam & horribilem ſyluã veniſſe deſperatione vitæ adactam, reducere conantur; Quærunt igitur artemne norit aliquam, aut opificium? ſcribendi peritam fatetur. Singulis gratias,

Digitized by Google

quàm honeſtiſſimè poterat, egit. Erat inter hos miles, ad iter Conſtantinopolitanum accinctus, inde Palæſtinam petiturus. Hunc Angela obſecrat, vt ſe comitem accipiat, quęrit ille ipſius nomen. *Id tibi Domine*, inquit, *indicabo, vbi è Bohemiæ confinibus exceſſerimus.* Capeſsũt vnà iter, nihil enim ille in Angelæ reſponſo, quod ſuſpectaret notarat. Cum procul iam à Regni finibus abeſſent, vnaque colloquentes agerent iter, quęrit iterum miles vndè illæ ipſi veſtes haud ſatis ad ſtaturam eius formamque corporis accommodatæ. *Domine*, inquit, *ſi pateris, totam rerum mearum ſeriem exponam. Me Pater Bohemiæ Rex ab infantia educari in Monaſterio curauit. Hic menti incidit Hieroſolymam Dei amore petendi, ac ſacra luſtrandi loca cupido. Egredi porrò è monaſterio pretioſis indutus veſtibus non auſus nequid deſiderium meum moraretur Fāmulo veſtes meas dedi, vilioribus, quæ illius erant me indui*. Nihil vultra quærere, aut ſuſpicari miles, prouidente Chriſto, ne quid ſponſæ ſuæ incommodi, oriretur. Cum perueniſſent Conſtantinopolim, adit Angela Sanctæ Sophię ædem, primariam Regiæ Ciuitatis; vbi preces fundenti Chriſtus formoſi pueruli ſpecie viſendum ſe præbet, ac familiari alloquio recreatæ, opes incorruptibiles pollicetur, precumq; canonicarum, quas ſanctimoniales ordinis montis Carmeli recitant breuiarium donat, quo cum ijs illa diuinas concinere laudes poſſit. Illud ipſa magna reuerentia, ac ſubmiſſione accepit, ampliſſimis Numen gratijs venerata, à quo tot ac tātis cumulata beneficijs eſſet; Venit tandem Hieroſolymam, ac ſacra omnia loca circuiuit eximia pietate; tum militi fido hactenus comiti vale dixit, diuertitq; ad Cœnobium Carmelitici ordinis, piæ mulieri iſthic commoranti; quæ ſit aperit, quid meditetur, quo cęleſti ardore ſuccenſa. Illa muliebrē ei habitum promit; ſic indutam ad Præſidem, ac Magiſtram Cœnobij deducit, in ſacrum eam cætum coaptandam. Ipſi præſidi obiecta in ſomnis eiuſmodi ſpecies erat. Videbatur Virginem ad ſe venientem videre, breuiario inſtructam, humique proſtratam, & habitu Sancto veſtiri ſe poſtulantem. Nec deluſam ſe inani ſomno crederet, faciem formamq; corporis, in ſomnis conſpectam illicò agnouit: Minùs etiam dubitauit, vbi Breuiarium, quòd erat dormienti oblatum, vidit. Percunctata igitur, vnde domo, quo animo iſthuc veniſſet, qua ratione & fefelliſſet ſuorum oculos, & iter longinqum peregiſſet. Dei opus id eſſe confeſſa, non ſola ſomnij fide permota, magna charitate in ſuum eam cœtum religioſa veſte indutam, accepit. Poſita Angela expetita dudum felicitate, innocentiſſimam deinceps vitam, vt cœperat egit: præcipuè verò poſtquam expleto tyrocinij tempore, ſolemnibus ſe votis Deo adſtrinxit, illuſtria dedit cœteris ſodalibus ſuis virtutum religioſarum exempla. Eam demum aſſecuta eſt famam Sanctitatis, vt idoneam cenſerent, quæ vniuerſo Cœnobio pręficeretur, non abſq; Cœleſti oſtento. Deceſſerat Prior illa Sanctimonialium maxima, cui quæ ſubroganda potiſſimam eſſet, haud perindè expedire virgines ſcire poterant. Non ambitio, aut penuria idonearum ſuſpendebat ſuffragia, ſed harum potiùs copia. Sex erant omninò, quas ad id munus, æquales ferè ſanctimonię, & prudentiæ opinio vocabat. Incertæ quam ex his legerent, ad Sanctum Ioannem S. Angeli Martyris Fratrem priùs Carmelitam monachum, tunc Hiſroſolymorum Patriarcham mittunt rogatum, vt fuſis indictiſque precibus Diuinum ſuſcitaretur reſponſum. Annuit pijs earum poſtulatis Religioſiſſimus Patriarcha; Cumque Diuinum ad Aram Sacrificium perageret, eamque rèm ſollicitè Numini in viuorum commemoratione, quæ antè cōſecrationem fieri ſolet, commendaret, ab vſu ſenſuum abſtractus ſex Virgines ex eo Cœnobio ſpectat, coram ſe tranſeuntes, ſingulas ardentem lampadem manu geſtantes. Harum poſtrema erat Angela, quæ hierothecano ferebat obſcura circumdatam cryſtallo. Tum Patriar-

triar-

Digitized by Google

triarcham monet Angelus vltimam hãc prȩficiendam cæteris eſſe, quæ ſtudio Humilitatis cryſtallo minus pellucidæ ſymbolo indicatæ, ſuum ſplendorem virtutum aſpici publici nollet. Viſo Antiſtitis motæ Angelam ſibi Matrem cunctæ eligunt, ipſe electionem ratam habuit Patriarcha, & denuò precatus eſt Deum, vt eam in ſancto propoſito ad finem vſque vitæ confirmaret conſeruaretq; Præfuit illi Hieroſolymitano Cœnobio Angela magna laude ſanctitatis, ipſos triginta quinque annos. Longè ipſa cȩteras omnes anteibat, affligendi corporis, domandique animi ſtudio, vigiliarum, Inediæ, precationis aſſiduitate, ac præſertim modeſtia, ſuique demiſſione: Nam licet regio nata ſanguine, nulli ſe vnquam prȩferebat; ſed vel indè ſui deſpiciendæ anſam arripiebat. Munifica in pauperes erat, ergà afflictos miſericors, familiare illi cum Angelo colloquium, cui ſe non nomine magis, quam caſtitatis puritate ſimillimam efficere nitebatur. Ab hoc didicit nequaquam ſe in terra ſanta morituram. Sabbatho quodam, quem ipſa diem ad honorem Reginȩ Angelorum ſingulari pietate exigebat, venit ad eam Angelus, multaque de Regno Dei collocutus, ad extremum verba Apoſtoli inpelcauit: *Qui perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit*. Dein diuitias illi cœleſtis Hieruſalem commonſtrauit, planèq; inflammatam deſiderio æternæ beatitudinis eam reliquit. Illa deinceps omni diligẽtia diù noctuq; ſatagere, vt cœleſti ſuo ſponſo placeret, atque in animo ſuo ardentiores identidem illius amores ſuſcitaret. Leue illi quidquid agebat, egeratue adhuc, & propè nihil eſſe, pro maxima ſua humilitate videbatur. Hinc quidquid animo expetijſſet liberalitèr ei Sponſus ſuus Ieſus largiebatur. Cum ſex menſium ſpatio nulli omninò imbres decidiſſent, ſummaq; ſiccitas terram exhauſiſſet, mȩſti ad Patriarcham conueniunt mortales, & ſuam quæruntur calamitatem; quorum ipſe motus commiſeratione cum Diacono ſuo Euſebio Cȩnobium adit, atq; Angelam rogat, vt cum ſuis Deo offerat preces pro publicarum ærumnarum leuamine. Cui Angela, *Sãctiſſimè Pater, Edicito Hieroſolymitis, vt accuratè hodie peccata ſua confiteantur, copioſum ipſis imbrem diuinitùs die craſtino dandum*, interim ipſam cum ſuis omnibus ardenter admouet preces, vt cœleſtem afflicto Populo opem impetret, vt ſpoponderat; Poſtridiè largus effuſus eſt Cœlo imber: gratiæ illi publico nomine actæ. Conati ſæpè numero ſunt Saraceni Cȩnobium illud deſtruere, diuinitùs ſemper Angela precibus repreſſi. Venerat Mammeluchus quidam cum valida manu Aethiopum, vt noctu illud inuaderet, ac depecularetur, Iam iam admouentem nefario operi manus ſubitò conteruit è Cœlo miſſa vox eiuſmodi: *Caue ne hierothecam meam profano auſu violares*. Ille perculſus refert ilicò pedem cum ſuis, magna perturbatione. Cum iam enormibus Chriſtianorum flagitijs irritatus Deus, Palæſtinam tradere paganorum populationi, Gentemque internecioni decreuiſſet; Deipara Virgo, Angelam haud multo antè, his ferè verbis admonuit: *Filia, celeriter hinc profuge, & terras has linque, quas Deus abominandis Chriſtianorum ſceleribus offenſus paganis poſſidendas tradet: uti pridem S. Cyrillo fideli meo Clienti monaſterij montis Carmeli Priori, aperui. Redi igitur in Patriam, & pro populi quoque tui ſalute Deum precare; nam & illi magna imminet calamitas*. Pragam reuerſa denunciauit Cœleſtes iras, vaticinio ſibi indicatas, quas de hæreſi ipſa interpretata eſt, ea nimirum, quȩ ſub annũ 1410. exorta, ad hæc vſque bella in eo Regno debachata eſt. Alijs deinceps cœleſtibus viſis dignata, quæ & ſcriptis mandauit. Tum cællæ ſe ſe Eremitarum in morem includi curauit, Reliquum iſthic vitæ acturæ. Confecto demum longeuæ peregrinationis curſu admirabili ſenſu pietatis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ viaticũ, Extremamque Vnctionem accepit, Priore Cœnobij Carmelitarum Pragenſis, ea ſibi conferente; tandem adſtantibus An-

gelis ſpiritum in ſponſi ſui Ieſu amplexum emiſit die 6. Iulii. Canentium ac plaudentium Angelorum auditæ in aere voces. Patrata deinceps ad eius tumulum miracula, æternæ, qua potitur in Cœlo, fælicitatis argumentum. Floruit circiter Annum Chriſti 1230. ſcripſit de Perfectione Ieſu Chriſti librum 1. de Sanctiſſima Euchariſtia lib. 1. de ſuis Reuelationibus lib. 1. Hæc è veteri M.S. codice & Martino del Rio Societatis Ieſu ſumpta. Ex his demonſtrata manet concluſio: ſed confirmatur ampliùs, & magis declaratur ex quadam diſquiſitione hiſtorica Patris Bohuslai Palbini Societatis Ieſu Bohęmi de hac materia. Hic author primò per modum obiectionis ponit ſilentium omnium Hiſtoricorum veterum Bohæmiæ, qui nullam penitùs mentionem faciunt Sanctæ Angelæ, nec Raymundi Regis Bohęmię, cuius filia traditur fuiſſe. Secundò proponit authoritatem contrariam plurium authorum, qui mentionem huius Sanctæ Angelæ quaſi Carmelitanę faciunt, ſed trium expreſſo nomine, ſcilicet Antonij Poſſeuini Societatis Ieſu, M. Antonij Del rio in Diſquiſitionibus magicis, & M. Antonij Alegro de Caſanate Carmelitæ in Paradiſo Carmelitici decoris. Tertiò, quædam examinat ab aliquibus relata, quæ non poſſunt probari vera; Et quidem quantùm ad nomen Regis tunc in Bohemia regnantis, determinat fuiſſe Vuladiſlaum II. Quantùm ad locum, vbi Sancta Angela facta fuit Carmelita, quoſdam impugnat meritò dicẽtes quòd facta fuerit in monaſterio Pragenſi, probans tunc monaſterium Virginum ordinis Carmelitani ibi non fuiſſe. Quarto adducit ſententiam P. Crugerij Societatis Ieſu nobis contrariam, ſic dicentis in Syllabo Sanctorum & numero 52. *B. Angelam Carmelitanis libenter adſcriberem, vt ipſi eam ſibi attribuũt; ſed quomodo poſſum, Hiſtoricus nullus de ea vel nominata quidquam habet:* Car*melitani, ſi alibi, certè in Bohemia nuſquã fuerunt; optarem vt fundamentum aſſertionis ſuæ oſtenderent, quia hac Sancta Virgo ornaret Reges & Regnum noſtrum:* Hęc Author iſte, (qui tamen in hoc ſaltem decipitur, dum aſſerit Carmelitas nuſquam fuiſſe in Bohemia; nam certiſſimum eſt in ordine Carmelitano ante has hereſes fuiſſe prouinciam Bohemiæ vigeſimam nonam antiquitatis ſerie, cuius Prouincialis nunc etiam eligitur, qui tali titulo & priuilegio officij fruitur: Quintò, quædam proponit velut fundamenta ſuæ ſententię, nempe quod olim, ſicut & nunc plures ſacræ Virgines in ſumptione habitus religioſi nomen baptiſmatis in aliud deuotionis mutauerunt, & de vno monaſterio in alterum tranſierunt, etiam alterius ordinis; Et vtrumque multis exemplis demonſtrat: His iactis fundamentis ita loquitur; *S. Angelam Virginem, & Bohemã ſanguine Regio ortã, & Carmelitani inſtituti fuiſſe prorſus nõ dubitò: mouet me Antonij Poſſeuini noſtri fides, qui procul dubio quæ in antiquis codicibus inuenit, deſcripſit; nec cauſam vllam habuit fingendi: Mouet Detrij noſtri litteratura, & in manuſcriptis excutiendis diligentia: mouet denique hiſtoria Carmeliticæ authoritas: mouent libri ipſius S. Angelæ, quos ſupereſſe ex Poſſeuino cognoſcimus, qui ſuæ authoris nomen produnt: mouent etiam antiquæ imagines; Boleslaniæ in Bohemia non ita pridem videri deſiit in pariete ſuſpenſa imago S. Angelæ Virginis, quæ in ſubſcriptione Regis Vuladislai filia, & Carmelitana fuiſſe affirmabatur; Item apud Sanctum Gallum Pragæ cernitur*: Hactenus hic Author ſexto ſic disertè ſuam proponit ſententiam dicens · *Aio igitur probabile & pluſquam probabile omnino mihi videri, S. Angelam (de qua nobis eſt ſermo) Virginem Carmelitanam filiã Vuladislai Regis Bohemiæ fuiſſe, genitam ex prima eius vxore Gertrude Conradi III. Cæſaris ſorore & filia S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ ex Agnete filia Henrici IV. Cæſaris; adeoque S. Angela Virgo auum habuit Cæſarem Henricum, patruum Cæſarem Conradum, patrem Regem Vuladislaum II. matrem Reginam Gertrudem ſanctiſsimam faminam, quam a pietate commendant Hiſtori-*

ci,

ti, fundatricem monaſterij Virginum Præmonſtratenſium Doxanæ, fratrem Regem Præmiſlaum Oldagarum I. glorioſiſsimum alterum fratrem S. Adalbertum ſeu Albertum Epiſcopum Salisburgenſem, fundatorem monaſtery ad Straubingam Ordinis Præmonſtratenſis, ſororem verò B. Agnetem priùs Doxanæ Prioriſſam, poſtea Principiſſam & Abbatiſſam ad S. Georgium in arce Pragenſi. Hic author ad horum euidentiam quædam ſubiungit; Primò S. Angelam binomiam fuiſſe; & vel in baptiſmo Helenam Angelam, vel primò Helenam & poſtea ſacro velamine Carmelitanarum accepto loco Helenæ Angelam appellatam eſſe; Deinde ſubiungit Vuladiſlaum II. Patrem S. Angelæ duas vxores habuiſſe, primam Gertrudem prædictã, ex qua tres filios & duas filias ſuſcepit, ſcilicet Fridericum, Svuatoplucum II. prædictum Albertum Epiſcopum, Helenam (noſtram videlicet Angelam) & Agnetem, Ex ſecunda verò nempe Iuditha Ludouici III. Haſſiæ Lanſgrauij filia duos tantum filios Præmiſlaum & Vadiſlaum, ſed nullam filiã; Tandem reſpondet Author, ideò Hiſtoricos Bohemiæ non feciſſe mentionem S. Angelæ, & aliquos etiam nec ſub nomine Helenę, tum quia non ſunt ita exacti in referendis filiabus Principum, quę in monaſterijs includuntur, & ſui memoriam non relinquunt in filijs; quod maxime currit de S. Angela, quę furtim euaſit de Bohemia, & fugiens in Palæſtinam diu latuit, & ideò fortè voluit nomen mutare; Vnde nihil de illa ſcribendum inuenire potuerunt Hiſtorici. Quæ omnia prædictus author firmiter probat ex Hiſtoricorum teſtimonio: Et tandem dicit, quod Vuladiſlaus pater S. Angelę nauigauit in Syriam, rebuſque maximis in Tyro & Palęſtina pro religione geſtis glorioſus reuerſus eſt in patriam, ac fortaſſe quòd Vuladiſlai nomen exteris aſperiùs videbatur, Raymundus eſt vocatus: Fortè hæc nauigatio fuit occaſio quòd aliqui dixerunt S. Angelam fuiſſe natam in Tyro vel Palæſtina, & Tyriam aut Palæſtinam nominauerunt.

AD primùm ergò dicendum, quòd S. Angela dicta fuit Tyria, quia dicitur ibi ſanctum religionis habitum ſumpſiſſe, ac proinde ſpiritualitèr Chriſto natam fuiſſe: quomodo S. Ludouicus Rex Galliæ ſe denominabat ex oppido Poiſi, quia fuerat ibi ſacro baptiſmate regeneratus.

AD ſecundum dicendùm, quòd ſecundùm antiquã noſtræ religionis Carmelitanę Chronologiam receptio S. Angelæ ad ordinem ſucceſsit vltimis penè diebus S. Brocardi tunc Generalis: ſed ſecundùm Lezanam & alios recentiores ſucceſsit aliquot annis antequam moreretur S. Brocardus; & nullibi legitur quòd eſſet mortuus, quando S. Angela noſtrum ſuſcepit habitum.

AD Tertium dicendum, quòd Rex Bohemiæ pater S. Angelę forſan erat binomius, & aliquando vocabatur Vadiſlaus aliquando Raymundus; quod non eſt rarum apud Reges, vt probari poteſt authoritate Sacræ Scripturę in Aſſuero qui vocatur etiam Artaxerces: quòd ſi hæc nominum varietas ex alicuius errore contigerit, non debet hiſtoriæ veritati præiudicare.

QVAESTIO XVI.

De primis Generalibus reſtaurati Carmeli.

ORDINE ſucceſsionis debitę, nunc agendum eſt de primis Generalibus reſtaurati Carmeli, qui Latinorum dicuntur, & quorum ſucceſſores continuata ſerie nominantur: Circa quos quæruntur ſeptem.

¶ Primo, Vtrum S. Bertholdus fuerit Reſtaurator Carmelitanæ religionis.

¶ Secundo, Vtrum S. Brocardus fuerit Legiſlator Carmelitanæ religionis.

Ter-

Digitized by Google

¶ Tertio, Vtrum S. Cyrillus Conſtantinopolitanus fuerit præſcius expulſionis Carmelitanæ religionis de Terra Sancta.

¶ Quarto, Vtrum B. Bertholdus fuerit ampliator religionis Carmelitanæ extra Palæſtinam.

¶ Quinto, Vtrum B. Alanus fuerit propagator religionis Carmelitanæ in Europa.

¶ Sexto, Vtrum S. Simon Stoch fuerit protector religionis Carmelitanæ contra ęmulos.

¶ Septimo, Vtrum B. Nicolaus Gallicus fuerit zelator primariæ ſolitudinis Carmelitanæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sanctus Bertholdus fuerit Reſtaurator Carmelitanæ Religionis.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Bertholdus nō fuerit reſtaurator Carmelitanæ Religionis. Probatur: Prima reſtauratio Carmelitanæ Religionis contigit poſt tertium Eccleſiæ ſęculum, cuius author fuit Sanctus Hilarion Abbas, & paulò poſt Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus eam perfectè ſtabiliuit; Ergo nomen reſtauratoris Carmelitanæ Religionis his potiùs quàm S. Bertholdo conuenit.

¶ 2. Præterea; Sanctus Bertholdus in acquiſitione Terrę Sanctæ reperit in montis Carmelo Carmelitanæ religionis alumnos, viros ſanctitate probatiſſimos, vt refert S. Cyrillus Conſtantinopolitanus contemporaneus ac teſtis oculatus, ita quòd S. Bertholdus nec primos inſtituerit ibi Religioſos Carmelitas, nec reformauerit ſiue reſtituerit in diſciplina religioſa; Ergo Sanctus Bertholdus non fuit reſtaurator Carmelitanæ religionis.

¶ 3. Præterea: Si tempore Sancti Bertholdi facta fuit aliqua Religionis Carmelitanę reſtauratio, Venerabilis Petrus Eremita debet potiùs dici author eius, quàm S. Bertholdus; Tum quia fuit promotor belli ſacri, quo fuit acquiſita Terra Sancta, & renouatus mons Carmelus; Tum quia ipſe iam religioſos Carmelita virtutis ac talentis conſpicuus, S. Bertholdum acquiſiuit religioni Carmelitanæ, ad montem Carmelum adduxit: Ergo Sanctus Bertholdus non fuit reſtaurator Carmelitanæ religionis.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiqua traditio Religionis Carmelitanæ, & communis ſententia Doctorum ipſius.

CONCLVSIO.

Sanctus Bertholdus verè fuit reſtaurator Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Bertholdus fuit reſtaurator Carmelitanæ Religionis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd S. Bertholdus fuit filius Guidonis de Malephaida nobilis Lemouicenſis, de cuius procreatione ac educatione plura ſuperiùs dicta ſunt, dum ageretur de S. Gerardo Patriarcha Antiocheno: Cum fratre ſuo Aymerico de Malephayda Epiſcopo Podienſi ſeu Anicienſi electo tunc Apoſtolico Legato pro recuperatione Terræ Sanctæ, nauigauit in Syriam: Exercitus Chriſtiani Duces Antiochiam obſederunt, & facilè cœperunt; ſed dum Caſtellum ciuitati prominens expugnarent aduenit Corroberandus Turcarum princeps ad auxilium Antiochię deſtinatus a Calipha, cum infinita militum multitudine, adiunctis etiam copijs Damaſcenorum Regis, & Hieroſolymorum Admiraldi: Hi a Senſadolo Caſsiani filio prædictum caſtellum ſiue caſtrum recipientes, ciuitatem adeò vehementer obſederunt, vt grauiſsima fame premerentur Chriſtiani, ita vt pauci ab humanis carnibus ſe continerent: In hac tribula-

bulatione S. Bertholdus magno merore confectus promiſit ſe Deo & Beatæ Mariæ Virgini iugitèr in monte Carmeli ſeruiturum, ſi Dominus reſpiceret plebem ſuam: Tunc eidem Ieſus ſplendidam crucem ſuper caput geſtans, cum Beatiſsima matre ſua & S. Petro apparens, durè increpauit Chriſtianis beneficia collata fornicantibus atque ingratiſsimis; Cumque minaretur ſe vindicaturum, Sanctiſsima & pijſsima Virgo Maria miſericordię mater cum S. Petro ad pedes Domini corruit, ſupplicans vt iram Clementia ſua mitigaret: Deinde ait Dominus Bertholdo tunc Pręsbitero; V*ade, dic populo meo, Lupanar, proſtibulum, & omnem à vobis abuſum proijcite, & optimum præſtabo vobis auxilium; ſi reuerſi fueritis ad me, ego quoque reuertar ad vos; Cantetur diebus quinque Reſponſorium, congregati ſunt inimici noſtri*. Igitur non multò poſt ignis in caſtra Turcarum de cœlo deſcendit, & de mõtibus innumerabilis exercitus cruce ſignatus, vexilla alba in manibus geſtans accedere viſus eſt, cuius duces Georgius, Demetrius, Mauritius, Mercurius, ſancti Dei martyres æſtimati ſunt: Tunc Legatus exclamauit voce magna; *O fortiſſimi milites Chriſti, ecce auxilium Domini, pugnate viriliter*: In conflictu igitur diei illius occiderunt Turcarum pluſquā centum millia, præter illos igne cœleſti conſumptos anno Domini 1098. in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli: His viſis Admiraldus Caſtri Præſidens, Chriſtianus cum trecentis militibus effectus, ſe & caſtrum tradidit. Quid fecerit deinde S. Bertholdus, narrat Arnoldus Boſtius lib. 6. cap. 9. dicens: *Porrò cum ſic, vt præmittitur, terræ promiſſionis loca ſancta tam glorioſè à Principibus Chriſtianis bellico apparatu recuperarentur, Sanctus Bertholdus, qui Petro Eremitæ poſt mortem Aymerici Epiſcopi Podienſis germani ſui adhæſerat, & vſque ad introitum Sanctæ Ciuitatis Ieruſalem ſecutus fuerat, inæſtimabili gaudio replebatur: Qua propter imbre multo lachrymarum ſingula loca ſancta perluſtrans, de tantis victorijs magna cum deuotione immenſas Deo gratias peragebat: Deinde votum ſuum, quod Deo, & Beatæ Marię Virgini in Antiochia obſidionis & famis tempore promiſerat, reddere diſponens iuxta Scripturam dicentem; Vouete, & reddite: locum Carmeli montis adijt, viſitatiſque ſingulis antiquis Patribus eremitis eiuſdem vberrimi montis, per diuerſas eorum ſeparatas cellulas, imitator ſanctiſſimæ vitæ illorum, ac Sanctorum Eliæ & Eliſæi prophetarum fieri decreuit: Quod cum omnibus illis Eremitis valde gaudentes placuiſſet, ab eiſdem habitum religionis cum oratione ſolemni ſuſcepit; Verùm ipſe Sanctus in Sancto propoſito in dies proficiens, tandem eremiticæ vitæ finis, & cœnobiticæ diſciplinæ, ibidem extitit recuperator eximius*.

Probatur concluſio fideli relatione authorum, qui reſtauratam Carmelitanę Religionis obſeruantiam & primariam perfectionem ſub regimine S. Bertholdi affirmant. Sic ait S. Cyrillus Conſtantinopolitanus coæuus illorum temporum epiſtola ad Euſebium Eremitam montis Neroi: *Placuit ei* (ſcilicet Deo) *ciuitatem Ieruſalem anno Domini 1099. & conſequenter totam Terram Sanctam pedetentim a perfidis Saracenis liberare, & eam ac indigenas eius fideles poteſtati & dominio Chriſtianorum reducere: Propter quod cæpit tunc cultus religionis in Carmeli mõte ampliari, quam plures enim deuoti peregrini, qui ab Occidente ſuperuenerant, odore huius ſancti loci tracti, & deuotione religioſorum eremitarum montem hunc inhabitantium permoti, mundo renuntiabant & pro contemplatione cæleſtium ſe eorum contubernio iungebant*. Deſcribens autem modum, quo per S. Bertholdum reſtaurata fuit religio Carmelitana, ſic ait in eadem epiſtola: *Erat autem in diebus illis Patriarcha Antiochenus, & in Terra Sancta Apoſtolicæ Sedis Legatus, vir quidam amabilis Deo & hominibus, nomine Aymericus Maleſayda natione Lemouicenſis, de villa appellata Salamiacum; Qui prædictorum anteceſſorum noſtrorum Eremitarum Fratrum B. Mariæ de monte* Car-

Carmeli laudabilem conuerſationem attendens, eos multùm ſpecialitèr ſuo tempore in Domino enutriuit: Intelligens autem quoſdam eorum qui ex Occidente ſuperuenerant, ſpretis ſeniorum monitis non rectè ambulare ad veritatem religioſæ vitæ eremiticæ in prædicto Ioannis libro deſcriptæ, & perpendens hoc ideò maximè contingere, quià Græcas litteras ignorantes neſciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in latinum transferri: Et vt illorũ improborum coerceretur audacia, tutaque inter eos eſſet Seniorum Eremitarum huius montis innocentia, ipſos omnes per obedientiæ vinculum colligauit; ſtatuit enim quòd ex ipſis vnus, qui diceretur Prior, deinceps eis ita præeſſet, vt quilibet aliorum obedientiam ei deuouerent, ſub cuius cura & regimine omnes viuerent; quibus antea licet ſemper vnus ex eis præeſſet, quem Alba lingua Syra, & Patrem Latina appellabant, ſub regimine cuius etiam tunc temporis manebant, & cui etiam ſpontè obediebant, nunquam tamen ad obediendum alicui ſe voto ſpeciali prius alligauerant, donec prædictus Patriarcha Aymericus eos ad hoc primum aſtrinxit: Inter quos ipſe fratrem ſuum habuit, ſcilicet fratrem Bertholdum virum religioſum, ſanctumque Prasbyterum (aliàs famoſum) quẽ de vnanimi omnium aſſenſu Domini anno 1121. *primum Priorem eis inſtituit, & cui cura animarum cæterorum iniunxit: Quibus & monaſterium in hoc monte Carmeli ad honorem B. Margaritæ ædificari faciebat, infra quod eos includere intendebat, ſed priuſquam monaſterium hoc conſummaſſet, ſuſtulit eum de mundo Deus:* Hęc S.Cyrillus: Circa quę nota, quantà hic Patriarcha frater S. Bertholdi, vel vt alij volunt, eius conſanguineus eodem nomine Aymericus, de ipſius S. Bertholdi iam facti Prioris Generalis conſilio fecerit pro reſtauratione religionis Carmelitanæ; faciens primò transferri de Græco in Latinum librum Ioannis 44. qui deſeruiret Latinis ex Occidente venientibus pro regula; Deinde obligans prędictos Latinos, qui hactenus ſine votis viuebant vt eremitę iuncti contubernio noſtrorum religioſorum Carmelitarum antiquiorum (qui emiſſa profeſſione veri erant religioſi) votum obedientiæ facere, & ſic reformatos aſſociari religioni ſub eorum Superiore S. Bertholdo; Denique ſimul omnes in vnum conuentum congregans ex cellis Carmeli ſeparatis, vbi tamen priùs ſub obedientia religioſa degebant; Et ſic ex puris eremitis monachos & eremitas fecit Cœnobitas. Quam perfectè ſub noui Patris regimine viuerent noſtri Carmelitæ, dicit Trithemius libro de Laudibus Carmelitarum; ſic enim ait cap. 8. *Manſerunt itaque Fratres in monte Carmelo ſolitariam vitam in paupertate non modica ducentes; donec multis euolutis annis, Terra ſancta per Chriſtianos iterum fuit recuperata, & peregrinis iter ad illam in pace compoſitum: Facta fuit hæc Terræ Sanctæ recuperatio per Ducem Gotfridum anno Domini milleſimo nonageſimo nono: Deinde, poſt annos paucos confluentibus vndique peregrinis, & maximè de regione Europæ, numerus fratrum in monte Carmelo valde multiplicatus eſt, in tantum, vt præ multitudine montes implerent & vrbes: O ſi tunc Ordinis Carmelitici decorem in ſua maieſtate vidiſſes, nunquam fuiſſe ſimilem alium exclamares! Erat videre delectabile, Fratres innumerabiles circa montem Carmelum habitantes in cellulis, & cauernis petrarum, idipſum omninò ſapere, Deo maximo die noctuque quàm deuotiſsimè ſeruire, mundum cum ſuis voluptatibus pro Chriſti amore contemnere. Summa tunc apud illos erat religio, ſumma regularis vitæ perfectio, cum fratres in carne manentes, carnem ipſam cum vitijs ſuis fortiter euicerunt: Floruit in pace religio, quę paulò ante turbata perfidorum incurſibus deficere putabatur: Venerunt ex omni Europa fratres peregrini, & colla monaſticis diſciplinis in monte Carmelo humilitèr ſubmiſerunt.* Hæc Trithemius, quibus addimus quę dicit Guillelmus de Sannico in Chronica his verbis: *Qui cum ità multiplicati fuiſsent, vt in monte* Carmeli *omnes commodè recipi non poſſent, repleuerunt deſertas Terræ Sanctæ ſoli-*

ſolitudines, in quibus prædeceſsores eorum antiquitùs habitauerant, quarum famoſiores hic commemorabo: Aliqui enim eorum ſequentes veſtigia Sanctorum Patrum huius religionis, videlicet B. Ioannis Baptiſtæ & filiorum Prophetarum, conſtruentes ſibi modica tabernacula in ſolitudine Iordanis latuerunt: Quidam autem ipſorum deſertum montis Quarentenæ elegerunt, vt illic vitam ſolitariam in modicis cellulis Domino ducerent, propè fontem cuius aquas ſteriles & amaros Eliſæus propheta ſanauit, & in quo deſerto Dominus Ieſus Chriſtus quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit: Alij vero eorum in eremo illa, quæ adiacet mari Galilææ, in qua Ieſus frequenter turbis prædicauit, & ex quinque panibus hordeaceis duobuſque piſcibus multitudinem magnam hominum ſaturauit, & varijs miraculorũ ſignis illuſtrauit, ſolitariam ſibi elegerunt habitationem. Hæc ſunt bona ſpiritualia & temporalia, quæ S. Bertholdus pręſtitit ſuę Religioni Carmelitanę, propter quæ meritò vocatur reſtaurator ipſius, poſtquam virtutibus & ſanctitate conſpicuus, & miraculis clarus obijt in monte Carmelo. De ipſo ait Vernerus Rouelinch in lib. faſciculi temporũ: *Animas quàm plurimorum Fratrum, quas Saracenorum abſumpſit gladius, cum corona martyrij ab Angelis in cælum deferri vidit.*

AD primum ergo dicendum, quòd ſolùm probat S. Bertholdum non fuiſſe primum reſtauratorem religionis Carmelitanæ: Præceſſerunt illi duo, quos ſuo tempore imitatus eſt Sanctus Bertholdus.

AD Secundum dicendũ, quòd Sanctus Bertholdus, quia reperit in monte Carmelo religioſos continua ſucceſsione perſeuerantes, ideo vocatur reſtaurator religionis Carmelitanæ, & non fundator: Illorum tamen inſtitutum perfectiùs reddidit in regularibus obſeruantijs, ad communem vitam reducendo, & antiquos reparando conuentus.

AD Tertium dicendum, quòd quidem Petrus Eremita fuit Venerabilis alumnus noſtræ Religionis Carmelitanæ; non poteſt tamen dici reſtaurator ipſius per ſe, quia non fuit ſuperior, qui eius reparationi & reformationi attenderet, fuit enim occupatus in dirigendo bello ſacro; propter rationes tamen adductas poteſt dici aliqualitèr reſtaurator religionis Carmelitanæ, id eſt diſpoſitiuè, mediatè, & occaſionaliter.

ARTICVLVS II.

Vtrum Sanctus Brocardus fuerit legislator Carmelitanæ Religionis.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Brocardus nõ fuerit Legiſlator Carmelitanę Religionis. Probatur: Primus & principalis Legiſlator religionis Carmelitanæ fuit Sanctus Elias eius inſtitutor, propoſitis communibus obſeruantijs, in quarum exercitio vita religioſa firmabatur, quæ communes obſeruantię in verbis efficacibus & continuatis alumnorum eius exemplis traditæ, quaſi regula viua erant Ergo Sanctus Brocardus non fuit Legiſlator Carmelitanæ religionis.

¶ 2. Præterea: Secundus Legiſlator Carmelitanæ Religionis fuit Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus: nam quãdiu religioſus ordo monachalis perſeuerauit indiuiſus, ædem obſeruantiæ per Eliam introductæ continuata traditione recipiebantur, quaſi viua regula; poſtquam autem ordo religioſus fuit diuiſus multiplicatis fundatoribus, ipſe Ioannes ſuum librum edidit de Inſtitutione monachorum; &c. qui continens modum viuendi prędeceſſorem Carmelitarum, locum regulæ religionis Carmelitanæ obtinuit, & vt talis fuit de Græco translatus in latinum tempore S Bertholdi: Ergo Sanctus Brocardus eius ſucceſſor non fuit Legiſlator Carmelitanæ religionis.

¶ 3. Præterea: Tempore quidem S. Brocardi fuit data regula Religioni

Digitized by Google

Carmelitanæ: Sed hæc non fuit data a Sancto Brocardo, at potius à B. Alberto Patriacha Ieroſolymitano, vt conſtat ex ipſo regulæ titulo, dicitur enim *Regula primitiua ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo à B. Alberto Patriarcha Ieroſolymitano tradita*: Ergo Sanctus Brocardus non fuit Legislator Carmelitanæ religionis.

SED CONTRA eſt antiqua traditio religionis Carmelitanæ, & communis ſenſus Carmelitarum.

CONCLVSIO.

Cum regula primitiua Religionis Carmelitanæ, fuerit à Sancto Brocardo composita, & ad eius inſtantiam a Beato Alberto Patriarcha Ieroſolymitano tradita; meritò Sanctus Brocardus poteſt dici Legislator religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Sanctus Brocardus meritò poteſt dici Legislator Religionis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Sanctus Brocardus fuit patria Ieroſolymitanus, de cuius electione in ſecundum Generalem latinorum noſtræ religionis, ſic ait S. Cyrillus Conſtantinopolitanus eius in hoc officio ſucceſſor immediatus, in epiſtola ad Euſebium in Speculo Ordinis libro 8. cap. 2. *Proceſſu autem temporis mortuo primo eorum Priore, videlicet Fratre Bertholdo ſub regimine cuius 45. annis manſerant, perplexitas magna eorum animos inuaſit de ſucceſſore eius instituendo, de cuius inſtitutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus morte præuentus eis reliquerat: Tandem poſt lapſum temporis Fratrem Brocardum, virum perfectum vnanimitèr præficientes, ei omnes obedientiam promiſerunt, ſub regimine cuius triginta tribus annis permanſerunt.* Ex hac authoritate S. Cyrilli fuit orta diuerſitas computuũ inter authores Carmelitarum: nam antiqui Scriptores computant 45. annos regiminis S. Bertholdi à principio quo fuit religioſus in monte Carmelo, nempè ab anno Domini, milleſimo centeſimo, cũ enim ex tunc eſſet vir eximius tam ſanctitate quàm doctrina, & inſuper eſſet frater aut Germanus Apoſtolici Legati: magnam habuit authoritatem: Quibus quadraginta quinque annis ſi addantur triginta tres Sancti Brocardi, erit annus Domini 1173. & additis viginti ſeptem annis Generalibus S. Cyrilli ſucceſſoris S. Brocardi peruenitur ad annum Domini milleſimum ducenteſimum, circa quem mortuus dicitur idem S. Cyrillus in lectionibus officij eius; cum hoc autem computo multi ſucceſſus religionis bene congruunt; cum alio autem nouo aliquorum, qui 45. annos regiminis Sancti Bertholdi incipiunt ab anno Domini 1121. dicti ſucceſſus diſcordant à communi traditione. Sanctus Brocardus non tantùm domeſtico ordinis regimini vacabat, ſed etiam publicis Chriſtianorum negotijs attendebat, cum neceſſitas & charitas id exigerent; miſſus fuit a B. Alberto Patriarcha Ieroſolymitano Damaſcum ad Regem Syriæ & Aegypti Saladinum, ad obtinendas inter ipſum & Chriſtianos inducias, quas fœlicitèr concluſit: multa fecit miracula; nam dicitur iuuenem mortuum ſuſcitaſſe, quem induxit poſtea, vt relicto ſæculo & habitu religionis accepto in mõte Carmelo deſeruiret Domino, ad imitationem S. Ionæ prophetæ, qui ſimili modo ſuſcitatus a mortuis per Eliam, ei continuò poſtmodum adhæſit; Mamelucum etiam Principem natione Arabem, Sultani in Ciuitate Damaſcena Prorogem, a lepra & manuum contractione miraculosè liberauit dum ipſum in Iordane baptizauit, nec ſolùm reddidit Chriſtianum, ſed etiam adducens in Carmelum effecit religioſum inſignem: Poſtquam igitur ſanctiſſimè ſuum ordinem rexiſſet, obdormiuit in Domino anno 1173. die 2. Septẽbris, Eius animam ab Angelis in Cœlum deferri viderunt religioſi; Cuius mortẽ cum B. Albertus Patriarcha didiciſſet, ait, *Iam flos Carmeli decidit*; Et cum lachrymis ſubiunxit; *Iam ſecurus & ſaluus eſt*,

eſt, dignuſque numerari inter præcipuos Eccleſiæ Sanctos. De illo tale elogium facit Palæonydorus libro 3. cap. 2. *Iſte eſt Brocardus, qui toto prioratus ſui æuo ſtuduit amari vt facilis, timeri vt fortis, & vt prudens obſeruari; Donatumque a Deo illi extitit, vt etiam viuens miraculis coruſcus eſſet, nam inſtar Eliæ mortuũ ſuſcitans iuuenem ad Ordinis ſuſceptionẽ, velut alterum Ionam induxit*.

Probatur Concluſio communi traditione Religionis Carmelitanæ, quæ tenet S.Brocardum ediḋiſſe regulam ſuã primitiuam ex libro iam citato Ioannis 44. ſicut & ex ordinationibus S. Baſilij, quas ipſe Baſilius olim in Carmelo didicerat. Deinde probatur authoritate expreſſa plurium Doctorum; tum noſtratum tum exterorum. Balæus in Cathalogo Scriptorum Britann.Centuria 3. ait: *Brocardus igitur Hieroſolymitanus, ſecundus eorum Præſes anno Domini* 1171 *compoſuit eis regulam, ex Baſilij dogmate quædam mutuatus, vt ſecundùm illam viuerent*. Habetur in Geſneri Bibliotheca *Brocardus Patria Hieroſolymitanus, Palæſtinorum Decor Hebræus, ac Latinè ſcripſit Canonem (id eſt Regulã) ſui Ordinis lib.* 1. *Statuta in Carmelo lib.* 1. *exhortationes pias lib.* 1. *atque alia*. Idem ſcribit Antonius Poſſeuinus in apparatu ſacro littera B. in appendice. Radicem huius conſideremus: ſtatim ac S.Brocardus ſe Generalis officio nouit obſtrictum, pro grege ſibi commiſſo cœpit vigilare, quaſi rationem pro ſingulorum animabus redditurus: non ſolùm pro ſuis viribus curauit religionem illæſam in illo bono ſtatu conſeruare, in quo eam a ſuo Sancto Prædeceſſore S.Bertholdo ſuſceperat; ſed etiam decreuit illam firmiùs ſtabilire, ac perfectione maiori decorari. Medinm ad hoc obtinendum elegit valde opportunum: A Beato Alberto Patriarcha Ieroſolymitano petiit, vt authoritate ipſius conderetur Regula, quam Religioni Carmelitanæ traderet obſeruandam: religio Carmelitana à principio fundationis ſuæ per Eliam toto tempore legis ſcriptę, & quatuor primis Eccleſiæ ſæculis, ſine regula ſcripta ſolis obſeruantiæ ſuæ traditionibus continuò conſeruatis in ſuo vigore perſeuerauit: Sed quia traditiones, etſi ſatis firmæ, pro viris pia ductis affectione, ab alijs tamen faciliùs negari poſſunt, quàm Scriptura quę demonſtratur exhibitione librorũ; Ideò Venerabilis Capraſius aliàs montis Carmeli Prior, & Generalis Ordinis, petijt à Ioanne 44. Patriarcha Ieroſolymitano, ad maiorem regularis obſeruantiæ firmitatem, adiunctis alijs motiuis, vt plenè ſcriberet de noſtræ religionis inſtitutione, continuata ſucceſſione, primis eius alumnis, modo viuendi, & habitu regulari: Quod effecit in libro ſuo de Inſtitutione monachorum, in antiqua lege exortorum, & in noua perſeuerantium; qui liber communi receptus applauſu, fuit norma & regula viuendi cunctis Eliæ diſcipulis & alumnis Carmelitanę religionis: ſed quia fuerat a prædicto Patriarcha ſcriptus idiomate Græco, quod tunc in Palæſtina vigebat; ideò Palęſtina per Latinos Principes occupata, & Carmelo per Europæos vt plurimum religioſos reparato, Sancti Bertholdi primi Latinorum Generalis ſollicitudine, & Aymerici Patriarchæ Antiocheni Legati Apoſtolici diligentia & authoritate de Græco fuit in Latinũ translatus liber prędictus, vt ſic ab omnibus facilè caperetur: Verùm Sanctus Brocardus volens adhuc perfectiùs obſeruantiam regularem ſtabilire, ſciens quòd natura humana pro innata ſua debilitate ac infirmitate ſemper ad laxiora tendit, & auſtera refugit niſi contineatur: Ideò præuidens futura, & ex adducta radice conijciens fieri poſſe, quòd refrigeſcente charitate ſurgerent aliqui dicentes, quòd nunc debilitata natura modus ille viuendi maiorum noſtrorum in dicto libro deſcriptus eſſet intolerabilis, & quòd illi fortiori natura præditi potiùs admirandi quàm imitandi eſſent; maximè quia in dicto libro nihil præcipitur: Inde eſt, quòd ad perpetuam regularis obſeruantiæ firmitatem, & ad excludenda ſimilia relaxatio-

tionis inconuenientia, voluit authoritate B. Alberti Patriarchæ Ieroſolymitani, (quæ tunc ſufficiebat annuente Summo Pontifice) condi regulam pręciſam, cū præceptis tam affirmatiuis quàm negatiuis, qua omnes ad ſui obſeruantiam obligaret. Hanc ipſe de mandato prædicti Patriarchę compoſuit, & ab illomet approbatam ac authoritatiuè traditam ſuſcepit Ptolemaidæ anno Domini 1171. Idibus Ianuarij: Qua recepta Sanctus Brocardus ſubditos ſuos ad eius obſeruantiam inducebat, & verbo quo potens erat, & exemplo quo fuit efficacior; ſic autem alijs profecit, quòd ſeipſum eius obſeruantia ſanctificauerit: Ex quibus manifeſtè conſtat, quàm meritò Sanctus Brocardus dicatur legiſlator Carmelitanæ Religionis.

AD Primum ergo dicendum, quòd ſolùm probat, S. Eliam fuiſſe legislatorem primum & principalem Religionis Carmelitanæ, modo ibi deſcripto; ſed non probat, quòd Sanctus Brocardus nō fuerit etiam illius legislator alio modo ſpecial: in concluſione expreſſo.

AD Secundum ſimilitèr dicendum, quòd Ioannes 44. poteſt etiam dici legislator religionis Carmelitanæ, propter adductam rationem: Sed hoc non obſtat, quin S. Brocardus meritò quoque dicatur eius leglslator.

AD Tertium dicendum, quòd Beatus Albertus Patriarcha Ieroſolymitanus eſt legislator Religionis Carmelitanę authoritatiue, quaſi regulam a ſe approbatam tradens; Sanctus autem Brocardus eſt legislator effectiuè, impetrans & condens talem regulam; quæ ad maiorem ſui firmitatem potiùs dicitur Beati Alberti, quàm Sancti Brocardi.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sanctus Cyrillus Conſtantinopolitanus fuerit præſcius expulſionis Carmelitanæ Religionis de Terra Sancta.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Cyrillus Conſtantinopolitanus non fuerit præſcius expulſionis Carmelitanę religionis de Terra Sancta. Probatur; Nullibi legitur, quòd S. Cyrillus Conſtantinopolitanus habuerit reuelationem de tali expulſione Religionis Carmelitanæ: Sed ſine reuelatione nō potuit eſſe præſcius huius futuri euentus: Ergo S. Cyrillus non fuit pręſcius expulſionis Carmelitanæ religionis de Terra Sancta.

¶ 2. Præterea: Referunt Authores Carmelitæ, quòd reuelatio expulſionis Carmelitanæ religionis de Terra Sancta facta fuerit poſt mortem S. Cyrilli Beato Bertholdo II. eius immediato ſucceſſori: Ergo S. Cyrillus non fuit præſcius expulſionis huiuſmodi.

¶ 3. Præterea: Si Sanctus Cyrillus præuiam habuerit aliquam notitiam expulſionis Carmelitanæ religionis de Terra Sancta, maximè in oraculo diuino per Angelum ipſi miſſo: Sed in tali oraculo non prædicitur hæc expulſio; Et licet in eo prædiceretur, ipſe tamen Sanctus Cyrillus non intellexit Oraculum propterea namque miſit illud Venerabili Abbati Ioachim interpretandum; Ergo Sanctus Cyrillus non fuit pręſcius expulſionis Carmelitanæ Religionis de Terra Sancta.

SED CONTRA eſt traditio antiqua & vniuerſalis Carmelitanę religonis, & communis ſenſus Doctorum ipſius, ac etiam exterorum.

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Sanctus Cyrillus Conſtantinopolitanus fuit præſcius expulſionis Carmelitanæ Religionis de Terra Sancta.

RESPONDEO dicendum, quòd Sãctus Cyrillus Coſtantinopolitanus fuit præſcius expulſionis Carmelitanæ religionis de Terra Sancta. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Deus Sanctis ſuis prænuntiauit captiuitatem Terræ Sanctæ ſub tyrannide Saracenorum, propter peccata populi Chriſtiani expreſſam huius reuelationem habemus capite 15. vitæ Sancti Angeli, qui Chriſto ſibi in deſerto apparenti ſic ait: *Miſerere Eccleſiæ tuæ, & auerte iram tuã à populo tuo, qui clementèr paſſus es pro eo, & liberentur dilecti tui, quos effuſi ſanguinis pretio redemiſti, & da tandem qui liberet ciuitatem ſanctam tuam, & eripiat eam à captiuitate & manu hoſtium, cui Chriſtus dixit; cum contritus fuerit populus meus, & cognoſcet vias meas, & ſuſcipiet iuſtitiam, & cuſtodiet eam; veniet tandem qui liberabit, & ponet pacem gentibus, erit conſolatio iuſtorum: Quis, inquit Angelus, iſte erit, qui liberabit ciuitatem tuam? Et Chriſtus; Surget tandem Rex antiqua de gente Francigena, inſigni in Deum pietate, & ſuſcipietur a Regibus Chriſtianis & fidei orthodoxæ profeſsis, & erit dilectus eis, & terra ac mari creſcet potentia eius; Hic rebus Eccleſiæ quaſi ad internecionem redactis ſubueniet, & Pontifici Romano iunctus purgatis chriſtianorum erroribus, & Eccleſia ad ſtatum optimum reſtituta copias traſmittet, quàs ſequetur multitudo vltrò militantium, & magna eorum turma, qui pro meo nomine eo prælio cadet, effuſi cruoris præmia ſuſcipiet, & trophæis transfretabit, & perditas reſtituet Eccleſias, & liberabit Ieruſalem: His dictis ab oculis Sancti Angeli Chriſtus candidiſsima nube circumfuſus abÿt.* Hæc reuelatio ſucceſsit ann. 1218. paucis annis poſt mortẽ S. Cyrilli, ex qua prænũtiata fuit ex conſequenti expulſio noſtrę religionis Carmelitanæ de Terra Sancta quæ totalitèr completa fuit anno Domini 1290. capta tunc Ptolemaida: ſolùm reſtabat difficultas, vtrum etiam hæc expulſio fuerit paulò ante S. Cyrillo reuelata, quòd in pręſenti affirmamus.

Probatur concluſio fideli narratione ſucceſſus: Viuente Sancto Cyrillo, propter bellum inteſtinum inter Comitem Tripolitanum & Comitem Ioppe, Chriſtianum Paleſtinæ Regnum magna fuerat ex parte diſſipatum, multæ fuerant captæ ciuitates, & inter ipſas Regia Ieruſalem anno Chriſti 1187. Cum igitur Sanctus Cyrillus publica Chriſtiani nominis vrgeretur neceſſitate Domino tũ ſuis orationibus, tum miſſæ ſacrificijs commendabat conſeruationem Eccleſię & religionls Carmelitanæ in Terra Sancta. Tunc factam ipſi fuiſſe reuelationem expreſſam expulſionis noſtræ religionis de Terra Sancta, docent authores Carmelitæ, præſertim Boſtius & Palæonydorus citandi articulo ſequenti. Refert ipſe Cyrillus in epiſt. ad Abbatẽ Ioachim ſequentibus verbis quid ſibi ipſi contigerit: *Igitur cum pro veneranda celebritate Beati Hilarionis Coeremitæ noſtri quondam ſacrarum miſſarum ſolemnia inchoaſſem cum Fratre Euſebio comite meo chariſſimo, & ad illum locum canonis perueniſſem; Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ &c. Nubecula denſa cærulea mihi aſtitit ſtupeſcenti. Protinus Angelus aſpectus virginei diſtans binis cubitis & ſemiſſe in ipſa nubecula viſus eſt, capillis flauis & criſpis, geminis alis ornatus ab humeris vſque ad talos, partim virentibus, partim nitentibus pannis, alba lata talarique amictus, labÿs rubicundis, coccineo ſtrophio cinctus, ſandalibus aureis, rubriſque pedalibus calceatus, afferens virgam liliatam, & tabulam argenteam pendentem in dextera, & aliam tabulam argenteam in ſiniſtra, litteris Græcis deſcriptas: Et dixit; Has tabulas tibi Omnipotens Deus miſit familiari ſeruo ſuo & præconi fideli; Cum ſacra compleueris, has ſcripturas transſcribes membrana, & poſt hæc conflans*

tabel-

Digitized by Google

tabellas conformabis in calicem & thuribulum, ad libanda & adolenda in hora ſacrificij matutini: manſit autem Angelus in ara vſque ad gratias poſtmiſſales, deſcendens verò ad menſæ poſterius pauimentum, depoſuit tabellas, & in ictu diſparuit: Hactenus Sanctus Cyrillus, qui verba illa ad eius commendationem dicta præ modeſtiæ & humilitatis ſpiritu reticuit. Tunc factam ipſi reuelationem de expulſione noſtræ Religionis Carmelitanæ è Terra Sancta, continua traditione apud Carmelitas habetur. Ego commẽtarium litteralem feci illius ſcripturę per vndecim capita digeſtæ, & ſpeciali libello edidi, ac oſtendi capitulum primum eſſe de transfiguratione dictæ religionis noſtræ ab ipſa Terra Sancta in occiduas Galliæ ac totius Europæ partes tempore Sancti Ludouici, quod continet varios ſucceſſus ac perſecutiones ipſius: Quæ transmigratio contigit ann. Dom. 1254. expreſſo in ipſo oraculi principio, quo idem Sanctus Ludouicus appulit Maſſiliam cum ſex ex noſtris in monte Carmelo aſſumptis, ibi ad tria milliaria in loco deſerto conuentum Aquilatenſem ordini noſtro conſtruxit: Sic incipit Oraculum; *Tempore annorum Chriſti milleſimo ducẽteſimo quinquageſimo quarto, Februarij Kalendas octauo, ſol orietur inter muros periurij lymphis vallatos, in ora Leonis, Zizaniorum & veprium, & creſcet Altiſſimo dedicatus.* Moleſtum foret hic amplius immorari, qui plura de hoc ſcire deſiderat, indicatum conſulat libellum. Confirmatur ex vita S. Angelæ, cui apparens Deipara Virgo ſic ait: *Filia celeriter hinc profuge, & terras has linque, quas Deus abominandis Chriſtianorum ſceleribus offenſus paganis poſſidendas tradet, vti pridem S. Cyrillo fideli meo clienti, monaſterij montis Carmeli Priori aperui.*

AD Primum ergo dicendum quòd in citato oraculo legitur huiuſmodi reuelatio, vt conſtat ex dictis; Et inſuper habetur traditione reuelationem huiuſmodi factam fuiſſe Sancto Cyrillo, ſiue in hoc oraculo, ſiue aliàs, vt articulo ſequenti dicetur.

AD Secundum dicendum, quòd licet talis reuelatio facta fuerit Beato Bertholdo II. poſt mortem Sancti Cyrilli, & etiam Sancto Angelo paucis poſt annis: hoc tamen non obſtat, quin facta quoque fuerit eidem Sancto Cyrillo aliquantò priùs, cui Deus tot alia reuelauit.

AD Tertium dicendum, quantum ad primam partem, quod Sanctus Cyrillus in Oraculo Angelico habuit aliquam notitiam huius expulſionis, ſaltem confuſam, quia eius reuelatio continetur in eo. Quantùm ad ſecundam partem dicendum, quod Sanctus Cyrillus petijt interpretationem Oraculi Angelici ab Abbate Ioachim, quia ſaltem in principio non habuit perfectam eius notitiam; habuit tamen poſtea illuſtratione diuina, nam in eius officio dicitur, quòd vir ſanctus illa myſteria perfectè eſt aſſecutus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum B. Bertholdus fuerit ampliator Religionis Carmelitanæ extra Palæſtinam.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Beatus Bertholdus non fuerit ampliator Religionis Carmelitanę extra Palæſtinam. Probatur: Iam a tempore Caroli Magni fuerant ædificati plures conuentus ordinis Carmelitani extra Palæſtinam, vt conſtat hiſtorijs fide dignis, a religioſis Carmelitis, qui perſecutionem Homar e Terra Sancta fugerant: Ergo B. Bertholdus, qui quadringentis & ampliùs annis fuit recentior, non poteſt dici ampliator religionis Carmelitanæ extra Palæſtinam.

¶ 2. Pręterea: Ante electionem B. Bertholdi iam Carmelitæ conuentus habebant in Anglia, vbi Sanctus Simon Stoch a tempore Sancti Cyrilli fuerat conſtitutus Generalis Commiſſarius, vt dicit Lezana ad annum 1224. Ergo B.

Ber-

Bertholdus non fuit ampliator religionis Carmelitanæ extra Palæſtinam.

¶ 3. Præterea: Beatus Bertholdus tantùm octo annis vixit in officio Prioris Generalis Carmelitanæ Religionis; Et cum aliàs reſideret in monte Carmelo, non potuit multum dilatare religionem Carmelitanam extra Palæſtinam: Ergo non meritò dicitur ampliator illius extra Palæſtinam.

SED CONTRA eſt antiqua & vniuerſalis ipſius Religionis Carmelitanæ traditio, & communis ſententia Doctorum ipſius, ac etiam exterorum.

CONCLVSIO.

Beatus Bertholdus fuit ampliator Religionis Carmelitanæ extra Palæſtinam.

RESPONDEO dicendum, quod Beatus Bertholdus fuit ampliator Religionis Carmelitanæ extra Palæſtinam. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod Beatus Bertholdus fuit ſecundus huius nominis Prior ſiue Præpoſitus Generalis noſtræ religionis Carmelitanæ, & quartus ordine inter Generales Latinos; fuit natione Italus ex prouincia Longobardię, vnde dicitur Bertholdus II. & Longobardus, inſignitur autem nomine Beati, propter eximiam ſanctitatem qua fuit conſpicuus. Iam facta fuerat S. Cyrillo prædeceſſori immediato huius Bertholdi reuelatio Sanctiſſimæ Virginis Marię, quod noſtra religio Carmelitana foret expellenda de Terra Sancta, quàm ſequentibus verbis refert Ioannes Palæonydorus libro 3. cap. 4. *Certificatus diuina reuelatione Cyrillus ob Chriſtianorum ſcelera Carmeli Religionem a Terra Sancta eradicandam, pijſſimam Virginem Mariam, vt Carmeli gregem conſeruaret, ſedulis precibus rogitauit: Nec defuit Zeloſo Dei Matris amatori diuina cõſolatio; diuinitùs enim edoctus, quod diuerſarum regionum viri Mariæ Religionẽ profiterentur, qui eàm in ſuis regionibus copioſiſſimè multiplicarent, & maiori incremento monaſterium & perſonarum tam numero, quàm priuilegijs Apoſtolicis roborati per totam Europam tranſplantarent.* Cum occaſione reuelationis prædictæ, Carmelitæ Deo Deiparæque Virgini reuelatam tranſmigrationem ſue religionis commendarent, vt refert idem Palæonydorus libro 3. cap. 5. ſub iiſdem verbis, *Omnibus ad vigiliam noctis, & ad orationem hortatis, apparuit ſuperiori montis Carmeli Virgo glorioſa ingenti lumine dicens; Hic ſermo filij mei eſt, vt non ſolùm Paleſtinam & Syriam, ſed etiam vniuerſum Carmeli ordo orbem Chriſtianum illuſtraret.*

Probatur concluſio fideli relatione authorum noſtræ religionis Carmelitanæ, nempe Guillelmi de Samnico in Chronic. de multiplicatione ordinis c. 3. Arnoldi Boſtij lib. 7. ſpeculi hiſtorialis cap. 9. & 10. Palæonydori loco citato, quos alij communiter ſequuntur. Clariùs tamen ſic loquitur Boſtius. *Præſciens autem Dominus Deus propter demerita nefandorum Chriſtianorum totã Terram Sanctam a Chriſtianis auferendã, & ſacram noſtram religionem ab eadem Terra eradicandam, prouidit dictam religionem non delere, ſed eam alibi transplãtare: propterea quidem voluit Deus, ſicut prædicto Sancto Cyrillo reuelauerat, quod viri diuerſarum nationum hanc ſacram Relegionem in monte Carmelo profiterentur. vt cum perſecutio, propter quam oporteret eos de Terra Sancta fugere, adueniret, tantò patientiùs dictam religionem de Terra illa eradicari tolerarent, tantòque leuius ferrent, quantò in ſuis proprijs nationibus copioſius multiplicari viderent. Igitur propter receſſum Philippi & Richardi Regum Franciæ & Angliæ de Terra Sãcta ad Papam, eadem Terra ex tunc non habuit conſuetum ſuccurſum a Sede Apoſtolica, propter Europæ Principum diſcordias & factiones: quare Pagani ſeu Saraceni cœperunt Terram Sanctam crudeliùs ſolito inuadere: qua propter aliqui inferiores huius Religionis profeſſores conturbati & perterriti deſiderabant Terram San-*

ctam

ctam deſerere, & ad regiones proprias vnde venerant in Europam redire: Optabant enim in ſuis natiuis regionibus monaſteria ſuæ religionis conſtruere, vt in eis poſſent ſeruire Domino Deo, & eius Glorioſiſſime Matri. Super qua re, an eſſet licitum, aggregatum fuit generale Capitulum, ſtatim poſt mortem Sancti Cyrilli ſupradicti, in monaſterio montis Carmeli; Et quamuis eſſent ex Fratribus, qui dicerent nullo modo hoc tempore Terram Sanctam ab aliquo Fratre deſerendam, neque extra eam manſionem aliquam eſſe conſtruendam, quoniam prædeceſſores eorum nunquam Terram illam dimiſerant: Oppoſitum tamen horum licitum fuit tunc in conſilio oſtenſum, tam Chriſti præcepto & exemplo, quàm huius etiam religionis Fundatoris exemplo: Præcepto quidem, quo Chriſtus ait, Si vos perſecuti fuerint in vna Ciuitate; fugite in aliam; bonum enim eſt perſecutionem fugiendo, catholicam fidem ſeruare incontaminatam; Et malum valde eſt in perſecutionem incidendo, ex timore perſecutionis fidem Chriſtianam negare: Exemplo etiam Chriſti; nam Chriſtus, qui non erat miſſus niſi ad oues quæ perierant domus Iſrael, dum Herodes eum perſequeretur, Terram Sanctam deſeruit in Aegyptum fugiens: Exemplo inſuper Fundatoris dictæ religionis, Elias namque timore Iezabel Reginæ Terram Sanctam dereliquit, & ad montem Dei Oreb fugiens, illic in ſpelunca abſconditus manſit. Venerandus itaque Pater monaſterii montis Carmeli, attentis prædictis allegationibus, & Paganorum perſecutionibus, orationibus aſſiduè cum ſuis deuotis fratribus inſiſtebat. Tunc Regina Cælorum eidem in ſomnis apparuit, & vt fratres aliquos ad natiuum ſolum pro monaſterijs multiplicandis redire permitteret, admonuit. Quibus auditis omnes, qui ad dictum generale capitulum conuenerant, immenſas gratias Deo & Glorioſæ Genitrici eius retulerunt. Quia ergo vacabat propter mortem Sancti Cyrilli Generalatus officium, eodem tempore ad electionem noui Prioris Generalis acceſſerunt: Et quia dicta religio in Europæ regionibus transplantanda erat, mox inuocato Spiritu Sancto, Religioſum & deuotum virum nomine Bertholdum, natione Longobardum, in quartum Priorem Generalem eiuſdem ordinis elegerunt, virum vtique ſcientia & probitate præclarum. Is itaque Venerandus Pater, quia de Europæ regionibus fuit progenitus, ideò alijs aptior repertus eſt ad tranſplantandum ordinem ſuum in Ciſmarinis partibus: nam eius tempore aliqui ex dictis fratribus natione Cyprij, ad Inſulam Cypri transfretarunt; Alij verò Siculi natione, ad Siciliæ Inſulam nauigauerunt: Hi enim ea intentione, de licentia præfati Prioris Generalis Terram Sanctam deſerebant, & ad dictas regiones accedebant, vt religionem iſtam in illis regionibus plantarent, & nouos conuentus inciperent. Hęc Boſtius. Primi conuentus Cypri tunc ædificati fuerunt Famaguſtæ, & Eremi Frontanę, ſiue Fortamiæ, vbi primitiuæ regulæ viguit obſeruantia vſque ad tempus S. M. N. Thereſiæ, quo renouatus fuit Carmelus. Primi verò conuentus Sicilię tunc ædificati fuerunt Meſſanæ, Catanę, Panormi, Drepani, Agrigenti, & Leocatę; anno ſiquidem 1220. noſter *Sanctus* Angelus eos inuenit fundatos; Leontinus autem eſt aliquot ſæculis antiquior: A Sancto Angelo factus eſt Romæ conuentus Sancti Iuliani propè Sanctam Mariam Maiorem, & breui per totam Italiam, & alias Europæ prouincias conuentus noſtri multiplicati ſunt.

AD Primùm ergo dicendum, quòd quidem tempore Caroli Magni aliqui conuentus noſtræ Religionis Carmelitanæ fundati ſunt extra Palæſtinam, ob ſimilem Infidelium perſecutionem in Terra Sancta, vt alibi probatum eſt, vt noſtri religioſi receptacula poſſent inuenire, ſi fortè de Palæſtina expellerentur; Sed hi conuentus erant pauci, quia religio noſtra volebat principalem ſui ſedem in Terra Sancta, vbi cœperat, vnde non permittebat extra eam multiplicari conuentus: Verùm cum præadducta *Beatiſſimæ* Virginis reuelatione didiciſſet ſe tranſplantandam in Europa expulſam de Terra Sancta, & Mundum vniuer-

Digitized by Google

vniuerſum fore illuſtraturam; Tunc inimxit multiplicationem conuentuum B. Bertholdo II. Generali, qui propterea meritò dicitur ampliator Religionis Carmelitanæ extra Palæſtinam.

AD Secundùm dicendum, quòd non eſt ita certum fuiſſe conuentus noſtros in Anglia ante tempora *B.* Bertholdi; non enim ſequimur computum Lezanę, ſed antiquiorum Authorum religionis vt magis iuſtum; Nec ante ipſum fuit noſter religioſus Sãctus Simon Stoch, qui ſub *B.* Alano Generali ſucceſſore B. Bertholdi ſumpſit habitum. Quod ſi in Anglia ante tempora *Beati Bertholdi* fuerint aliqui conuentus noſtri, hoc non obſtat concluſioni, in quà solùm *B.* Bertholdum fuiſſe ampliatorem religionis Carmelitanæ extra Palæſtinam, non autem primum fundatorem eius extra illam.

AD Tertium dicendum, quòd in illis annis Generalatus *B.B*ertholdi multo feruore intenderunt noſtri Carmelitę multiplicationi conuentuum: Vnde multi tunc ædificati ſunt; Propterea *B.B*ertholdus meritò dici poteſt ampliator religionis Carmelitanę extra Palæſtinam.

ARTICVLVS V.

Vtrum B. Alanus fuerit propagator Religionis Carmelitanæ in Europa.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd Beatus Alanus non fuerit propagator religionis Carmelitanæ in Europa. Probatur: Referunt authores huius religionis, quod ipſius propagacio in Europa facta fuerit ſtatim poſt mortem Sancti Cyrilli, & conſequenter ſub immediato eius ſucceſſore B. Bertholdo II. Ergo ipſe potiùs quàm Beatus Alanus debet dici propagator Religionis Carmelitanæ in Europa.

¶ 2. Preterea: Non aſſignãtur conuentus à *B.* Alano facti in Europa, vel ſub ipſo acceptati; prçſertim quia ipſe non diu vixit, poſtquam è monte Carmelo venit in Europam; Et in Europa plures exortas inuenit perſecutiones contra ipſam religionem, quę nouas fundationes impediebant: Ergo *B*eatus Alanus non fuit propagator Religionis Carmelitanæ in Europa.

¶ 3. Præterea: Ex vna parte ſub hoc tempus religio Carmelitana non erat cognita in Europa; Et cum facta fuiſſet prohibitio in Concilio Lateranẽſi ſub Innocentio III. ne noue religiones ſine licentia Summi Pontificis admitterentur, fuit ipſi tunc difficile conuentus fundare; Ex aliá verò parte propagatio Religionis Carmelitanæ legitur facta poſteriùs in Europa ſub auſpicijs S. Ludouici Galliæ Regis anno Domini 1254. Ergo *B.*Alanus non fuit propagator religionis Carmelitanæ in Europa.

SED CONTRA eſt antiqua & vniuerſalis traditio Carmelitanę Religionis, communis ſententia Doctorum ipſius.

CONCLVSIO.

Cum Beatus Alanus de monte Carmelo veniens in Europam ſua prçſentia multiplicauerit conuentus Religionis Carmelitanæ, meritò dicitur eius propagator.

RESPONDEO dicendum, quod *B.* Alanus fuit propagator religionis Carmelitanæ in Europa. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd vbi noſtri Carmelitæ viderunt in Palæſtina, quòd hęc Terra Sancta magis præmebatur à Saracenis, ità vt breui ſub eorum tyrannidem redigenda videretur, iterum generale capitulum congregarũnt ad prouidendum conſeruationi ſuæ religionis ſub *B*eato Alano tunc Generali. Factum ſic narrat Arnoldus *B*oſtius libro de Patronatu Virginis cap. 6. cuius narrationem ſatis fuſam hic appono ad inſtructio-

Digitized by Google

ſtructionem lectoris de rebus noſtræ religionis. Sic autem ait: *Succedente verò tempore, anno videlicet Chriſtianæ ſalutis milleſimo ducenteſimo & trigeſimo ſeptimo, cum ſolito fortius a Saracenis oppugnaretur nobilis, ſancta & deſiderabilis diuinæ repromiſſionis terra, domina gentium, Princeps prouinciarum, Paradiſo amœniſſima, fertilitate ferè conſimilis, poſſeſſio Patriarcharum, Prophetarum mater, & Apoſtolorum ſedes, gratiæ nunciatrix, & gloria populi Chriſtiani, quam olim in carne præſens viſitauit & incoluit, miraculis illuſtrauit, & proprio ſanguine dedicauit Oriens ex alto: Et vt Clariſſimi Clareuallenſis Abbatis Sancti Bernardi verbis vtar; Terra bona, & optima, quæ in facundiſſimo ſinu ſuo ex arca Patrum, cordis cæleſte granum ſuſcipiens, tantas ex ſuperno ſeminè martyrum ſegetes protulit, & nihilominus ex omni reliquo fidelium genere fructuum fertilis gleba trigeſimum, & ſexageſimum, & centeſimùm ſuper omnem terram multipliciter procreauit: Ac præpediente Imperatore Federico Secundo, qui aduersùs Romanam Eccleſiam graſſabatur, ſolitum non haberet ab Apoſtolica Sede ſuccurſum, deuoti complures ſuperamabilis Mariæ Fratres natione Occidentales (qui dum ſanctum Domini ſepulchrum viſitare venerant, ſanctæ conuerſationis Mariæ filiorum attracti fuerunt; adeò vt in Carmelo, horto liliorum Domini, fonte religionum, portu Paradiſi, Marię Saluatoris Matri, omnis tribus lingua & natio quæ ſub cœlo eſt, benedicerent) propter frequentes quos patiebantur Saracenorum inſultus, & hi præ cæteris qui in eremis monaſteria habuerunt, partes occiduas petere decreuerunt, vt quietius ei nataque ſuo ſeruire valerent. Multis denique grauiter ferentibus, quod tam dilectis vnanimis vitæ ſocijs ex tunc iugiter fruſtrarētur, facta eſt capitularis congregatio in Eccleſia Mariæ primaria in monte Carmelo propè fontem Eliæ, in originali totius religionis Marię monaſterio, in ſanctuario Marię quod firmauerunt manus eius, quod & Beatus martyr Antonius libro de ſacris locis Orientis, Eliſæi Prophetæ monaſteriū appellat. Et conuenerunt Patres diſcretiores omnium Ordinis Mariæ Conuentuum ſeu cœnobiorum, quos Carmelus Terra ſancta pepererat, videlicet 2. de Domo deſiderabilis eremi Quarentenæ propè fontem Sanctiſſimi Patris Eliſæi, qui ſic appellatus eſt, eo quod aquas eius ſteriles & amaras ſalis iniectione ſanauit, virgineo flagrans Eliſæus flore Propheta: In qua etiam eremo Dominus Saluator quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit; Cuius loci eremitas Dominus Iacobus de Vitriaco in hiſtoria Orientis ſingulari laude commendat. 3. de monaſterio Vualim a cognomine Fundatoris ſic appellato, in eremo quæ adiacet mari Galilææ ſito, in qua Dominus Ieſus frequenter turbis prædicauit, & de quinque panibus & duobus piſcibus tantùm ſatiauit hominum multitudinem, varijs quoque miraculis coruſcauit. 4. de conuentu Ptolemaidæ ſeu Acconenſi. 5. De Conuentu Tyri. 6. De conuentu Sareptano, qui eo loco (videlicet ante portam oppidi) in honorem Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ conſtructus eſt, vbi Sanctus Elias venit ad mulierem viduam, apud quam diuina ordinatione hoſpitium accepit, cuius & filium a morte fecit reuiuiſcere; qua propter & a Lodulpho vocatur Eccleſia Sancti Eliæ. 7. De conuentu Tripolitano. 8. De conuentu montis Libani, qui & Bellus locus ob ſitus amœnitatem dictus eſt. 9. De conuentu Sāctæ Ciuitatis Hieroſolymitanæ, qui Portæ Aureæ vicinus dicebatur Domus Beatæ Annæ, eo quod Sanctiſſima Mater Anna (quæ cunctis aſtris longè ſplendidior, per preces & repromiſſionem diuinam nobis ſtellam peperit) Et Sanctiſſimus Pater Ioachim ſuus maritus pudiciſſimus (cuius & præcelſa gloria meretur eſſe in æterna præclara laudis memoria) deuotiſſimi parentes ſuauiſſimæ & incomparabilis Virginis (quos ille qui cognitor eſt vniuerſorum, velut optimos omnium elegit ad conceptionem, generationem atque educationem ſuæ præbenedictæ Genetricis) ſigno diuinitùs accepto ſibi inuicem obiauerunt ibidem, de promiſſa prole Dei Matre, Reginaque cęli futura aſſecurati: Et ex hac domo prodiere clariſſima illa duo mundi ſydera, Sā-*

ctus

ctus Angelus martyr vita meritò ſanctioribus annumerandus, Prędicator *Chriſto plurimum fructificus, innumeris miraculis toruſcus*, *& Sanctus frater eius vterinus* Ioannes Hieroſolymitanus *Pontifex, inſtar maiorum cœli luminarium longè latèque refulgens.* 10. *De conuentu Antiocheno.* 11. *De conuentu montis Neroi ſeu montanę nigræ, cuius loci Eremicolas Frater Thomas de Cantiprato Ordinis Prædicatorum in ſuo libro Apum eximia laude commendat* : Et *de cæteris alijs conuentibus, qui inſtitutionem & regulam à montis Carmeli monaſterio tantę profeſſionis fonte ſumpſerant, &* Priori *Carmelitano fuere ſubiecti. Inter cætera quæ in eo capitulo tractata fuerant, propoſuere fratrum multi receſſum aliquorum à terra illa* (*quæ incolarum peccatis exigentibus in dies amplius oppugnabatur*) *expedire; ne tanta religio inter Turcas impudicos euaneſceret, ſed in partibus Occidentis transplantata iugiter floreret, fructumque faceret abundantem; præſertim cum iam permulti eorum Saracenorum gladio forent abſumpti. Contradixere plures, non eſſe dicentes fortis militis tergum oſtendere, ſed viriliter perſiſtere, & ad mortem vſque bellando perſeuerare: Cumque ſic dubia* Patrum *fieret ſententia, ſingulare totius ſæculi propitiatorium, pijſſimaque ſuorum ſemper conſolatrix Virgo Maria, decus orbis, ſydus hominum, ſpeculum Angelorum, dulcis eloquio, & facie gratioſa ſancto* Priori *Carmeli ad dandam ſcientiam ſalutis plebis ſuæ clementer apparuit, & admonuit vt petitioni fratrum, qui Orientale lumen tenebris occiduis inferre vellent, nequaquam obſiſteret, innuens ei à ſe & à filio ſuo hunc egreſſum eſſe ſermonem, quatenus Carmeli flores non ſolùm Palæſtinam & Syriam, ſed & orbem adornent vniuerſum; & Terra repromiſſionis, quæ olim fluxit lac & mel ſuis dumtaxat habitatoribus, ex nunc vniuerſo orbi remedia ſalutis, & vitæ porrigeret alimenta; ſicque* Eccleſia *ab vnitate, nec mari, nec terrarum ſpatio diſiuncta, pia incolarum communicatione, & pignorũ ſuſceptione oſtenderetur ſociata. Hoc itaque Reginæ præpotentis edoctus oraculo diuinitus inſpiratus,* Prior *annuit ædificandi in regionibus proprijs monaſteria ſacra religionis Diuiniſſimæ Mariæ, licentiam eis impertiens, retenta adhuc ſecum firmorum fratrum, qui animas quotidie pro Chriſto ponere parati forent, multitudine copioſa.* Hæc omnia Boſtius.

Probatur concluſio tum ex prædictis, tum ex addendis. Hęc reuelatio facta fuit Beato Alano, & eſt poſterior aliquot annis altera facta B. Bertholdo prædeceſſori eius: In hac Beatiſſima Virgo ſuam comparat religionem Carmelitanam floribus adornatoris orbem vniuerſum, in præcedenti verò comparat ſoli mundum illuſtraturo. Habita tali reuelatione, & facta in prædicto capitulo determinatione, B. Alanus Generalis plures & idoneos miſit Carmelitas religioſos in diuerſas Europæ regiones, ad noſtram Religionem propagandam, remanens adhuc ipſe in monte Carmelo natali ſolo religionis, vt refert Trithemius 1. de Laudibus Carmelitarum c. 8. dicens: *Anno Domini 1238. coacto in vnum concilio totius Ordinis in mõte Carmelo; multi de Prioris licentia & conſilio Fratrum Palæſtinam egreſſi ſunt, & cùm regulas ordinario ſuo ac ſtatutis in Europam, vnde venerant, reuerſi: Venerunt ergo aliqui in Cyprum, alij in Franciam & Angliam, nonnulli verò in Germaniam; ſinguli vbi ſe locum pro conſeruando ordine putabant inuenire: Remanſerunt autem & plures in monte Carmelo, qui tamen ipſi per Saracenos breui poſt expulſi ſunt:* Hæc Trithemius. In prædicto autem capitulo generali (quòd creditur vltimum in monte Carmelo celebratum) facta fuit ſequens ordinatio: *Quoniam ex præcepto Sanctorum Patrum, iubemur habere cor vnum & animam vnam in Domino; Et quia iuſtum eſt, vt ſub vna regula viuentes, vniformes in neceſſarijs vitæ noſtræ obſeruantijs inueniamur &c.* Prædicta igitur vniuerſali religioſorum miſſione ſub B. Alano multum propagata eſt noſtra religio in Europa, quam propagationem ipſemet præſens adiuuit, poſtquam ob eandem Saracenorum tyran-

rannidem expulſus de Carmelo nauigauit in Angliam, vbi eius opera fundati tunc inueniuntur quinque conuentus, nempe Holnenſis, Aylesfordienſis, Neuuendenienſis, Brunhamienſis, & Londinenſis; ſicut in Gallia Tholoſanus, & plures alij, quemadmodum & in cęteris Europæ prouincijs, quandiu in officio Generalis permanſit, nam renuntiaſſe dicitur, & quieuiſſe conſpicuus ſanctitate in conuentu Colonienſi; Propterea meritò vocatur propagator religionis Carmelitanæ in Europa.

AD Primum ergo dicendum, quòd ſub *B. B*ertholdo II. conuentus quidem aliqui fuerunt in Europa conſtructi à noſtris, quaſi receptacula futura Religioſorum, ſi de Carmelo forſan expellerentur: Sub *B.* autem Alano fuerunt ex profeſſo multiplicati, pro transplantanda religione; Vnde tunc ſolùm dicitur facta propagatio illius.

AD Secundum dicendum, quòd ſub *B.* Alano tot facti ſunt conuentus, quòd non omnes numerentur, ſicut priùs numerabantur vt pote, rari, plures tamen ſunt indicati; Ipſe verò pluribus annis vixit in Europa, nec ſub ipſo ſtatim cœperunt perſecutiones noſtræ religionis, ſed ſub eius ſucceſſore, vt dicetur articulo ſequenti.

AD Tertium dicendum quantùm ad primam partem, quod ex hoc difficiles reddebantur vniuerſaliter religioſorum fundationes; ſed non æquè in omnibus Europæ regnis & prouincijs, in Aliquibus enim, vt Gallia, Anglia &c. Nota erat religio noſtra, propter duces & milites quàm plurimos de bello ſacro Palæſtinę redeuntes, vbi celebris & inclyta florebat noſtra religio Carmelitana. Quantùm ad ſecundam partem dicendum, quòd licet ſub Sancto Ludouico Rege fuerit maior propagatio noſtræ religionis, præſertim in Gallia, ante ipſum tamen cœpit eſſe ſatis illuſtris in Europa.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sanctus Simon Stuch fuerit protector Religionis Carmelitanæ contra æmulos.

AD Sextum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Simon Stoch non fuerit protector religionis Carmelitanæ contra æmulos. Probatur. Perſecutio æmulorum contra Religionem Carmelitanam principaliter deſæuijt ſub Honorio III. Summo Pontifice; cum enim in Europa adhuc eſſet ignota, non pauci pro illius inſtabant extinctione: Sed hæc perſecutio contigit circa annũ Domini 1220. ante tempus Sancti *Si*monis Stoch, qui tantum factus eſt Generalis anno 1245. Ergo S. Simon Stoch non fuit protector Religionis Carmelitanæ contra æmulos.

¶ 2. Præterea: Citant Authores tempore S. Simonis Stoch aliquos, qui Religionem Carmelitanam *aliquantum* vexauerunt, nempe Rectores & Curatos, qui non ſinebant ei diuina officia celebrare, ac ſuos mortuos ſepelire &c. quæ tamen facile compoſita ſunt ex recurſu ad Summum Pontificem: Ergo S. Simon Stoch occaſione illorum non debet dici protector religionis Carmelitanæ contra æmulos, cum eſſent negotia parui momenti.

¶ 3. Præterea: Sanctus Simon Stoch obtinuit mitigationem Regulæ Carmelitanæ, vt conſtat ex Bulla Innocentij IV. qui ait: *Cum itaque nos ad veſtræ ſupplicationis inſtantiam per dilectum filium noſtrum* Hugonem *tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & Venerabilē Fratrem Guillelmum Anteradenſem Epiſcopum quadam regulæ veſtræ dubia declarari & corrigi, ac etiam quædam ipſius gratia miſericorditer fecerimus mitigari, prout in litteris inde confectis pleniùs continetur: nos veſtris pijs deſiderijs annuentes, declarationem & correctionem, ac mitigationem huiuſmo-*

Digitized by Google

huiuſmodi authoritate Apoſtolica confirmamus. Iiſdem verbis vſi Hugo & Guillelmus prædicti, mandant regulam ab ipſis correctam, declaratam & mitigatam obſeruari: Ergo Sanctus Simon Stoch potiùs fuit mitigator Carmelitanæ Religionis, quàm eius protector contra æmulos.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiqua traditio Religionis Carmelitanæ, & fidelis relatio ſucceſſuum ipſius.

CONCLVSIO.

Sanctus Simon Stoch fuit protector Religionis Carmelitanæ contra æmulos.

RESPONDEO dicendum, quod S. Simon Stoch fuit protector Carmelitanę religionis contra æmulos. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod tempore S. Simonis Stoch, vt ait Guillelmus de Samonico in Chronic. de multiplicatione ordinis, *Noſtri Carmelitæ obtentis a Summo Pontifice Innocentio IV. commendatitiis ac fauorabilibus litteris, cæperunt per regiones ad quas peruenerant, iuuantibus eos Chriſti fidelibus, loca religioni opportuna in diuerſis Ciuitatibus & villis per incrementa temporum conſtruere, in quibus poſſent Domino Deo & eius Matri Virgini, ſicut deſiderabant, ſecurè deſeruire; Qui enim ex eis ad Cyprum acceſſerant, in quibuſdam Ciuitatibus, & locis Cypri Monaſteria huic religioni commoda ædificauerunt: Qui verò ad Siciliam perrexerant, non ſolùm per ciuitates Siciliæ hanc religionem plantauerunt, ſed inde per Apuliam, & per cæteras regiones Italię ſenſim in diuerſis ciuitatibus & locis religionem auxerunt: Qui autem ad Prouinciam profecti fuerant, nedum per ciuitatem, & loca illius regionis (ſcilicet Eremum Aquilatenſem, Auenionem, Arelatam &c. Galloprouinciæ) ſed per Narbonenſem prouinciam, & Aquitaniam atque Hiſpaniam, in diuerſis ciuitatibus & locis religionem iſtam paulatim multiplicauerunt: Illi verò, qui ad Angliam ſeceſſerunt, non tantùm per inſulam Angliæ, ſed per Scotiam & Hiberniam in multis ciuitatibus & villis, ac locis religionem iſtam pedetentim dilatauerunt*. Ratione dilationis ac proſperorum ſucceſſuum noſtræ Religionis in Europa tunc nouæ, ſurrexerunt plures æmuli contra eius gloriam & priuilegia, fortitèr ipſam impugnantes ſub Generalatu S. Simeonis Stoch, quem ab anno 1215. vſque ad annum 1266. perduraſſe plures aſſerunt: A quorum perſecutione tam vigilantis diligentia paſtoris, quàm præſertim inuocatione Dei Deiparæque Virginis, commiſſam ſibi religionē protexit: Hos noſtræ religionis æmulos Oraculum Diuinum S. N. Cyrillo Conſtantinopolitano miſſum ſolemni legatione Angeli vocat Scorpionitas. Prætextus autem perſecutionis fuit hoc decretum Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. Canone 13. *Firmitèr prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat quicumque voluerit ad religionem conuerti, vnam dè approbatis aſſumat; ſimilitèr qui voluerit religioſam domum fundare de nouo, regulam & inſtitutionem accipiat de religionibus approbatis*: Contra hoc decretum credebantur facere noſtri Carmelitæ, nondum in Europa benè noti.

Probatur Concluſio fideli relatione ſucceſſuum aliquorum & grauium, in quibus S. Simon Stoch protexit noſtram Religionem Carmelitanā contra æmulos ipſius. Concilium Lateranenſe ſub innocentio III. celebratum fuit ſub eodem tempore, quo S. Simon Stoch fuit in Generalem Ordinis electus, Anno Domini 1215. vel quo fungebatur officio Vicarij generalis ſecundùm Lezanam; In quo licet noſtra religio Carmelitana fuiſſet inter alias quatuor mendicantes approbata, quia tamen erat pluribus ignota, velut noua in Europa, non pauci pro illius extinctione apud Honorium III. zelo ſed indiſcreto plurimum inſtiterunt, prėſertim quia ferre non non poterant quod diceretur Religio Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, & eius alumni vocarentur Fratres Beatiſſimæ virginis Mariæ, dicentes

eos

eos vocari debere Fratres S. Mariæ Aegyptiacæ, & non Dei genitricis Mariæ: Summus Pontifex rem diſcutiendam Congregationi ad hoc inſtitutæ commiſit: Cum Curiales illi, quibus negotiũ fuerat commiſſum, declarationem cauſæ differrent, aliquorum malitia vt præſumitur mota precibus Carmelitanæ religionis, & præcipuè Generalis ipſius S. Simonis Beatiſſima Dei Genitrix aſtitit noctu Pontifici, & vt negotium abſolueret admonuit dicens; *Non eſt aduerſandum in his, dum iubeo; nec diſſimulandum, dum promoueo*: Vt autem fidem adhiberet ijs quæ dicebat, ſignificauit ei duos ex Curialibus huius religionis æmulos, Deo vltore, plexos eſſe diſpari exitu, ſed diſceſſu pari: Vnde à ſomno Pontifex excitatus, & de eorũ pœna certior factus, inſtitutum Carmelitanæ religionis iterum confirmauit, & eius honorificum titulum approbauit 3. Kalendas Februarij anno 1216: Pontificatus 1.

Secundò non defuerunt æmuli Carmelitanæ religionis ſub Innocentio IV. Summo Pontifice, à quorum perſecutionibus S. Simon Stoch ipſam protexit, recurrens ad Pontificem monitu Virginis: Sic narrat ſucceſſum Palæonidorus libro 3. cap. 6. *Hinc poſt prædicatorum Pontificum confirmationum Fratres Ordinis* Carmelitarum; *dum in diuerſis* Europæ *partibus fuiſſent multiplicati, præſertim in* Eremo *Aquilegienſi apud Marſiliam; in Auenione quoque, & in Arelata, & in pluribus alijs locis, per deuotorum fidelium ſubſidia monaſterijs fundatis, plures* Eccleſiarum *Prælati diuerſas eis moleſtias intulerunt*: *At Beatiſſima Dei mater Virgo maria a ſuis Fratribus humiliter inuocata apparens Priori* Carmelitici *Ordinis Generali ait*; *Vade ad* Innocentium *quartum intrepidè, qui iuxta ſui nominis intepretationem partem Innocentum fouere conſueuit; Igitur Virginis Chriſtiferæ conſilio* Innocentium *accidentes, ab eo mira humanitate tractati pia vota ſua conſecuti ſunt*. Hic Pontifex ſuis litteris Pontificijs nõ ſemel datis, plurimum fauit noſtræ Religioni Carmelitanæ. Quædam ſub hoc tenore habentur; *Innocentius Papa Quartus. Vniuerſis Chriſti fidelibus, ad quos litteræ iſtæ peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum dilecti filij Prior & Fratres ordinis Eremitarum de monte Carmeli ſecurè nequeant, ſicut accepimus, propter frequentes Paganorum incurſus, in manſionibus quas habent in tranſmarinis partibus, commorari, & ob hoc oporteat ex ipſis aliquos ſe transferre ad regiones varias & remotas; Vniuerſitatem veſtram rogamus, & hortamur, attentè per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ipſos, ſi ad vos eos aduenire contigerit, benignè recipientes ac tractantes, honeſtè eis de opportunis locis in quibus ſecurè poſſint famulari Domino, pro Diuina & noſtra reuerentia, liberalitèr & charitatiuè prouidere curetis*.

Tertiò: Dum noſtra religio Carmelitana ſub Vrbano IV. Summo Pontifice nouis æmulorum tempeſtatibus quateretur, N.S. Simon Stoch Generalis non ſolùm ad homines, ſed etiam & præſertim ad Cœlites pro illius conſeruatione ſedulò recurrebat, & maximè ad Beatiſſimam Virginem Mariam ipſius protectricem & matrem, eam ſupplicitèr inuocando, vt ſuæ Religionis ſuſciperet protectionem, editis etiam hymnis alibi relatis; tandem eius miſericordiam flexit: Vnde Virgo munificentiſſima ſuis Carmelitis, quibus illuſtrem filiorum ac fratrum nomẽclaturam conceſſerat, inſigne Sacri Scapularis eidem Sancto Generali, & per ipſum quaſi Patrem toti tribuit religioni, vt cœleſti hac veſte dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur: Quod contigiſſe dicunt Authores anno ſalutis 1261. Pontificatus Vrbani IV. anno 1. & Generalatus Simonis Stoch 46. quatuor annis antequam è viuis decederet: Dicunt igitur, quod *ſuperliberalis Virgo Dei mater, Angelicis comitata choris, ſuauiſſimo coruſcans ſplendore, Londini Sancto Simoni prædicto apparens, ſacrumque tradens Scapulare, ſic permanenter ipſum allocuta fuit Dilectiſſime fili, hoc recipe Ordinis Scapulare*

Digitized by Google

lare, meæ confraternitatis ſignum, tibi & cunctis Carmelitis priuilegium, in quo quis moriens non æternum patietur incendium; Ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni. Quia de hoc fauore fuſiùs alibi tractamus, & explicamus qualiter intelligendum ſit, nihil ampliùs hic dicimus: Ex dictis tamen conſtat ſufficientèr, quòd S. Simon Stoch fuerit protector religionis Carmelitanę contra æmulos eius.

AD primùm ergò dicendum, quòd ſecundùm computum antiquiorum religionis authorum S. Simon Stoch electus fuit Generalis ab anno 1215. Lezana vero qui talem electionem differt vſque ad annum 1245. ipſum facit Vicarium Generalis in monte Carmelo adhuc exiſtentis, vt credit, ſub Honorio III. Quantùm autem attinet ad præſentem difficultatem, parum refert vtrū S. Simon Stoch fuerit tunc Prior Generalis, aut Vicarius Generalis.

AD Secundum dicendum, quod tempore Generalatus S. Simonis Stoch non ſolùm fuerunt illę moleſtiæ Curatorum contra noſtram religionem Carmelitanam; ſed etiam maximæ perſecutiones, vt conſtat ex dictis.

AD Tertium dicendum, ſicut alibi dicitur, quòd à tam Sancto Generali, qualis fuit S. Simon Stoch, non fuit procurata vera & realis mitigatio noſtræ regulæ (nullus enim ipſum audet vocare Religionis mitigatorem) Pontifex autem & prædicti regulæ reuiſores vtuntur nomine mitigationis, ad tollendum ſcrupulos, quia in regulæ declaratione eſt aliqua ſed apparens tantùm mitigatio; Vnde debuit de ea fieri mentio; Quòd confirmatur authoritate, tam ipſiuſmet Innocentij IV. quàm ſucceſſorum Sūmorum Pontificum, qui regulam noſtram ſic ab eodem Innocentio declaratam & confirmatam vocant primitiuam; Ergo ſignum eſt, quòd tunc nulla fuit vera mitigatio, vel fuit tam parua quòd non debeat nominari, vt immeritò nominant aliqui, qui nos quoque mitigatos vellent appellari.

ARTICVLVS VII.

Vtrum B. Nicolaus Gallicus fuerit zelator primariæ ſolitudinis Carmelitanæ.

AD Septimum ſic proceditur: Videtur quod Beatus Nicolaus Gallicus non fuerit zelator primariæ ſolitudinis Carmelitanæ. Probatur: Sub Sancto Simone Stoch religio Carmelitana iam fuerat authoritate Pontificis Innocentij IV. inter alias mendicantes declarata: Ergo cum alias Beatus Nicolaus Gallicus fuerit diſcretus, non fuit zelator primariæ ſolitudinis Carmelitanæ, quæ religioſorum mendicantium exercitijs eſt penitus oppoſita.

¶ 2. Pręterea: Si quid ſuaderet Beatum Nicolaum Gallicum fuiſſe zelatorem primariæ ſolitudinis Carmelitanæ, maximè quia compoſuit librum, *Igneam ſagittam* cognominatum, in quo deflet huius ſolitudinis defectum: ſed hunc defectum non deflet generaliter in alijs quaſi licitum; at tantùm in ſeipſo, qui priùs fuerat in ipſomet Carmelo tali aſſuetus ſolitudini, imò potiùs dicitur illo libro deflere amiſſionem tūc factam Terræ Sanctę, ac ſimul montis Carmeli, in quo noſtri Carmelitæ reſidentes dilecta fruebantur ſolitudine: Ergo Beatus Nicolaus Gallicus non fuit zelator primariæ ſolitudinis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Vel ſub hoc generali fuit in Religione Carmelitana defectus ſolitudinis debitæ, vel non fuit: Si non fuit talis defectus non potuit circa illum zelare hic Sanctus Generalis: ſi fuit defectus huiuſmodi, non acceptaſſet Generalis officium eius ſucceſſor, Beatus Rodulphus d'Alemania vir Sanctus; imo hic defectus aut ipſi, aut eius prædeceſſori S. Simoni Stoch deberet attribui; Ergo Beatus Nicolaus Gallicus

nam

Digitized by Google

non fuit zelator primariæ ſolitudinis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt authoritas expreſſa libri ipſius, & euidentia facti.

CONCLVSIO.

Beatus Nicolaus Gallicus fuit zelator primariæ ſolitudinis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Beatus Nicolaus Gallicus fuit zelator eximius primariæ ſolitudinis Carmelitanæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod mortuo S. Simone Stoch in Capitulo generali celebrato Tholoſæ in Gallia Aquitanica anno Domini 1265. vt ait Arnoldus Boſtius libro 7. cap.25. *Communi electione* R. P. *Nicolaus natione Gallicus, Septimus Prior Generalis Fratrum Ordinis Carmelitarum conſtitutus eſt qui ſtatim curam gregis ſibi commiſſi acceptans, corpus ſuum in dominico onere emancipare ſtuduit*: de quo ait Segerus, quòd *hactenus Beati Simonis Generalis duntaxat Vicarius cum poteſtatis plenitudine extiterat per annos quindecim in partibus Orientis: Fuit ſanctitate, prudentia, & doctrina conſpicuus*. Cum vir ſanctus religionem viſitaſſet, aduertit religioſos plus nimio ex tunc exercitijs externis, licet charitatiuis, cœpiſſe attendere conciones habendo, & confeſſiones audiendo, velut oblitos primarij ſpiritus noſtræ religionis Carmelitanę, qui conſiſtit in contemplatione, & annexa ſolitudide, ac ſilentio; Cum tamen prædicta charitatis exercitia, quæ ſunt finis ſecundarius ipſius, debeant ex abundātia contemplationis reſultare. Propter hanc in ſolitudine relaxationem, flebat Sanctus Generalis, increpabat, hortabatur; Cumque nec ſic remedium afferre potuiſſet, officio Generalis reuuntiauit, & ad amatam ſolitudinem recedens edidit libellum contra hunc abuſum.

Probatur concluſio ex facto huius viri Sancti, qui videns ſe operam perdere in promouenda primaria ſolitudine religionis Carmelitanę, & conuentus ſolitarios relinqui, renuntians officio ſeceſſit in cremiticum montem Ennatrot conuentum, vt dilecta ſolitudine frueretur, & non ſolùm verbo, ſed etiam exemplo alijs prædicaret: De hoc receſſu ſic ait Arnoldus Boſtius lib.7. cap.30. *Demum cum annis quinque ordinem Fratrum Carmelitarum ſtrenuè in omni ſanctitate cum multa patientia rexiſſet, renuntiauit officio, & velut alter Elias turbas hominum declinare volens ad eremum ſe tranſtulit, & ſolitariam vitam duxit.*

Secundò probatur expreſſa huius Sācti Generalis authoritate in citato libro *Igneæ Sagittæ*, toto aureo, ex quo tantùm aliquæ ſententiæ hinc inde aſſumentur efficaciores, dimiſſis alijs quæ lectori tædium afferre poſſent. Librum incipit *Quomodo obſcuratum eſt aurum &c.* Deinde ait; *Præterita recolo, præſentia conſidero, futura pertimeſco: Quoniam zelus domus tuæ comedit me, hunc ſtatum conſiderans tuum, mater mea religioſiſſima, vehementis triſtitiæ compellor ſuſpiria emitttere lachrymoſa*: Et aſſumens parabolam hominis qui incidit in latrones, exclamat; *Doleo, ſuper te doleo, & quia iuuare nequeo, dolens mori cupio; nam cū te in itinere ſpoliatam, ac plagis impoſitis relictam videam ſemiuiuam, tadet animā vlteriùs viuere cum languore*: Et religioſis intimat ad terrorem illud Dauidicum; *Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptiiibus eorum*: In capite 3. ſic ait *Quandiu in ſolitudine contemplationis orationibus ac ſanctis operibus vobis ipſis proficientes laudabilitèr inſtitiſtis, odor famæ ſanctitatis veſtræ per ciuitates & caſtra longè latèque in orbe diffuſus, ſic pro certos adorantes vniuerſos, & ſingulos mirabilitèr confortauit, & plures tunc temporis per odoris illius redolentiam benè ædificatos ad eremi ſolitudinem, & vt pænitentiam agerent, quaſi quodam ſuauitatis funiculo attrahens adunauit*. In capite 5. ſic ait *non eſt hæc religio munda, & immaculata apud Deum Patrem, in qua oportet quemlibet immaculatum ab hoc ſæculo cuſtodiri: Audite*

Digitized by Google

dite ergo Eremitæ ab Eremo nuncupati, qui in corde ciuitatis habitaculum elegiſtis: Audite, inquam, non quod ego, ſed quod Propheta protulit; Vidi inquit, iniquitatem & contradictionem in ciuitate, die ac nocte circundabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniuſtitia, & non defecit de plateis eius vſura & dolus: O quam tuta & ſecura extitit manſio veſtra, quæ tot excubijs vtique ſollicitis, tam interiùs quàm exteriùs, horis momentis omnibus dignoſcitur cuſtodita: Ecce iniquitas ſuper muros diligenter excubãs, vt non ſit in ea qui ſe abſcondat à calore eius ciuitatis habitatores ambiẽs circuncingit, vniuerſos ſui ſigni charactere cupiens maculari: ſunt etiam & iniquitatis ſatellites in medio, & in plateis ciuitatis ſimilitèr excubantes, quorum vocabula in generali exprimens Propheta, contradictionem, laborem, iniuſtitiam, vſuram & dolum connumerat in hoc pſalmo: Sex audiſtis ciuitatis excubias a Propheta generalitèr nominari, qui ad ſpecialia forſitan deſcendiſſet, niſi in infinitum vtique numerum proceſſiſſet: Animaduertite fratres, quòd manſionem veſtram ironicè tutam dixerim, cogitantes inter vos quot & quales excubiæ, ſed & crudeles inſidiæ vos in ciuitate ſemper & vbique circumcingentes muniunt, aſſociant, & ſequuntur: Ecce quomodo in ciuitate circumuallati eſtis; nunc autem videte, quomodo in ſolitudine muro ſuo inexpugnabili circumcingens Dominus armis ſuæ potentiæ ab hoſtium inſidijs liberat ac defendit: In ſolitudine cæleſtes excubiæ vobiſcum ſtant in acie; in ſolitudine noſtri conciues ſuper muros ciuitatis veſtræ in eremo fundatæ cuſtodes conſtituti, tota die ac nocte fidelitèr excubantes, non tacent nomẽ Domini collaudare: Ecce in decreto ſolitudinis veram ciuitatem; ideſt ciuium vnitatem fæliciter obtinemus, & vos ita non contenti aliam cupientes indiuiſionem, quæritis deſtruere vnitatem: O interim miſerorum miſerrimi, de libertate ad ſeruitutem, de otio ſacratiſſimo ad vagationis laborem perpetuum, imò vt breuius me expediam, de deſerto in quo manna deuotionis comediſtis, in Aegyptum vbi tam angariati in luto & latere Pharaoni diabolo tanquam ſerui miniſtratis, noueritis vos rediſſe. In capite 6. ſic ait: *Hanc verò regulam Saluatoris noſtri vtique ſanctiſſimam, quidam Anteceſſorum noſtrorum antiquitus ſunt ſecuti, in Eremi ſolitudine proprium imperfectum cognoſcentes diutiùs morabantur; ſed cum proximis ſuis ita affectarent proficere, vt ſibi deficere minime viderentur, aliquando, raró tamen de Eremo deſcendentes, quòd in Eremo falce contemplationis ſuauiter meſſuerant, excuſſis granis in tritura prædicationis, largifluè ſeminauerunt.* In capite 7. ſenſum Regulæ explicans ſic ait: *Non enim dicitur ſimplicitèr; In Eremis, vel vbi vobis donata fuerint: imò additur: Ad veſtræ Religionis obſeruantiam apta & commoda, vt per iſtam adiectionem expreſsè & indiſtinctè inhabitanda decernantur loca; ne ordo proceſſu temporis per locorum ineptitudinem & incommoditatem a ſuo ſtatu potiſſimo, ſpretis obſeruantijs miſerabiliter ſpoliatus, alicuius nouitatis periculoſæ ſtatum indueret alienum: Verumtamen quod verebatur accidit; nam Fratres moderni temporis, Vbi pro vbicumque vniuerſalitèr accipientes, ad prædictam adiectionem determinatiuam omittentes, prima parte, videlicet in Eremis, diſiunctiuæ propoſitionis penitùs poſtpoſita, ſecundam ſolam indeterminatam ad ſuum damnum non minimum ſimpliciter proſequuntur: Ab vniuerſali verò ad determinatum ſimplicìter procedentes, ſophiſticum procul dubio faciunt argumentum manifeſtam implicantes fallaciam conſequentis: Eſt ne cogens argumentum; Loca habere poteritis, vbi vobis donata fuerint ad veſtræ religionis obſeruantiam apta & commoda, vel vbicumque vobis donata fuerint: Ecce ponitur conſequens & concluditur antecedens.* In capite 8. ſic habet: *Nunquid Spiritus Sanctus, qui nouit quid vnicuique expediat, in regula noſtra fruſtra conſtituit, vt ſinguli noſtri ſingulas habeant cellulas ſeparatas; non enim dicit contiguas, ſed ſeparatas, vt cæleſtis ſponſus & ſponſa contemplatiua anima in eis quieſcentes ſecretiùs colloquãtur: Reuera diuinæ miſericordiæ diſpoſitione*

ne prouida fuit iſtud non ſine cauſa rationabili ordinatum, vt nos ſimplices, minus prudentes ad pugnandum à triplici bello videlicet viſus, & auditus & loquutionis in cella ſolitudinis ſecretiùs celaremus. Tandem hic Sanctus Generalis inimicos primariæ ſolitudinis Carmeſitanæ, vocat priuignos noſtrę religionis: Ex quibus omnibus conſtat, quàm eximius zelator fuerit primariæ ſolitudinis Carmelitanę: Librum ſic concludit: *Datum & actum anno Domini* 1270. *menſe Februarij in monte* Enatrof, *hoſtibus terribili; ibi domus Dei, & ianua Paradiſi.*

AD primùm ergò dicendum, quòd Beatus Nicolaus Gallicus zelauit primariam ſolitudinem Carmelitanã, iuxta modum præſcriptum in Regula noſtra primitiua, ab eodem Innocentio IV. confirmata, qui modus compatitur cum exercitijs religioſorum mendicantium.

AD ſecundum dicendùm, quòd ſufficientèr conſtat ex adductis huius libri teſtimonijs, hunc Sanctum Generalem deflere defectum communem primariæ ſolitudinis Carmelitanæ, & non ſolùm ſingularem in ſeipſo ratione officij; nec in illo deflet amiſſionem Terræ Sanctæ, & montis Carmeli, ſaltem expreſsè.

AD Tertium dicendum, quòd ſub hoc generali fuit defectus ſolitudinis in noſtra religione Carmelitana, qui tamen nec ipſi, nec eius prædeceſſori S. Simoni Stoch debet attribui, cum ei pro viribus reſtiterint: Succeſſor autem eius Beatus Rodulphus, aut Radulphus d'Alemania acceptauit officium precibus aliorum inductus, obſeruantiæ regularis deſiderio munitus, etiam in hac parte, ſed prædeceſſoris exemplo, Holnenſis propè Alneuicum Eremi ſolitudinem petijt. vbi depoſito magiſtratus ſui onere poſt quatuor annos, illic inter ſuos ſolitarios vixit, obijt ac ſepultus eſt anno 1277. ait *Balæus*.

QVAESTIO XVII.

De Sanctis, & Illuſtribus viris Carmelitanæ Religionis.

POSTQVAM de Superioribus inclytis Carmelitanæ religionis reſtauratæ dictum eſt, de inclytis quoque aliquot eius ſubditis nũc dicendum eſt, de cunctis enim dicere penitùs eſt impoſſibile: Circa hoc igitur quæruntur ſeptem.

¶ Primo, Vtrum in Religione Carmelitana, toto tempore decurſus illius fuerint Sancti, & Sanctæ.

¶ Secundo, Vtrum in religione Carmelitana fuerint celebres aliqui Doctores.

¶ Tertiò, Vtrum Sanctus Angelus Carmelita Ieroſolymitanus ſit verè martyr,

¶ Quarto, Vtrum Sanctus Albertus Carmelita cœlitùs fuerit canonizatus.

¶ Quinto, Vtrum Sanctus Petrus Thomas Carmelitanæ religionis alumnus ſit verè martyr.

¶ Sexto, Vtrum Sanctus Andreas Carmelita fuerit inſtinctu diuino aſſumptus in Epiſcopũ Feſulanum.

¶ Septimo, Vtrum conuerſio Beati Franci Carmelitæ fuerit miraculoſa.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum in Religione Carmelitana toto tempore decurſus illius fuerint Sancti & Sanctæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd in religione Carmelitana toto tempore decurſus illius non fuerint Sancti & Sanctæ, pręſertim poſt mitigationem Regulæ: Ita dixit quidam, ſed non ità circunſpectè. Probatur tamen: nullus fuit appoſitus in Breuiario Romano Sanctus Carmelita, præter Sanctam Virginem Thereſiam poſt Carmeli renouationem: Ergo ſignum eſt, quòd rari ſunt Sancti, & Sanctę Carmelitanę religionis; ſi enim toto tempore decurſus illius fuiſſent, aliqui apparerent in dicto Breuiario, cum in illo plures ſint Sancti & Sanctæ cęterarum religionum, etiam recentium.

¶ Præterea: In libris continentibus vitas Sanctorum admodum raræ ſunt hiſtoriæ Sanctorum & Sanctarum religionis Carmelitanæ, vt lectoribus patet: Ergo ſignum eſt, quòd toto tempore decurſus illius non fuerint Sancti & Sanctæ; cum enim per nongentos & triginta annos in antiqua lege decurre-it, & per mille ſexcentos & ſexaginta quatuor in lege gratiæ, ſi toto tempore decurſus illius fuiſſent Sancti, & Sanctæ, quàm plures recenſerentur.

¶ 3. Præterea: Vix nominantur Sancti, & Sanctæ religionis Carmelitanæ; & illi nominati ſunt antiqui pluriũ ſæculorum; Cum tamen aliarum religionum Sancti & Sanctæ, etiam recentiores, reſonent in ore omnium: Ergo ſignum eſt, quòd in religione Carmelitana toto tempore decurſus illius non fuerint Sancti & Sanctæ, quia fieret mẽtio illorum.

SED CONTRA ſunt antiqua & recentia noſtræ Religiouis Carmelitanæ monumenta, ac plurium Scriptorum etiam exterorum authoritas:

CONCLVSIO.

In noſtra Religione Carmelitana, toto tempore decurſus illius quam plurimi fuerunt Sancti & Sanctæ.

RESPONDEO dicendum, quòd in noſtra Religione Carmelitana, toto tempore decurſus illius, quàm plurimi fuerunt Sancti & Sanctæ, tam in antiqua lege. 2. quàm in lege gratiæ. Ad cuius enidentiam ſciendum eſt, quod Religio Carmelitana floruit ſanctitate ſub vtroque teſtamento; ſub veteri quidem nongentis triginta annis, à fundatione ipſius per Sanctum Eliam prophetam, ſub nouo autem à Chriſto Domino, ad hæc vſqne tempora; Dicimus autem quod in vtroque ſtatus plures habuit Sanctos & Sanctas, de quibus Abbas Trithemius duos compoſuit libros, vnũ de Sanctis Carmelitanæ religionis, alium de Laudibus Carmelitarum, quos aliqui in vltima eius editione reciderunt a corpore operum illius, qua authoritate, quo animo penitùs ignoro; hic tamen dico, vt illi ad quos attinet, examinent factam huius authoris mutilationem; ſicut & aliam in Sancto Ioanne Chriſoſtomo, à quo duas homilias de Sancto Elia abſtulerunt: Et certè huiuſmodi Sanctorum Patrum & authorum truncationes aut corruptiones factæ priuata authoritate, in nouis eorum editionibus tolerentnr, breui nulla erit librorum fides omnia erunt dubia in maximum Eccleſiæ præiudicium, antiquis enim exemplaribus opponentur moderna: Vnde plectendi eſſent huiuſmodi librorum corruptores, velut fidei Catholicæ, & bono publico nociui.

Probatur prima pars concluſionis authoritate citata Trithemij, qui in primo illorum librorum multos noſtræ religionis Sanctos in toto decurſu illius enumerat, ad quem remitto lectorem:

Vu 2 Et

Digitized by Google

Et capite 12. libri de laudibus Carmelitarum ſic ait; *Tot Sancti ſub ordine Carmelitano fuerunt, vt penitùs numerari nequeant, etenim ſi quis ſtellas cæli dinumeret, & ſanctos huius ordinis numerare poterit*. Deinde probatur ſigillatim diſcurrendo ab initio fundationis, ſed ſolum præcipuos indicando Sanctos, ne tædium lectori generetur, præſertim quia magno volumine iam edito in lucẽ vitas Sanctorũ noſtrorum deſcripſi. Et quidem Elias Propheta eius fundator fuit Sanctiſſimus, quem plurimùm irritati ſunt quatuor primi eius diſcipuli magna & authentica ſanctitate conſpicui, Eliſæus ſcilicet, Ionas, Micheas filius Iemla, & Abdias, omnes Prophetæ: quot alij ſub tantis magiſtris tunc in religionẽ Carmelitana floruerunt, cogitet lector, cum plures inter eos ſpiritu Prophetiæ & gratia miraculorum pollerent: Deinde conſideret quot ſancti fuerint ſub nomine Filiorum Prophetarum, qui velut eximij ſanctitate viri in libris Regum ſæpè referuntur; Et tempore raptus Eliæ multi eorum tum in Bethel, tum in Iericho ſpiritu Prophetiæ perfuſi dicũtur prænouiſſe raptum ſui Patriarchæ: Exinde ponderet, ſub nomine Rechabitarum quàm illuſtres ſancti fuerint cum eorum duce Ionadab: Poſtea ſub nomine Prophtarum recenſeat plures ſanctos, cum penè omnes prophetæ extraordinarij fuerint huius religionis alumni: Vlteriùs ſub nomine Eſſenorum videat apud Ioſephum & Philonem, quòd ferè ſinguli iudicabantur ſancti, & tales a ſanctitate denominabantur Eſſeni: Inſuper ſub nomine Aſſidęorum, quot ſancti fuerunt, cum ſimiliter hoc nomen a ſanctitate deriuetur, ex quibus ſexaginta martyres ſancti referuntur libro 1. Machabęorum cap. 7. vbi dicitur; *Conuenerunt ad Alcinum & Bachidem congregatio Scribarum, & primi Aſſidai*; ac narrans eorum mortem violentam ſacer textus quaſi Sanctorum ſubiungit, *Carnes Sanctorum tuorum, & ſanguinem ipſorum effuderunt*: Tandem Apoſtolus ad Romanos plures indicat Sãctos Eliæ diſcipulo his verbis; *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ*.

Probatur Secunda pars concluſionis ſimili inductione per diuerſa tempora: Incipimus autem a Sancto Ioanne Baptiſta, altero Elia in ſpiritu & virtute, ac officio Precurſoris, de quo dixit Chriſtus Dominus; *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*: Quàm Sancti fuerunt eius diſcipuli, cum voce communi Iudæorum præferrentur in auſteritate vitę diſcipulis Chriſti: Ex illis Euangelio præparatis a Sanctiſſimo ſuo Magiſtro Ioanne aliqui facti ſunt Apoſtoli Chriſti, nempe Sanctus Andreas & ſocius eius, quem quidam fuiſſe dicunt Sanctum Ioannem Euangeliſtam, quidam Sanctum Philippum, quidam Sanctum Iacobum Minorem: Alij facti ſunt diſcipuli quoque Chriſti de numero ſeptuaginta duorum, vt Sanctus Marcus Euangeliſta, Sanctus Agabus propheta, Sanctus Enoch de Amathim &c. Alij facti ſunt Apoſtolorum diſcipuli ex Ioſepho Antiocheno prædicantes ſimul cum illis Euangelium in Palæſtina, Et per totum orbem diſperſi, vt in Hiſpania Sanctus Elpidius cum ſocijs ex Luitprando, in Gallia nominantur a noſtris authoribus Sanctus Martialis Lemouicis, Saturninus Tholoſæ, Frontonus Petragoricis, & ſic in alijs totius orbis regionibus: Deinde ſequuti ſunt Sancti monachi & Anachoritæ penitùs innumeri in primis Eccleſiæ ſeculis, noſtrorum Eſſenorum hæreditarij ſucceſſores ex Sancto Hieronymo & alijs, quorum multitudo & mira ſanctitas in vitis Patrum relucet, de quibus ait Didacus de Yepes in vita S.M.N. Thereſiæ c.1. *Proceſſit poſtea religio iſta noua luce prædicationis Euangelicæ perfuſa eiſdem paſſibus quibus primitiua Eccleſia per deſerta loca, cryptas, cauernas, ac remotas ſpeluncas gradiebatur, Fuerunt hæc fęlicia tempora Eccleſiæ & huius Religionis, quando Aegypti & Palæſtinæ deſerta tot monachis orna-*

Digitized by Google

ornata quot cęli ſtellę erant; *Quę fęlicitas quaſi trecentis annis in Eliæ Prophetæ ordine durauit, donec Homar & aliorum tyrannorum ſæua crudelitas tot Sanctorum vitis finem, & ipſorum gloriæ initium dedit*: Ex his monachis aſſumpti fuerunt innumeri Præſules Eccleſiæ, eiuſque Doctores, vt Sanctus Baſilius apud Carmelitas ab Euticio receptus, ſocius eius Sanctus Gregorius Nazianzenus, Sanctus Hieronymus qui ſe noſtri Eliæ diſcipulum nominat, S. Ioannes Chryſoſtomus, Sanctus Cyrillus Alexandrinus, & alij fuerunt ſanctitate conſpicui, vt Antonius, Hilarion, Spiridion, Serapion, & Anaſtaſius. Poſtea propter dictas perſecutiones innumeri Carmelitę in tota Terra Sancta martyres effecti ſunt, reſidui ad prouincias Chriſtianorum præſertim in occidentem receſſerunt, vt Capraſius in Lirinenſem Galliç inſulam, Caſſianus Maſſiliam, & Palladius in Scotiam, vbi extructis monaſterijs plurimos Eliani inſtituti Sanctos peperere, de quibus ait Albertus Myreus Bruxellenſis tractatu de origine ac incremento Carmelitani ordinis quem deducit ab Elia; *Nec Palæſtinæ Syriæue tantùm finibus cęleſtis inſtitutio circumſcripta eſt, in Aegyptum enim temporis excurſu lectiſſimæ gentis coloniæ, quos Eſſenos nuncupabant, deductæ ſunt, vt Elię imitatione Alexandria quoque clareſceret*, *Quicquid enim Orientis Auſtrique primores, quorum genere monachorum cętus gloriantur, tradidere*, *Quicquid etiam ab Oriente in Occidentem extat inuectum, non minima ex parte inſtitutionis Eliæ quædam expoſitio, & ad nationes diuerſas coaptatio eſt*; *ſiue contemplationis ſtudium, ſiue ſolitudinem, ſiue auſteritatem, ſiue paupertatem velimus expendere*; Hæc author ille: Recuperata deinceps Terra Sancta, & renouato Carmelo circa annũ Domini 1100. noui apparuere Sancti Carmelitæ penè innumeri; ex ſolis Generalibus Prælatis ſucceſſiuè fuerunt octo, qui Sanctorum aut Beatorum nomine inſigniuntur, ſcilicet Bertholdus, Brocardus, Cyrillus Conſtantinopolitanus, Bertholdus II. Alanus, Simon Stoch, Nicolaus Gallicus & Rodulphus; Tunc etiam floruerunt Sanctus Angelus martyr, S. Ioannes frater eius, S. Angela filia Regis Bohemiæ, nec multò poſt Sanctus Albertus Siculus, Sanctus Auertanus Gallus, Sanctus Petrus Thomas, Sanctus Andreas Corſinus, Beatus Francus Seneuſis, Beatus Theodoricus Alemanus, V. Thomas Vualdenſis: Poſt regulæ mitigationem multi quoque floruere viri Sanctitate conſpicui, vt B. Ioannes Soreth, Baptiſta Mantuanus, Nonnius Aluarus Pereira, priùs Conteſtabilis Luſitaniæ, B. Franciſca de Ambaſia Duciſſa Britannię, V. Angela de Arena, quàm plurimi martyres in Anglia, Germania, Gallia, & alibi ſub hæreſi Lutherana & Caluiniana, ac etiam in Aphrica ſub Mahometanis, & quàm plures alij, nouiſſimè verò Beata Maria Magdalena de Pazzis inclyta contemplatrix & Diuinorum patiens: Poſt reſtitutionem regulæ primitiuæ refloreſcens Carmelus multos edidit Sanctitate conſpicuos; Tunc apparuit S. M. N. Thereſia, V. P. N. Ioannes a Cruce, V. Catharina de Cardona, V. F. Franciſcus a puero Ieſu, de quorum Beatificatione agitur, & plures alij in Congregatione Hiſpanica; In noſtra verò Congregatione Italica V. P. N. Dominicus a Ieſu Maria, V. P. Dionyſius a Natiuitate glorioſus pro fide martyr, V. M. Anna à S. Bartholomeo, & V. M. Magdalena à S. Ioſeph, quorum proceſſus in ordine ad Beatificationem facti ſunt: Et vt vno verbo concludam, in vtraque ſimul congregatione, vitam pluſquam ducentorum ſiue religioſorum ſiue monialium ingenti volumine edidi, qui fuerũt omnes eximia ſanctitate conſpicui, probatâ vel miraculis, vel ſpiritu prophetiæ, vel ſpeciali reuelatione, vel exercitio virtutis heroicæ, vel particulari prouidentia Dei in ipſorum conuerſione ac directione: Et hæc ſufficienter demonſtrat ſecundam concluſionis partem; nec vacat de his Sanctis ſigillatim diſſerere, quamuis mira de qualibet forent dicenda, qui ampliùs de illis ſcire deſiderat,

præ-

prædictum librum noſtrum conſulat ſub hoc titulo, *Decor Carmeli Religioſi in plendoribus Sanctorum &c.*

AD Primum ergo dicendum, quòd Sanctos apponi in Breuiario, procedit vel ex deuotione Summorum Pontificū erga Sanctos huiuſmodi, vel ex inſtantia diligenti apud Summos Pontifices: Vtrumque defuit circa Sanctos Carmelitas, fortè ex inaduertentia, vel etiam negligentia Carmelitarum in principio, quamuis Sanctos haberent plures & Illuſtriſſimos, præſertim Angelum & Albertum.

AD Secundum dicendum, quòd ex eadem radice inaduertentię, vel etiam negligentiæ noſtrorum proceſſit, quod vitas Sanctorum ordinis noſtri nō euulgauerint: niſi modeſtiæ & humilitati velimus attribuere, dicendo quod potiùs olim laborabant in Sanctis faciendis & inuocandis, quàm in promulgandis eorum geſtis; propterea quàm plurima religionis monumenta perierunt in maximum eius præiudicium: origo horum potuit eſſe aliàs ſummus Carmelitarum receſſus in deſertis, quo ſoli Deo in contemplatione vacantes, penitùs ab humana conuerſatione remoti erant.

AD Tertium dicendum, quòd ex iiſdem venit principijs, quod Sancti Carmelitæ non ita reſonent, cum enim eorum hiſtoriæ non ſint ita patentes & communes in Breuiario & vitis Sanctorum, ipſi non ita celebrantur ac alij: Nunc tamen in noſtris annalibus & chronicis tam antiqui quàm recentiores redduntur celebres.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Religione Carmelitana fuerint celebres aliqui Doctores.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd in Religione Carmelitana non fuerint celebres aliqui Doctores. Probatur: Non nominantur celebres Doctores Carmelitæ, & vix aliqui authores pauci inter eos citantur: Ergo in religione Carmelitana non fuerunt celebres aliqui Doctores; ſi enim fuiſſent, nominarentur & citarentur, ſicut nominantur & citantur Doctores præſertim celebres aliarum religionum.

¶ 2. Præterea: Si in religione Carmelitana fuiſſent celebres aliqui Doctores, eorum libri apparerent, ſicut apparent libri ſimilium Doctorum, tam ſæcularium quàm cæterarum religionū: Sed non apparent tales libri: Ergo in religione Carmelitana non fuerunt celebres aliqui Doctores.

¶ 3. Præterea: Carmelitę non habent ſtatutam ſpecialem ſcholam, ſicut habent cæteræ Religiones, nempe Dominicana Thomiſticam, & Franciſcana Scoticam; imo Carmelitæ Diſcalceati extra ſuum ordinem Carmelitanum Thomiſticam ſequuntur ſcholam: Sed ſi in religione Carmelitana fuiſſēt celebres aliqui Doctores, Carmelitæ propoſuiſſent aliquem aut aliquos quaſi magiſtros ſuæ ſcholæ, hoc enim redundaret ad gloriam Religionis: Ergo in religione Carmelitana non *fuerunt* celebres aliqui Doctores.

SED CONTRA eſt multitudo & excellentiæ librorum a Carmelitis editorum, qui vix integro volumine magno comprehendi poſſunt, quod a R.P. Ludouico Iacob Carmelita Gallo editum ſub titulo Bibliothecæ Carmelitanæ cōpoſitum, vidi nuper Pariſiis typis paratum, alphabetico digeſtum ordine.

CONCLVSIO.

In Religione Carmelitana fuerunt celebres aliqui Doctores.

RESPONDEO dicendum, quòd in Religione Carmelitana fuerunt celebres multi Doctores in omni ſcientia. 2. Et etiam Sacri Scriptores. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſacri ſcriptores ex duplici capite nominantur: Vel ratione materiæ; Et ſic qui ſcribunt de

rebus

Digitized by Google

rebus ſacris & pijs poſſunt dici ſacri ſcriptores, quales ſunt Theologi, Expoſitores ſacræ ſcripturæ, & ſimiles: Vel ratione principij, qui ſcilicet ex aſſiſtentia Spiritus Sancti mouentis ad ſcribendum, & ſingula verba ſuggerentis ac dictantis aliquem Sacræ Scripturæ librum ſcripſerunt: De ſacris Scriptoribus in vtroque ſenſu intelligimus in præſenti; in primo quidem ſenſu communiter cũ alijs in prima parte concluſionis, in ſecundo verò ſenſu ſpecialiter ſub ſecunda parte concluſionis: Nihil autem hic agimus de Doctoribus Eccleſiæ ac Sanctis Patribus noſtræ Religionis, quia hoc fit particulari articulo: Nec de omnibus alijs agimus, cum hoc ſit impoſſibile, & foret lectori moleſtum; ſed tantùm de præcipuis & notioribus.

Probatur Prima pars concluſionis inductione Doctorũ huiuſmodi, qui præſentis articuli poſſunt anguſtijs contineri: nam qui ſuper ſententias in materia Theologica ſcripſerunt, pluſquam ducenti recenſentur; & ſic cum proportione in alijs materijs. Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus plura edidit opera, quæ alijs aſcribuntur: Vix enim liber de Inſtitutione monachorum, & alius contra obtrectatores ſui ſtudij nomen ipſius retinuerunt; alia verò legitima eius monumenta ad aliena migraſſe caſtra, probat Vuaſtellius, & præſertim inter opera Sancti Ioannis Chryſoſtomi, idem namque nomen & tempus vtriuſque potuit eſſe cauſa erroris: Hæc autem opera ſunt, Opus imperfectum in Mattheum apud Sanctum Chryſoſtomum, Commentaria in Marcum & Lucam apud D. Thomam in Catena aurea, Homiliæ plures in quatuor Euangeliſtas, Aliæ in Pſalmos, & in patientiam Iob; & in diuerſa noui Teſtamenti, Libri in Stratagemata Iob; Sermo de Pſeudoprophetis falſiſque Doctoribus. Opera Sancti Cyrilli Alexandrini in tres tomos redacta cunctis nota ſunt Sanctus Cyrillus Coſtantinopolitanus, qui floruit circa annum Domini 1200. ſcripſit ad Abbatem Ioachim librum de Oraculo Angeli, Alium de Incremento Ordinis noſtri ad Euſebium fratrem Religioſum montis Neroi ſiue nigri, & librum epiſtolarum ad diuerſos. Beatus Nicolaus Gallicus ſcripſit librum eximium, cui titulus eſt Sagitta ignea, quo deflet miſeriam Terræ Sanctæ ſub tyrannide Saracenorum, & deperditam Carmeli ſedem &c. Sanctus Petrus Thomas ſcripſit librum elegantiſſimum de Virginis Mariæ Conceptione & eius excellentiis: Item librum ſermonum, Alium epiſtolarum, & libros quatuor ſuper ſententias. Guido de Perpiniano ſcripſit in octo libros Phiſycorum & in tres de anima, ſuper ſententias, Quæſtiones ordinarias & Quotlibeta, Librum contra hereſes, ſuper concordantias quatuor Euãgeliorum ſub titulo Quatuor vnum, Super Decretũ ſcripſit opus dictum Correctio Iuris, ac tandem librum de vita & moribus Chriſti. Thomas Vualdenſis ſequentia ſcripſit opera: Coram Sigiſmundo Cęſare Orationum librum 1. Ad Concilium Conſtantienſe lib. 1. Epiſtolarum 164. lib. 1. Collationes ſolemnes lib. 1. Pro poſitiones ad Principes lib. 1. De grauamine Fratrum contra Oxonienſes lib. 1. In vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam, De Sacramentis & Sacramentalibus libros 3. Et alia plura opuſcula. Ioannes Bachonius Anglus, dictus Doctor Reſolutus omnium ſui temporis Theologorum princeps, & in vtroque iure peritiſſimus ſcripſit compendium hiſtoriarum & Iurium pro defenſione ordinis Carmelitarum, Incipit; B. Bernardus in quodã ſermone: Tractatum ſuper Regulam Carmelitarum cõparatiuè ad vitam Virginis Glorioſæ, Incipit, Titulus Carmeli, & titulus Beatæ Mariæ: Commentarium ſuper vetus & nouum Teſtamentum a Geneſi vſque ad Apocalypſim: Commentaria valde diffuſa ſuper quatuor libros Sententiarum: Item in omnes libros Ariſtotelis: Claruit circa annum Domini 1355. Gerardus de Bononia ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum, Quæſtiones ordinarias Pariſijs diſputatas, Quodlibeta

Digitized by Google

beta in magno volumine contenta, Sermones pro Dominicis & Sanctis totius anni: Et vnam notabilem Summam Theologiæ propter vtilitatem ſtudentium, quam morte præuentus abſoluere non potuit. Michael de Bononia ſcripſit Commentaria in quatuor libros ſententiarum, Quæſtiones ſuper textum ſententiarum, Notabilem tabulam ſuper eoſdem libros, Opus inclytum ſuper totum Pſalterium quinque voluminibus diſtinctum, Poſtillas ſuper quatuor Euãgeliſtas, Quæſtiones ſuper librum Ethicorum, Tabulam ſuper moralia Gregorij, Super Valerium Maximum & ſuper Decretum Alexandri, Tractatum de Conceptione Beatæ Virginis, Opus Quadrageſimale, Commentaria in plures libros Ariſtotelis, Et incepit Dictionarium Diuinum quòd ab A. vſque ad C. tantùm compleuit. Guillelmus de Samero ſcripſit in libros ſententiarum &c. Sicut & Paulus Peruſinus natione Gallus, Guillelmus Lincolnius Anglus, Bernardus de Ambaſia, Petrus Raymundus de Graſſa, Petrus de Caſa, & Ioannes de Alexio: qui libros etiam alios eruditos ſcripſerunt. Tunc quoque ſcriptores alios Hiſtoriarum ordinis inuenimus, Philippus Riboti ſcripſit de Inſtitutione & peculiaribus geſtis religioſorum Carmelitarum, Ioannes de Vineta ſcripſit Chronicon ordinis &c. Petrus Brun de Inſtitutione ordinis noſtri, Arnoldus Boſtius de Illuſtribus Viris ordinis & de Patronatu Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Martinus Italus de titulo & Sanctis ac Doctoribus ordinis, Ioannes Gluel de origine ordinis. Ioannes de Malinis ſpeculum hiſtoriale ordinis noſtri, ſicut & Ioannes de Ciminero, Ioannes Ganda ſcutum Carmelitarum, & Enoch Patriarcha Ieroſolymitanus vitam S. Angeli. Poſt mitigationem regulæ fuerunt etiam celebres in noſtra religione Doctores, Ioannes Soreth ſcripſit in ſententias lib. 4. & commentarium in regulã, Baptiſta Mantuanus cunctis notus multa & eximia ſcripſit opera, Nicolaus Audeth ſcripſit in Magiſtrum ſententiarum Conciones & orationes; Ionnes Baptiſta Rubeus ſcripſit præclara commentaria in Ariſtotelem & in Magiſtrũ ſententiarum, in epiſtolam ad Galatas, de caſibus conſcientiæ, & ſcholia in libros Thomæ Vualdenſis, Ioannes Baptiſta Gaffardus ſcripſit in ſententias & Quadrageſimale; Ioannes Stephanus Chizzola ſcripſit in ſententias, in libros Philoſophicos Ariſtotelis, in Eccleſiaſtem, & Quadrageſimale; Ioannes Todeſcus ſcripſit in ſententias, Concordiã Euangelicam, in Exodum &c. Alphonſus de Alphama ſcripſit Doctrinale Patrum in Caſſiani collationes: Quàm plures alios refero libro 6. cap. 10. Hiſtoriæ noſtræ Carmelitani ordinis; non poſſum tamen hic ſilentio præterire eximios Doctores Petrum Cornejo, Ioannem Antonium Bobium, & Ioannem Baptiſtam Lezanam. Inter noſtros quoque Diſcalceatos fuerunt celebres Doctores: In Theologia quidem myſtica S. M. N. Thereſia & V. P. N. Ioannes a Cruce, Ioannes a Ieſu Maria, Thomas a Ieſu: In Theologia Scholaſtica noſtri Salmaticenſes: In Philoſophia noſtri Complutenſes: In ſacram Scripturam, in hiſtoriam, & in alias plures materias adduxi plures in opere citato tum lib. 7. capit. 11. tum libro 8. capit. 12. Vnde hic finio.

Probatur Secunda pars concluſionis: Et incipiendo a Sãctis Elia & Eliſæo dicimus, quòd etſi nullum ſacræ ſcripturæ librum ediderint: In tertio tamen & quarto libro Regum multa capita ex eorum geſtis & dictis componuntur; imò habetur Eliæ noſtri Patriarchę epiſtola, quam poſt raptum Regi Ioram ſcripſit, alibi diximus ex Origene extaſſe librum S. Eliæ. Deinde penè omnes Prophetæ, quorum prophetiæ in ſacra ſcriptura continentur, fuerunt alumni noſtræ Religionis Carmelitanæ, vt ſuo loco probatum eſt: Et dicitur quòd Eſdras, qui etiam Malachias propheta nominatur, ſacram veteris Teſtamenti ſcripturam reparauerit. In nouo Teſtamento habemus Sanctum Marcum Euangeliſtam.

AD primum ergo dicendum, quòd ideò non nominantur, nec citantur multi Doctores Carmelitæ, quia libri eorum perierunt, maximè ex antiquis; vel in curia religionis, quæ non procurauit eos conſeruari, & typis ſuo tempore mandari; vel aliorum furto, ſæpiùs enim audiui noſtros Carmelitas, & Benedictinos de hoc conqueri: mihi conſtat, quòd aliqui opuſcula quædam V.P.N. Ioannis a Ieſu Maria ſub ſuo ipſorum nomine typis mandarunt; quid factum ſit de libris antiquis, qui diſparuerunt, iudicet lector, cum ita fiat de recentioribus ita notis.

AD Secundum dicendum ſimiliter, quòd Doctorum Carmelitarum antiquiorū libri nō comparent, ex prima ratione non tamen ſub eorum nominibus, ex ſecunda ratione: niſi dicamus quòd tempus edax rerum huiuſmodi libros conſumpſit, ſicut & plures alios.

AD Tertium dicendum, quòd alij Patres Carmelitæ tres aſſumpſerunt ordinis Doctores, nempe Ioannem Bachonium, Thomam Vualdenſem, & Michaelem Anguianam de Bononia, quos ordinariè quaſi Magiſtros ſequuntur: noſtri verò Diſcalceati, propter excellentiam Doctrinæ D. Thomæ, ac diuinam eius approbationem, facti ſunt ex electione diſcipuli ipſius: Si noſtra religio Carmelitana ſimilem D. Thomæ Doctorem haberet, ipſum noſtri quoque ſequerentur ad gloriam eiuſdem religionis; quāuis autem plures habeat celebres, nullum tamen ſicut D. Thomam, quem propterea velut ducem aſſumpſimus ad gloriam & vtilitatem noſtræ Religionis, cum hac via doctos ſolidè efficiamus Religioſos.

ARTICVLVS III.

Vtrum Sanctus Angelus Carmelita Ieroſolymitanus ſit verè martyr.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Angelus Carmelita Ieroſolymitanus non ſit verè martyr. Probatur: Illi ſoli ſunt verè martyres, qui moriuntur pro fide; nam martyr eſt propriè ille, qui teſtimonium fidei Chriſtianę perhibet proprio ſanguine ſiue morte ſubſcriptum; ſicut dicitur confeſſor, qui fidem Catholicam voce & operibus inter infideles teſtatur: Sed Sanctus Angelus Carmelita Ieroſolymitanus non eſt mortuus pro fide; nam fuit occiſus in Sicilia, vbi fides viget, & ab homine Catholico, vt conſtat ex eius hiſtoria: Ergo non eſt verè martyr.

¶ 2. Præterea: Si quid ſuaderet Sanctum Angelum Carmelitam Ieroſolymitanum eſſe verè martyrem, maximè quia mortuus eſt propter virtutem Caſtitatis, prædicans contra cuiuſdam inceſtum; hoc enim eſt vnicum martyrij eius fundamentum, vt patet: Sed mori propter aliquam virtutem hoc aut ſimili modo, non eſt verè eſſe martyrem, vt conſtat in his qui propter charitatem moriuntur expoſiti in obſequium eorum qui peſte laborant, qui non verè ac propriè dicuntur martyres; non enim minor eſt charitas caſtitate, imò charitas eſt maior omnium virtutum etiam Theologalium, iuxta Apoſtolum dicentem, *Maior autem horum eſt Charitas*: Ergo Sanctus Angelus Carmelita Ieroſolymitanus non eſt verè martyr.

¶ 3. Præterea: Licèt mori pro virtute Caſtitatis modo prædicto ſit eſſe verè martyrem; non tamen pro illa mortuus eſt Sanctus Angelus Carmelita Ieroſolymitanus, quia non occiſus eſt, quia reprehendebat inceſtum, ſed quia publicè in ſuis concionibus nominabat

inceſtuarium, vt manifeſtum eſt in eius hiſtoria: Ergo non eſt verè martyr.

SED CONTRA eſt authoritas Diuina & Eccleſię, ac communis ſententia Doctorum, & ſenſus fidelium.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Angelus Carmelita Ieroſolymitanus fuerit occiſus propter virtutem Caſtitatis, ad inſtar Sancti Ioannis Baptiſtæ, verè eſt martyr, ſicut ille.

RESPONDEO dicendum, quod noſter Sanctus Angelus Carmelita Ieroſolymitanus eſt verè martyr. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod parentes Sancti Angeli erant Iudæi bonis moribus præditi, Pater vocabatur Ieſſe, Mater verò Maria, ambo ex domo Dauid: Cum cœlitus illuſtrati magnam fidei Chriſtianæ probabilitatem haberent, Deum gemitibus euocabant vt ſibi veram fidem demonſtraret, Dum id inſtantius peterent die 24. Martij, quæ erat Paraſceues, pijſſima Virgo Maria plurium Angelorum comitatu ſtipata ſexta noctis hora apparens ſic eos alloquitur: *O Regia progenies domus Dauid, ex qua etiam ipſa proceſſi, deponite dubium & timorem, credite firmiter quod in vanum ſperatis Meſſiam in lege promiſſum; quandoquidem iam venit, & ſaluum fecit populum ſuum; ſecundùm diuinitatem eſt filius Dei, qui ſine eminis commixtione, ſola Spiritus Sancti virtute conceptus & natus eſt ex me Virgine ſua matre &c.* ſuadet vt eant in Eccleſiam, & procurent inſtrui in fide Chriſti, poſtea baptizandi; Duos eis gemellos promittit filios, præcipit primogenito nomen Angeli, ſecundo verò nomen Ioannis imponi. Cum hæc omnia iuxta promiſſum & pręceptū Virginis ſucceſſiſſent, pij parentes in bonis operibus deceſſerunt, commendatis Nicodemo Patriarchæ filijs, & in noſtro Sanctæ Annæ monaſterio Ieroſolymis ad portam auream ſepulti ſunt; in quo poſtea Sancti eorum filij religioſum ſumpſerunt habitum in die Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis, ac elapſo cum maxima vitæ auſteritate & ſanctitate nouitiatu profeſſionem emiſerunt. Inde ad montem Carmelum miſſi ſub Sancto Cyrillo Priore Generali alijſque ſucceſſoribus mirificè profecerunt: Ioannes miraculis clarus poſtea factus eſt Ieroſolymitanus Patriarcha: Angelus autem fuit gloria miraculorum clarior, ferrum ſecuris ad inſtar Eliſæi lapſum in aquis ſupernatare fecit, Iordanem exundantem iuſſu ſiſtens cum ſeptuaginta ſocijs pedibus ſiccis pertranſijt, Biduanum mortuum nomine Ioſeph ſuis præcibus ſuſcitauit, & mira fecit alia. Vt honores fugeret, receſſit in deſertum ieiunio Chriſti conſecratum, vbi per quinquennium degens Angelico pane nutritus, quam plures futurorum in Eccleſia ſucceſſuum reuelationes habuit, præſertim apparente ſibi Chriſto plurium Angelorum comitatu ſtipato, qui proximam Terræ Sanctæ perditionem, & futuram aliquando per Regem Francorum recuperationem eius prædixit. In eius receſſu pallium ipſius ſex mortuis admotum ſucceſſiuè, cunctos ſuſcitauit. Tunc præcepit ei Chriſtus, vt inde nauigaret in Europam, vbi pro gloria ipſius erat corona martyrij decorandus. Relicto igitur deſerto petijt primò Ieroſolymam vbi ſua prædicatione plurimos Chriſtianos à vitijs, & Iudæos ac Saracenos ab infidelitate conuertit: Inde tranſijt in Ciuitatem Alexandriæ, & aperiens Patriarchę Chriſti reuelationem ſibi factam circa Saracenorum inuaſiones, petijt reliquias illius Eccleſiæ ad Summū Pontificem deferendas; ſed cum dictis eius non omnino crederet, apparente ipſi Sancto Ioanne Baptiſta in feſto Annuntiationis Beatæ Mariæ de veritate confirmatur: Vnde Sancto Angelo has tradidit reliquias, videlicet miraculoſam imaginem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, brachium & tibiam S. Ioannis Baptiſtæ, caput Ieremiæ prophetæ, brachium S. Catherinæ Vrginis & martyris, & tibiam

biam S. Georgij. His ſacris onuſtus reliquijs anno Domini 1219. die 1. Aprilis nauim Genuenſem nauigaturus in Italiam conſcendit cum tribus ſocijs, ſcilicet Fratre Ioſeph de Emmaus, Fratre Petro de Bethleem, & Fratre Henoch de Ieruſalem, qui vitam eius ſcripſit. Intra quindecim dies perueniunt ad littus Siciliæ, vbi repertis quatuor triremibus infidelium, ſeptuaginta Saracenos ipſam nauem inuadentes S. Angelus oratione fuſa combuſſit igne cœleſti, reliquis viſum ademit, moxque fidem amplexantibus reſtituit. Primò venit Meſſanam, vbi mutum & plures cæcos curauit: vlteriùs procedens appulit ad centum Cellas, ibique relicta naui Romã proficiſcitur, vbi Summo Pontifici Honorio III. commiſſas ſibi reliquias tradidit. Dum Romæ commoratur, & magnæ populi frequentiæ in Eccleſia Lateranenſi concionatur, a Sanctis viris Franciſco & Dominico tunc pręſentibus agnitus, in honore habitus, ac familiariter tractatus, Beato Franciſco Stigmatum ſacrorum impreſsionem prædixit, à quo & ſui martyrij prædictionem accepit, Sancto Dominico propheticam vtriuſque prædictionem approbante. Accepta deinde Apoſtolica benedictione S. Angelus Siciliam verſus properat, Campaniam & Apuliam percurrit multa patrans miracula & acceptans Religioni monaſteria: Inde traſfretat in Siciliam, & Panormum appellens ſua prędicatione & miraculis ducentos & decẽ Iudæos, ac plures Saracenos ad fidem conuertit; Archiepiſcopum ab incurabili morbo ſanauit in balneis Ceſalæ ſeptem mundauit leproſos, Agrigenti plures & ſimiles fecit curationes. Tandẽ Leocatam perueniens ad vltimum ſuæ peregrinationis terminum, in noſtro recipitur conuentu, & diuinæ miſſionis officium exequitur in principio Martij; principaliter aggreditur Belingarium la Pulcella & priuatim & palam, cum eſſet inceſtu publico cũ propria ſorore diffamatus; irridet ille admonitionem, ipſa conuertitur, & prima die Maij ad S. Angelum accedit cum tribus filijs ex inceſtu fratris ſpatio duodecim annorum procreatis, à quo plurimum conſolatu & animata publicam fecit pœnitentiam: Irritatus ille inceſtuoſus mortem S. Angelo minatur, & paulò poſt infert auſu diabolico. Hæc paucula præmiſimus, ad habendam tanti viri notitiam neceſſaria.

Probatur Concluſio fideli relatione mortis violentæ S. Angeli à prædicto teſte oculato deſcripta. Cum S. Angelus de martyrio inſtante fuiſſet à S. Ioanne Baptiſta præmonitus, & ad eius tolerantiam animatus, ipſa die præfixa, ſcilicet quinta Maij pulpitum concionaturus aſcendit, & cum magno feruore concionatur; in media concione penetrat ad ipſum Belingarius, & quinquies pugione perfodit: Perfoſſus Angelus rogat populum, vt percuſſorem liberum abire ſinat, & ſororis eius pęnitentis ſaluti ſuccurrat; flexiſque genibus pro perſecutore populoque precatus Pſalmum, *Beatus vir qui non abijt*; Et alium, *In te Domine ſperaui* pronuntiat. Tunc de cœlo vox audita eſt dicens; *Veni Angele ad regnum tibi & electis meis paratum à conſtitutione mundi, vt læteris cum Sanctis, & admittaris in cęlo cum Angelis, & in æternum viuas cum Sanctis martyribus, in ſuperna quippe Ieruſalem triplicem aureolam meruiſti*. Deinde viſa eſt fęlix eius anima ſub ſpecie columbæ candidiſſimę egredi de corpore: apparuit inſuper clariſſima lux corpori affulgens; & ſtatim auditi ſunt cantus Angelici cum armonia cœleſti. Denique corpus ſanctum mirabilem ſpirans odorem, totam eius ſuauitate ciuitatem implendo recreauit. Cum miſer ille ſacrilegus ſororem, quam perfodere volebat, domi non inueniſſet, ſuorum ſcelerum horrore percitus & deſperans ſeipſum ad inſtar Iudę proditoris laqueo ſuſpendit, cuius corpus proiectum feris deuorandum relinquitur. Sanctus Angelus poſt mortem Archiepiſcopo Panormitano glorioſus apparens ſui corporis ſepulturam commendat, qui in loco martyrij

Digitized by Google

nempè in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi illud honorificè ſepeliuit anno 1220. quæ eccleſia poſtmodum noſtro Ordini Carmelitano conceſſa fuit. Cum poſt quadringentos annos noſtri Carmelitæ ſepulchrum aperuiſſent, ſacrum S. Angeli corpus cum recenti ſanguine, quo fuerat in martyrio conſperſum, ac viuidis floribus cum quibus fuerat ſepultum, alijſque ſimilibus prodigijs inuenerunt. Ex dictis in Synodo Ieroſolymitana debitè approbatis demonſtratur concluſio. Nã primò S. Angelus cœleſti illa voce vocatur martyr, quaſi martyrij laureolam ſeu aureolam meritus: qui titulus fuit ab Eccleſia in eius officio confirmatus. Deinde S. Angelus fuit occiſus morte violenta in defenſionem caſtitatis, eo prorsùs motiuo quo S. Ioannes Baptiſta ab Herode: Ergo ſicut Sanctus Ioannes Baptiſta eſt verè martyr, & vt talis colitur ab Eccleſia, ſic & noſter Sanctus Angelus Carmelita Ieroſolymitanus; Et propterea S. Ioannes Baptiſta præmonuit ipſum de martyrio eius velut ſimili ſuo.

AD Primum ergo dicendum, quòd qui moritur in defenſioné alicuius virtutis morte violenta, moritur implicitè propter fidem Chriſti, quæ præcipit exercitium ſingularum virtutum, & docet pro ipſo moriendum eſſe; præſertim cum intereſt gloriæ Dei, & contrarium redundaret in deriſionem fidei, vt conſtat in martyrio Sancti Ioannis Baptiſtę & aliorum.

AD Secundum dicendum ſimiliter, quòd non ſufficit ad martyrium mori propter aliquam virtutem: ſed requiritur inſuper, quod mors illa ſit violenta, & interſit gloriæ Dei ac fidei, vt accidit in morte Sancti Angeli; fuiſſet enim ſcandalum, ſi tacuiſſet in publico illo inceſtu: Qui autem moritur peſte, moritur quidem propter charitatem ſi fuerit expoſitus voluntariè & peſtem contraxerit; ſed tamen hæc mors non eſt omninò violenta, at quodammodo naturalis ex morbo; nec intereſt fidei, ſi ſe quis excuſet exponere, imò ordinariè non eſt ſcandaloſum ſe non exponere; quamuis Eccleſia veneretur quaſi martyres, qui ex tali charitatis officio moriuntur peſte, Vnde non ſunt ſimpliciter, at quodammodo tantùm martyres.

AD Tertium dicendum, quòd quia ſcandalum illius inceſtus erat publicũ, debuit S. Angelus inceſtuoſum publicè monere, poſtquam noluit ex priuata correctione reſipiſcere: nec ille miſer occidit S. Angelum præcisè, quia admonuit publicè, ſed quia ſua prædicatione ſororem ipſius conuertit, ex cuius conuerſione illicitis priuatus eſt voluptatibus; Et conſtat, quia voluit etiam eam trucidare.

Articvlvs IV.

Vtrum Sanctus Albertus Carmelita cælitùs fuerit canonizatus.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Albertus Carmelita non fuit cælitus canonizatus. Probatur: Nullus Sanctus poteſt dici legitime canonizatus à tempore Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. niſi fuerit declaratus talis ab ipſo Pontifice; in hoc enim Concilio Sanctorum canonizatio, & Religionum approbatio fuerunt Summo Pontifici reſeruatæ, quaſi res maximi momenti in Eccleſia: Sed Sanctus Albertus Carmelita, qui floruit poſt illud Concilium, non fuit declaratus Sanctus ab vllo Summo Pontifice: Ergo non poteſt dici cœlitùs canonizatus.

¶ 2. Præterea: Si quid ſuaderet Sanctum Albertum Carmelitam fuiſſe cœlitùs canonizatum, maximè quia poſt tranſitum eius apparuerunt duo Angeli, qui ad celebrandas ipſius exequias inceperunt canere miſſam de Sancto Confeſſore, *Os iuſti meditabitur ſapientiam: &c.* Sed hoc non ſufficit, vt dicatur cœlitus canonizatus; quia potuit demon ſe transf-

transfigurare in Angelum lucis, vt ſæpè contingit: Ergo Sanctus Albertus Carmelita non poteſt dici cœlitus canonizatus.

¶ 3. Præterea: Si ſemel admittatur, quòd Sanctus Albertus Carmelita fuerit cœlitus canonizatus, ſequitur quòd multi ſimili ratione poterunt dici cœlitùs canonizati, vt S. Angelus item Carmelita, qui voce de cœlo dictus eſt martyr, S. Rochus qui Deo populis inſpirante vocatur Sanctus; Et tamen hic non dicitur cœlitus canonizatus, & alios pretereamus: Ergo Sanctus Albertus Carmelita non poteſt dici cœlitus canonizatus.

SED CONTRA eſt authoritas Eccleſiæ approbantis cœleſtem ſanctitatis Alberti noſtri declarationem, & communis Carmelitanæ Religionis conſenſus.

CONCLVSIO.

Cum Angeli ſolemniter Albertum Carmelitam declarauerint Sanctum Confeſſorem, & hæc declaratio fuerit approbata ab Eccleſia, verè poteſt dici cœlitus canonizatus.

RESPONDEO dicendum, quod tanta fuit Sancti Alberti noſtri Carmelitæ ſanctitas, vt meruerit de cœlo Sanctus declarari: Vnde meritò dicitur cœlitùs canonizatus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Sanctus hic Albertus, de quo loquimur in præſenti, nobilibus parentibus Benedicto Adaltiba & Ioanna montis Drepani miraculosè natus eſt in Sicilia: Cum enim parentes ius viginti, & ſex annis in coniugio ſine prole manſiſſent, Beatæ Mariæ ſemper Virgini voto ſe adſtrinxerunt, ſi filium ipſis impetraret, ſe illum monaſterio Carmelitarum, quod propè montem Drepani ſitum erat, dicaturos: Voti compotes effecti, facem ex vtero materno prodeuntem in quiete viderunt; qua viſione mater puerum coram Domino magnum eſſe futurum intellexit, quod rei euentus poſtea demonſtrauit: nam cum liberalibus diſciplinis puer inſtitueretur, diuina benedictione præuentus octauum ætatis annum attingens ad inſtar S. Ioannis Baptiſtæ ſolitariam & religioſam vitam eligens, monaſteriũ Drepanenſe Carmelitarum Beatiſſimæ Virgini dicatum ingreditur, vbi vitę rigidioris aſperitate, ac regularis diſciplinæ ſeueritate delectatus tantùm profecit, vt breui virtutum exemplar cęteris ſe præbuerit; Et primò ſibi vacans corpus caſtigabat, & in ſeruitutem redigebat; Vnde cilicio ad carnem vtebatur, membra rudi panno & vilibus tegebat veſtibus, palmitibus nudo corpori admotis cubabat, vino penitùs abſtinens, aſſiduis ſe etiam ieiunijs affligebat; ſexta quoque feria cibo abſinthium immiſcebat, ac viliſſima ſimul & ardua conuentus officia libenter exercebat. Obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis fuit ſtudioſiſsimus, diuinaque ſapientia perfuſus: Vnde cum cœleſtibus ſemper delectationibus frueretur, miraculorum quoque gloria fuit illuſtris. Deinde animarum curæ, quarum ſalutis magno flagrabat deſiderio, ſedulus attẽdit; quare Iudæos quàm plurimos, alioſque infideles ſuis prædicationibus ad Chriſti fidem conuertit. Meſſanam prædicationis cauſa miſſus, ad presbyteratus ordinem (etſi ob magnam humilitatem eum gradum recuſaret) promotus eſt, ac deinde tanta excelluit gratia, vt omnium in admiratione eſſet. Cum autem eadem ciuitas Meſſanenſis propter obſidionem, qua eam Robertus Rex Neapolis premebat, fame vexaretur, ciuium rogatu fuſa ad Deum oratione, repente tribus triremibus annona onuſtis, præter ſpem per medios hoſtes ad vrbem appulſis, eam à periculo liberauit; quare Rex Siciliæ Federicus III. miraculum agnoſcens, Alberto noſtro benefactori ſuo gratias egit. Miracula per ipſum patrata ſunt multa & maxima, tam in vita quam poſt mortem, quorum aliqua tantùm hic proponuntur. Agrigentum proficiſcens, cum ex altera ripa Platani

fluuij

Digitized by Google

fluuij Iudæos quoſdam obuios habuiſſet, repente fluuius alueum excedens illos prætereuntes inuaſit; qui cum mergi cœpiſſent, ad Sanctum vt eis opem ferret, clamare ceperunt: Promiſit ille, ſi Chriſtiani fieri vellent; quibus id promittentibus, vir Dei ambulans ſuper aquas manus eis porrexit, eodemque in flumine baptizauit, & ad ripam incolumes perduxit. Meſſanam reuerſus in quodam tugurium orationis cauſa ſeceſſit; ibi graui correptus morbo, accerſitis Fratribus ſuum ac ſororis inde longè diſtantis eundem obitus diem, vt poſtea euenit; prędixit: Cumque hora veſpertina ſuum imminere tranſitum cognoſceret, genibus flexis & oculis ad Deum intentis pronuntians pſalmum, *In te Domine ſperaui*, in illis verbis, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, efflauit animam, quam in ſpecie candidiſsimæ columbæ de illius ore exeuntem, ac recta in cœlum via volantē circumſtantes Fratres viderunt, die 7. Auguſti anno Domini 1307. His breuiter adductis in fundamentum noſtræ concluſionis, ad eius probationem accedimus.

Probatur Concluſio fideli relatione eorum, quæ poſt mortem ipſius acciderunt, vt habetur in lectionibus officij eius approbatis ab Eccleſia. Dicitur ergò; Cum innumeris coruſcaret miraculis, & populus miſſam de Sancto Cōfeſſore, Clerus autem pro defuncto celebrare vellet, a Domino reſponſum expectandum iuſſit Epiſcopus: Quibus orantibus, duo Angeli in albis adſtantes miſſam; *Os iuſti meditabitur ſapientiam*, de Sancto Confeſſore celebrandam eſſe indicarunt, qua ſolemniſſimè celebrata, ſanctum illud corpus honorificè conditum eſt: Hęc habentur in lectionibus; Traditur etiam, quòd ad eius obitum dignè celebrandum, campanæ ſeipſis pulſauerunt. Quæ benè ponderata noſtram concluſionem demonſtrant: nam præſuppoſitis tot tamque eximijs Alberti noſtri miraculis, & viſa in eius fœlici tranſitu glorioſa ipſius anima ſub ſpecie columbæ candidiſsimæ recta via volantis in cœlum, adſtare; viſibiliter in ſolemni illa ſupplicatione Cleri totiuſque populi duos Angelos in albis pro ipſo miſſam de Sancto Confeſſore cantantes, certè conuincit quòd medijs illis cœlitùs fuit canonizatus, ſeu declaratus tunc in numero Sanctorum ſcriptus: Quæ ſolemnis Angelica declaratio fuit poſtea innumeris confirmata miraculis, & approbata per Eccleſiam; miracula continuant; cum ſiugulis diebus aqua reliquijs eius benedicta multæ fiant curationes, & præſertim à febribus, vt in meipſo ter ſum expertus.

AD Primum ergo dicendum, quòd procedit de Canonizatione ordinaria, quæ fit ab Eccleſia, qualis non eſt iſta: Non antem de extraordinaria, qualis eſt iſta, quæ de cœlo facta eſt; quæ tamen debet verificari ab Eccleſia, ſeu approbari quaſi vera, ne forte dœmonis arte deceptio contigeret; & ita fuit approbata, poſt legitimum examen, dum authoritate Eccleſiæ Sanctus noſter Albertus fuit vt talis agnitus, & in diuinis officijs celebratus.

AD Secundum dicendum, quòd per per prædictam approbationem declaratum fuit, in hac Angelorum apparitione nullam fuiſſe dœmonis deceptionē: quamuis enim dæmon ſe trantfiguret in Angelum lucis aliquando, non tamen in pręſenti caſu contigit, attentis omnibus circunſtantijs; nam ſemel verificata Sancti Alberti ſanctitate per euidentia miracula, dicta Angelorum apparitio canonizantium illum, fuit ad maiorem Dei gloriam, ipſius honorem, & fidelium vtilitatem, ad quæ non ſolet dęmon concurrere.

AD Tertium dicendum quòd ſi admittatur ſimilis Eccleſię approbatio reſpectu aliorum Sanctorum, quæ fuit reſpectu Sancti Alberti, ſi tali modo declarentur Sancti, poterunt etiam dici cęlitus canonizati. Similis approbatio Eccleſiæ fuit reſpectu S. Angeli noſtri; reſpectu verò Sancti Rochi dicunt aliqui, quòd eſt tantùm Eccleſiæ tolerantia.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS. V.

Vtrum Sanctus Petrus Thomas Carmelitanæ Religionis alumnus ſit verè martyr.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quod Sanctus Petrus Thomas Carmelitanæ Religionis alumnus non ſit verè martyr. Ita tenet Lucas Vvaddingus in notis ſuper vitam ipſius & Godefridus Henſchenius in Commentario præuio vitæ eiuſdem §.5. quãuis concedat in aliquo ſenſu poſſe dici martyrem. Probatur: Miſſalia & Breuiaria antiqua Religionis Carmelitanæ celebrat S. Petrum Thomam quaſi Cõfeſſorem, & ſolùm Miſſalia & Breuiaria huius ſeculi decimi ſeptimi nominant ipſum martyrem: Ergo cum antiquis monumentis maior fides ſit adhibenda quam recentioribus, Sanctus Petrus Thomas Carmelitanæ Religionis alumnus non eſt dicendus verè martyr.

¶ 2. Præterea: Non conueniunt Authores qui Sanctum Petrum Thomã vocant martyrem, quo martyrij genere obierit; Dicunt aliqui, quod Alexandriæ ad palum alligatus fuerit infideliũ ſagittis confoſſus, cum tamen conſtet ipſum Famaguſtæ in Cypro deceſsiſſe; Dicunt alij, quòd quidem Alexandriæ fuit ſagittis vulneratus in dictæ Ciuitatis captione, at verò mortuus ex illis vulneribus in Cypro, quod tamen videtur falſum, nam eius Comes indiuiduus Philippus Mazzerius nullam facit mentionem horum vulnerum, imò dicit, quòd Deo protegente infidelium ſagittæ paucos & quaſi nullos lædebant; ſi autem ipſe fuiſſet illis vulneratus, non tacuiſſet: Ergo Sanctus Petrus Thomas Carmelitanæ religionis alumnus non eſt verè martyr.

¶ 3. Præterea: Sanctus Petrus Thomas nauigans in Cyprum ex capta & relicta Alexandria propria manu ſcripſit epiſtolam ad Papam & Imperatorem, in quo ſe teſtatur nihil paſſum fuiſſe iu ſuo corpore, dum ait; *Si me Dominus in amiſsione rerum temporalium, aut amicorum morte, aut in afflictione proprij corporis flagellaſſet, ſuſtinuiſſem æquanimiter*: Et ſocius Mazzerius narrat, quod in die Natiuitatis Domini ſolemnitèr matutinum, & tres miſſas cantauit indutus Pontificalibus, & quòd eundo ac redeundo inter lutum cępit alterari frigore, & ſuperuenit febris ardentiſsima qua poſtmodum obijt: Ergo naturali morte, non violenta martyrij obijſſe dicendus eſt, & ita non eſt verè martyr.

SED CONTRA eſt Sacrę Congregationis de Ritibus authoritas, vniuerſalis conſenſus Carmelitarum, & communis ſententia Doctorum noſtræ Religionis Carmelitanæ.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Petrus Thomas in defenſionem Chriſtianæ fidei telis infidelium fuerit vulneratus, & vulneribus ipſis debilitatus obierit, verè dicendus eſt martyr.

RESPONDEO dicendum, quod Sanctus Petrus Thomas noſtrę Religionis Carmelitanæ alumnus non ſolùm latè ac permiſsiuè eſt martyr. 2. ſed etiã vere ac rigorosè. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic Sanctus Petrus dictus eſt Thomas ſiue Thomaſius; non a nomine Patris quaſi filius Thomæ, vt Vvaddingus iudicat probabilius, ſed a cognomine domus ſeu familiæ Thomaſiæ, quæ reperitur in Gallia, & ipſe vnũ ex ea noſtrum feci religioſum Arelatæ, illius familiæ homines vulgò vocantur Thomaſij, natus eſt in Aquitania decimo quarto Chriſti ſæculo: Ab infantia multis naturalibus talentis clarus ſtudio litterarum operam dedit, ac ſic fuit Beatiſſimæ Virgini Marię deuotus, vt poſt mortem eius cordis inſculptum apparuerit ſacratiſſimum nomen Mariæ, ſicut legi-

legitur aliàs apparuiſſe in corde Sancti Ignatij Antiocheni nomen Ieſu: ob eandem deuotionem, cum vix decimum quintum ætatis annum compleſſet, in Condomienſi cœnobio habitum ſacrę & antiquę religionis Deiparę Virginis Mariæ de monte Carmelo ſuſcepit; vbi profeſſione emiſſa, ieiunijs, vigilijs, meditatione & oratione ad magnam Sanctitatem peruenit: Sacerdos factus Lutetiam Pariſiorum, ſtudiorum cauſa miſſus adeo profecit, vt breui temporis ſpatio Theologiæ lauream ſit adeptus, In die ſanctitate creſcebat, & tanta erat erga Deum & Beatiſſimam Virginem eius deuotio ac fiducia, vt omnes ſuas actiones ad ipſorum gloriam dirigeret, & in omni ſua neceſſitate fiducialiter inuocaret. Cum Viſitatoris generalis munere fungeretur, in cuiuſdam monaſterij viſitatione, anxius de ſubleuanda illius paupertate, ad ſolitum ac tutiſſimum Virginis patrocinium accurrens, ab ea meruit audire; *Ne timeas Petre, omnia tibi neceſſaria adijcientur*: Altera die ſacro peracto mercator quidam aureos decem, qui tunc erāt neceſſarij, in eleemoſynam largitus eſt, & exinde cuncta neceſſaria ſibi diuinitùs ſubminiſtrari expertus eſt. Pro ſuæ Religionis perpetua conſeruatione & augmento Beatiſſimam Virginem enixè & ſuppliciter deprecatus, ipſa nocte Pentecoſtes, mirabile reſponſum & promiſſionem accepit his verbis: *Confidito Petre Religio Carmelitarum in finem vſque ſæculi eſt perſeueratura; Elias namque eius inſtitutor jam olim etiam a Filio meo id impetrauit* (ſcilicet in monte Thabor ipſa die Transfigurationis, vt intelligunt noſtri Doctores) quid enim tam iuſtum quàm S. Eliam Carmelitanæ Religionis Inſtitutorem pro ipſius conſeruatione Chriſtum exoraſſe, & in tanta Saluatoris feſtiuitate petitum beneficium impetraſſe; poſtquam de exceſſu illo paſſionis fuerant locuti; Quicquid dicat in contrarium Vualdingus, in momento namque ſiue per exiguo tempore hæc omnia facta ſunt: Vt autem huic authori ſatisfiat, eſto tunc Elias id non impetrauerit, potuit impetraſſe in Paradiſo Terreſtri poſt Reſurrectionem Chriſti, vbi dicitur a Sanctis Patribus manſiſſe maiori ex parte illis quadraginta diebus. Deinde miſſus fuit a Generali Ordinis in Hiſpaniam cum Philippo Ferrarienſi, vt ſuo regimine & exemplo prouincias eius illuſtraret: Cumque ibi ſanctitate ac doctrina fulgeret, Pactenſis Epiſcopus in Sicilia (vel vt dicunt alij, Pacenſis ſeu Ciuitatis nunc Badayoz, quæ olim Pax Iulia dicebatur) ad inſtantiam Alphonſi Regis XI. creatus eſt. Deinde factus eſt Epiſcopus Coronenſis, Poſtea Cretenſis Archiepiſcopus, ac tandem anno Chriſti 1352. ab Innocentio VI. eligitur Patriacha Cōſtantinopolitanus: Ex quo tempore ad Orientalium oras animum conuertens, ſacrum Domini ſepulchrum, Carmelique montem mente & deſiderio frequentèr viſitabat, occupatus a Pontifice in varijs legationibus Apoſtolicis ad plures Europæ Principes: Sed cōmiſſarum ſibi ouium ſalutis zelo vltra modum flagrans, diutiùs detineri impatiens mox ad iter ſeſe accinxit. Legatus Apoſtolicę Sedis pro tranſitu ad Terram Sanctam ab Vrbano V. miſſus anno 1364. multum conſilio & ſingulari ſua prudentia Sanctum illud opus promouit, ſæpiùſque cum Petro Rege Cypri (qui venerat in Europam auxiliatrices turmas impetraturus, & tunc eas a Pontifice ſibi commiſſas ducebat) conflictui præſens non ſemel victoriam ab hoſte reportauit in expugnatione Ciuitatis Alexandriæ in Aegypto, in quadam religionis Catholicæ propagandæ, & contra infideles propugnandæ conatu fortiùs inſtaret; multis telorum vulneribus ab inimicis infidelibus confoditur, vt ſtatim probabitur; Et ita fœlicitèr Chriſti martyr, plenus dierum ac bonorum operum, multis voluminibus conſcriptis obijt ipſa die Epiphaniæ & hora a ſe prędictis, anno Domini 1366. Cuius corpus Famæguſtæ ſepelitur in monaſterio ordinis noſtri ibique honorificè colitur: Claruit Vir Dei ſicut in vita, ita & poſt mortem pluribus miraculis; cuius

Digitized by Google

cuius patrocinium illius regionis incolę, ſingulariter contra epidemiæ ac peſtiſtilentiæ morbum cum deuotione & fructu implorant.

Probatur prima pars concluſionis, in qua conueniunt etiam aduerſarij: Ille dicitur martyr latè ac permiſſiuè; qui plures propter fidem Catholicam labores paſſus eſt, ratione quorum mors eius fuerit notabiliter accelerata, vt longa Sanctorum martyrum inductione poteſt probari, vt Sanctorum Martini, Marcelli & aliorum Pontificum, inter quos etiã Baronius numerat Benedictum V. noſtrum Carmelitam: Sed Sanctus Petrus Thomas noſtre Religionis Carmelitanæ alumnus multos propter fidem Catholicam paſſus eſt labores tum internos tũ externos, ratione quorum notabiliter mors eius fuit accelerata, vt manifeſtè conſtat ex eius vita, præſertim in captione Ciuitatis Alexandriæ, maximoque ac penè continuo fuit mœrore oppreſſus eius derelictione facta contra gloriam Dei: Ergo eſt martyr, ſaltem latè ac permiſſiuè.

Probatur Secunda pars concluſionis authoritate multiplici & certa. Philippus Mazzerius Sancti Petri Thomę comes indiuiduus ac teſtis oculatus, poſtquam pręmiſit in ſuperioribus quod ipſe tanto ſpiritus feruore milites chriſtianos ad conflictum animabat, quod à ſagittis infinitè volantibus cooperire ſe cum clipeo etiam monitus nolebat, quarum tanta multitudo ſupra Chriſtianos tunc cadebat, ſicut pluuia ſuper terram: capite 22. ſic ait, *Sed quid plus? martyr Dei, ſi fas eſt dicere* (ita loquitur, quia nondum erat declaratus martyr) *quoties proprium corpus martyrio expoſuit, ſuperiùs clarè oſtenditur; In conflictu igitur & captione Ciuitatis Alexandriæ vulneratus inimicorum telis obijt; martyr igitur & voluntate & facto fuit*. Omnis aduerſariorum reſponſio ad hæc tam clara ſtatim apparet vel manifeſtè falſa, vel nimis extorta. Ioannes Hildeſheym ipſius Sancti Petri Thomæ diſcipulus in Defenſorio Carmelitani ordinis capit. 5. ſic ait: *Factus enim poſtea Patriarcha Conſtantinopolitanus, multum viriliter, fideliter & deuotè, miſſus Legatus a Summo Pontifice, iuuit Regem Cypri in expugnatione Alexandriæ, & ibidem Paganorum telis vulneratus, & ad Cyprum reductus interijt, clarens miraculis, martyr glorioſus*. Idem & iiſdem ferè verbis repetit Balduinus Laertius in Collectaneo exemplorum cap. 7. Ioannes Leydenſis lib. 8. ſpeculi Carmelitani in vita Beati Petri Thomę ſic ait: *Bello adueniente, cum a telis volantibus grauiter vulneratus eſſet, nec faciem mutauit, nec aliquod ſignum timoris oſtendit*. Palæonydorus libro 3. Hiſtoriæ Carmelitanę cap. 12. ſic ait de eo: *Factus Legatus in Alexandriam, vulneratus infidelium telis, in Famaguſta Cypri in die Epiphaniæ migrauit ad Chriſtum*. Idem fermè dicit Silueſter Marulus in Oceano religionum, de ordine Carmelitano: Et Odoricus Raynaldus Congregationis Oratorij ad annum 1359. agens de Sancto Petro Thoma dicit ipſum in Alexandria expugnanda glorioſiſſima pro Chriſto vulnera accepiſſe. Probatur deinde authoritate, tum ſacræ Cungregationis de Ritibus, quæ nobis conceſſit officium Sancti Petri Thomæ quaſi martyris abſque vlla reſtrictione, poſt examen prędictorum, Ita vt in eo dicatur; *Hic eſt verè martyr*. Tum noſtræ religionis, quæ licet in principio ipſum quaſi confeſſorem coleret, quia non ita conſtabat de martyrio, cum tribus menſibus ſuperuixiſſet vulneribus receptis, quæ proinde non credebantur mortalia; poſtea tamen examine facto quod illa vulnera adhuc recentia nimis eum debilitarunt, & mortem accelerarunt, officium martyris de ipſo introduxerunt.

AD Primùm ergo dicendum, quòd in ſæculo præterito iam recitabatur officium martyris pro Sancto Petro Thoma: Nam ego vidi in noſtro generali Archiuio Romæ Breuiarium antiquæ profeſſionis Carmelitarum ex decreto Capituli generalis priſtino nitori reſtitutum ſub R. P. Ioanne Baptiſta Ru-

Digitized by Google

beo Magiſtro Generali Venetijs impreſſum anno Domini 1573. apud Petrum Dehuchinum, in quo tale officium habetur.

AD Secundùm dicendum, quòd Sanctus Petrus Thomas mortuus eſt in Cypro Inſula, morte cauſata principalitèr ex vulneribus acceptis in conflictu Alexandriꝫ. Quod Mazzerius in c.6. nõ fecerit mentionem illorum vulnerum, hoc ideò fuit, ne repeteret id quod dicturus erat in capite 22. ſubindicauit tamen, dum ibi dixit quòd in medijs illis ſagittis non vidit eius faciem mutatam, nec aliquòd ſignum timoris, Et quòd ſe Clipeo non ſe cooperiebat; quia tamen eius vulnera credebantur leuia, non reputabantur, ſicut nec in alijs paucis tunc læſis; Et in hoc Author Dei defenſionem erga Chriſtianos affirmat.

AD Tertium dicendum, quòd huiuſmodi vulnera non erant grauia S. Petro Thomæ; Vnde potuit & ſcribere manu proprja, & celebrare, & cætera pietatis exercitia facere: Sed quia illũ valde debilitauerant, & erant adhuc recentia, fuerunt cauſa ſuperuenientis illius ardentiſſimæ febris ex adiunctione pœnalium pietatis operum indicatorum quæ ſe ſolis abſque prædicta debilitate talem febrem cauſare non poterant in loco valde temperato a frigoribus hyemis, qualis eſt inſula Cypri. Nota hîc quòd Vualdingus errore deceptus geſta noſtri Petri Thomꝫ ſuo minoritæ Petro Theutonico tribuerat; Sed agnito errore per bullas Vaticani authenticas ipſi Petro Thomæ & religioni Carmelitanæ reſtituit quæ ſua erant: Vnde non mireris, ſi tot dubia in rebus antiquis noſtræ religionis excitauerim, cum in recentioribus ſimiles irrepſerint errores.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sanctus Andreas Carmelita fuerit inſtinctu diuino aſſumptus in Epiſcopum Feſulanum.

AD Sextum ſic proceditur: Videtur quòd Sanctus Andreas Carmelita non fuerit inſtinctu diuino aſſũptus in Epiſcopum Feſulanum. Probatur: Sanctus Andreas Carmelita quàm plura habuit merita, tum approbatꝫ ſanctitatis, tum eximiæ doctrinæ, propter quæ non ſolùm Epiſcopalis, ſed etiam in maiorem erat dignitatum meritiſſimus: Ergo fuit potiùs electus ad *hanc* dignitatem titulo iuſtitiæ diſtributiuæ, quàm inſtinctu diuino.

¶ 2. Preterea: Sanctus Andreas Carmelita fuit ex nobiliſſima Corſinorũ domo Florentina natus, quæ titulo Marchionis gaudet, & plures ex ſuis alumnis habuit Epiſcopos & Cardinales: Ergo ſuppoſitis ipſius *meritis, potuit* intuitu natalium ſuorum, vel etiam inſtantia conſanguineorum ad hanc dignitatem aſſumi.

¶ 3. Præterea: Si quid ſuaderet Sanctum Andream Carmelitam fuiſſe inſtinctu diuino aſſumptum in Epiſcopum Feſulanum, maximè quia dum fugeret hanc dignitatem, indicatus fuit a puero bienni latere apud Carthuſienſes: Sed hoc non ſuadet intentum, quia puer ille potuit hoc audiuiſſe ab alijs, & tunc primò loqui: Ergo Sanctus Andreas Carmelita non fuit inſtinctu diuino aſſumptus in Epiſcopum Feſulanum.

¶ 4. Præterea: Qui diuino inſtinctu aſſumuntur ad aliquam dignitatem; vel hoc habent ex cœleſtium reuelatione, vt legitur de Sancto Nicolao; vel ex ſpeciali præcepto Dei, vt dicitur de S. Alexandro Carbonario; vel alio ſupernaturali medio: Sed nullum iſtorum concurrit ad aſſumptionem Sancti Andreæ

dreæ Carmelitę, nullum enim tale medium aſſumptionis eius adducitur: Ergo Sanctus Andreas Carmelita non fuit inſtinctu diuino aſſumptus in Epiſcopum Feſulanum.

SED CONTRA eſt communis ſenſus Doctorum noſtræ Religionis Carmelitanę, fundatus in aſſumptionis ipſius fideli relatione.

CONCLVSIO.

Fuit Sanctus Andreas Carmelita inſtinctu diuino aſſumptus in Epiſcopum Feſulanum.

RESPONDEO dicendum, quòd Sãctus Andreas noſter Carmelita fuit inſtinctu diuino aſſumptus in Epiſcopum Feſulanum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic Sanctus natus eſt anno Domini 1301. in Ciuitate Florentiæ pijs parentibus ex nobiliſſima Corſinorum familia die S. Andreæ Apoſtoli: Pij parentes cum ſine prole diutiùs in matrimonio permanſiſſent, liberorum tamen deſiderio capti ſæpiùs animas ſuas coram Deo effundebant, vouentes ſe eum qui priùs eis naſceretur, Deo & Beatiſſimę eius Genitrici conſecraturos: Nicolai igitur & Peregrinæ (ſic enim vocabantur eius parentes) precibus annuente Virgine, dum Mater grauida partum præſtollatur, ecce quadam nocte ſibi viſa eſt in quiete lupum in aluo continere, qui tamen paulò poſt ad cuiuſdam Eccleſiæ ingreſſum in agnum repente mutatus fuit. Natus itaque infans S. Andreæ Apoſtoli nomen ſortitus eſt, ob diem natalis ſui, tanquã inclyti iſtius Sancti fortitudinem imitaturus: illud tamen minimè præſtitit In adoleſcentia, quorundam enim iuuenum conſuetudine deprauatus lupinos planè mores induit, donec a pia matre de voto & ſomno certior factus, tandem aliquando reſipuit, totumque ſe Dei & Beatæ Virginis obſequio mancipare decreuit. Vt actu igitur adimpleret quod ante ſtatuerat, ad Carmelitarum ſe contulit Eccleſiam, vbi coram Beatæ Virginis Imaginem proſtratus, & totus in lachrymas effuſus, matrem ipſam miſericordię ardentius rogare cępit, vt depulſa tandem lupi rabie, meritis ipſius immaculati Agni ſectator effectus, verus ſimplicitate agnus euaderet, ſtatimque Deo plenus Hieronymum Melioratum Tuſciæ prouincialem adiens, Religionis habitum magno feruore poſtulauit: quẽ cum obtinuiſſet; mirum eſt quàm exactam religioſæ vitæ rationem coluerit; plurimum ſe contemplationi & pœnitẽtiæ rigoribus occupauit, nam præter cõmunes alijs rigores, tum in ieiunijs, tum in cilicijs ac ſimilibus, plura in his ſupererogationis exercebat opera. In Vniuerſitate Pariſienſi Theologiæ lauream fuit adeptus, deinde conuentus Florentini Prior effectus, ac Procurator Generalis: Tandem Eccleſię Feſulanæ eligitur Epiſcopus, in hac dignitate nihil de primo rigore relaxauit, at potiùs auxit; nam ferrea catena ad carnem caſtigandam, & vitium ſarmentis vtebatur: Charitatis operibus ita deditus erat, vt pauperum refugium, orphanorum pater, viduarum protector vulgo diceretur. Cum pluribus miraculis & prophetiæ ſpiritu claruiſſet, Beatæ Virginis (cum qua ſæpiùs familiariter conuerſabatur) apparitione de obitu ſuo certior factus anno ętatis 71. Chriſti verò 1373. obijt in die feſto Epiphaniæ: ſepultus primò fuit in ſua Cathedrali Eccleſia, quam duodecim annis mira ſanctitate & prudentia gubernauit; ſed poſtea ſacræ eius reliquiæ ſiue corpus incorruptum, ad monaſterium Florentinum ordinis Carmelitani fuit tranſlatum, vbi continuis claret miraculis: Poſt mortem cuidam Virgini glorioſus apparuit, Ciuitatem Florentiæ miraculoſa victoria de inimicis liberauit; Ipſum Vrbanus VIII. in Sanctorum numerum retulit anno Domini 1629. Dominica in Albis.

Probatur concluſio fideli relatione aſſumptionis ipſius, ad Epiſcopatum, prout in eius officio approbato continetur. Habetur in ſexta lectione: *Tantis*

igitur meritis cumulatus, diuinæ tandem placuit bonitati lucernam ſub modio latentem ſuper Eccleſiæ candelabrum ponere, vt eo quo ardebat igne alios inflammaret, lumenque ſuum aliorum cordibus ad propulſandam peccatorum caliginem infunderet; Feſulanæ itaque, inuitus licet ac renitens, præficitur Eccleſiæ, quam per duodecim annos ſumma cum prudentia gubernauit, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret; In Antiphona verò Secunda primi nocturni ſic habetur; *Feſulani Epiſcopatus fugiens dignitatem, apud Carthuſienſes latitat, bimo loquente puero diuinitùs demonſtratur*: Et in Reſponſorio tertio eiuſdem primi nocturni habetur; *Beatus Andreas apud Carthuſienſes dum latitaret, Pontificatus fugiens dignitatem, biennis puer prodidit illum dicens, Quem quæritis, ecce apud Carthuſienſes inuenietis orantē; Spiritus Sanctus per os pueri locutus eſt*. Ex his ſequens deducitur ratio: Illud dicitur fieri inſtinctu diuino, quòd fit ſpeciali & ſupernaturali manifeſta Dei prouidentia; nam quando fit aliquid ex cōmuni & ordinaria Dei prouidentia, dicitur fieri ex voluntate Dei, vel diſponente quòd fiat, vel permittente fieri; hoc tamen non dicitur fieri inſtinctu diuino, qui importat ſpecialem & præter ordinariam ipſius Dei prouidentiam; quæ adhuc debet eſſe manifeſta, ad hoc vt de ipſa conſtet: Sed aſſumptio Sancti Andreæ Carmelitę in Epiſcopum Feſulanum facta fuit ex ſpeciali & ſupernaturali manifeſta Dei prouidentia, quia fuit completa & confirmata miraculo loquentis pueri biennis, vt patet ex dictis; nam dicitur Spiritus Sanctus per os eius fuiſſe locutus, ipſeque dicitur diuinitùs fuiſſe demonſtratus: Ergo hæc aſſumptio facta fuit inſtinctu diuino; Et ita Sanctus Andreas noſter Carmelita fuit inſtinctu diuino aſſumptus in Epiſcopum Feſulanum.

AD Primum ergo dicendum, quòd quidem Sanctus Andreas noſter habuit hęc merita; ſed tamen non omnes qui merentur aliquam dignitatem, aſſumuntur ad illam, maximè ſi ad ſui aſſumptionem non concurrant, ſicut hic Sanctus non concurrit, at potiùs reſtitit: Imò fuit aſſumptus inſtinctu diuino, quia dignitatem illam merebatur; Deus enim quos ſic eligit, vel pręuiè dignos fecit, vel poſt electionem dignitatum dignos efficit.

AD Secundum dicendum, quòd quidem potuit Sanctus Andreas ad hanc dignitatem aſſumi, tam intuitu nataliū ſuorum, quàm inſtantia conſanguineorum remotè; ſed proximè fuit aſſumptus ab Vrbano V. inſtinctu diuino miraculosè confirmato, Deus enim tam in ordine naturæ quàm in ordine gratiæ non excludit cauſas ſecundas.

AD Tertium dicendum, quòd loquela huius pueri biennis non potuit eſſe naturalis, ſaltem attentis omnibus circumſtantijs: Vnde declarata fuit ab Eccleſia, quaſi procedens a *Spiritu Sancto* & miraculoſa.

AD Quartum dicendum, quod ſolùm probat hanc Sancti Andreæ aſſumptionem non fuiſſe ex inſtinctu diuino manifeſto initiatiuè, ad quem requiritur talis reuelatio, vel præceptum, vel quid ſimile ſupernaturale præuium: ſed remanet, quòd fuerit completiuè ex inſtinctu diuino, quia completa & comprobata fuit prædicto loquentis pueri biennis miraculo.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Conuerſio Beati Franci Carmelitæ fuerit miraculoſa.

AD Septimum ſic proceditur: Videtur quòd conuerſio Beati Franci Carmelitæ non fuerit miraculoſa. Probatur: Nullibi legitur, nec ab vllo dicitur, nec etiam indicatur, quòd B. Francus Carmelita fuerit miraculosè conuerſus: Ergo non poteſt dici, quòd eius conuerſio fuerit miraculoſa.

¶ 2. Præterea: Dicitur B. Francus Carmelita inde conuerſus, quia cum ludens

ludens aliquando vſque ad veſtimenta perdidiſſet, hancque protuliſſet blaſphemiam; *Hos ipſos oculos, velit nolit illorum auctor, diſcrimini ludorum exponam*; oculis penè captus, acerbiſſimos paſſus eſt dolores: Sed hic caſus potuit eſſe fortuitus circa tales dolores, & eſt valde connaturale quod quis vexatus conuertatur ad Deum, iuxta illud, *Vexatio dat intellectum*: Ergo conuerſio B. Franci Carmelitæ non fuit miraculoſa.

¶ 3. Præterea: Si quid vltra ſuaderet conuerſionem B. Franci Carmelitę fuiſſe miraculoſam, maximè quia plures dæmonis vexationes & artes, multoſque exinde ſuæ conuerſionis obices expertus eſt: Sed hic eſt curſus ordinarius in conuerſione ſeruorum Dei, vt poteſt inductione probari: Ergo conuerſio Beati Franci Carmelitæ non fuit miraculoſa.

SED CONTRA eſt fidelis relatio conuerſionis ipſius, & communis ſenſus omnium Carmelitarum.

CONCLVSIO.

Cum Beatus Francus Carmelila ob miraculoſam punitionem, ſuperatis miraculosè dæmonis artibus, perfectè fuerit ad Deum conuerſus, eius conuerſio fuit miraculoſa.

RESPONDEO dicendum, quòd cōuerſio Beati Franci Carmelitæ fuit miraculoſa. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Beatus Francus natus eſt in oppido Groſti ad ſex milliaria propè Ciuitatem Senenſem anno Domini 1211. die 3. Decembris ex Maſſæo Lippi & Calidonia Danielli, quæ ſex circiter horis ante partum filij dormiens ſomniauit, ſe monſtrum parere horridum, quod ſenſim in hominem euaderet. Cum ad annos diſcretionis perueniſſet, mittitur Senas ſtudiorum cauſa; ſed cum ineptus ad ſtudia, poſt plurium annorum experientiam inuentus eſſet, arti deſtinatur coriariæ. Poſt mortem patris ab exercitio deuotionis penitùs abſtinuit, & vix Eccleſias ingrediebatur: Cumque & aleæ, & omni nequitię deditus eſt, piæ matris reprehenſionem deſpiciebat, cuius poſtea morte lætabundus dicebat, ſe deinceps vſurum ſua libertate in delicijs, abſque reſiſtentia malæ matris ſæniculæ; quod & fecit. Anno 1229. inter alios milites ad Caſtellum Sarteanum præſidij cauſa mittitur, vbi conſuetæ liberiùs vacat malitiæ: contigit quadam nocte, quod ludens teſſeris, pecuniam & veſtes amiſerit: Vnde abreptus rabie, manum ad ſuos applicans oculos blaſphemè ait; *Hos ipſos oculos, velit nolit illorum author, diſcrimini ludorum exponam*: Tūc Deus ſubitò dolore ignito oculorum, ac penè cæcitate miſerum puniuit, vt inde miſericorditer conuerteret; cępit enim ſub his incommodis gemens, anteactæ vitæ veniam à Deo petere. Decreuit Compoſtellam ad Sanctum Iacobum proficiſci, & ſtatim iter aggreditur: Cūque in Aquitania denſam ingreſſus ſiluam ad triuium deueniſſet, rectæ ignarus viæ Deum inuocat, à quo ſequenti dignatur reſponſo; *France, ad dexteram perge, & ſine periculo peruenies quò deſideras*: Sed accedens tentator in forma peregrini, reducit retrò Francum velut errantem, & audita pię peregrinationis eius cauſa, exaggeratis ipſius peccatis in deſperationem conatur inducere: Cui reſpondit Francus; *Licet peccata mea ſint grauiſſima & fœtidiſſima, ac plura quàm ſtella Cęli & arena maris, non debeo tamen ad inſtar Caini & Iudæ diffidere de infinita Dei miſericordia; ſed confidam in ipſo cum S. Petro, Maria Magdalena, & alijs; Tu autem, ſi Angelus Cæli, vel homo es, roga Deum vt mihi parcat, ſi dæmon euaneſce*; Quod ita contigit, nam relicto fœtore horrido ſtatim diſparuit, & Francus inter ſpineta & vepres deuius ad priſtinum iter redijt. Cum perueniſſet compoſtellam, diu noctuque in Templo S. Iacobi orauit, & tandem ſuis precibus perfectam oculorum ſanitatem impetrauit. Nouas decreuit aſſumere pias peregrinationes, & præſertim ad Ciuitatem Romanam, Apuliam & Siciliam, ac tandem ad ſacram domum Lauretanam.

Senas

Senas reuerſus pietatis operibus vacauit in aſſidua templorum, Xenodochiorum & carcerum viſitatione, ac in continuo pœnitentiæ exercitio, integram aliquando quadrageſimam in pane & aqua ieiunando. Petens à Beatiſſima Virgine, vt ſibi manifeſtaret quem ſtatum eligere deberet ad conſeruandam Dei gratiam opportunum, vidit in extaſi pulcherrimam Virginem ſibi apparentem, ac audit dicentem; *Quia ſcire vis, ò France, quam vitam ducere debeas, vt te in gratia tui Factoris conſerues, oportet te in ſolitudinem recedere, & fugere conſortium hominum, ne ſint tibi in ſenectute cauſa ruinæ, ſicut fuerunt in iuuentute.* Receſſit igitur extra Ciuitatem, & ſibi caſulam formauit ad muros Ciuitatis propè portam Sancti Marci, vbi iugiter permanens rigidiſſimam pœnitentijs vitam duxit: oblatas ſibi in eleemoſynam pecunias ſæpe recuſabat, aliquando acceptabat ad victum pauperum, & ad alia charitatis opera, quæ approbauit Virgo Deipara apparens ipſi. In dies exercitium mortificationis augens, ferream ſibi ſupra nudum catenam appoſuit, quæ carnem penetrans acutos cauſabat dolores. Longius recedens ab hominibus, ad mãſionem eremiticam propè oppidum Grotti perrexit: ibi ad ſolemnitatem inuitatus cum alijs eremitis & religioſis dum accubuit menſæ, à quadam iniurijs appetitur nihil reſpondens; cumque nequam ille iniurioſus concluſiſſet non magis poſſe Francum noſtrum ſaluari, quam caponem coctum, menſæ appoſitum reuiuiſcere, ad preces ſerui Dei rediuiuens capo ſtatim, plumiſq; ſuis iterum veſtitus cœpit per menſam ſaltare, & malignus ille tunc à dæmone vexari, donec à Franco liberaretur ſigno Crucis. Dœmon in forma procacis puellæ, ſæpiùs ipſum ad laſciuiam prouocauit: Sed ipſe Deiparam Virginem inuocans, protectricem habuit, quæ ſtipata Sanctorum & Angelorum turmis apparuit ei tenens in dextera coronam, & in ſiniſtra noſtræ Carmelitanæ religionis habitum, dixitque; *Indue te citiùs veſtimenta iſta, vt mihi ſincerè in hoc ſtatu deſeruias; Et poſtea venies in Paradiſum decorandus hac corona.* Senas properauit, habitũ religionis humiliter petijt, & quamuis non ſemel repulſam paſſus, perſeuerans impetrauit: Et tunc ſeipſum in pœnitentiæ ſpiritu renouans, cum alijs diebus herbas, legumina & fructus ad eſum ſumeret, die lunæ, die Veneris & Sabbatho ſolam ſumebat Euchariſtiam: ferreos octo circulos duobus digitis latos & craſſos fecit, quos tibijs & cruribus inſertos geſtabat; ſicut & quatuor alios corpori adaptatos, & torquem in collo quaſi captiuus; globulumque plumbeum in ore ſemi libræ ad rigoroſam ſilentij cuſtodiam: Sed hæc leuiſſima ipſi viſa ſunt, quando vidit apparentem Chriſtũ ea figura quæ fuit Crucifixum ſemper geſtabat, & in corde meditabatur, *vnde* de ipſo quidam dixit; *Sanctus Francus de Senis Crucem Domini noſtri iugiter in ſuo corde portans, cuius corpus in conuentu Senenſi honorificè quieſcit*. Apparuit ei Deipara, certiorem reddens, quod in ſuis petitionibus exaudiebatur à Chriſto. Præterita recordatus peccata, loricam ferream, & paruam galeam *item* ferream aſſumens geſtabat, ſeque *multoties* in media volutabat niue: nec minùs ſensũ ſuorum mortificationem exercebat in modeſtia, ſilentio, alijſque medijs; Cum aliàs plurimum obſequio fratrum ſuorũ eſſet intentus. Diabolus huius Serui Dei perfectione irritatus, mille modis inquietare procurabat horridis & phantaſticis apparitionibus, quos ille confidẽs in Domino deſpiciebat. Fuit ſpiritu Prophetiæ illuſtratus, & miraculorum gloria conſpicuus, vt in multis conſtat ſucceſſibus. Iam Cælo maturus, & plenus meritis in lethalem morbum decidit die prima Decembris ann. Domini 1292. & paulatim exhauſtis viribus Sacramenta Eccleſiæ ſuſcepit: die mortis nebuloſus fuit aer, ſed poſtmodum nubibus diſſolutis redijt ſerenitas, & cõuentus ipſe Carmeliticus tãto comparuit ſplendore coruſcus, vt videretur ignitus aſpicientibus: Tandem vocatis ad ſe religioſis, poſt

Digitized by Google

poſt multos actus, virtutum, contritionis maximè, ſic inter alia dixit; *Valete fratres mei, Tu autem Domine Ieſu Chriſte in manus tuas commendo ſpiritum meū:* His dictis expirauit, reſoluto ſplendore prædicto, & auditus eſt in aere dulcis Angelorum concentus. Honorifica decoratur ſepultura, multiſque poſt mortem patratis miraculis illuſtratur: mors eius pretioſa contigit tertio Idus Decembris, nec multò poſt cœpit eius feſtiuitas celebrari ex indulgentia Summi Pontificis Clementis V. Auenione reſidentis, ob populi deuotionem.

Probatur ex dictis concluſio: Illud eſt miraculoſum, quod eſt vel ſupra naturam, vel præter illam; Et inſuper habet annexam admirationem, vt communitèr conceditur: Sed talis fuit conuerſio Beati Franci Carmelitæ; nam ſucceſsit ex gratia Dei, ſed mirabili illa cęcitate, & ſubitaneo oculorum dolore, poſtmodum iam conuerſione perfecta penitùs abſcedente medijs quoque alijs ſucceſsibus miris iam relatis: Ergo conuerſio Beati Franci Carmelitæ fuit miraculoſa.

AD primùm ergò dicendum, quòd omnes authores, qui vitam Beati Franci Carmelitæ ſcripſerunt, virtualitèr dicunt eius conuerſionem fuiſſe miraculoſam, dum eam cum præadductis circunſtantijs exhibent.

AD ſecundum dicendum, quòd hic caſus cæcitatis non fuit fortuitus, ſed miraculoſus, vt manifeſtè conſtat ex circunſtantijs eius & effectibus; maximè quia miraculosè ſanatus eſt, perfecta iam conuerſione.

AD Tertium dicendum, quod adductæ dæmonis vexationes & artes, cum fuerint euidentes obices conuerſionis Beati Franci; Et tamen auxilio Diuinæ gratię fuerint ſuperatæ, habent annexam admirationem, ratione cuius talis conuerſio fuit miraculoſa.

QVAESTIO XVIII.

De alumnis Carmelitanæ Religionis Eccleſiæ Prælatis.

DEINDE conſiderandum eſt de alijs Carmelitanę religionis alumnis, etiam inclytis, qui propter eximia opera & talenta fuerunt ad Eccleſiaſticas dignitates aſſumpti: Circa quod quæruntur quinque.

¶ Primo, Vtrum Benedictus XII. Pontifex Maximus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ Secundo, Vtrum ex alumnis Carmelitanæ Religionis aſſumpti fuerint aliqui S.R.E. Cardinales.

¶ Tertiò, Vtrum in quatuor Eccleſijs Patriarchalibus fuerint aliqui Prçſules ex alumnis Carmelitanæ religionis.

¶ Quarto, Vtrum ex alumnis Carmelitanę Religionis aſſumpti fuerint plures Archiepiſcopi, & Epiſcopi.

¶ Quinto, Vtrum ex Doctoribus Eccleſiæ aliqui fuerint alumni religionis Carmelitanæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum Benedictus XII. Pontifex Maximus fuerit alumnus Religionis Carmelitanæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Benedictus XII. Pontifex Maximus non fuerit alumnus religionis Carmelitanę: Ita tenent Ciſtercienſes, inter quos fuit religioſus. Probatur: Cum ipſe Benedictus multas ſcripſerit epiſtolas, & aliquando ſe nominet Ciſtercienſem, nunquam ſe vocat Carmelitam: Ergò ſignum eſt, quòd non

non fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea Benedictus in hiſtorijs Pontificalibus vocatur Ciſtercienſis nec vſquam legitur Carmelita: Imò ipſemet in pluribus epiſtolis ſe nominat Ciſtercienſem abſolutè; In prima omniū in ordine folio 2. tomi 1. Regiſtri Vaticani ad Abbatem Ciſtercienſem ſic habet; *Nos igitur qui iuuentutis noſtræ tempora in ordine veſtro peregimus ſub ſanctæ obedientiæ imperio, nec non de illo ad Pontificalis eminentiæ titulum conſcendimus*; In ſecunda quæ habetur in eodem regiſto num. 725. & in libro priuilegiorum priuileg. 60. ſic habet, *In principio fulgens ſicut ſtella ſacer Ciſtercienſis ordo &c. huius quoque ordinis ab adoleſcentia noſtra perſeueranter iugum ſuſtulimus, & in eo alumni effecti per temporum curricula creuimus diuturna tam in illo, quàm extra ipſum ſucceſsiuis Prelatorum honoribus, & tandem conſcendimus &c.* Et denique in epiſtola ad Guillelmum Abbatem Balbonæ, quæ num. 8. eiuſdem Regiſtri habetur, ſe Abbatiæ celeberrimæ fontis frigidi, quæ eſt ordinis Ciſtercienſis, clauum tenuiſſe commemorat: Ergo non fuit alumnus Religionis Carmelitana.

¶ 1. Præterea: Dicitur ab aliquibus, quòd hic Benedictus à pueritia vixit in monaſterio Balbonæ Diœceſis Narbonenſis, quòd eſt Ordinis Ciſtercienſis; Et ſic excluditur quod priùs fuit Carmelita, & deinde Ciſtercienſis: Ergo non fuit alumnus religionis Carmelitanæ. Maximè, quia ipſe factus Pontifex prohibuit tranſitum ab ordinibus mendicantium ad monachos, non autem prohibuiſſet, id quod ſuo exemplo probauerat.

SED CONTRA eſt traditio noſtræ Religionis Carmelitanæ, & communis ſebtentia Doctorum tam noſtrorum quàm exterorum plurium.

CONCLVSIO.

Benedictus XII. Pontifex Maximus fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Benedictus XII. Pontifex Maximus fuit alumnus religionis Carmelitanæ. 2. Poſtea creatus fuit Abbas Ordinis Ciſtercienſis: Vnde fuit aſſumptus ad Cardinalatum, & poſtmodum ad pontificatū. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd noſtra Religio Carmelitana plures colit Summos Pontifices alumnos ſuos: Aegydius Gelenus Canonicus Colonienſis & Hiſtoriographus Archiepiſcopalis lib. 3. Syntogm. de Ordine Carmelitico loquens ſic ait; *Sufficiat ad laudem dicti ordinis, quòd is inter alios Diuos, ſex præclaros ac Sanctos agnoſcat Romanos Pontifices, Clementem Teleſphorum, Dionyſium, Siluerium, Zachariam, ac Benedictum iſtius nominis V.* Priores quinque agnoſcimus noſtræ religionis alumnos, quæ quatuor primis Eccleſiæ ſæculis erat vnica ſub nomine communi monachatus, & citati Pontifices fuerunt tunc monachi. Sextum ſpeciali titulo agnoſcimus, ipſumque noſtrum eſſe Carmelitam affirmant etiam Laurentius Beyerlinck, Carthagena, & Chriſoſtomus Enriquez Ciſtercienſis in Faſciculo Sanctorum libro 2. diſt. 4. cap. 1. vbi ſic ait de noſtra Religione Carmelitana: *Protulit inter cæteros, Sanctos viros ſacra hæc religio Deiparæ dicata monachum quendam, qui tandem ad Summum Pontificatus faſtigium fuit euectus, & Benedictus V. appellatus eo tempore quo Pſeudo-pontifex Leo VII. Petri ſedem violenter inuaſerat: ideòque inter cęteros Carmeliticæ familiæ Sanctos meritò à doctiſsimo viro Ioanne Carthagena receſetur libro 17. de ſacris arcanis Deiparæ homilia 3.* Contigit autem eius electio ſic: Poſt Ioannis XII. Pontificis Romani obitum, cum Otto Imperator ab ipſo creatus abeſſet, ipſiuſque aduentum valdè Romani metue-

tuerent, ſibi & Eccleſiæ conſulentes Benedictum in Papam eligunt, & Sedi Apoſtolicæ imponunt; quo audito Imperator Romam venit, obſidet, capit: Leonem Antipapam, vt Papam agnoſcit, qui pſeudo Synodum celebrant, Benedictum legitimè electum exauctorat, & in terra ſedere præcipit, & in exilium deſtinari iubet: Pro executione exilij Benedicto Papæ à Leone ſchiſmatico indicti Imperator Otto in Saxoniam reuerſus ſecum eum detulit, Adaldago Archiepiſcopo Hamburgenſi cuſtodiendum commiſit, & Hambourg cuſtodiæ mandari præcepit, prout fecit Archiepiſcopus, honorificè tamen valde eum tractans. Omnes etiam qui Leoni Antipapæ fauebant, ipſum Sanctum appellant, Adamus libro 2. cap. 6. de ipſo ait; *Vir Sanctus litteratuſque dicitur fuiſſe, & qui dignus Apoſtolica Sede videretur a* Populo Romano, *niſi quod per tumultum electus eſt, expulſo eo, quem ordinari fecit Imperator*; Et ſubiungit, *Igitur apud nos in ſancta conuerſatione viuens, alioſque ſanctè viuere docens*. Quia in carcere mortuus eſt, perſecutionem Leonis Antipapæ diu paſſus, martyr vocatur a Baronio ad inſtar Pontiani & Martini: mortuus ſepelitur Hamburgi in eccleſia Cathedrali cum hoc Epitaphio; *Benedictus Papa, qui de Sede Apoſtolica per violentiam remotus, & poſtea cum reuocaretur obijt Hamburgi V. nonas Iulij ſepultus eſt hic*. Poſt mortem eius Romani ab Ottone III. impetrarunt, vt corpus ipſius Hamburgo Romã deferretur anno Domini 999. nec diu poſt ipſum vixit Leo ipſius æmulus, ſed breui mortuus eſt.

Probatur prima pars concluſionis ex Catalogo Doctorum Vniuerſitatis Toloſanæ, inter quos ibi numerantur vt Carmelita, ſub nomine Iacobi Furnij. Deinde probatur authoritate quàm plurium Scriptorum, tam Carmelitarum quàm exterorum: Ex noſtris Carmelitis antiquioribus ſunt Petrus Lucius in ſua bibliotheca Carmelitana, Thomas Vvalſinghen in ſua hiſtoria ad annum 1313. noſter Diſcalceatus Alphonſus a Matre Dei apud Chryſoſtomum Enriquez in Menologio ſub die 25. Aprilis in notis: Ex exteris autem ſunt Albertus Argentinenſis Benedicti ipſius contemporaneus, Bzouius ad annum 1313. Philippus Bergomenſis in ſupplemento Chronicorum 6. mundi ætate, Arnoldus Vvion ligni vitæ libro 1. cap. 43. Hieronymus Platus lib. 2. de bono ſtatus religioſi cap. 28. Albertus Miræus ad annum 1338. Gonzales de Illeſcas tomo 2. hiſtoriæ Pontificiæ lib. 6. cap. 3. Ioannes Chenu in Chron. Rom. Pontif. Petrus Boerius in principio Commentariorum in Benedictinam. Denique probatur ex epitaphio ſequenti, quòd ipſi Benedicto attribuitur, quod etiam alij Benedicto Quinto ſuperiùs deſcripto attribuunt.

Hic iacet Benedictus
Quem Carmelus protulit,
Caſſinus aluit,
Vaticanus coronauit.

Alludens ad tres montes, qui prædictũ Benedictum velut incolam habuerunt: quaſi primò fuerit montis Carmeli alũnus, deinde Caſſini montis ſeu Ordinis Benedictini in ſua latitudine filius, ac tandem montis Vaticani præſul aut Sũmus Pontifex.

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis. Benedictus hic noſter, dictus priùs Iacobus Furnius ſiue Furnerius, filius Guillelmi du Four molitoris; natus in caſtello Sauerdun ad Aurigam, ſeu Aurigeram amnem Diœceſis Toloſanæ, cum eſſet ſummus noſtræ religionis Carmelitanæ Theologus, lauream Sacræ Theologiæ Pariſijs etiam adeptus, propter merita & talenta factus eſt Abbas celeberrimi monaſterij Fontis frigidi Ordinis Ciſtercienſis in Diœceſi Narbonenſi, fortè ad eius reformationem ſecundùm aliquos, à Chriſtianiſſimo Rege Philippo Valeſio huius nomini VI. cognomento Catholico. Cũ autem eſſet Ioannis XXII. Summi Pontificis ex ſorore nepos, & vir magnæ authoritatis ac ſapientiæ, dicitur creatus fuiſſe Epiſcopus Appamiarum, deinde

Mirapicenſis, demũ ab Auunculo Cardinalium aſcriptus eſt numero ſub titulo S.Priſcæ; quo mortuo, propter eximia pietatis & doctrinæ merita, poſt ipſum eligitur in Summum Pontificem Auenione in monaſterio Prædicatorum anno Domini 1334. tertio Kalendas Ianuarij. In Pontificatu mira ſanctitate exempla dedit, ac boni regiminis monumenta lectiſſimos fecit Cardinales, multam vim auri Eccleſiæ reliquit, licet cognatos haberet pauperrimos, quos ignotos ſibi eſſe fingebat, aſſerens Romanum Pontificem cognatos non habere; Cumque inſtarent plures, vt aliquos ex illis promoueret, Reſpondebat illud Pſalmi 18. *Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero*, vt tradit Albertus Argentinas apud Ciaconium in vita Benedicti ipſius. Denique plenus dierum ac bonorum operum moritur Auenione die 25. Aprilis anno Domini 1342. ſepelitur in Eccleſia Cathedrali in ſepulchro magnifico ex oppoſito Ioannis XXII. eius auunculi; hic quidem in capella, quæ eſt in cornu Epiſtolæ maioris Altaris; Benedictus autem in oppoſita capella, quæ eſt in cornu Euangelij eiuſdem maioris altaris.

AD primùm ergò dicendum, quòd in ſcribendis huiuſmodi epiſtolis non ſe obtulit occaſio Benedicto vocandi ſe Carmelitam, benè autem vocandi ſe Ciſtercienſem; ſcribit enim Ciſtercienſibus à quibus nouiſsimè fuerat aſsumptus, cum iam pridem a noſtris Carmelitis receſſiſſet; nec rarum eſt, quòd ex vno ordine religioſo inſignes aliqui aſſumãtur, vt fiant Abbates in Ordine Sancti Benedicti, vt nunc habemus in Domino Caramuele, quem venerationis ergo nomino, qui ex Ciſtercienſi Ordine aſſumptus in Germania factus eſt Abbas Monaſterij Montis ſerrati, vnde depoſito colore albo ſumpſit habitum nigrum Ordinis S.Benedicti; nunc eſt Epiſcopus Campaniæ in Regno Neapolis, maiorũ dignisſimus.

AD Secundum dicendum, quod multi, vt vidimus, authores etiam exteri vocant hunc Benedictum Carmelitam: ſed quia ex Ordine Ciſtercienſi fuit immediatè ad Epiſcopatum, Cardinalatum & Pontificatum aſſumptus; non mirum quod Scriptores frequẽtiores huius ordinis mentionem faciant, & non ita frequenter Carmelitani noſtri, in quo priùs floruerat: ipſe verò, vt dictum eſt, occaſione data ſe illius, & non huius alumnum commemorat. a iuuentute ſeu adoleſcentia ſua, id eſt ab anno circiter trigeſimo, cum ad illum tranſijt, priùs autem fuerat noſter Carmelita; quia verò toto tempore quo fuit Carmelitanæ religionis alumnus ſtudijs vacauit, & apud Ciſtercienſes Prælaturis functus eſt, inde nata fuit occaſio ſcribendi de ſe ipſo Prælato, & non vt particulari religioſo Carmelita.

AD Tertium dicendum, quòd ſine fundamento dicitur *illud*, quòd *Benedictus* hic a pueritia vixerit in monaſterio Balbonæ; imò eſt contra dictum ipſius, qui ſe à iuuentute ſeu adoleſcentia ſua dicit ſe in ordine Ciſtercienſi, iugum vel obſeruantię ipſius, vel ſanctę obedientiæ ſub Prelatis maioribus tuliſſe; iuuentus autem & adoleſcentia, non conueniunt primis annis *pueritiæ*, ſed ætati vtcumque maturæ circa trigeſimũ annum. Ad illud quod ſubditur dicendum, quòd potius tranſitus ipſius de Carmelitano ad Ciſtercienſem ordinem fuit cauſa talis prohibitionis, quia forſan in ſe ipſo inconueniens aliquod in ſimili tranſitu fuit expertus. Eundem tranſitum fecit a noſtro Ordine Carmelitano ad Ciſtercienſem Ioannes Brixillotus, vt dicetur Articulo ſequenti.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum ex alumnis Carmelitanę religionis aſſumpti fuerint aliqui S.R.E. Cardinales.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd ex alumnis Carmelitanæ Religionis nō fuerint aſſumpti aliqui S.R.E. Cardinales: Probatur: Si ex alumnis Carmelitanæ Religionis aliqui fuiſſent aſſumpti S.R.E. Cardinales, ipſi Carmelitæ pingerent aut ſculperent eos in arbore virorū Illuſtrium ſuæ religionis; dignitas enim Cardinalitia eſt maximi decoris pro qualibet Religione, vnde cæteræ Religiones ſuos referunt Cardinales: Ergo cum Carmelitæ nullos referant ſuos Cardinales, ſignum eſt quod ex alumnis Carmelitanæ Religionis non fuerunt aſſumpti aliqui S. R. E. Cardinales.

¶ Præterea: In Cathalogis Cardinalium non numerantur aliqui Carmelitanæ religionis alumni, ſicut adducuntur ex alumnis aliarum religionum: Ergo ſignum eſt, quòd ex alumnis Carmelitanæ religionis non fuerunt aſſumpti aliqui S.R.E. Cardinales.

¶ 3. Præterea: Inter Cardinales ſuæ religionis Carmelitæ numerant velut certiorem Philippum de Ferrario quondam ſocium *Sancti* Petri Thomæ: ſed hic non fuit verus Cardinalis, quia fuit aſſumptus a Benedicto XIII. Antipapa: Ergo ex alumnis Carmelitanæ Religionis non fuerunt aſſumpti aliqui S.R.E. Cardinales.

SED CONTRA eſt authoritas plurium Doctorum; tam noſtræ religionis Carmelitanæ quàm exterorum.

CONCLVSIO.

Ex alumnis Carmelitanæ Religionis aſſumpti fuerunt S. R. E. Cardinales.

RESPONDEO dicendum, quòd ex alumnis noſtræ religionis Carmelitanæ fuerunt aſſumpti plures S. R. E. Cardinales. 2. Et multò plures fuiſſent aſſumpti, ni reſtitiſſent aſſumptioni ſuæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Sacrum Collegium Cardinalium fuit inſtitutum, quaſi permanens Concilium ſiue Senatus Summi Pontificis, cum ipſis namque Summus Pontifex grauiora Chriſtiani orbis negotia in Conſiſtorio pertractat, & ex eorum conſilio determinat. Ipſi ſunt electores Summi Pontificis, & nunc in Eccleſia Catholica ſunt maximæ venerationis ac authoritatis, ita vt eorum dignitas ſupereemineat omnem aliam dignitatem etiam Patriarchalem. Ipſis Innocentius III. purpuram conceſſit, vt ex hoc oſtēderet, quòd ſunt propugnatores, ac ſpeciali titulo defenſores Sanctæ Eccleſię, pro qua debent eſſe parati propriū ſanguinem effundere ſignificatum purpura: Vrbanus VIII. conceſſit eis honorificum Eminentiæ titulum, priuatiuè ad omnes alios Eccleſiæ Prælatos, exceptis Electoribus Sacri Romani Imperij & magno Magiſtro Hoſpitalariorum Sancti Ioannis Baptiſtæ, vulgo Equitum Melitenſium, quia cæteris omnibus eminent, cum dicantur eſſe de corpore Summi Pontificis.

Probatur & explicatur prima pars cōcluſionis (in qua dicimus, quòd ex alūnis noſtre Religionis Carmelitanę fuerunt aſſumpti plures S.R.E. Cardinales) inductione. Si ex antiquiſſimis loqueremur, poſſemus adducere S. Hieronymum Doctorem Eccleſiæ, iuxta placitum illorum, qui eum faciunt Cardinalem: Et S. Palladium Scothorum Apoſtolum, ex eo quod dicatur creatus Diaconus Eccleſiæ Romanæ a Cœleſtino I.

Summmo Pontifice. Si loquamur de alijs antiquis, poſſumus adducere Sanctum illum, qui poſtea factus Summus Pontifex vocatus eſt Benedictus V. Et Iacobum Furnerium, qui ſimilitèr factus Summus Pontifex vocatus eſt Benedictus XII: de quibus agitur ſuo loco. Quantum ad alios, dicimus fuiſſe plures, quamuis vel incuria noſtrorum, vel temporum miſeria eorum nomina lateant: comprobantur tamen nonnulli. Primus eſt Bernardus de Roma, vt docent Philippus Metius, & Biſcarretus ex noſtris, Exteri verò Conradus Geſner us in Bibliotheca littera B.& Antonius Poſſeuinus in Apparatu ſacro littera B. in Appendice; Fuit Doctor Pariſienſis, Lector Billicus Pariſijs, Romæ Prouincialis, & Epiſcopus Sutrenſis. Secundus eſt Bernardus Aureoli de Ambaſia Gallus, qui teſte Poſſeuino factus fuit Sacri Palatij Apoſtolici Lector, & inde Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis; priùs fuerat Lector Sacræ Scripturæ in Ciuitate Pariſienſi, & Theologiæ in Tholoſana, fuerat etiam Diffinitor Generalis: ſcripſit in ſententias, in Epiſtolas Canonicas S. Iacobi & S. Ioannis & varias conciones. Tertius eſt Philippus de Ferrario (quem alij à Ferrara vocant, & aliqui faciunt Siculum, cœteri verò Gallum patria Tholoſanum (vir miræ ſanctitatis, ſocius quondam S. Petri Thomæ, & eius in Epiſcopatu Pacenſi ſucceſſor: Poſtea Pacenſis Epiſcopus ac tandem Cardinalis ex Coria, Biſcarreto, Romano & alijs, Romæ ſub Bonifacio Nono mortuus eſt. Quartus eſt Ioannes Brixillotus Atrebatenſis, doctor inſignis Pariſienſis, qui fuit Carolo Quinto à ſacris Confeſſionibus, deinde ad Abbatialem Ordinis Ciſtercienſis dignitatem poſtremò ad Cardinalatum aſſumptus. Quintus adducitur Deſiderius à Sancto Martino Panormitanus Epiſcopus Vgentinus. Alij non occurrerunt mihi hactenus: P. Alua Franciſcanus nominat Hannibaldum Cardinalem noſtri Ordinis Carmelitani ex antiquiſſimo libro, quem ſe legiſſe teſtatur in conuentu Carmelitarum Pariſijs, coæuum D. Thomę.

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis. In noſtra Diſcalceatorum congregatione fit votum humilitatis, quo religioſi promittunt Deo ac Beatiſſimæ Virgini Marię de monte Carmelo ſe nunquam directè vel indirectè; per ſe vel per alium vllam dignitatem aut officium prætenſuros intra vel extra Religionem, nec oblatum extra acceptaturos, niſi præcepto Summi Pontificis adſtringantur: Voti huius virtute, ſicut noſtri Diſcalceati plures alias dignitates Eccleſiaſticas ſibi oblatas ſtrenuè recuſarunt, ſic etiam & Cardinalatum. Primus eſt V.P.N. Petrus a Matre Dei Celtiber de Daroca, trium Summorum Pōtificum Apoſtolicus Concionator, nempè Clementis VIII. Leonis XI. & Pauli V. quo vix ſanctior Romæ eius tempore inueniri poſſe affirmat Baronius: Hic oblatam à Clemente VIII. Cardinalatus dignitatem conſtantiſſimè recuſauit. Secundus eſt alius Pater Petrus à Matre Dei ex nobiliſsima Guſmanorum Familia, patruus Ducis Medinæ Turrium, qui & dignitatem Cardinalitiam, & Archiepiſcopatum Compoſtellæ ſeu Sancti Iacobi promotus a Comite d'Oliuares ſuo conſanguineo, & affini tunc primario Regis Hiſpaniæ miniſtro noluit acceptare. Tertius eſt V. P. N. Dominicus à Ieſu Maria Bilbilienſis, miraculo Pragenſis Victoriæ toto notiſſimus orbe, qui Gregorio XV. Cardinalitiam dignitatem offerenti, ac moraliter compellenti acceptare ſemper reſiſtit. Quartus eſt V. P. Ioannes Baptiſta a Ieſu Maria ex inclyta Vrſinorum domo, Duciſque Bracciani filius: Cum Vrbanus Octauus Vrſinæ familiæ ſe Cardinalem vnum promiſiſſet facturum ad ipſius Ducis electionem, & aliàs N. Ioannem Baptiſtam plurimum diligeret; Dux eius frater miſſo Marchione Vrſino voluit ipſum ad oblatam dignitatem acceptandam inducere, qui cunctas inducentis eluſit artes, prudenter reſpondens ſe non reliquiſſe mundum,

vt ad

Digitized by Google

vt ad illum rediret; cumque tentator ille pius nimis reſiſtentem vrgeret Patrem, ipſe ſuas occludens aures exclamauit, *Apage Marchio*, & hæc dicens receſsit, vnde promiſſa dignitas Nepoti V. Patris delata fuit; Hæc vt iacent à prædicto Marchione didicimus. De quatuor aut quinque alijs ex noſtris Diſcalceatis rumor increbuit, quod ad Cardinalatum fuerant à Summis Pontificibus deſtinati; ſed quia non facilè ſimilibus dictis credendum eſt, licet aliàs merita concurrerent, eos ſilentio pręterimus.

AD primùm ergò dicendum, quòd hæc pia curioſitas in pingendo & ſculpendo ſimiles arbores virorum Illuſtriū eſt quidem communis omnibus religionibus; non tamen ſingulæ eodem modo noſtra Carmelitana credidit ad gloriam ſuam ſufficere, repræſentare fontem Eliæ ſui Patriarchæ, vnde cęteri religionum fundatores ſpiritum religioſi ſtatus hauriant; Aliæ verò religiones alias adinuenerunt ſimiles tabellas, vel Sanctorum ſuorum vel Cardinalium, & Eccleſię Pręlatorum ex alumnis ſuis aſſumptorum; In aliquibus Religionibus patent oſtia publicorum officiorum in Curia Romana ad aſſumpſionem huiuſmodi.

AD ſecundum dicendum cum Lezana tomo 4. ad annum Chriſti 1379. pagina 701. quòd latere potuit Cathalogiſtas Cardinalium memoria prędictorum, ſicut alij quoque Cardinales latent, qui quotidie de tenebris eruti Cardinalitia dignitate fulſiſſe comperiuntur; maximè, quia noſtri Carmelitę ſemper fuere notati de negligentia res ſuas propalandi.

AD Tertium dicendum, quòd hic Philippus de Ferrario, cum dicatur mortuus Romæ ſub Bonifacio IX. pręſumi debet aſſumptus ad Cardinalatum, vel ab ipſo, vel ab eius prędeceſſore; Et non à Benedicto XIII. qui reſidebat Auenione: Et quamuis creatus fuiſſet ab ipſo Benedicto; tunc tamen ratione ſchiſmatis res adeò erant dubiæ, quòd verus Pontifex vix agnoſcebatur, vt videre eſt apud Athores: Vnde quantùm attinet ad gloriam religionum, perinde eſt quòd ipſarum Cardinales aſſumpti fuiſſent à vero vel à falſo Pontifice; cum omnes ab Eccleſia tolerarentur, & aliqui tolerentur hactenus, vt Beatus Petrus de Luxemburgo Auenione, & quamplurimi Arelatæ; Et hoc ideò, quia in omnibus ſupponebantur merita. Notandum hic eſt, quòd vigente ſpiritu primitiuo noſtræ religionis Carmelitanę, cum eius alumni quamplures eſſent inclyti, & Eccleſiaſtica purpura digniſſimi, ſuperiores ipſi ianuam clauſerunt ambitioni, impedientes Apoſtolico Indulto, ne noſtri Carmelitæ negotia vel officia publica adminiſtrarent, quorum adminiſtratores ſolent ſibi applauſum comparare, & viam ad dignitates Eccleſię etiam primarias parare: Tale indultum ab Innocentio IV. adhuc Lugduni commorante conceſſum ad inſtantiam S. Simonis Stoch Generalis tertio Idus Iulij anno Domini 1246. eſt ſequētis tenoris: *Innocentius Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Priori & Fratribus ordinis Glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ de monte Carmeli ſalutem & Apoſtolicam benedictionem; Deuotionis veſtræ precibus inclinati auctoritate præſentium indulgemus, ne de cauſis aliquibus de cętero vobis à Sede Apoſtolica committendis inuiti cognoſcere teneamini, niſi litterę commiſsionis huiuſmodi plenam de hac indulgentia fecerint mentionem: nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotenti Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.*

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum in quatuor Eccleſiis Patriarchalibus fuerint aliqui Præſules ex alumni Carmelitanæ Religionis.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd in quatuor Eccleſiis Patriarchalibus non fuerint aliqui Præſules ex alumnis Carmelitanæ religionis. Probatur ſigillatim de omnibus: In Eccleſia Alexandrina nominant Carmelitæ Patriarcham ex ſuis Sanctum Cyrillum cognomine Alexandrinum, prædeceſſoris Theophili ex fratre nepotem: Sed hic non fuit alumnus Carmelitanæ religionis, hunc enim dicere monachum quaſi fabellam reputat Baronius: Ergo in quatuor Eccleſiis Patriarchalibus non fuerunt Præſules ex alumnis Carmelitanæ Religionis.

¶ 2. Præterea: In Eccleſia Antiochena non nominant Carmelitæ Patriarcham ex ſuis aliquem determinatum: Ergo ſignum eſt, quòd in hac Eccleſia Patriarchali non fuerunt aliqui Præſules ex alumnis Carmelitanæ Religionis.

¶ 3. Præterea: In Eccleſia Ieroſolymitana nominant Carmelitæ Patriarcham Ioannem 44. velut vnum ex ſuis: Sed multi negant hunc fuiſſe alumnum Carmelitanæ religionis: Ergo non eſt certum, quòd in hac Eccleſia Patriarchali fuerit Præſul aliquis ex alumnis Carmelitanę Religionis.

¶ 4. Præterea: In Eccleſia Conſtantinopolitana nullum Carmelitæ nominant antiquum Patriarcham ex ſuis, ſolum nominant Sanctum Petrum Thomam in vltimis ſæculis; De quo adhuc non habetur quòd ibi quaſi Præſul ſederit: Ergo in hac etiam Eccleſia Patriarchali non fuerunt aliqui Prę́ſules ex alumnis Religionis Carmelitanę.

SED CONTRA eſt vniuerſalis traditio noſtræ Carmelitanæ religionis, & authoritas Doctorum ipſius ac exterorum.

CONCLVSIO.

In quatuor Eccleſiis Patriarchalibus fuerunt aliqui Præſules ex alumnis Carmelitanæ Religionis.

RESPONDEO dicendum, quod in quatuor Eccleſiis Patriarchalibus fuerũt aliqui Præſules ex alumnis Carmelitanæ religionis, ſcilicet in Alexandrina. 2. in Antiochena 3. in Ieroſolymitana 4.& in Coſtantinopolitana. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Eccleſiæ Patriarchales primitiuæ ſunt iſtæ quatuor prænominatæ: Nunc plures aliæ ſunt, & præſertim in Oriente, vbi quælibet natio Chriſtianorum ſuum habet Patriarcham, nempe Græcorum, Armenorum, Neſtorianorum, Iacobitarum, Cophtorum, Maronitarum, Aethiopum; inter quos pauci ſunt Catholici, plures Schiſmatici: Patriarchæ ſunt præcipui Eccleſiarum Præſules poſt Summum Pontificem cum collegio Cardinalium: Ipſis quatuor primitiuis prędictarum Eccleſiarum Patriarchis ſubordinati erant totius Orientis Antiſtites; Alexandrino quidem Antiſtites Aphricæ, Antiocheno autem Ieroſolymitano Antiſtites maioris Aſiæ; Et tandem Conſtantinopolitano Antiſtites Græciæ & prouinciarũ adiacentium: Nunc vſurpatis à Turca Ciuitatibus illis, eius authoritate fiunt Patriarchæ præſertim Conſtantinopolitani, per maiorem pecuniarum oblationem à Schiſmaticis, ſed Summus Pontifex illos ex Catholicis nominat, qui ſolo tamen gaudent titulo & ordine dignitatis: Vnde apparet quanta ſit gloria noſtrę Religionis Carmelitanæ, ſemel probato quod alumni ipſius in prędictis quatuor Eccleſiis Patriarchalibus fuerint Præſules.

Probtur concluſio ſigillatim quantùm ad ſingulas Patriarchales Eccleſias: nunc prima eius pars de Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarchis ſic oſtenditur Sanctus Mar-

Marcus Euangeliſta,& Sanctus Cyrillus Alexandrinus fuerunt Patriarchæ huius Eccleſiæ, ille primus, iſte deinceps ſuo ordine, de quo nullus dubitat: Sed tam Sanctus Marcus Euangeliſta, quàm Sanctus Cyrillus Alexandrinus fuerunt alumni noſtræ religionis Carmelitanæ, vt in hoc opere ſuis ſpecialibus articulis probatum eſt, que probatio hic non repetitur breuitatis cauſa: Ergo in Eccleſia Alexandrina fuerunt aliqui Præſules ex alumnis Carmelitanæ Religionis. His addimus recentiorem Iacobum Corteſe.

Probatur Secunda pars concluſionis: In Eccleſia Antiochena tres inuenimus Patriarchas ex alumnis Carmelitanæ religionis, nempe Sanctum Serapionem Meletium, & Sanctum Gerardum: Primus fuit Scytha natione, & factus monachus dicitur ab aliquibus rexiſſe Carmelum ſub anno Chriſti 179. fuit vir doctus & aliquos ſcripſit libros, poſtea creatus fuit Epiſcopus Thmuſcos laudatus in Concilio Alexandrino, Et tandem a Sancto Eleuterio Pontifice Antiochenus Patriarcha creatur cuius officium celebramus die 30. Octobris: De ſecũdo refert Palæonydorus, quòd a Sancto Euticio montis Carmeli Priore fuit ad fidem conuerſus, & in noſtra religione Carmelitana receptus: De tertio hæc habet Arnoldus Boſtius libro 6. ſpeculi hiſtorialis cap. 1. *Anno Domini* 1041. *Henricus Imperator Vindelicos ſubegit Sueuis conterminales, qui fortunam adorabant; huius tempore Sanctus Gerardus Eremita montis Carmeli aſſumptus in Patriarcham Antiochenum, & veniens Romam ad faciendum querelas Chriſtianorum Principum aduersùs crudelitates Paganorum, quos ſuſtinebant Chriſtiani in Terra Sancta, a Benedicto Papa IX. ſuſcipitur, & factus a latere legatus Henrico Imperatori ſociatus eſt; Henricus autem Imperator anno ſequenti per orationem huius Sancti Gerardi, & aliorum Sanctorum Virorum auxilio Dei ſibi procurato Odelricũ ſeu Oldericum Ducem Bohemiæ ſubiugat; Henricus Hic Imperatur eſt ſecundus nomine, Gerardus iſte fundauit cœnobium Bopardienſe*; Hactenus hic author in Eccleſia Antiochena fuerunt aliqui Preſules ex alumnis Carmelitanæ religionis.

Probatur tertia pars concluſionis: In Eccleſia Ieroſolymitana, quaſi Carmelo proximiori, plures inueniuntur Patriarchæ ex alumnis Carmelitanæ religionis: Nam præter Sanctum Cyrillum Ieroſolymitanum, & alios non ita certos, habemus Ioannem 44. Patriarcham nominatiſſimum tempore Sanctorum Hieronymi & Auguſtini, quem fuiſſe alumnum noſtræ Religionis Carmelitanæ, ſanæ fidei, & authorem libri de Inſtitutione monachorum probauimus ſupra: Deinde circa annum Domini 1200. habemus Sanctum Ioannem fratrem noſtri Sancti Angeli, cuius multa narrantur miracula in vita eiuſdem Sancti Angeli a ſecundo Ieroſolymitano Concilio approbata: Et immediatè poſt Enoch ſocium Sancti Angeli ſcriptorem vitæ ipſius: Denique inuenimus Petrum de Ceſis, vulgo de Caſa, non vulgaris opinione ſanctitatis inclytum, qui floruit circa annum Domini 1350. & primo fuit Epiſcopus Vaſionenſis, poſtea Patriarcha Ieroſolymitanus moritur Vaſione, & in honorifico conditus eſt ſepulchro: Ergo in Eccleſia Ieroſolymitana fuerunt aliqui Preſules ex alumnis Carmelitanæ religionis.

Probatur quarta pars Concluſionis: In Eccleſia Conſtantinopolitana ex antiquis Patriarchis noſtra religio Carmelitana duos agnoſcit nempe Sanctum Gregorium Nazianzenum & Sanctum Ioannẽ Chryſoſtomum, quos ex ipſorummet verbis eius alumnos fuiſſe alibi probauimus: Ex recentioribus autem habemus Sanctum Petrum Thomam electum Patriarcham Conſtantinopolitanum ab Innocentio VI. Summo Pontifice, de quo plura quaſi de Sancto martyre in hoc opere tractamus: Ergo in Eccleſia Conſtantinopolitana fuerunt aliqui Præſules ex alumnis Carmelitanæ Religionis.

AD Primum ergo dicendum, quòd hic Sanctus Cyrillus Alexandrinus verè fuit

ſuit alumnus Religionis Carmelitanæ, vt ſuo loco probatum eſt. Quantùm ad authoritatem Baronij dicendū, quod non habuit plenam notitiam rerum noſtrarum, & ita in hoc potuit errare: Et certa relatione didici, talem cenſuram in hoc loco poſitam ipſo penitùs inſcio irrepſiſſe, vt ipſemet noſtris Patribus de hac apud ipſum conquerentibus reſpondit; adiutores enim & ſcriptores multos habuit.

AD Secundum dicendum, quòd nihil eſt tam notum in religione Carmelitana, quàm dictum Ioannem 44. Patriarcham Ieroſolymitanum fuiſſe alumnum ipſius; imò patrem celeberrimum, qui diutiùs eam rexit, ſuis erudiuit inſtructionibus, & in perfectione religioſa ſub patriarchatu Sancti Elię firmauit, edito libro de Inſtitutione monachorū, qui traditiones ipſius antiquiſſimas & vniuerſales continens vim habuit regulæ ſpatio ſeptingentorum circiter annorum, vt alibi probatum eſt.

AD Tertium dicendum, quòd in Eccleſia Conſtantinopolitana Carmelitę duos ex antiquis Patriarchis nominant alumnos ſuæ religionis, nempe Sanctum Gregorium Nazianzenum & Sanctum Ioannem Chryſoſtomum, vt dictum eſt: nominant etiam poſteriorem ipſis Sanctum Petrum Thomam; quod autem non fuerit permanenter, aut ſederit Conſtantinopoli, nihil facit ad rem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ex alumnis Carmelitanæ Religionis aſſumpti fuerint plures Archiepiſcopi & Epiſcopi.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd ex alumni Carmelitanæ Religionis non fuerint aſſumpti plures Archiepiſcopi & Epiſcopi. Probatur: Vix aliqui pauci Carmelitæ nominātur Archiepiſcopi & Epiſcopi: Ergo ſignum eſt, quòd non fuerunt plures, ſi enim plures fuiſſent, etiam alij nominarentur.

¶ 2. Præterea: Si ex alumnis Carmelitanæ Religionis aſſumpti fuiſſent plures Archiepiſcopi & Epiſcopi, Carmelitæ ad gloriam ſuæ religionis eos in tabellis ſculperent aut depingerent, iuxta laudabilem *vſum aliarum* religionum; maximè quia ſimili *vſu* ex illorum exemplo promouentur cæteri religioſi ad exercitium perfectionis & ad ſtudium litterarum: Ergo cum Carmelitæ hæc non faciant, ſignum eſt, quòd ex alumnis ſuæ Religionis non fuerint aſſumpti plures Archiepiſcopi & Epiſcopi.

¶ 3. Preterea: Carmelitæ religioſi non habent officia in Eccleſia, puta Inquiſitorum & ſimilium, quæ ſunt quaſi via ad acquirendas dignitates Eccleſiaſticas, in his enim officijs fideles inuenti ſolent præmiari promotione ad huiuſmodi dignitates; Imò Carmelitæ Diſcalceati in ſolemni profeſſione votū etiam emittunt non procurandi dignitates has, nec oblatas acceptandi: Ergo eſt impoſſibile, quod cum his impedimentis ex alumnis Carmelitanæ Religionis fuerint aſſumpti *plures Archiepiſcopi* & Epiſcopi.

SED CONTRA eſt authoritas Scriptorum referentium plures, qui ex alumnis Carmelitanæ Religionis fuerunt aſſumpti Archiepiſcopi & Epiſcopi.

CONCLVSIO.

Ex alumnis Carmelitanæ Religionis aſſumpti fuerunt plures Archiepiſcopi & Epiſcopi.

RESPONDEO dicendum, quod ex alumnis Carmelitanę religionis aſſumpti fuerunt plures Archiepiſcopi & Epiſcopi. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd anno Domini 1260. Religioſi noſtri Carmelitæ, vt refert Ioannes Balæus hæreticus centuria 4. n. 30. pag. 320. noluerunt admittere officium Inquiſitorum, nec exequi commiſſiones Apo-

Digitized by Google

Apoſtolicas, nec recipere regimen monialium: Ex quo dictus Author colligit, quòd non fuerunt multi Cardinales in religione Carmelitana: Anno verò 1246 noſtri Carmelitæ in tanta erant veneratione, ſcientia & virtute conſpicui, quòd in multis magni momenti negotijs occuparentur vt arbitri: non placuit Sancti Simoni Stoch tunc Generali tanta religioſorum in externis rebus occupatio; vnde Breue Pontificium obtinuit, quo noſtræ religioni indulgebatur nullam acceptare commiſſionem, etiam ab Apoſtolica Sede procedentem, niſi in tali commiſſione fieret expreſſa derogatio huius gratiæ in breui ſpecificatæ: Aſſumpti tamen fuerunt plures ex noſtris Confeſſarij & Concionatores Principum; Petrus Beoretus confeſſarius Clementis VI. Paulus de Viſconte confeſſarius Nicolai V. & Pauli II. Gratianus de Villanoua confeſſarius Innocentij VIII. Hieronymus Ocho confeſſarius Benedicti XIII. N. Rengifus confeſſarius Caroli V. Imperatoris, Laurentius. Broutcellus confeſſarius Caroli VIII. & Ludouici XII. Regum Galliæ, Richardus Britonius, item Richardus Lauinghamus confeſſarius Edŭardi II. Angliȩ Regis, Stephanus Patringthonus confeſſarius Henrici V. Angliȩ Regis, Ioannes Lamberius confeſſarius Henrici VI. Angliæ Regis. Lezana tomo 4. plures alios ex noſtris refert aliorum Principum confeſſarios, ſicut & concionatores.

Probatur concluſio generali inductione, non quidem omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ſed eorum tantùm quorum potui memorias colligere, a tempore quo noſtra Religio Carmelitana floret in Europa: nam referre eos qui ex ipſa fuerunt in Oriente aſſumpti, eſt penitùs impoſſibile, tum propter innumeram multitudinem, tum defectu monumentorum quȩ perierunt; aliquos tamen indicauimus ſupra. Incipiendo igitur ab Archiepiſcopis. Primus occurrit Hieraſimus Archiepiſcopus Nazarenus comes Sancti Angeli & Sanctus, quem alij vocant Geraſimum, miraculis clarus obijt ann. 1223.

Ioannes Archiepiſcopus Cȩſarienſis, qui teſtis fuit miraculi, quo Sanctus Angelus ſuſcitauit Ioſephum Bethleemitem, obijt eodem anno 1223.

Marcus Contarenus Archiepiſcopus Coriphienſis Venetus anno 1310.

Richardus Nrtal Archiepiſcopus Bublinenſis in Hibernia anno 1340.

Radulphus Chelei Archiepiſcopus Caſalenſis in Hibernià anno 1342.

Sanctus Petrus Thomas Archiepiſcopus Cretenſis, priùs Pactenſis & Coronenſis Epiſcopus, tandem Conſtantinopolitanus Patriarcha anno 1362.

Thomas Cranleius Archiepiſcopus Dublinenſis, & Prorex Hiberniæ an. 1417.

Ioannes Leiceſt Archiepiſcopus Smirnenſis moritur anno 1420.

Paulus Biſcontus Siculus Nicolai V. & Pauli II. Summorum Pontificum confeſſarius ab vltimo creatur Epiſcopus Meſerienſis, deinde Archiepiſcopus Panormitanus moritur anno 1440.

Balthazar Limphus Luſitanus Archiepiſcopus Bracharenſis, prius Portuenſis Epiſcopus, moritur anno 1445.

Ioannes Baptiſta del Tinto ex Prouinciali Neapolis electus Archiepiſcopus Tranenſis anno 1665.

EPISCOPI.

Petrus Epiſcopus Haſtilonenſis ſiue Bethleem, olim ſocius Sancti Angeli moritur 1123.

Ioſephus Epiſcopus Emmaus, olim etiam ſocius Sancti Angeli, moritur anno 1224.

Gilbertus Epiſcopus Hamarenſis anno 1271.

Rigaldus Epiſcopus ſuffraganeus Rhemenſis. 1276.

Guillelmus Paghanus Epiſcopus Medenſis in Hibernia Doctor Anglus anno 1280.

Henricus Redoſtonenſis Epiſcopus in Thracia, & ſuffraganeus Colonienſis. anno 1298.

Digitized by Google

Zenus Venetus Epiſcopus. anno 1307.
Blaſius Epiſcopus Cremonenſis.
Iacobus Vuemers Epiſcopus
Sancius Dublus Epiſcopus Albarrazinenſis in Aragonia Clementis V. & Ioannis XXII. confeſſarius moritur anno 1319.
Godefridus Epiſcopus Dagnenſis.
Guido de Terrena Epiſcopus Maioricenſis & Elnenſis ex Generali ordinis, qui vulgo nominatur Guido de Perpiniano Doctor inſignis 1321.
Ioannes Magnus Epiſcopus Aequilinus 1321.
Ioannes de Campo Longo Epiſcopus Elnenſis.
Ioannes Claranus Epiſcopus Boſnenſis in Sardinia creatus a Ioanne XXII. 1328.
Daniel Verdæus Epiſcopus in Saxonia, ſuffraganeus Colonienſis, 1337.
Ioannes de Deo Epiſcopus, Adminiſtrator Maioricenſis.
Richardus Guiæ Epiſcopus Elonenſis in Hibernia 1340.
Stephanus Brounc Epiſcopus Roſſenſis in Scotia 1340.
Nicolaus Siculus Epiſcopus Suanenſis in Thuſcia 1342.
Petrus de Ceſis, vulgo de Caſa, ex Generali ordinis electo 1330. creatur Epiſcopus Vaſionenſis anno 1342. a Clemente VI. deinde Patriarcha Ieroſolymitanus, miraculis clarus in vita & poſt mortem.
Iacobus Venetus Epiſcopus Euellonenſis. 1345.
Nicolaus Sorbolo Epiſcopus Scarpatenſis. 1347.
Paulus Neri *Beſſi* Epiſc. Suanēſis. 1347.
Petrus Berretus Epiſcopus Graſſenſis & Vaſionenſis creatur anno 1348.
Sanctus Andreas Corſinus Epiſcopus Feſulanus, miraculis clarus. 1349.
Sub hoc tempus indicantur tres Epiſcopi Tarbienſes ex noſtris.
Georgius de la Piſſida Epiſcopus Aginnenſis, cui monaldus de Reſarijs ded. opus.
Matthias de Colonia Eoiſcopus in Brabantia, moritur Bruxellis. 1359.
Henricus Bogeh Epiſcopus Croatenſis. 1360.
Ioannes Paſchallus Epiſcopus Scutarienſis & Laudauenſis Anglus. 1361.
Arnoldus de Beſalis Epiſcopus Galtelienſis. 1366.
Ioannes Lombardus Epiſcopus Parentij 1368.
Iacobus Epiſcopus Croatenſis. 1370.
Ioannes Suuaffamus Epiſcopus Banchrenſis. 1371.
Nicolaus de Arluno Epiſcopus Azotenſis. 1371.
Bonifacius Epiſcopus Venecopenenſis. 1374.
Ioannes a S. Martino Epiſcopus Ioppenſis. 1374.
Bernardus de Roma Epiſcopus Sutrenſis, poſtea & Cardinalis.
Guillelmus Badbitis Epiſcopus Vuigornenſis. 1380.
Conradus Alpendorp Epiſcopus Azolenſis, Germanus ſcriptor vitæ Sancti Cyrilli. anno 1390.
Fridericus Vuagener Epiſcopus Paſſauinenſis. 1390.
Dionyſius Stephanus Epiſcopus Roſſenſis & Tenenſis.
Eberardus Coronenſis *ſuffraganeus* Colonienſis Coloniæ moritur 1397.
Sub hoc tempus indicantur tres Veſuntinenſis conuentus alumni, ſcilicet Henricus de Gornai Epiſcopus Philadelphiæ.
Guido Roſſeleti Epiſcopus item Philadelphiæ.
Quidam alius Epiſcopus Segoſtironenſis.
Simon de Spira Epiſcopus ſuffraganeus Colon. 1403.
Philippus de Sicilia Epiſcopus Pactenſis, Agrigentinus & Pacenſis. 1403.
Thomas Colbius Epiſcopus Limorenſis & Vuaterfordienſis in Anglia 1407.
Robertus Maſcallus Epiſcopus Herefordienſis, 1413. qui interfuit Concilio Conſtantienſi pro Rege Angliæ.
Antonius de Fide Epiſcopus Suanenſis 1414.

Ste-

Stephanus Patringtonus Epiſcopus Me. reuenſis & Ciceſtrenſis. 1414.

Thomas Seuerellus Epiſcopus Oſſarien. ſis, Landeuenſis, & Viulgonienſis. 1418.

Henricus de Tonlins Epiſcopus Roſſenſis ſuffraganeus Cameracenſis 1420.

Guillelmus Quaplodus Epiſcopus Kildarienſis in Hibernia. 1423.

Petrus de Francofordia Epiſcopus Mirenſis. 1428.

Bartholomæus Raccolius ſiue Roquacullius ex Generali ordinis fit a Martino V. Epiſcopus Maſſilienſis anno 1429.

Gerardus de Drepano Epiſcopus Pactenſis a clero deſignatus 1432. ſed non obtentus.

Ioannes Langronus Epiſcopus Roſenſis in Anglia, moritur anno 1434. *Baſileæ* in concilio generali.

Conradus Arusberg. Epiſcopus Verrecomponenſis. 1434.

Paulus Biſcontus Epiſcopus Mazarienſis. 1440.

Ioannes Emmanuel Edoardi Regis *Luſitaniæ* filius Epiſcopus Septenſis & Egitanenſis 1441.

Henricus Bock Mirrenſis Epiſcopus, Spirenſis ſuffraganeus 1443.

Richardus Meſſinus Epiſcopus Dromorenſis 1446.

Dauid Chirburius Epiſcopus Dormonenſis in Hibernia. Moritur anno 1446. Cui ſucceſſit Thomas Scrappus eodem anno.

Henricus Marionouuenſis incertæ Sedis Epiſc.

Dauid Boiſius Brito Laudauenſis Epiſcopus, deinde Cambrienſis, denique Vuallienſis. 1450.

Hilgerus à Burgis Buduanenſis Epiſcôpus, ſuffraganeus Colonienſis & Leodienſis. 1452.

Ioannes Faccius Auenionenſis ex Generali ordinis factus ab Eugenio IV. Rhegienſis Epiſcopus in Gallo prouincia moritur anno 1456.

Ioannes Miluertonus Epiſcopus Aſaphenſis & Cireſtrenſis. 1458. Denique Londinenſis.

Natalis de Venetia Epiſcopus Hoenſis Legatus Apoſtolicus 1462.

Iacobrus *Patra* Cathalaunus Elnæ Epiſcopus. 1462.

Ioannes Llinans Cathalaunus Epiſcopus Maioricenſis circa annum 1464.

Galceranus Caſſanach celtiber item Epiſcopus Maioricenſis circa annum 1468.

Simon de Vuormatia Epiſcopus Magionenſis 1470.

Arnoldus Biſſalis Epiſcopus Galtenienſis in Sardinia anno 1471.

Goſuuinus Hexius Brabantinus Epiſcopus Hierapolitanus. 1475.

Ioannes Stamberius ex confeſſario Henrici VI. Angliæ Regis *E*piſcopus Noruicenſis, inde Banchorenſis, poſtremò Heresfordienſis. 1475.

Matthias Emic Epiſcopus Cyrenſis. 1479.

Thuſanus de Villanoua Epiſcopus Cauatticenſis. 1482.

Hubertus Leonardus Darcenſis Epiſcopus natione Germanus, & Leodienſis Inquiſitor contra Niuellenſes hæreticos 1490.

Ioannes Arundineus Vsbitenſis ſeu Vſbuenſis Epiſcopus anno 1490.

Thomas *S*eropus antea Benedictinus, deinde Carmelita Epiſcopus Dormonenſis 1491.

Chriſtophorus Monicius Luſitanus, Epiſcopus coadiutor Sereniſſimi Cardinalis Infantis Archiepiſcopi Vlyſſiponenſis.

Laurentius Burellus Epiſcopus Ciſtaricenſis in Gallo prouincia. 1502.

Henricus Potinus Rothomagenſis Epiſcopus Philadelphiæ. 1502.

Ioannes Salſynguinus Gallus Epiſcopus Miſſinenſis 1503.

Ioannes *B*rixillotus Atrebatenſis Epiſcopus Berithenſis, poſtea Cardinalis. 1505.

Deſiderio à Sancto Martino Epiſcopus Vgentinus. 1505.

Godifredus Greuerauus Epiſcopus Dagnienſis. 1505.

Aegidius de Merica Epiſcopus Berithenſis, ſuffraganeus Cameracenſis 1505.

Quidam ex noſtris Epiſcopus Lucerienſis in Regno Neapolis, creditur Ioannes Aloyſius. 1506.

Lucas Matthæus Caraciolus Epiſcopus Eliſinenſis. 1507.

Franciſcus Epiſcopus Reuellenſis Neapolitanus. 1507.

Conradus ab Heidem Epiſcopus Nicopolitanus ſuffraganeus Metēſis. 2532

Balthaſar Limphus Epiſcopus Portuenſis in Luſitania. 1545.

Ferdinandus de Barco Abulenſis Epiſcopus Salaminę in Cypro. 1548.

Ioannes de Arena Epiſcopus Baſilitanus Proepiſcopus Metenſis & Virodunenſis 1549.

Iacobus Baralius Elnæ Epiſcopus 1551.

Euerardus Billicus deſignatus ſuffraganeus Colonienſis moritur 1557. interfuit Concilio Tridentino.

Raphael Llinas Epiſcopus Chryſopolitanus & Maioricenſis. 1558.

Iacobus Corteſe Epiſcopus Vaſionenſis, Patriarcha Alexandrinus 1560.

Didacus a Leone Epiſcopus Columbrienſis Legatus a latere Pauli IV.

Martinus Cupetus Epiſcopus Chalcedonenſis 1572.

Martinus de Acunna Lipparenſis Epiſcopus. 1573.

Timotheus Berhardus Epiſcopus Nolinus ſiue Naulenſis 1584.

Petrus Brandonus Epiſcopus Cabouiridenſis 1584.

Angelus Pereira Luſitanus Epiſcopus Maetyriæ ſuffraganeus Conimbricenſis. 1590.

Iacobus Maiſtretus Epiſcopus Damaſcenus, Lugdunenſis ſuffraganeus. 1591.

Laurentius Lauretus Epiſcopus Adrienſis. 1592.

Petrus Clemens Hiſpanus Boſſenſis Epiſcopus. 1599.

Franciſcus Brunancius Sabaudus Enabedunenſis Epiſcopus. 1599.

Henricus Syluius ex Genesali creatus Epiſcopus Ireæ moritur anno 1612.

Ioannes Antonius Bobius Cremonenſis Epiſcopus Molſetenſis. 1618.

Robertus Berthelet Gallus Epiſcopus Damaſcenus Lugdunenſis ſuffraganeus 1623.

Petrus Carrancius Epiſcopus del Rio de la Plata 1623.

Thomas Pharius Epiſcopus Targenſis 1624.

Didacus Merinus Epiſcopus montis Peluſij 1628.

Gaſpar Munſterus Epiſcopus Aurelcopolitanus Oſnabrugi ſuffraganeus 1630.

Iacobus Vuemers Antuerpienſis Epiſcopus Mempheos.

Magiſter Piccinino Auenionenſis Epiſc. ſuffraganeus in Gallia.

Franciſcus Romerus Bexebenſis Epiſc. 1630.

Valerius Eximinus de Embum Epiſc. Algatenſis.

Franciſcus Snarius Luſitanus Memphitenſis Epiſc. adhuc viuens.

Timotheus Perez Epiſc. Babyloniæ, poſtea Archiepiſc. Aſpahani in Perſide.

Dionyſius Tomacelli Epiſc. Caſtri in Regno Neapolis.

Ioannes Michael de Roſſi Epiſc. Aliſi.

Ioannes Michael de Curtis Epiſc. Siræ in partibus Infidelium.

Leonardus Leria Epiſc. di Minori in Regno Neapolis.

Dominicus Campanella Epiſc. S. Agathæ in Regno Neapolis.

Benedictus Rocri Epiſc. Nuſſi.

Dominicus Rota Epiſc. Sidonis in partibus.

Hieronymus Domin Epiſc. Gaietanus.

Hiſpanus quidam Epiſc. Lanciani & Vigeuani.

Laurentius Encinas Epiſc. Vgenti.

Petrus Veſpa Epiſc. Papho in Inſula Cypri.

Anaſtaſius Viues Celtiber Epiſc. in Hiſpania.

Gauinus Catayna Epiſc. Boſæ in Sardinia.

Hiſpanus quidam nuper mortuus ſtatim poſt conſecrationem.

Quam-

Digitized by Google

Quamuis noſtri Diſcalceati ſuo ſpeciali voto, quod tribus alijs in profeſſione ſolemni adiungunt, de non ambiendo dignitates & officia tam intra quam extra religionem, nec ea acceptandi extra Religionem, niſi cogantur præcepto Pontificis, videantur portam huiuſmodi dignitatibus clauſiſſe; nihilominus tamen plures ex ipſis aſſumpti fuerunt ad Archiepiſcopatus & Epiſcopatus quorum aliqui prædicto coacti præcepto ſuę conſenſerunt electioni, reſtiterunt humiliter alij. Primus ex aſſumptis fuit electus Archiepiſcopus Epidauri ſeu Raguſiæ, cum eſſet ex primaria ciuitatis huius nobilitate, vocabatur P. Leo a Sancto Petro; reſtitit quantum potuit, ſed dum ſuos conciues vidit conſtantes, & Summum Pontificem nolle ipſis diſplicere propter vicinitatem Turcarum, ſubitaneam a Deo mortem impetrauit. P. Ioannes Thadæus a Sancto Eliſæo factus Aſpani Archiepiſcopus ab Vrbano *VIII.* qui Pontifex hanc Sedem volebat Carmelitanę Religioni continuata ſerie commendare: dum antiquam Perſidis miſſionem rediret, in Hiſpania mortuus eſt. Idem Pontifex elegerat P. Dimam a *C*ruce *B*abylonis Epiſcopum, qui cum humiliter reſtitiſſet, ſubſtituit ei P. *B*ernardum a Sancta Thereſia, quem in illis vidi partibus, & nunc Venerabilis ſenex degit Pariſijs. Alexander VI*I*. aſſumpſit P. Ioſeph a Sancta Maria in Epiſcopum Hierapolis, & in Indias Orientales miſit. Scio quod in Hiſpania plures ex noſtris Diſcalceatis noluerunt oblatos Epiſcopatus acceptare, vt nouiſſimè P. Sebaſtianus a Conceptione Luſitanus nominatus in Epiſcopatum Sancti Thomæ ſeu Ciuitatis Meliapur in Indijs Orientalibus. Tandem inueni in Regiſtro Sacræ Congregationis de propaganda fide ſequens decretum pro eligendo in Epiſcopum R. P. Dionyſio a corona ſpinea, viro de miſſionibus pro conuerſione infidelium benè merito, qui innumeros penè paruulos tam Mahometanorum quàm Gentium in vltimo agone baptizatos tranſmiſit in Cœlum: ſic autem habet: Die 18. Iulij 1648. fuit Congregatio particularis in palatio Eminentisſimi Domini Cardinalis Spadæ, & omiſsis alijs, numero quarto habetur prout infrà videlicet; *Cenſuerunt ad Magnum mogor Regnum mittendum eſſe Epiſcopum, qui in Agra regia Vrbe reſidentiam ordinariam faciat, cum titulo in partibus Infidelium & in Epiſcopum ordinandum eſſe Fratrem Dioniſium a Corona Spinea Carmelitam Diſcalceatum, virum doctrina & moribus, ac diſciplina regulari commendatum, & Linguam Perſicam, qua vtitur Curia Regis* Mogor, callentem, & in controuerſijs mahumetanorum verſatum, antiquum Perſidis Miſsionarium, & modo Conuentus ſuæ Religionis Aſpahanenſis Priorem.

AD Primum ergo dicendum, quòd ſi pauci Carmelitę nominantur Archiepiſcopi & Epiſcopi, prouenit ex modeſtia religionis Carmelitanę, quæ non iactat ſua ſupra modum, nec omnia recenſet; multi tamen ſunt tales Prælati, vt conſtat ex adductis, & plures ignorantur.

AD Secundum dicendum, quòd laudabilis vſus ille religionum aliarum nō fuit admiſſus in religione Carmelitana, vel ex inaduertentia, vel ſi mauis ex aliqua negligentia; ſolent enim culpari Carmelitę de tali defectu, in tacendo prærogatiuas & excellentias ſuæ religionis.

AD Tertium dicendum, quòd quidem adductæ rationes ſunt cauſa cur ex religione Carmelitana non ſunt aſſumpti tot Eccleſię Prælati, non tamen obſtant, quin plures ex illis ad ſimiles prælationes aſſumantur, propter eximia ipſorum merita, vt conſtat adducta relatione.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Vtrum ex Doctoribus Eccleſiæ aliqui fuerint alumni Religionis Carmelitanæ.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quod ex Doctoribus Eccleſiæ nullus fuerit alumnus religionis Carmelitanæ: Ita tenent qui huius religionis antiquitatem negant. Probatur: Ex Doctoribus Eccleſiæ nullus vocatur Carmelita, nec ex antiquis nec ex modernis, ſicut ex modernis Diuus Thomas vocatur Dominicanus, & Sanctus Bonauentura vocatur Franciſcanus: Sed ſi fuiſſet aliquis ex Doctoribus Eccleſiæ alumnus Religionis Carmelitanæ, pari ratione vocaretur Carmelita: Ergo ex Doctoribus Eccleſiæ nullus ſuit alũnus religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: Ex quatuor Doctoribus Eccleſiæ Latinæ prioribus (de duobus modernis nulla poteſt eſſe difficultas) Sanctus Ambroſius non fuit religioſus, Sanctus Hieronymus fuit author ſuæ Religionis ab ipſo denominatæ, ſicut & Sanctus Auguſtinus, Sanctus verò Gregorius fuit alumnus Religionis Benedictinæ: Similitèr ex quatuor Doctoribus Eccleſiæ Græcæ Sanctus Athanaſius non fuit religioſus, Sanctus Baſilius fuit fundator ſuæ religionis Baſilianæ, Sanctus Gregorius Nazianzenus fuit ſocius Sancti Baſilij, Sanctus Ioannes Chriſoſtomus non legitur fuiſſe ex monachis Carmelitis, & tunc plures erant ordines religioſi iam multiplicatis fundatoribus: Ergo ex ſufficienti dinumeratione, ex Doctoribus Eccleſiæ nullus fuit alumnus Religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt traditio antiqua & vniuerſalis noſtræ religionis Carmelitanæ, & authoritas Doctorum ipſius, & etiam exterorum.

CONCLVSIO.

Ex Doctoribus Eccleſiæ aliqui fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ.

RESPONDEO dicendum, quòd ex Doctoribus Eccleſiæ Græcæ Sanctus Baſilius, Sanctus Gregorius Nazianzenus & Sanctus Ioannes Chryſoſtomus fuerunt alumni religionis Carmelitanæ; ex Doctoribus autem Eccleſiæ Latinæ Sanctus Hieronymus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, aliud ſignificare Doctorem Eccleſiæ, & aliud doctorem in Eccleſia; Plures ſunt in Eccleſia Doctores, ſed pauci ſunt Eccleſiæ Doctores: Eccleſia tam Latina quàm Greca ex pluribus quos habebat Doctoribus, tum pietate tum doctrina conſpicuis in ſuis voluminibus editis, aliquos ſelegit præcipuos, quos veneratur quaſi magiſtros in doctrina fidei & morum; Et hi vocantur Doctores Eeleſiæ, ceteri vocantur Doctores in Eccleſia, vel communi nomine Sancti Patres: In Eccleſia Latina quatuor ſunt primitiui Doctores Eccleſiæ, ſcilicet *Sanctus Ambroſius*, Sanctus Hieronymus, Sanctus *Auguſtinus*, & Sanctus Gregorius; quibus poſtea Pius V. Pontifex Maximus Diuum Thomam Aquinatem meritò adiunxit, & Sixtus V. Sanctum Bonauenturam: In Eccleſia Græca quatuor omninò ſunt Doctores Eccleſiæ, ſcilicet S. Athanaſius, Sanctus Baſilius, Sanctus Gregorius Nazianzenns, & Sanctus Ioannes Chryſoſtomus: Noſtra religio Carmelitana plures agnoſcit ex ſuis alumnis Doctores in Eccleſia tam Græca quàm Latina; In Græca quidem præcipuos habet Sanctum Cyrillum Alexandrinũ, Sanctum Ioannem Damaſcenum, & Ioãnem 44. Patriarcham Ieroſolymitanum; In Latina verò V. Guidonem de Perpiniano, & V. Thomam Vvaldenſem. quorum ſcripta quaſi Sanctorum Patrum eſtimantur, quibus nunc poteſt adiung S.M.N. Thereſia, & V.F.N. Ioannes

nes à Cruce Doctores eximij pro Theologia myſtica: Ad maiorem tamen ſui gloriam prędictos quatuor Eccleſiæ Doctores ex ſui alumnis veneratur.

Probatur concluſio ſigillatim: Et primò de Sancto Baſilio. Communis eſt ſententia Doctorum Carmelitarum, imò & antiqua ac vniuerſalis ipſius Carmelitanæ religionis traditio, ab alijs quoque recepta, quod Sanctus Baſilius acceſſit ad noſtrum montem Carmelum, ibique religionis ſumpſit ab Euticio tūc Priore, vt ipſemet Sancto noſtro Cyrillo Conſtantinopolitano apparens reuelauit. Deinde Sanctus Gregorius Nyſſenus ipſius Baſilij frater, cum Eliam Prophetam vitæ religioſæ authorem deſcripſiſſet, fratrem ſuum in vita monaſtica ſimilem Eliæ, & ſucceſſorem prædicat: Primum facit oratione 7. in cap. 4. Canticorum ad illa verba, Capilli tui ſicut greges Caprarum, quę aſcenderunt de monte Galaad; ait enim de Elia, *Inſignia vitæ continentis exempla præbuit forma ſquallidus; capillis hirſutus pro veſte molli pelle capræ tectus; itaque omnes quotquot ad exempla vatis illius vitam ſuam inſtituunt, ornamentum Eccleſiæ fiunt gregatim, qui philoſophandi mos hoc tempore in vſu cępit* (id eſt refloreſcere quarto ſæculo ſub Antonio, Hilarione &c. ceſſantibus perſecutionibus imperante Conſtātino Magno) *virtutem in conuerſatione colentes*: Secundum docet in oratione de laudibus ipſius S. Baſilij, dicens inter alia; *An etiam audebimus ad ſublimem Eliam ſermone aſcendere, & oſtendere noſtrum Doctorem ſua vita inſtituto illius gratiæ aſſimilari*. Tandem in epiſtola ad Chilon. ait, quod *Sanctus Baſilius in ſeipſo veſtes polliceas, & res mirabiles Eliæ expreſſerit*.

Secundò probatur de Sancto Gregorio Nazianzeno. Fuit hic ſocius Sancti Baſilij in ſtudijs, fuit & in vita monaſtica poſtquam S. Baſilius è monte Carmelo redijt in Cappadociam factus monachus Carmelita: Vnde ſequitur, quòd ſicut Sanctus Baſilius fuit alumnus religionis Carmelitanę, Sic Sanctus Gregorius idem inſtitutum fuerit profeſſus, quamuis enim poſtea Sanctus Baſilius inſtitutum monachale hactenus indiuiſum reformauerit ſpecialibus obſeruantijs regularibus, & reformati per ipſum monachi deinceps cum quaſi ſuum Patriacham venerati fuerint; ipſe tamen cum ſocio Sancto Gregorio Nazianzeno ſemper ſub Patriarchatu Elię militauit velut alumnus vterque religionis in monte Carmelo per Eliam fundatę, & tantùm poſt mortem eius nomen quaſi fundatoris nouę religionis inualuit; nō enim prǽſumitur de viro ſancto, quòd tale nomen in prǽiudicium Elię ſui Patris voluerit vſurpare: Dictum noſtrum confirmat ipſe Sanctus Gregorius Nazianzenus, ſcriptis ſuis indicans ſe non alium ſui monachalis inſtituti Patriarcham, & fundatorem agnoſcere, quam noſtrum Eliam; ſic loquitur per ironiam in oratione ad Arianos, reſpondens quòd ab illis inculparetur ruſticitatis: *Enim verò me quoque fallebat Eliæ Carmelus, qui currum ignem accepit; Et Eliſæi melote, quæ plus virium habuit, quā fila ſerico & aurum veſtibus per vim aſſutum; quin me quoque Ioannis deſertum fallebat, in quo vir ille inter natos mulierum maximus cum cibo illo, & veſte, & zona degebat*. Et in Poemate vitę ſuę ſic ait: *Subibat Elias menti meæ,*

Carmelus eius, & nouum victus genus,
Et ſolitudo, Prodromi dulces opes,
Ac vita ſimplex filiorum Ionadab.

Tertiò probatur de Sancto Ioanne Chryſoſtomo. Fuit hic Sanctus Doctor monachus Syrię in monaſterio propè Antiochiam vt habetur in eius vita: Et tunc temporis omnes monachi Syrię & Paleſtinæ non alium Patriarcham agnoſcebant ſuę profeſſionis, quàm Eliā primum in antiqua lege, & Sanctum Ioannem Baptiſtam, qui venit in ſpiritu & virtute Eliæ ſub lege gratiæ, vt ipſemet Sanctus Ioannes Chryſoſtomus docet: loquens enim de Elia in dialogo de dignitate ſacerdotali ſic ait; *Omnis religionis*

Digitized by Google

gionis Elias *parens eſt, & origo fontalis*: Loquens autem de S. Ioanne Baptiſta homilia 1. in Marcum ait; *Sacerdotum princeps ſunt Apoſtoli, ſic monachorum princeps Ioannes Baptiſta eſt*: Ergo Sanctus Ioannes Chryſoſtomus Doctor Eccleſiæ fuit alumnus religionis Carmelitanæ.

Quartò probatur de Sancto Hieronymo, ipſiuſmet authoritate, qui ſæpiùs Eliam ſui monachalis inſtituti principẽ vocat, & filios prophetarum ipſius duces; ac proinde ſeipſum facit ſucceſſorem illorum, & alumnum eiuſdem Religionis Carmelitanæ per Eliam inſtitutæ; ſed clariùs, & ijſdem penè verbis loquitur in epiſtola ad Euſtochium, & in alia ad Paulinum, vbi ſic ait; *Nos autem* (ſcilicet monachi) *habeamus propoſiti noſtri principes, Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios; Et vt ad ſcripturarum authoritatem redeam, noſter princeps* Elias, *noſter Eliſæus, noſtri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis*. Confirmatur doctrina eiuſdem Sancti Hieronymi epiſtola 22. ad Euſtochium, vbi probat quòd monachi ſiue religioſi Cœnobitæ primitiuæ Eccleſiæ vſque ad ipſius tempora eoſdem eſſe ac Eſſenos ex relatis amborum obſeruantijs; Probatum eſt autem, quòd Eſſeni fuerunt alumni religionis Carmelitanæ: quòd maximè verum eſt de monachis Syriæ & Palæſtinę inter quos vixit Sanctus Hieronymus, ſuo enim tempore nullum alium ab Elia cognoſcebant Patriarcham inſtituti ſui, quamuis in Ponto & in Aegypto tunc cœpiſſent multiplicari ordines religioſi ſub Baſilio, Antonio, &c.

AD Primum ergo dicendum, quòd licet prædicti quatuor Doctores Eccleſiæ non vocentur formaliteer & explicitè Carmelitæ ab authoribus, vocantur tamen virtualitèr & implicitè tales, aut etiam ſe vocant hoc nomine, dum ſe monachos inſtituti Eliani nominant, aut Eliam ſuum principem appellant.

AD Secundum dicendum, quòd ex Doctoribus Eccleſiæ Latinæ ſolùm prætendimus Sanctum Hieronymum, qui quamuis fundaſſe admittatur religionem ab ipſo denominatam (de quo nihil modo aſſerimus) priùs tamen fuit alumnus religionis Carmelitanæ, ſiue Elianę in Carmelo fundatæ, vt conſtat ex dictis ſupra & alibi. *Ex Doctoribus* autem Eccleſię *Grecæ ſufficienter* probatum eſt, tres *alios* a Sancto *Athanaſio* fuiſſe alumnos noſtræ Religionis Carmelitanę; quamuis Sanctus *Baſilius* poſtea meruerit nomen Patriarchę inſtituti monachalis ab ipſo reformati.

QVAESTIO XIX.

De Cæleſtibus priuilegijs Carmelitanæ Religionis.

PLVRIMA ſunt Carmelitanæ religionis priuilegia, tam a Deo quam ab hominibus ipſi conceſſa; multa in hoc opere apparent à Deo conceſſa, à Summis verò *Pontificibus* conceſſa ſpeciali *libro continentur*: *Vnde* de his omnibus in pręſenti non agimus, ſed de quibuſdam alijs eximijs cœlitùs conceſſis: Circa quæ quęruntur quatuor.

¶ Primo, Vtrum Ieſus & Maria acceſſerint aliquando ad montem Carmelum, religioſos *Carmelitas* inuiſuri.

¶ Secundo, Vtrum Carmelitę fuefuerint primi, qui Conceptionem Immaculatam Beatę *Virginis* Mariæ celebrauerint, ipſis reuelatam.

¶ Tertiò, Vtrum conceſſum fuerit à Beatiſſima Virgine Sacrum Scapulare Sancti Simoni Stoch & toto Carmelitano Ordini.

¶ Quarto, Vtrum verè conceſſum fuerit à Beatiſſima Virgine priuilegium Bullæ Sabbatinę Ordini Carmelitano.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum Ieſus & Maria acceſſerint aliquando ad montem Carmelum, religioſos Carmelitas inuiſuri.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Ieſus & Maria non acceſſerint aliquando ad montem Carmelum, religioſos Carmelitas inuiſuri. Ita tenent qui negant tunc fuiſſe religioſos Carmelitas; Probatur: Beatiſſima Virgo Maria ſic collecta erat, quòd vix domo egrediebatur: peregrinationes verò Chriſti Ieſu recenſenrur in Euangelio, vt conſtat de alijs, nec Euangeliſtæ hanc tacuiſſent, recenſentes aliam ad ſimile monaſterium S. Ioannis Baptiſtę: Ergo ſignum eſt, quòd Ieſus & Maria non acceſſerint aliquando ad montem Carmelum, religioſos Carmelitas inuiſuri.

¶ 2. Præterea: Nullus author antiquus facit mentionem huiuſmodi acceſſus; nec etiam Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus, alias accuratiſſimus in referēdis omnibus ijs, quæ ſunt honorifica Religioni ſuæ Carmelitanæ: Ergo nullum eſt fundamētum aſſerendi, quòd Ieſus & Maria acceſſerint aliquando ad montem Carmelum religioſos Carmelitas inniſuri.

¶ 3. Præterea: Nulla apparet cauſa vel occaſio ſuadens huiuſmodi acceſſum Ieſu & Marię ad montem Carmelū quia Carmelitæ religioſi (ſi tunc erant) ſolitariā omnino vitā ducebant ab omni mortalium conuerſatione: Ergo dici nequit cū fundamento, quod Ieſus & Maria acceſſerint aliquando ad montem Carmelum religioſos Carmelitas inuiſuri.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis & cōtinuata noſtræ religionis Carmelitanę ac plurium Doctorum authoritas.

CONCLVSIO.

Ieſus & Maria acceſſerunt aliquando ad montem Carmelum religioſos Carmelitas inuiſuri.

RESPONDEO dicendum, quòd Ieſus & Maria acceſſerunt aliquando ad montem Carmelum, noſtros religioſos Carmelitas inuiſuri. 2. ad exemplum S. Annę matris eiuſdem Sanctiſſimę Virginis, & S. Emerentianæ ipſius Auiæ. Ad cuius euidentiam ſciēdum eſt, quòd mons Carmelus fuit locus maximæ deuotionis a tempore fundatæ religionis noſtræ per S. Eliam noſtrum Patriarchā: Vnde illuc pietatis gratia confluebant fideles, præſertim in ſabbathis & Kalendis, vt conſtat ex illa Sunamitis peregrinatione ad montem Carmelum poſt mortem filij, de qua mirabatur inſcius huius mortis maritus, obijciens illi qòd non erat ſabbathum nec Kalendæ, quo ſatis manifeſtè declaratur fuiſſe morem accedendi ad Carmelum illis temporibus: Dicimus igitur, quòd Ieſus, tam paruulus manens ſubditus ſuis parentibus in ciuitate Nazareth, quàm vir effectus tempore ſuæ prędicationis acceſſit ad montem Carmelum, noſtros Carmelitas religioſos inuiſurus; Et ſimilitèr Beatiſſima Virgo Maria, & antequam fieret mater Dei, & poſtquam dignitatem hanc obtinuit.

Probatur prima pars concluſionis vniuerſali traditione religionis noſtræ, quæ ab illo tempore hactenus perſeuerat, & confirmatur alia traditione communi inter Orientales de hoc acceſſu; Et oſtenditur cauerna ſex circiter paſſus longa & lata intra maiorem aliam S. P. Eliæ, in qua dicitur etiam ex reuelatione facta Deiparam Virginem ſæpius oraſſe. Deinde probatur authoritate Doctorum, tam noſtræ religionis quàm externorum: Martinus Italus in ſuis Chronicis ſic ait; *Ad eos autem qui ineunte tēpore ſuperioribus ex prophetis originem traxerunt, Sanctam Dei Genitri-*

 cem

cem cum in humanis ageret, ſicut matrem ad filios ſæpenumero veniſſe legimus, ad iſtiuſmodi etiam viros Chriſtum cum diſcipulis quibuſdam perueniſſe didicimus: Armacanus ex hiſtorijs fide dignis, & ex ipſo noſter Vualdenſis de ſacram. titulo 9. ſic aiunt; *Erat huius ordinis ſoror nomine Maria, quæ dum de Nazareth in montem Carmeli conſcendere ſtatueret, pluries dixit filio ſuo, vadam, & narrabo nomen tuum fratribus meis, patris Eliæ filijs; Et quid putas ordo Carmeli reſponderit, vtique illius Sanctiſſima Elizabet verbum, vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? atque illud verbum inſtitutoris Eliæ, mulier da mihi filium:* Carthagena libro 17. homiliarum homilia 1. ſic ait; *Ecce Illuſtriſſimam hanc nomenclaturam* Beatæ *Virginis de monte Carmelo, nacti ſunt religioſi Carmelitani, quia verè illi primi fuerunt, qui Virgini Mariæ in primo* Eccleſiæ *ſæculo oratorium conſtruxerunt, primi qui eius obſequio & amori inter cæteros religioſos addicti ſunt, primi qui tanta Virginis conuerſationem & familiare colloquium meruere:* Noſter Mantuanus libro 3. Parthenices Marianæ loquens de aduentu Beatæ Virginis in Carmelum ſic ait;

Huc igitur, ſi quando quies, vacuumq; negoti
Tempus erat veniens curas lenibat, & ipſa
Maieſtate loci longè oblectata redibat.

Vnde in lectionibus ſecundi nocturni commemorationis ſolemnis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo dicitur de Carmelitis Eccleſiæ naſcentis, quòd *peculiari quodam affectu Beatiſſimam Virginem (cuius colloquio & familiaritate fœliciter frui potuere) venerari cæperunt:* Denique Criſtus duodecim annorum paruulus ducebatur in Ieruſalem aliquot dierum itinere diſſitam ad ſolemnitates, vt conſtat ex Euangelio; Et tempore prædicationis ſuæ ſepiùs ad Sanctum Ioannem Baptiſtam eiuſque diſcipulos Carmelitas religioſos acceſſit, vt etiam conſtat ex Euangelio: Ergo cum mons Carmelus tunc haberetur ſacer & venerabilis præuia habitatione S. Eliæ, & actualis diſcipulorum eius perſeuerantia; conueniens fuit, quòd Chriſtus paruulus illuc a Sanctiſſima Matre ſua duceretur ad ſpirituale ſolatium religioſorum, cum vix ad ſex milliaria diſtaret a Nazareth patria ſua; & quod Euangelium prædicans illuc accederet ad illorum *inſtructionem* & cõuerſionem ad ipſius fidem, qui enim ſe tam liberaliter omnibus communicabat, non poterat ſe ſanctis negare religioſis.

Probatur ſecunda pars concluſionis (in qua dicimus quod S. Anna Mater Beatiſſimę Virginis Marię, & S. Emerentiana eiuſdem Deiparæ Auia & Mater S. Annæ ex proxima ipſarum patria Sephori ad Carmelum accedebant aliquando, & cum religioſis Carmelitis familiariter conuerſabantur) tum adducta ſuperiùs ratione, tum ſequenti *hiſtoria*, quam Authores fide digni referunt, nempe Petrus Dorlandus Carthuſianus in vita Sanctæ Annę ſcripta Coloniæ Agrippinæ anno Domini 1490. Henricus Mauroy Pariſienſis Doctor ex ordine Sancti Franciſci in apologia ad Iulium III. parte 1. cap. 36. anno 1553. & Guillelmus Pepinus ex ordine Sancti Dominici item Doctor Pariſienſis ſermone 2. de Sancta Anna, citantes alios antiquiores, & maximè noſtrum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, qui vixit circa annum Domini 428. & quam ex vetuſtiſſimis codicibus ſe fatentur extraxiſſe. Dicunt igitur quod appropinquante plenitudine temporis, quo per filium ſuum Deus humanum genus redẽpturus erat, floruit in Iudæa, ann. ſcilicet 77. ante Diuini Verbi *Incar*nationem, quædam Virgo nobilis de tribu *I*uda, clara ex ſtirpe Dauid, diues admodum pulchra corpore, ſed pulchrior mente, cui nomen erat Emerentiana: hęc Virgo optimis moribus prædita, prudentia & ſanctitate illuſtris, ac ſpei de redemptione *I*ſrael refertiſſima, de parentum ſuorum venia filios Prophetarum in Carmelo viſitare ſolita, virtutem exemplis plurimum illuſtrabatur:

Digitized by Google

batur: illis animæ ſecreta manifeſtabat, ſimulque cum eis de aduentu Meſſiæ, ac de prophetiis, atque promiſſionibus ſuper hoc factis ſæpius conferebat. Cum iam matura viro, & iam plenis nubilis annis matrimonio ad generis propagationem ab optimis, ac prudentiſſimis parentibus ex inſtituto veteri addiceretur, pia Virgo caſtis eloquijs imbuta, & virginali vitæ aſſueta aliquantum refragata eſt, eò quòd in occulto promiſiſſet Deo ſe ſeruaturam virginitatem, ſi modò diuinæ eius placeret maieſtati. Recurrit ergo pro hac re (ſicut & pro alijs grauioribus conſcientiæ ſuæ negotijs recurrere ſolebat) ad dictos filios Prophetarum in Carmelo commorantes, narrans ipſis ſuorum parentum voluntatem, pariter & ſuam. Qui in ieiunio & oratione Deum conſulerunt, donec ſenior, & alij duo in ſpiritu rapti radicem viderunt pulcherrimam, duas ex ſe emittentem arbores; ex quarum altera natus eſt ramus ſpecioſiſſimus inter duo alia ramalia, producens florem puriſſimum, atque fragrantiſſimum, ac optimo Cœlum, & Terram odorem perfundentem; ex reliquijs quoque huius arboris ramalibus flores nati ſunt; ſi ſeorſum ſpectentur, pulcherrimi, ſed ad primi comparationem in nullo comparabiles, nihilque redolentes: ex altera verò arbore orta eſt virga ſanè pulchra, pulchriorem producens florem, nec tamen primo comparabilem. Inſuper cum deſcriptæ viſionis extaſi ſimul eſt audita vox dicens; *Hæc radix eſt Emerentiana noſtra magna propagationi deſtinata*: eiſque manifeſtatum eſt quod prima arbor ſignificabat quandam filiam ſacratiſſimam, quam in ſtatu matrimoniali Deus ſibi daturus erat; ramus eius ſpecioſiſſimus deſignabat Virginem Caſtiſſimam, quam filia ipſius Emerentianæ eſſet productura, quæ Virgo permanens florem Paradiſi, & fructum vitæ æternæ, id eſt, filium Dei naturalem, eſſet clauſura ſuo virginali vtero, & tandem tempore debito ſine dolore paritura. hęc Dei Sacramenta viri Sancti Emerentianæ Virgini retulerunt, quibus intellectis Deo, & parentibus obediens in matrimonium conſenſit, Dominum humiliter orans, vt nulli coniungeretur, qui ipſum non timeret: cumque poſt hęc ſucceſſiuè ad illam adducti fuiſſent ſex viri, nulli eorum voluit copulari propter corruptam eorum intentionem, quam Spiritu Sancto reuelante præcognoſcebat; poſtremò ſuperuenit ſeptimus nomine Stolanus vir iuſtus ac timens Deũ, & qui non cauſam explendæ libidinis (cum virgo eſſet Specioſiſſima) ſed potiùs cauſa ſuſcitandæ prolis illam quærebat habere Sponſam. In hunc igitur Stolanum conſenſit: ex quo matrimonio Emerentiana peperit filiam Iſmeriã, quæ genuit filium Eliud, & filiam Elizabeth Matrem Ioannis Baptiſtæ: peperit etiam Emerentiana aliam filiam, cui Annæ ſeu Gratiæ nomen dedit, quia verè Gratia, quia ex eius filia Maria proceſſit Ieſus Saluator Mundi.

AD primùm ergò dicendum, quòd etſi Beatiſſima Virgo Maria plurimum eſſet collecta: egrediebatur tamen aliquando, tum ad neceſſaria domus, tum ad opera charitatis & pietatis, vt dum acceſſit ad cognatam ſuam S. Elizabeth itinere plurium dierum, & ad Ciuitatem Ieruſalem pro ſolemnitatibus. Peregrinationes autem Chriſti Domini non omnes recenſentur in Euangelio, ſed ſolùm illæ, in quibus aliquod myſterium fidei fuit declaratum, vel patratum aliquod miraculum; cum autem acceſſit ad Sancti Ioannis monaſterium, eius dignitas & diuinitas fuerunt declaratæ, tam in baptiſmate per vocem Patris & aduentum Spiritus Sancti, quàm aliàs per eundem Sanctum Præcurſorem.

AD Secundum dicendum, quòd ſufficit nobis ad hoc credendum antiqua & conſtans noſtræ Religionis traditio cum authoritate Doctorum quos citauimus, ex quibus aliqui a quinque ſæculis hoc ſcripſerunt: Ioannes autem noſter 44. quamuis hoc expreſsè non dixerit, innuit tamen; nec omnia ad nos attinentia dixit, ſed tantùm certiſſima, & alia ſuppoſuit

AD Tertium dicendum, quòd cauſa vel occaſio huius acceſſus fuit tam veneratio Sancti montis Carmeli, propter Eliam & alios Prophetas eius incolas, quàm inſtructio ad fidem Chriſtianam & ſolatium Carmelitarum religioſorum Eliæ diſcipulorum: qui licet ſolitarij, aduentantes tamen hoſpites deuotos mira ſuſcipiebant charitate præſertim Ieſum & Mariam, quos virtutibus & miraculis inclytos agnoſcebant.

ARTICVLVS II.

Vtrum Carmelitæ fuerint primi, qui Conceptionem Immaculatam Beatæ Virrinis Mariæ celebrauerint ipſis reuelatam.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ non fuerint primi, qui Conceptionem Immaculatam Beatæ Virginis Mariæ celebrauerint. Ita tenent aliqui, qui Scotum Minoritam Doctorem ſubtilem huius celebritatis authorem faciunt. Probatur hæc opinio authoritate Caietani, qui in ſuo tractatu de Conceptione docet Scotum cum ſuis ſequacibus hanc de Conceptione Immaculata opinionem induxiſſe cum timore aliquo cenſuræ: Ergo Carmelitæ non fuerunt primi qui eam celebrarunt.

¶ 2. Præterea: nullum eſt penitùs fundamentum aſſerendi, quòd Carmelitæ fuerint primi, qui Conceptionē Immaculatam Beatæ Virginis Mariæ celebrauerint; non enim conſtat, quod ſit de eo antiqua traditio; nec vllus author antiquus de hoc loquitur, ſolùm Ioannes
44. Ieroſolymorum Antiſtes in ſuo libro de Inſtitutione monachorum docet reuelatum olim fuiſſe Carmelitis ortum Beatiſſimæ Virginis Mariæ futurum eſſe immaculatum, ortus autem ſignificat Natiuitatem, non Conceptionem: Ergo gratis aſſeritur, quòd Carmelitæ fuerint primi, qui Conceptionem Immaculatam Beatæ Virginis Mariæ celebrauerint.

¶ 3. Præterea: Si Carmelitæ fuiſſent primi, qui Conceptionem Immaculatam Beatæ Virginis Mariæ celebrarunt, nunc feſtum illius iam in Eccleſia inclytum cum maiori præ cæteris ſolemnitate celebrarent, velut authores primi huius celebritatis: ſed conſtat Carmelitas non celebrare feſtum Conceptionis cum ea ſolemnitate qua alij, præſertim Fratres Minores, qui ſingulis etiam hebdomadibus de ea recitant: Ergo Carmelitæ non fuerunt primi, qui Conceptionem Immaculatam B. V. Mariæ celebrarunt.

SED CONTRA eſt authoritas plurium Doctorum; etiam externorum, & traditio continuata totius ordinis noſtri.

CONCLVSIO.

Carmelitæ fuerunt primi, qui Conceptionem Immaculatam Beatæ Virginis Mariæ celebrarunt.

RESPONDEO *dicendum*, quòd a temporibus Eliæ noſtri fuit traditio continuata ordinis noſtri de Conceptione Immaculata priùs futura, deinde præterita Beatæ Virginis Mariæ. 2. Cuius feſtiuitatem noſtri Carmelitæ primi celebrarunt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod cum cæteri omnes ab Adamo per ſeminalem propagationem procedentes peccatum originale contrahant, ſola Virgo Deipara ſingulari priuilegio ſibi conceſſo quia Mater *Dei eſt*, illud non contraxit, vt eſt penè communis Catholicorum omnium ſententia, quamuis nulla poſſit cenſura notari iuxta mandatum Pontificis. Vtrum autem Beatiſſima Virgo contraxerit debitum incurrendi peccatum originale, variant Authores, quidam negant incurriſſe, credentes hoc eſſe magis honorificum Virgini: Alij verò affirmant, aſſerentes hac via conciliari authoritatem tam ſacræ

cræ Scripturæ quàm Sanctorum Patrũ, & ita concedunt in hoc ſenſu omnes prædictos Adæ poſteros in Adam peccaſſe, per contractionem huius debiti, & cæteros omnes a Beatiſſima Virgine; inſuper in ſeipſis peccaſſe per actualem contractionem ipſius peccati originalis. Debitum autem peccati originalis aliud eſt extrinſecum & remotũ, aliud intrinſecum & proximum: illud eſt ipſum Adami peccatum quatenus fuit prævaricatio pacti pro ſe & poſteris cũ Deo initi, cuius proinde obligatione mortales omnes tenentur: iſtud autem eſt id quòd ex prædicto peccato ad ipſos Adæ poſteros deſcendit, attingens eos in proprijs ſuppoſitis, & conſtituẽs ſub neceſſitate incurrendi maculam peccati (niſi aliquis diuina gratia ibi & tunc ab incurſu iſto præſeruetur) Vnde hoc debitum intrinſecum & proximum importans neceſſitatem & determinationem incurrendi peccatum originale eſt reatus, ſeu obligatio, ſeu obnoxietas, aut quid ſimile. Hoc debitum afficiens omnes qui in Adam peccauerunt in ſua Conceptione, manet in illis vſque ad inſtans iuſtificationis, & non vltra progreditur, ſed ſtatim penitùs extinguitur. Siue igitur Beatiſſima Virgo Maria fuerit immunis tam ab actuali contractione peccati originalis quàm a debito contrahendi illud, ſiue tantùm fuerit immunis ab actuali contractione dicti peccati, ſequitur quòd eius conceptio fuit, & dicenda eſt Immaculata, quam a pluribus iam ſæculis Sancta Romana Eccleſia vniuerſaliter ſub hoc titulo, celebrat: quærimus igitur authores huius celebritatis, vtrum ſcilicet fuerunt noſtri Carmelitæ.

Probatur prima pars concluſionis ex authoritate noſtri Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani, qui libro de Inſtitutione monachorum cap. 32. exponẽs myſticam illam viſionem Eliæ fundatori Carmelitarum factam, & ſequentibus verbis libro 3. Regum cap. 18. expreſſam; *Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari in Carmelum*, ſic ad intentum noſtrum & ad maximam Sanctiſſimę Virginis gloriam fusè loquitur. *Quid autem Sacramenti rerum futurarum viſio illa intrinſecus contineret, & quod ingis myſterij Deus Elię per eam portenderet, dignatus fuit Elias aperire non palam hominibus, ſed ſecretius conſortibus. A quibus traditum tenemus, Deum ſub figurata viſione reuelaſſe tunc Eliæ quatuor magna myſteria, quæ per ordinem explicabo. Primò quòd quædam infantula naſceretur, quæ ex vtero matris ſua ab omni peccato munda egrederetur. Secundò tempora, in quibus hoc adimpleretur. Tertiò quòd hæc infantula virginitatem perpetuam ad exemplum* Eliæ *amplexaretur. Quartò quòd Deus iungens naturam ſuam humanæ, de Virgine illa homo naſceretur. Per hoc namque quòd ille puer Elię vidit de mari nubeculam paruam oriri, reuelauit Deus Eliæ quòd quãdã infantula, ſcilicet Beata Maria per illam nubeculam ſignificata, & inſtar illius nubeculæ per humilitatem parua naſceretur de humana natura peccatrice deſignata per mare. Quæ infantula iam in ſuo ortu eſſet munda ab omni peccatorum ſorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, ſine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa eſſet originaliter eiuſdem naturæ cum mari; alterius tamen fuit qualitatis, alteriuſque proprietatis: mare quippe ponderoſum eſt & amarum; ſed nubecula illa leuis fuit & dulcis: ſic quamuis in quolibet alio homine natura humana inſtar maris ſit in ſua origine ita amaritudine peccatorum & vitiorum pondere preſſa, vt fateri cogatur; Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me: Beata tamen Maria de hoc mari, id eſt natura humana, aliter fuit orta, quia in ſuo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum; ſed inſtar illius nubeculæ fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem chariſmatum: Ipſa enim in ſuo ortu fuit nubes illa, de qua per Moyſem figuratè eſt ſcriptum: Ecce gloria Domini apparuit in nube.* Hactenus Ioannes noſter. Circa cuius teſtimonium

Digitized by Google

notari debet, quòd non poteſt intelligi de ſola natiuitate externa, quando poſt nouem menſes a conceptione proceſſit ex vtero matris; ſed debet intelligi etiã de natiuitate interna in vtero matris, iuxta illud Matthæi 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* De natiuitate externa intelliguntur illa priora teſtimonij huius verba; *Quòd quadam infantula naſceretur, quæ ex vtero matris ſuæ ab omni peccato munda egrederetur*; Si enim concepta fuit ſine peccato, conſequentèr exterius nata fuit ab omni peccato munda: Poſteriora autem verba hæc, *Quæ infantula iam in ſuo ortu eſſet munda ab omni peccatorum ſorde &c.* vſque in fine intelliguntur euidenter de natiuitate interna, quę eſt prima conceptio prolis, & ſola ipſa poteſt propriè dici ortus de natura humana, quando ſcilicet proles, quæ priùs non erat in ſe, ſed tantùm in virtute generatiua, incipit primò eſſe in ſe ſpecialis perſona a generante diſtincta; tunc enim propriè oritur de natura in cuius maſſa & virtute priùs erat, extra quam incipit eſſe per conceptionem in ſeipſa: maximè, quia Ioannes noſter hunc priuilegiatum ortũ immunem a peccato ſoli Beatæ Virgini concedit, cum tamen ſit de fide quod in ortu externo Ieremias & Sanctus Ioannes Baptiſta nati ſunt mundi a labe peccati; Vnde intelligit hic de ortu interno per conceptionem. Quod totum confirmatur ex ſymbolo nubeculę, quæ ſtatim ac exurgit a mari, & eſt primò in ſeipſa a mari diſtincta, eſt expers grauitatis & amaritudinis.

Probatur ſecundò communi doctrina authorum & veterũ monumentorum ordinis, in quibus hęc traditio manifeſtatur: Sed quia externorum teſtimonia ſunt efficaciora, ſufficiet aliquot graues externos authores adducere. Primus ſit Petrus de Ojeda è Societate Ieſu in informatione Eccleſiaſtica pro Immaculata Virginis Conceptione ſub idiomate Hiſpanico edita in lucem anno 1616. & in Latinum tranſlata ſic ait: *Sed æquum non eſt vltra progredi, quin pro tam inſigni theſauro, qualis eſt antiquiſſima iſta traditio, ſacro Carmelitarum Dei Genitricis ordini gratulemur: inſimul & gratias referamus, quod per tam longa ſæcula eam conſeruauerit, & per Patriarchã Ioannem eiuſdem ordinis alumnum Eccleſiæ Dei communicauerit. Magna quidem gloria huius religioſiſſimæ familiæ exiſtit, quòd in materia Immaculatæ Conceptionis Deiparæ bis mille & quingentorũ annorũ traditione deponere valeat, tot enim ab Eliæ reuelatione tranſierunt.* Hæc author ille. Secundus eſt Ferdinandus Salazar eiuſdem Societatis in ſuo opere de Conceptione cap. 38. num. 11. vbi Ioannis noſtri authoritatem, & ſymbolum nubeculæ expendens adiungit: *Vnum illud addam, quod ille quoque addit, eam de Beatæ Mariæ puritate præſagam & propheticam cognitionem ab Elia, Eliſæo & alijs ſuis diſcipulis manifeſtatam, ab illis porrò ſequentibus perpetua ſucceſſione per manus traditam fuiſſe, donec orta iam Maria, & viſionem reipſa comprobante, ædes ſacra in Carmelo extructa fuit eiuſdem puritatis præclarum monimentum.* Vlteriùs proſequitur contra eos, qui prædictum Ioannem nagant fuiſſe Carmelitam & authorem præfati libri, ſic dicens: *Sed abſit, vt ego gloriam iſtam Carmelitanis Patribus inuideam, vt & dictum Ioannẽ inter ſuos protopatres numerent, & tam nobile tamque antiquum pro Immaculata Virginis Conceptione teſtimonium inter ſuæ Religionis ditiſſimas gazas oſtentent: Vidi certè atque euolui non pauca antiquitatis monumenta, vt in hac controuerſia aliquid certò diffinirem; nihil tamen comper quòd non ſuaderet præmiſſum Ioannẽ Carmelitanum fuiſſe, & dictum de Inſtitutione monachorum librum ab ipſo conſcriptum. Atque adeò hanc ſententiam libentius amplector, & grauiſſimo antiquiſſimoque ordini quæ ſua ſunt lubens reſtituo.* Tertius eſt Hieronymus de Ormachea Eccleſiarum Lucronenſis & Albédenſis Canonicus Magiſtralis, qui exponens verſum 7. capitis 1. Cantici Canticorum numero 29. ſic ait: *Fateor in hac parte me edoctum a doctiſſimo Patriar-*

triarcha Ieroſolymitano Ioanne 44. ex Carmelitana familia, filia quidem Eliæ legitima, ſuum genuinum ortum ducente a primis illis Eliæ & Eliſæi diſcipulis habitantibus in Carmelo; Cui Religioni iure quidem optimo cum Petro de Oieda gratulor, quòd ipſis ſpecialiſſima reuelatio facta fuerit Conceptionis Immaculatæ Beatiſſimæ Mariæ abſque originali peccato: Hæc ſiquidem Religio venerabiliſſima Carmelitarum ſub Elia & Eliſæo fundata primitùs fuit ad hoc myſterium celebrandum Mariæ conceptæ ſine peccato: Et ſic primum templum Mariæ dedicatum ſub hoc titulo a Carmelitanis fuit, & geſtabant veſtes hoc myſterium indicantes, vt poſtea dicemus: Illa autem conſuetudo, quam refert Baconius Carmelita, quòd Eminentiſſimi Cardinales Romæ conueniebant, quaſi capellam facturi ad celebrandum feſtum Conceptionis Immaculatæ in templo familiæ Carmelitanæ ad Sanctam Mariam Tranſpontinam denotabat Religionem hanc eſſe quaſi proprium & natiuum ſolum ac fontem, è quo hoc factum duxit originem.

Probatur ſecunda pars concluſionis ex dictis quantùm ad celebritatem domeſticam Immaculatæ Conceptionis: nam noſtri Carmelitæ filij Eliæ primitiui a Sancto Patriarcha inſtructi de hoc Beatiſſimæ Virginis myſterio, ſicut & de alijs, filiali affectu tantę matris ſibi reuelatæ toto tempore legis antiquæ in Templo Sennion Carmeli illud celebrarunt, quod in primitiua Eccleſia continuarunt maiorum ſuorum traditione moti. Deinde poſt confirmationem ordinis ab Alexandro III. anno Domini 1180. maiori publica ſolemnitate feſtum iſtud venerati ſunt, vt teſtatur noſter Baconius in 4. diſt. 2. q. 4. dicens: *Publica & diuturna conſuetudine celebratum eſt hoc feſtum* (loquitur de Imaculata Conceptione) *in Curia Romana, etiam cum venerabili congregatione Cardinalium, cum ſolemni miſſa & ſermone ſingulis annis in domo fratrum ordinis Beatiſſimæ Marię de monte Carmelo: & hæc durauerunt tempore multorum Pontificum Romanorum vſque ad præſens tempus.* Conſtat autem, quod noſter Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus, qui floruit quarto Chriſti ſæculo, & mentionem facit prędictæ traditionis de Immaculata Conceptione multis ſæculis præceſſit eos, qui poſtmodum hoc myſterium cognouerunt. Similiter Alexander III. præceſſit inſtitutionem Fratrum Minorum, qui nunc feſtum Conceptionis maiori ſolemnitate externa celebrant: Ergò noſtri Carmelitæ feſtiuitatem Immaculatę Conceptionis B. V. Marię omnium primi celebrarunt. Ad maiorem dictorum euidentiam hic curioſum quid & pium ſubiungam, quod anno 1663. ſub finem menſis Aprilis in conuentu Genuenſi noſtrorum Carmelitarum calceatorum collegi in libro manuſcripto ſermonum ſacræ Theologiæ profeſſoris magiſtri Chriſtophori de Fraſſineto Ianuenſis Doctoris Collegij Ianuenſis in ſermone de Conceptione ſcripto anno 1478. die 16. Iunij, vbi inter alia ſic habetur. *Tertium myſterium; notabimus aliqua de ipſa conceptione: Primò quod in concilio Epheſino, quod fuit celebratum anno Domini 428. vbi præſidebat loco Papæ B. Cyrillus Doctor egregius ordinis Fratrum de Carmelo & Patriarcha Alexandrinus, qui diſputans contra Neſteriū de iſta materia ponentem Virginem Mariam peccato originali infectam, & maledicto pænæ mortis obnoxia. contra quæ ipſe B. Cyrillus ſcripſit librum vnum diſtinctum per 14. capita, in quo determinat, & ipſum Neſtorium confutat pluribus rationibus deſtinctis cum prædicto concilio, quod temerarium eſt dicere in ipſa Virgine fuiſſe aliquam maculam* (nota tamen quod illa cenſura temeritatis non fuerit lata expreſſo concilij decreto, quia nuper Alexander VII. authentica bulla prohibuit inferri in contrarium ſentientes de Immaculata Conceptione.) *Et quia ita audacter & ſcientificè pro Virgine Maria diſputauit, fuit in dicto concilio ordinatum, quòd omnes dicti ordinis Carmeli Fratres titulo B. Mariæ inſigniren̄tur: Et dicitur quod fundatores ipſius ordi-*

Digitized by Google

ordinis fuerint, de quibus ipſa B. Virgo deſcendit, & quod de primis conuentibus ipſius ordinis vnus fuit fundatus in porta aurea, in quo ipſa Virgo fuit concepta; & ob hoc ipſa Eccleſia hanc religionem pluribus priuilegijs donauit. 2. Nota quòd Virgo Maria, ſicut Mater Ieſu Chriſti non fuit ſubiecta illi legi communi: Vnde narratur quòd tempore Papæ Honorij erat diſcordia inter Soldanum Babyloniæ & Regem Pulchræ Marinæ pro quadam ciuitate quam prædictus Rex tenebat in præiudiciũ ipſius Soldani, vt ipſe Soldanus dicebat, & durauit ipſa controuerſia per plures hæredes: Rex verò prędictus habito ſaluo conductu venit ad ipſum Soldanum, vt faceret cum ipſo pacem ſub tali pacto quòd ipſe Rex redderet Soldano ciuitatem, & ipſe Soldanus prædicto Regi vnam petitionem exaudiret; quæ quidem petitio talis fuit, quod ipſe Rex cum ſit iuuenis nec dum accepiſſet vxorem, ſi contigeret ipſum de ſua ſponſa filium generare, quòd puer ipſe eſſet ita liber, vt poſſit inſtrui in omni qua vellet lege: cui petitioni Soldanus contracto habito conſilio annuit, & ciuitatem accepit; ipſe verò Rex vxorem accepit, filiumq; genuit, quem in lege Paganorum, Machometanorum educari fecit, poſtea in lege Iudæorum, demum in lege chriſtianorum, in qua per duodecim annos laborauit. Vna die vocauit magiſtrum ſuum, & dixit ei; Nonne dicitur Caſtor quæ ſit melior lex? lex Machometi promittit lac & mel, lex Iudęorum expectat meſſiam, lex Chriſtianorum dat vitam æternam: Vnde Chriſtianis, & procurauit per ipſos ſaluum conductum, & venit ad curiam Romanam ad iſtud feſtum celebrandum, & tunc Cardinalis Præneſtinus venit ad domum Fratrum B. Mariæ de Carmelo, vbi conueniunt Cardinales & Prelati ad iſtud feſtum celebrãdum, & hoc conceſſione Eccleſiæ fit ibidem illa ſolemnitas, quæ vt magis publica appareat, de deuotione cleri & populi dat ibi in ſermone præſentibus Dominus Papa indulgentias, & facit petantias dictis fratribus; & vbicumque eſt Papa, celebratur illud feſtum, & ab operibus ſeruilibus ceſſatur. cum dictus filius Regis Pulchræ Marinæ in ſermone audiuiſſet diſputare de iſta materia, ad aures dixit dicto Cardinali Præneſtino; ſi placet quod in præſentia Domini Papę, vbi ſumus comeſturi in prandio, libenter audiam diſputare de iſta materia, & Papæ Cardinalis illud innotuiſſet, facto prandio propoſita fuit quæſtio, & reſpondens diſputationis cauſa tenuit quod Virgo ſub originali peccato fuit concepta, & cum plures magiſtri arguiſſent, fuit petitũ ab ipſo an vellet arguere, & reſpondit quod ſic, & arguit primò ſic: Pater meus me fecit liberum antequam me genuiſſet, imò antequam cognouiſſet, vt patet per iam dictam reſpouſionem: Sed non dubito, quin fuit perfectior reſpectu ſuæ matris & benignior Chriſtus, quam fuit pater meus reſpectu mei: Ergo matrem ſuam liberam fecit, & preſeruauit. Secundò ſic: In lege Chriſtianorum cantatur; Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: Sed ſi ipſa fuit infecta peccato originali, pro illo propoſitio fuit falſa, & per conſequens Salomon mendax, qui loquitur loco Dei: Ergo lex Chriſtianorumnon valet, ſi habet Deum mendacem. Tertiò ſic: In lege Machometis tenent Saraceni quod mater eius eſt munda & ſancta, quia portauit tan- Prophetam, vnde nullus eſſet auſus dicere maculam iſtam fuiſſe in ea, & ſi quis auderet dicere, dentes eius euellerentur cum martello: modò vos Domini conſtituti religioſi debetis refrenare linguam veſtram, & habere Virginem Mariam pro omnibus dilectam, & nullam in ea ponere maculam, alioquin vana eſt veſtra religio, vel non diligitis Mariam Virginem; Et ſic patet, quòd non eſt ſolum inopinabile inter Chriſtianos, ſed etiam apud Saracenos ipſam Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, quia decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo intelligi non poteſt, Virgo illa niteret. In fine huius ſermonis additur quòd Beatus Anſelmus ex pluribus rationibus tenuit & determinauit, quòd iſtud feſtum eſt maioris ſolemnitatis quàm feſtum Sanctæ Natiuitatis Virginis Mariæ, & inter alias rationes adduxit iſtam; quòd ſi feſtum Natiuitatis B. Marię fuit per Romanam Eccleſiã con-

conſtitutum propter reuelationem factam ſimplici vni perſonæ: ſed plures reuelationes factæ ſunt de iſto feſto, & grauioribus perſonis, nam ſicut ipſe deducit narrans qualiter Albanienſi redeūti de Dacia in maiori periculo, iam fractis funibus remis & velis, & iam in fine vitæ conſtituto apparuit quidem in habitu pontificali vndas repellens, & dicens, *Mariam inuoca, & meritis eius euades, ſi conceptionem eius celebrare per te promiſeris, & celebrandam prædicaueris*; & hac die ſignata pro celebratione & officio, ſuper quo fuit habita promiſſio, ſenex diſparuit, & non modo mare tranquillum apparuit, ſed etiam ipſe cum ſuis ad portum optatum peruenit ſanus. Hoc idem fuit reuelatum conſanguineo Regis Hungariæ, cui in capella oranti Virginem, & dicenti, *Tota pulchra es amica mea*, reſpondit Virgo ex imagine; *Cur ſi tota pulchra ſum, me dimittis, & aliam accipis? in gloria me ſponſam habebis, ſi feſtum meæ conceptionis celebraneris, & celebrandum prædicaueris*, quòd poſtea factus Patriarcha Aquileiæ feſtum celebrauit, & prædicauit celebrandum &c.

AD Primum ergo dicendum, quòd tempore Scoti opinio de immaculata Conceptione fuit exteriùs maiori cum ſtrepitu agitata: & quia plures tum Sacræ Scripturę tum Sanctorum Patrum authoritates videbantur contrarię, & in rigore ſcholaſtico tunç primùm examinabantur: ideò cautiùs & cum timore loquendum erat, quia contraria opinio vigebat in Eccleſia, cuius tamen indulgentia: Conceptionis immaculatæ feſtū noſtri Carmelitæ celebrabant iuxta primitiuam Ordinis traditionem.

AD Secundum dicendum, quod conſtat ex dictis de antiqua illa traditione Conceptionis immaculatæ; maximè in libro citato Ioannis 44. in quo per ortum Virginis Deiparæ intelligitur conceptio eius, & non tantum natiuitas, vt dictum eſt.

AD Tertium dicendum, quòd in celebratione feſti Conceptionis immaculatæ noſtri Carmelitæ maximam adhibent ſolemnitatem, ſicut & in celebratione aliorum feſtorum Beatiſsimæ Virginis: Nam pręter feſtum Aſſumptionis & Commemorationis ſolemnis die 16. Iulij, quod eſt primę Claſsis, cętera penè omnia, & ſpecialitèr feſtum Conceptionis ſub ritu duplicis ſecundæ Claſsis & cum octaua celebrant. Nec probatę concluſioni obſtat, quod alij concepto nouę deuotionis motiuo feſtum hoc ſolemniùs celebrent. Quamuis autem Carmelitæ noſtri non recitent de Conceptione ſingulis hebdomadibus recitant tamen de Beata Maria ſub ritu ſemiduplici: Et quamuis inuiolabilitèr in omnibus alijs Doctrinam D. Thomæ ſequamur, in opinione tamen de Sanctificatione Beatę Virginis, quę contrariari videtur immaculatę eius Conceptioni, non ſequimur.

ARTICVLVS III.

Vtrum conceſſum fuerit a Beatiſsima Virgine Sacrum Scapulare S. Simoni Stoch & toti Carmelitano Ordini?

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd non fuerit conceſſum à Beatiſſima Virgine Sacrum Scapulare S. Simoni Stoch & toti Carmelitano Ordini. Ita tenent aliqui, vel nobilitatis Carmelitanæ religionis æmuli, vel vniuerſalitèr increduli omnium quę non vident & palpant, vel nouitatum amatores, vel habentes ſpiritum contradictionis, vel etiam alij nimium creduli prædictis, & qui alias noſtrarum traditionum notitiam non habent. Probatur: Vſus Scapularis fuit ab initio introductus in Ordine Carmelitano, & conſtat certò de multis ſęculis ante S. Simonem Stoch: nam Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus, qui fuit contemporaneus SS. Hieronymi & Auguſtini, in ſuo libro de Inſtitutione mona-

Digitized by Google

chorum &c. capite vltimò deſcribens litteralitèr ac myſticè habitum Carmelitarum, mentionem facit Scapularis dicens; *Geſtatio ſuperhumeralis ſiue Scapularis ſignificat debere monachū ſub ſuperiori propter Deum obedire, & opera Dei promptè exercere*: Ergo Scapulare non fuit conceſſum à Beatiſſima Virgine S. Simoni Stoch & toti Carmelitano Ordini.

¶ 2. Præterea: Si Scapulare fuit conceſſum à Beatiſſima Virgine S. Simoni Stoch & toti Carmelitano Ordini, vel fuit conceſſum per realem traditionem alicuius Scapularis, vel per ſolam eius indicationem in viſione aliqua: Sed primum dici non poteſt; quia ſi Scapulare aliquod fuiſſet realitèr traditum à Beatiſſima Virgine, S. Simon Stoch, & poſt ipſum Religio Carmelitana quaſi pretioſiſſimū cęli theſaurum illud conſeruaſſet, & tamen non comparet, nec ſcitur quo deuenerit: ſecundum autem non debet admitti, quia viſiones huiuſmodi ſunt ſuſpectæ: Ergo Scapulare non fuit conceſſum à Beatiſſima Virgine S.Simoni Stoch & toti Carmelitano Ordini.

¶ 3. Præterea: Authores Carmelitæ differunt inter ſe circa conceſſionē Scapularis à Beatiſsima Virgine factam S. Simoni Stoch & toti Carmelitano Ordini: nam aliqui docent fuiſſe per realem alicuius Scapularis traditionem, alij verò dicunt fuiſſe tantùm per indicationem in viſione imaginaria: ſed hæc authorum differentia manifeſtè demonſtrat non eſſe ſolidum prætenſæ conceſſionis fundamentum, imò totum eſſe ſuſpectum. Ergo non poteſt dici cum fundamento quòd conceſſum fuerit a Beatiſſima Virgine Scapulare S.Simoni Stoch & toti Carmelitano Ordini.

SED CONTRA eſt expreſſa Summorum Pontificum authoritas, pia totius Orbis Chriſtiani ſententia, vniuerſalis & continuata religionis Carmelitanæ traditio, ac Diuina miraculorum confirmatio.

CONCLVSIO.

Cum Sacrum Scapulare innumeris refulgeat miraculis, verè fuit conceſſum à Beatiſsima Virgine S. Simoni Stoch & toti Carmelitano Ordini.

RESPONDEO dicendum, quòd verè conceſſum fuit à Beatiſsima Virgine Sacrum Scapulare S.Simoni Stoch, & toti Carmelitano Ordini. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd S.Simon Stoch fuit vir inſignis, nobilibus ortus parentibus, imò ſecundum aliquos regio procreatus Anglorum ſanguine, duodecimo ætatis anno dicitur cauſa deuotionis & pœnitentiæ in ſolitudinem receſsiſſe, vbi reperto magnæ arboris trūco interiùs concauo ſuam ibi manſionem elegit, vnde fuit denominatus *Stoch*, quòd Anglicè idem ſignificat ac Latinè truncus arboris. In hoc anguſto & vili habitaculo protectus, vtcumque ab iniurijs temporum latens, primùm agreſtibus herbis & radicibus; deinde fructibus obuijs, denique canum panem deferentium obſequio ſuſtentatur, ibique cęleſtium contemplatione, ac frequenti Beatiſsimæ Virginis, Angelorum Sanctorumque apparitioni ac familiari viſitatione recreatur, imò quandoque oblatis a Deipara Virgine dapibus fruitur. Audito noſtrorum Patrum è Carmelo in Angliam aduentu (quem priùs reuelatione didicerat futurum) illos adit, & ſuis precibus inſtantiſsimis meruit in religionem admitti, vbi poſtea propter talenta fuit Generalis electus, qua in dignitate in Concilio Lugdunenſi facta pro ſedandis Eccleſiæ tumultibus mirabili concione, cæteriſque geſtis plurimum enituit. Fuit Beatiſsimæ Virgini deuotiſsimus, & tempore perſecutionū Ordinis noſtri ad ipſam recurrebat, & & inter alias orationes deuotas hanc à ſe compoſitam recitabat.

Flos Carmeli, vitis florigera,
Splendor cæli, Virgo puerpera,

Sin-

Digitized by Google

Singularis.
Mater mitis, ſed viri neſcia,
Carmelitis da priuilegia
Stella maris.

Cùm ad vltimam ſenectutem perueniſſet, anno Domini 1265. in ciuitate Burdegalenſi, plenus meritis ac fauoribus Diuinis, Deo Creatori ac Beatæ Virgini matri dilectiſsimæ ſpiritum reddidit, quem ab ipſa Virgine immaculata præſentati Sanctiſsimæ Trinitati viderunt plures conuentus noſtri religioſi;& tunc infirmi, præſertim duo paralytici meritis eius curati ſunt. Viuus & mortuus miraculis claruit: Adhuc viuens aquam conuertit in vinum, quam ei celebraturo dæmon in vrceolo poſuerat;& piſces aſſos in teſtimonium veritatis natare fecit: Poſt mortem verò mortuam mulierem ſuſcitauit; Priorem conuentus deſperatum a medicis voto facto priſtinæ reſtituit ſanitati; & hæreticum pictorem, qui per riſum Sancti effigiem in capſa pingebat, paralyticum factum,ſed facti pœnitentem abiurantemque hæreſim, ad ſepulchrum ac pedes Sancti aduolutum, membris ſanum & integrũ reddidit: Tandem per tres noctes continuas inter Fratres matutinum recitantes glorioſus apparuit. Hæc pauca de ipſo dicta ſunt, vt videatur fundamentum tam ſingularis priuilegij à Beatiſsima Virgine ipſi totique Ordini noſtro conceſsi in traditione Sacri Scapularis.

Probatur concluſio authoritate Summorum Pontificum, qui ſuis diplomatibus huiuſmodi conceſsionem confirmarunt:quorum primus fuit Ioannes XXII. in bulla, quam vocamus *Sabbathinam*, articulo ſequenti referenda: Plures alij Pontifices confraternitatem Sacri Scapularis confirmarunt, eique plurimas conceſſerunt indulgentias: Ac tandem in ſecunda lectione ſecundi nocturni officij Commemorationis ſolemnis Beatiſſimæ Virginis Mariꝫ de monte Carmelo priuilegium hoc ſequentibus verbis à Sacra Rituum Congregatione approbatis refertur: *Nec verò nomenclaturam tantùm munificentiſsima Virgo tribuit & tutelam, verùm & inſigne Sacri Scapularis, quod Beato Simoni Anglico præbuit, vt cœleſti hac veſte ordo dignoſceretur, & a malis ingruentibus protegeretur.*

Probatur ſecundò pia totius Orbis Chriſtiani ſententia: Nam in omni regione floret confraternitas Sacri Scapularis; in qua non ſolùm ſcribuntur homines ordinarij, ſed etiam Summi Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, ac viri doctiſsimi tum regulares tum ſęculares, qui non poſſunt nimiæ credulitatis notari.

Probatur tertiò vniuerſali & continuata noſtræ Religionis Carmelitanæ traditione, quę ſine dubio eſt maximę authoritatis; Traditur enim quòd anno ſalutis 1261. Pontificatus Vrbani IV. anno 1. & Generalatus S. Simoni Stoch 46. quatuor annis antequam è viuis decederet, ſuper liberalis Virgo Dei mater, Angelicis comitata choris, ſuauiſſimo coruſcans ſplendore, Londini prædicto apparens Sancto, ſacrumque tradens Scapulare, ſic peramanter ipſum alloquitur. *Dilectiſsime Fili hoc recipe Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis ſignum, tibi & cunctis Carmelitis priuilegium; in quo quis moriens non æternum patietur incendium; Ecce ſignum ſalutis ſalus in periculis, fœdus pacis & pacti ſempiterni.*

Probatur quartò Diuina miraculorum confirmatione, quę ſunt penè innumera & prodigioſa: ſufficit primùm adducere, quòd in principio conceſsionis accidit S. Simoni Stoch, & fortè medio ipſomet Scapulare ipſi a Beatiſsima Virgine tradito. Cum ipſe Vvintoniam pergeret, acceſsit ad eum Petrus de Lhynthonia Decanus, vt germanum ſuum adiuuaret, qui ſceleſtiſsimus fuerat, & iam morti propinquus erat & deſperatus, nec confiteri volebat: inuenit ergo eum dentibus ſtridentem, ſpumoſum, oculos rotantem tanquam canem rabioſum; Cumque videretur mori, nec haberet vſum ſenſuum corporis, B. Simon facto crucis ſigno, & iniecto habitu ſuper languentem,eleuatis oculis pe-

Digitized by Google

tebat inducias à Deo, vt pretium fieret Chriſti, non autem prȩda diaboli; Et repente ægrotus qui moriebatur, reſumptis viribus, bono ſenſu & loquela, ſignando ſe ſigno ſalutari, obiurgabat dȩmones, & cum queſtu lachrymabili dicebat; *Heu me miſerum, quantus mihi tremor damnationis æternæ! iniquitates meæ creuerunt ſuper numerum arenæ maris, miſerere mei Deus, cuius miſericordia ſuperexaltat iuſtitiam*; *Pater adiuua me, volo confiteri*: Poſt confeſsionem publice renuntiauit diabolicis pactis, & recepit Sacramenta Eccleſiȩ, edendo ſigna magna pœnitentiȩ fecit teſtamentum, malè ablata reſtituit, iniurias omnes reparauit, & pacificè animam exhalauit, quȩ fratri ſuo apparuit hȩſitanti de ſalute eius, & dicebat ſecum benè agi per potentiſsimam Reginam Cœlorum, & per habitum Sanctum: Vnde prȩdictus Decanus conuentum nobis Vvintoniȩ fundauit, & propter famam multi etiam & habitum ſumpſerunt, & conuentus fundauerunt.

Probatur quintò plurium Authorum teſtimonio, qui de hac materia ſcripſerunt: nunc ſufficit P. Ioannes de Carthagena Minorita, qui libro 17. homilia 2. ſic loquitur: *Arbitror ſanè ſacro Ordini Carmelitarum perſimile quidpiam atque* Patriarchæ *Ioſepho accidiſſe; etenim ſicut Iacob patre eius tunicam polymitam ei ſoli præ cæteris alijs fratribus ſuis donante in pignus ſingularis amoris, quo illum proſequebatur, inuidiæ liuore ſocij eius fratres aduersùs eum excandeſcere cȩperunt; ſic enim ait ſacer textus Geneſis 37. Videntes autem fratres eius, quòd a patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidpiam pacificè loqui: Non diſſimiliter, cum Sanctiſsima Virgo in argumentum ſpecialis dilectionis, qua erga Carmeliticum Ordinem æſtuabat, tunicam polymitam Scapularis dono dederit Beato Simoni Stoch Anglo Carmelitici Ordinis Priori Generali, vt in eius officio legitur, & tradunt Palæonydorus libro 3. cap. 12. Ioannes Fauent. & Philippus Macerus in* Vita S. Petri *Thomæ: Quidam huius fauoris inuidi, vel veritatis ignari non poſſunt huic Sacro Ordini, inſtar fratrum Ioſeph, quidquam pacificè loqui: Cæterum apertiſsimè ipſos deceptos fuiſſe, quãtum præſentis argumenti conditio patitur, luculenter commonſtrabo; Quia tamen inter omnes oppugnantes acrius* Hieronymus *Romanus in ſuo defenſorio aduersùs hunc ſacrum Ordinem inuehitur, & quia præ intemperata cupiditate illum expugnandi nullum lapidem immotum reliquit, quo illum non impeteret, eius præcipuè deliria manifeſtè aperiam, deinde aliorum obiecta diluam*. Hȩc Carthagena pius veritatis amator.

AD Primùm ergo dicendum, quòd illud ſuperhumerale, ſeu Scapulare, de quo loquitur Ioannes 44. erat veſtis ſine manicis vſque ad renes deſcendens, in vtroque latere aperta: non quidem pretioſa, qua ſummus Sacerdos vtebatur, nec linea dicta Ephod, qua Sacerdotes inferiores, vel etiam ſȩculares vtebantur ad canendas laudes diuinas; ſed lanea aſpera: Hec autem breuius Scapulare in aliud prolixius Ordo Carmelitanus mutauit, ſimile illi quod a Beatiſsima Virgine S. Simoni Stoch traditum fuerat, & quod nunc geſtat.

AD Secundum dicendum, quòd vtrumque dici poteſt: probabilius tamen eſt, quòd Beata Virgo realitèr Scapulare tradidit, Angelicis manibus efformatum, quòd poſtea tanquam inſignis theſaurus Ordini conceſſus, in Sacrario fuit repoſitus in Anglia; in cuius reuolutione generali & hȩreſi, & in vniuerſali prouinciȩ noſtræ Anglicanȩ deſtructione perijt cum alijs Sanctorum reliquijs, ac pluribus religionis noſtrȩ venerabilibus monumentis; ad ipſam namque, velut inclytam & prȩcipuam in Europa, B. Alanus ex Carmelo veniens, & ſucceſſor eius S. Simon Stoch nationalis illius: plurima & rara antiquitatis, & Ordinis monumenta detulerunt in Archiuijs conſeruanda, quorũ plurimi non potuerunt repentinam exorti ſchiſmatis rabiem vitare.

AD Tertium dicendum, quòd quia vtrum-

Digitized by Google

vtrumque eſt probabile, licet primum ſit probabilius, poſſunt differre in hoc authores Carmelitę, abſque pręiudicio veritatis dicti priuilegij: quia Beatiſſimæ Virginis apparitio eſt adductis ſolidiſsimis fundamentis ſtabilita, de qua plures etiam cōtemporanei ſcripſerunt. Notandum tamen eſt circa hęc verba priuilegij, *In quo quis moriens non aeternum patietur incendium*; non ita eſſe accipienda, quaſi non requirantur bona opera ad conſequendam vitam æternā, imò ſunt omnino neceſſaria ſed ſic intelligenda ſunt, quod Deipara Virgo intuitu Sacri Scapularis obtinet exercitium bonorum operum, & pretioſam mortem, ijs qui illud piè geſtauerunt.

ARTICVLVS IV.

Vtrum verè conceſſum fuerit a Beatiſſima Virgine priuilegium Bullæ Sabbatinæ Ordini Carmelitano?

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd nō verè conceſſum fuerit à Beatiſſima Virgine priuilegium Bullæ Sabbatinæ Ordini Carmelitano. Ita tenuit Ioannes Launeus Conſtantięſis in Normannia Galliæ prouincia: non mirum: quòd hic author contra Sacrum Ordinis noſtri Scapulare ac priuilegia cælitus ipſi conceſſa ſcripſerit, cum ex profeſſo ſacras hiſtorias & antiquas traditiones multas impugnauerit, vt tranſlationis ſacræ domus Lauretanæ, aduentus S. Marię Magdalenæ cum ſocijs in Galliam, Apoſtolatus S. Dionyſij Areopagitæ in eadem Gallia, aduentus S. Iacobi maioris in Hiſpaniam, Stigmatum S. Franciſci, & plures alias: Et quia fundamentum ſtabile prædicti priuilegij eſt bulla Sabbatina, quam Ioannes XXII. edidit, contra eius veritatem multipliciter arguit. Primò: *Citata Ioannis Bulla hoc habet initium*; *Cum duobus &c.* quale non inuenitur in toto Bullario. Itē dicitur *data die 3. Martij*, cum tamen omnes bullæ Ioannis conſignentur *Kalendis, Nonis, & Idibus*: Et potius vſus fuiſſet nomine *Feriæ quartæ quam diei Mercurij*. Item habetur in ea verbum *irritare*: Cum tamen communiter Pontifices vtātur verbo *infringere*: quæ omnia produnt hanc bullam non eſſe veram & legitimam, ſed fictam & adulterinam.

¶ 2. Pręterea: Diſcrepant authores Carmelitæ, qui eam referunt, in multis, vt videre eſt in exemplaribus, quę referunt Marcus Antonius de Caſanate, & Gregorius Nazianzenus a S. Baſilio. Deinde ipſe Gregorius dicit bullam fuiſſe datam anno primo pontificatus Ioannis, & Caſanàte anno ſexto. Item Gregorius & Caſanate dicunt viſionem Beatiſsimę Virginis Ioanni factam, quę eſt fundamentum huius bullę, contigiſſe dum eſſet Pontifex, Paleonydorus autem refert contigiſſe ante pontificatum eius: Ergo aliquis ipſorum eſt impoſtor, & conſequentèr infertur, quòd huiuſmodi bulla eſt ſuppoſititia, & quod primi fabulatores pro libito appoſuerunt quidquid voluerunt; maximè quia in vno tranſumpto anni 1430 Notarij & Iudices teſtantur ſe vidiſſe bullas Ioannis XXII. & Alexandri V. in alio verò tranſumpto anni 1421. fit ſolùm mentio bullę Alexandri IV. loco Alexandri V. Imò nimia cautio & affectatio vtriuſque tranſumpti inducit ſuſpicionem falſitatis.

¶ 3. Preterea: Multa ſequuntur inconuenientia ex admiſsione huiuſmodi bullæ. Primùm, quòd ineptè, imò falsò loqueretur Beatiſsima Virgo; Ineptè quidem dicens Ioanni; *Te Chriſtianorum Vicarium faciam*, conſtat autem quod Pontifex non eſt Vicarius Chriſtianorum ſed Chriſti: falsò autem, promittens ipſi ſe erepturam ab aduerſario, ſcilicet Ludouico Bauaro Imperatore, & tamen non eripuit. Secundum, quòd Carmelitę meritò damnandi forent incurię ac negligentiæ, quia non conſeruaſſent dictam bullam, in qua tam ſingula-

gulare priuilegium Ordinis contineretur, non enim comparet Auenione vbi data fuit, nec alibi: quę tamen incuria præſumi non poteſt. Tertium, quòd Ioannes Pontifex parum prudentèr in ſua defenſione contra Ludouicum Bauarum & Nicolaum Antipapam proceſſiſſet, non producens hanc bullam continentem dictum Beatiſsimę Virginis, quo aſſerebatur ipſum eſſe verum Papam, nihil enim fuiſſet validius in fauorem ſuæ cauſę. Quartum, quòd Ioannes fuiſſet nimium obſtinatus & culpabilis dubitans vtrum animę, quę poſt mortem nihil habent purgandum, ſtatim in cœlum abirent, cum Beatiſsima Virgo id ei declaraſſet per hæc verba, *Eos in montem ſanctum vitæ æternæ reducam:* Ergo huiuſmodi bulla Sabbatina non debet admitti. Maximè quia Scriptores omnes, ſiue antiqui, ſiue moderni bullam illam potiùs ſpreuerunt, quam non viderunt: Et tam nobile priuilegium non fuit tunc celebratum, quādo bulla illa dicitur data, & per manus authorum diuulgata.

SED CONTRA eſt vniuerſalis traditio Ordinis, & communis doctrina Authorum noſtrorum, ac plurium externorum: Imò authoritas Summorum Pontificum & Sacrę Congregationis Rituum. Hanc veritatem ex profeſſo defenderunt libris ad hoc compoſitis Noſter Thomas Aquinas a Sancto Ioſeph, Ioannes Cheron Carmelita, & Theophilus Reginaldus è Societate Ieſu.

CONCLVSIO.

Cum in noſtro Ordine Carmelitano ſit confraternitas Sacri Scapularis, in qua celebratur priuilegium Bullæ Sabbatinæ ex conceſsione Summi Pontificis, & Sacræ Rituum congregationis: ſequitur tale priuilegium fuiſse a Beatiſsima Virgine conceſsum Ordini Carmelitano.

RESPONDEO dicendum, quod verè cooceſſum fuit à Beatiſsima Virgine priuilegium Bullę Sabbatinę Ordini Carmelitano: Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, hoc priuilegium comprehendi in his Bullę Sabbatinę verbis; *Fratres profeſsi dicti Ordinis ſupplicio ſoluantur & culpa die quo ab ipſo ſæculo recedunt, properatoque gradu accelerant ad purgatorium; Ego mater gratiosè deſcendam ſabbato poſt eorum obitum, & quot inueniam in purgatorio liberabo, & eos in montem ſanctum vitæ æternæ reducam.*

Probatur concluſio authoritate Summorum Pontificum & Sacrę Rituum Gongregationis, qui iam ab aliquot ſęculis Ordini Carmelitano conceſſerunt huiuſmodi priuilegium celebrare, etiam in officio Diuino commemorationis ſolemnis Beatiſsimæ Virginis Marię de monte Carmelo die 16. Iulij, vbi ſic habetur; *Non in hoc tantùm ſæculo ordinem ſibi tam acceptum multis prærogatiuis Beatiſsima Virgo inſigniuit, verùm & in alio (cum vbique & potentia & miſericordia plurimum valeat) filios in Scapularis ſocietatem relatos, qui abſtinentiam modicam, preceſque paucas eis præſcriptas frequentarunt, ac pro ſui ſtatus ratione caſtitatem coluerunt, materno planè affectu; dum igne purgatorio expiantur, ſolari ac in cæleſtem patriam obtentu ſuo quantocyus piè creditur efferre.* Hęc fuerunt decreta tum authoritate Pauli V. tum prędictæ Sacrę Congregationis, & in decreto fit mentio liberationis à purgatorio præcipuè in die Sabbati. Quamuis autem plures contra hoc priuilegium inſurre-

xerint

Digitized by Google

xerint, ſemper illud protexit Beata Virgo quę conceſsit, etiam aliquando cum morte æmulorum.

Probatur ſecundo ex quodam transſlato authentico, quod ego vidi in Archiuio noſtrorum Patrum Carmelitarũ de Obſeruantia Genuenſium, & fideliter deſcripſi, & hic de verbo ad verbum appono, & eſt tenoris ſequentis.

In Nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quatricenteſimo triceſimo die 6. Auguſti octauæ indictionis, Regnante Sereniſſimo & Illuſtriſſimo Principi & Domino noſtro Rege Alphonſo, Dei gratia Inclyto Rege Aragonum & Siciliæ, ac Ducatuũ Athenarum & Neopatrię Duce &c. Regiminis vero eiuſdem anno quintodecimo feliciter. Amen. Nos Matthæus de Monte-Leone Iudex Ciuitatis Aggrigenti, Nicolaus de Vrſone de eadem ciuitate in omnibus ciuitatibus terris & locis vallis Mazariæ eiuſdem regni Sicilię regia authoritate publicus Notarius atque Iudex ordinarius, & teſtes ſubſcripti, ad hoc vocati ſpecialiter, & rogati præſenti ſumpto publico, notum facimus & teſtamur, quòd ad noſtram accedens pręſentiam Reuerendus Magiſter Gerardus de Trapano Ordinis Sanctæ Mariæ de monte Carmeli, & Sacræ Paginæ digniſſimus profeſſor, ac totius Inſulæ Siciliæ eiuſdem Ordinis Prouincialis oſtendit nobis, nec non & Reuerendo Domino D. Laurentio Dei, & Apoſtalicę Sedis gratia Epiſcopo Agrigentino, & publicè legi fecit quoddam publicum inſtrumentum, tranſumptũ à Sacratiſsimis Papalibus Bullis ſumptum & actum Maioricæ per manus Pauli de Rubengerio de Placentia, imperiali authoritate Notarij, & Iudicis ordinarij, omnique iuris ſoliditatę munitum; quod quidem Inſtrumentum, vidimus, legimus, & diligenter inſpeximus omni vitio, & ſuſpitione carens, continentiæ infraſcriptæ; & oportet eundem Reuerendum Magiſtrum Gerardum Prouincialem, tam pro ſe, quã pro vnoquoque conuentu dicti Ordinis in Regno Siciliæ in formã publicam redactum habere, quod ſibi perutile, & neceſſarium fore aſſerit, ad fidem, ex eo apud omnes, & ſingulos faciendam, & tam ſui, quam dicti Ordinis cautelam, rogauit noſtrum, qui ſupra Iudicis, & Notarij officium publicum implorando, vt tranſſumptum à prædicto Originalis tranſumpto, per nos fideliter aſſumendum ad fidem indubitatam, exinde impoſterum fiendam, & tam dicto Reuerendo Prouinciali, quam ſuo Ordini cautelam in formam publicam per manus mei Notarij redigere, & tranſcribere deberemus, cuius itaque pręcibus iuſtis, vtpotè & rationi conſonis per nos admiſſis, maximè iuſta petentibus, Iudicialis aſſenſus non ſit aliqualiter denegandus, quia ſupra dictum publicum Inſtrumentum tranſumptum à prædictis ſacratiſſimis Bullis Papalibus, vt prædicitur, ſumptum, Legimus & inſpeximus diligenter, ac vidimus ipsũ non abolitum, nec abratum non cancellatum; nec in aliqua parte ſui vitiatum aliquid continere & omni vitio, & ſuſpicione carere: ac in ſua prima & propria figura exiſtere, ipſum tranſſumptum à prędicto originali per nos fidelitèr aſſumpto, iudiciaria authoritate interpoſita, nihil per nos in eo addito, vel mutato, ſeu de eo aliquatenus diminuto, & ſeriatim de verbo ad verbum vt continetur in eo præfato Reuerendo Prouinciali & ſuo Ordini per eam prædicto in præſentem formam publicam per manus mei Notarij ſupradictum, redactum extitit paritèr & exemplatum, quod erat per omnia tenoris & continentiæ ſubſequentis.

In Nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti Amen.

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quatercenteſimo vigeſimo primo, menſe Ianuarij die ſecundo eiuſdem menſis, decima quinta indictione Regnante Excellentiſſimo, & Sereniſſimo Domino N. Rege Alphonſo Dei gratia inclyto Rege Aragonum, & Siciliæ, Valentiæ Maioricarum, Sardiniæ, Corſicæ, comite Barcinoniæ Duce Athenarum, & Neopatrię, ac etiam comite Roſſilonis, & Seritaniæ regiminis vero eius anno ſexto feliciter Amen. Nos Petrus de Terranoua Iudex, Paulus de Rubengio de Placentia imperiali authoritate vbique, &

Regiæ

Regiæ totius inſulæ Maioricarum Iudex ordinarius, ac Notarius publicus & teſtes ſubſcripti ad hoc vocati ſpecialitèr, & rogati præſenti ſcripto proprio notum facimus, & teſtamur quod ad noſtram accedens præſentiam Venerab. Fr. Hildelphonſus *de Therano de* Regno *Angliæ* Prior *Conuentus* Captanenſis, *vel* Capunienſis *Ordinis* S. *Mariæ de monte* Carmeli, *nobis præſentauit, & publicè legi fecit quandam Bullam* Papalem *Felic. record. Alexandri* Papæ *IV. ceu Alexan. V. impetratam per dictum Ordinem, quam vidimus, legimus, & inſpeximus diligentèr, tenoris, & continentiæ ſubſequentis.* Petijtque *a nobis Venerabilis* Prior *noſtrum, qui ſuprà Iudicis, & Notarij in hac parte officium implorando, vt ipſam Bullam in formam publicam ad cautelam dicti Ordinis, cuius intereſt, & intereſſe poterat in futurum redigere, & exemplare deberemus.*

Nos autem attendentes petitionem dicti exponentis, tanquam ſanæ & iuſtæ rationis, quia iuſtè petentium, non eſt denegandus aſſenſus, dictam bullam, cum bulla plombea pendentem prout iacet, nihil per nos acto, nec mutato, ſeù etiam diminuto, quod ſenſum mutet, augeat, vel variet intellectũ in præſentem formam publicam & ſumptũ publicum duximus fiducialitèr redigendũ, vt tanta fides adhibeatur huic publico ſumpto, quanta adhiberi poſſit origiuali bullæ prædictæ, cuius bullæ tenor per omnia talis eſt.

Alexander Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, Vniuerſis, & ſingulis Chriſtifidelibus, tam præſentibus, quam futuris præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem: Tenore cuiuſdam priuilegij à Felici *recordatione* Ioan. *Viceſimi ſecundi prædeceſſoris noſtri, Dilectis filijs* Priori Generali *& Fratribus, & Dilectis in* Chriſto *filiabus ſororibus, confratribus, & confratriæ fratrum dicti ordinis* Carmelitarum *conceſſi per nos viſi, & diligentèr inſpecti, de dicto originali ſumpto, vt de ipſo impoſterum certitudo plenior habeatur præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt.*

Ioannes Epiſcopus *Seruus Seruorum* Dei *Vniuerſis, & ſingulis* Chriſti *fidelibus &c. vt prædictum eſt.* Sacratiſſimo *vti culmine* Paradiſi *Ange lorum tam ſuauis, & dulcis reperitur melodia, modulamine viſionis dũ Ieſus paterno nutu admiratur circũſpicitur ad humanitatẽ dicendo. Ego &* Pater *vnũ ſumus, & qui videt me, & meum videt* Patrem, *& Angelorum non deſtitit Chorus dicere* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *ita* Synodus *non ceſſat laudes effundere Celſæ Virgini dicendo Virgo, Virgo, Virgo: Sis ſpeculum noſtrum, paritèr & exemplum quoniam munere munitur gratiarum, ſicut* S. *cantat* Eccleſia *Maria gratia plena, & mater Miſericordiæ, & ſic iſte, ille mons reputatur de* Carmelo *Ordinem cantibus extollendo, & hanc gratiarum genitricem commendando, & dicendo Salue Regina Mater Miſericordia, & ſpes noſtra; ſic mihi flexis genibus ſupplicanti, Virgo viſa fuit Carmelita, ſequentem affata ſermonẽ. O Ioannes, ò Ioannes Vicarie mei dilecti filij, veluti à tuo te eripiam aduerſario, te* Papam *facio; ſolemni* Dono *Vicarium meis coadiuuantibus ſupplicationibus, dulciſſimo meo filio petens, quod gratioſè obtinui. Iſi gratiam amplam meo ſancto, ac deum* Carmelitarum *Ordini confirmationem debeas præconcedere per* Eliam, *& Eliſeum in monte* Carmeli *inchoato, quod vnuſquiſque profeſſionem faciens regulam à meo ſeruo Alberto* Patriarcha *ordinatam obſeruabit, & inuiolabiliter obtinebit, & per meum dilectum filium Innocentium approbatam, & veri mei filij Vicarium debeat in terris aſſentire, quod in cælis meus ſtatuit ſemel, & ordinauit filius, quod qui in S. perſeuerauerit obedientia, paupertate, & caſtitate, vel qui Sanctum intrabit ordinem ſaluabitur, & ſi alij deuotionis cauſa in Sanctam ingrediantur Religionẽ, Sancti habitus ſignum ferentes, appellantes ſe confratres, & conſorores mei ordinis prænominati, liberentur & abſoluantur à tertia eorum peccatorum portione, à die quo præfatum Ordinem intrabunt, caſtitatem ſi vidua eſt promittendo, Virginitatem ſi eſt Virgo, fidem præſtando ſi coniugata, inuiolati conſeruationem matrimonij adhibendo, vt Sancta Mater imperat*

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia: Fratres profeſſi dicti Ordinis ſupplicio ſoluantur & culpa, die quo ab ipſo ſeculo recedunt properatoque gradu accelerant Purgatorium. Ego Mater gratioſa deſcendam Sabbatho poſt eorum obitum, & quot inueniam in Purgatorio liberabo, & eos in montē Sanctū vitæ æternæ reducam, Verum quod iſti Confratres, & conſorores teneantur horas dicere canonicales, vt opus fuerit ſecundum Regulam datam ab Alberto; Illi qui ignari ſunt, debeant vitam ieiunam ducere in diebus quos ſacra iubet Eccleſia, niſi neceſſitatis cauſa alicui eſſent traditi impedimento. Mercurio, & Sabbatho debeant ſe à carnibus abſtinere, præterquam in mei filij Natiuitate, Et hoc dicto euanuit hæc Sancta Virgo. Iſtam ergo Sanctam indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, ſicut propter merita Virginis Matris gratioſè Ieſus Chriſtus conceſſit in Cælis nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ indulgentiæ, ſeu ſtatuti, & ordinationis irritare, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe nouerit incurſurum. Data Auenione vel Lugduni, vt Rodericus legit 3. die Martij Pontificatus noſtri ann. 6. Nulli ergo &c. vt prædictum eſt.

Datum Romæ 7. Decembris apud Sanctam Mariam Maiorem, Pontificatus noſtri anno 1. Vnde ad futuram memoriam, & dicti ordinis certitudinem & cautelam præſens publicum ſumptum. Exindè factum eſt per me prædictum Notarium, meoque ſolito ſigno ſignatum noſtrumque Iudicis, & ſubſcriptorum teſtium ſubſcriptionibus roboratum, actum Maioricæ anno menſe, die & indict. præmiſſis.

Ego Petrus de Terra noua, qui ſupra imperiali authoritate vbique, & regia totius Inſulæ Maioricarum Iudex ordinarius atque Notarius publicus præmiſſa omnia Rogatus ſcripſi, meoque ſolito ſigno obſignaui R.

Ego Paulus de Rubengerio de Placentia qui ſupra Iudex me teſtor.

Ego Dominus Alphonſius de Maiorica prædictam originalem Bullam vidi & legi, & me ſubſcripſi.

Ego Dominus Andreas Deſpoculi prædictam originalem Bullam vidi & legi, & me teſtor.

Ego Dominus Philippus de Acta vt ſupra.

Ego Dominus Philippus de Tertio vt ſuprà me ſubſcripſi.

Vnde ad futuram rei memoriam, & tam fidem indubitatam, & plenariam apud omnes, & ſingulos impoſterum faciendam, quam eiuſdem Prouincialis, ſeù ordinis cautelam præſens publicum ſumptum publicationis prædicti tranſumpti ab eodem originali tranſumpto, vt prædicitur ſumptum, dictus Rodericus Prouincialis exinde fieri rogauit, quod factum eſt per manus mei Notarij prædicti ſigno meo ſolito ſignatum; Subſcriptione noſtrum, qui ſuperius Iudicis, ac Notarij, ac ſubſcriptorum Teſtiū ſubſcriptionibus, & teſtimonio roboratum. Et quia Reuerendus Pater & Dominus D. Laurentius Diuina miſeratione Agrigentinus Epiſcopus prædictum originale tranſumptum ex Bullis Apoſtolicis ſumptū vidit, legit, auſcultauit diligentius; idcircò ad petitionem dicti Prouincialis hoc tranſumptum publicum fecit ſui ſigilli appenſione muniri. Actum Agrigenti Anno menſe die, & indict. præmiſſis.

Ego Matthæus de Monte Leone, qui ſupra Iudex teſtor.

Ego Notarius Saluator de Placa prædictum ſumptum ſumpſi ex prædictis originalibus Bullis Papalibus ſumptum vidi, legi, & quia cum prædictis concordare inueni; me teſtor.

Ego Not. Antonius de Pariſio teſtor, vt proximus.

Ego Nicolaus Lucas de Opatareo teſtor, vt proximus.

Ego Notarius Philippus de Peralia teſtor vt proximus.

Nicolaus de Vrſone, qui ſupra Regia authoritate in omnibus Ciuitatibus Terris, & Locis Vallis Mazariæ Regni Siciliæ præſens publicum ſumptum ſumpſi ex prædictis Originalibus Bullis Papalibus ſumptum ad petitionem ſupradicti Reuerendi Pro-

Digitized by Google

Prouincialis Rogatus ſcripſi tranſumptum meoque ſolito ſigno ſignaui & teſtor.

Vidi in eodem Archiuio aliud tranſumptum authenticum ex adducto deſſumptum ſub ijſdem omninò verbis, & teſtificatum poſt decem annos ſcilicet ann. 1440. indict. 3. die 19. menſis Ianuarij. Factum Baſtinianæ per Martinũ de Pætaſinis notarium publicum ad inſtantiam Venerab. & prudentis religioſi Domini Fratris Ioannis de Belengis dicti ordinis, & authenticatum ab Antonio Pignario Notario coram ſpectabili, & Egregio Domino Ioannardo, ex Marchionibus Inciſſi; ac eiuſdem Marchionatus Capitaneo, nec non Guillelmo de Lacanoua de Nouis Inaſti, & diſtrictus poteſtate; Teſtificatum à Dominico Ioanne de Monte Baruſio Notario Laurẽtio Pilloſi, de Inciſſi item Notario; & Ioanne Pilloſi de Inciſſa, & Odone de Scaparo de Inciſſa, & Daniele Terricolo de Inciſſa, & Emanuele Pignario de Inciſſa Notarijs, & vltimo ſignatum ab Antonio Pignaſio de Inciſſa.

Vidi etiam in eodem Archiuio Bullam authenticam Clementis VII. in formam probantis, quæ mentionem facit tam prædictæ Bullæ Ioannis 22. quam Alexandri V. & incipit *Dilecti filij Nicolai Audet Generalis*, & refertur à Roderico tom. 2. q. Regular. q. 96. art. 7. pag. 284. Idem Rodericus refert pag. ſequẽti Bullam Gregorij XIII. quæ facit mentionem prædictæ Bullæ Ioann. 22. Alexandri V. & Pij V. & incipit Vt Laudes: Et inter alia hæc habet, confirmans prædictas indulgentias; *Vel habitum dicti ordinis (ſicut in litteris Apoſtolicis piæ memoriæ Ioannis* Papæ XXII. *ac Alexandri V. nec non Pij V. prædeceſſorum noſtrorum continetur, geſtent &c.* Bullla Pij conſeruata in Archiuio Tranſpontinæ, data motu proprio incipit; *Superna diſpoſitione*, hæc inter alia habet: *Nec non omnium & ſingulorum priuilegiorum, & etiam Sabbatinorum, & aliàs nuncupatorum eidem antiquæ Eccleſiæ per piæ memoriæ Ioannem* 22. *Innocentium* VIII. *& Clementem* VII. *& forſan alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſorum &c.* Ante Pium V. Paulus III. alia bulla quæ incipit, *Prouiſionis noſtræ*, & aſſeruatur in Archiuio Tranſpontinæ Romæ confirmat prædictam bullam Clementis VII. quàm ipſe vidit in Regiſtro. Bulla autem Clementis VII. hac occaſione fuit procurata: *quia tunc* in Anglia ob Schiſma Henrici VIII. *noſtræ* religionis Archiuium generale fuit direptum aut concrematum, in quo erat originalis Bulla Alexandri Quinti, & fortè etiam ipſamet originalis Bulla Ioannis 22. vulgo dicta Sabbatina: habetur enim ſcriptum, quod anno Domini 1420. originale huius Bullæ (fortè vtriuſque) fuit couſignatum Patri Alphonſo de Therames Priores conuentus Cõueſtrecẽſis in Anglia in Capit. Generali montis Peſſulani, deferendum ad dictum Archiuium, in quo Ioannes *Balæus* hæreticus ſe illud vidiſſe *teſtatur* in appendice Centuriæ quintæ, ſic dicens: *Iſtam apparitionem* (ſcilicet Beatiſſimæ Virginis Ioanni XXII. Summo Pontifici factam) *cum inauditis indulgentijs, & animarum* Purgatorij *liberationibus &c. in quadam Bulla legi, tam in Anglia, quam in Hannonia, quæ etiam Romæ* 1530. *ſub Clemente* VII. *renouata fuit*: Quod teſtimonium huius hæretici, vt pote inimici domeſtici contra indulgentias, eſt maximi ponderis; ſi enim minimam vidiſſet apparentiam dubitandi de prædicta indulgentia quaſi non authentica, procul dubio illam impugnaſſet. Patres igitur noſtri audientes in huiuſmodi Archiuij generalis direptione ſeu combuſtione inter alia ſacra Religionis monumenta perijſſe prædictum originale bullæ Sabbatinæ, recurrerunt ad Summum Pontificem Clementem VII. tunc in Vrbe Veteri vulgo Oruieto degentem, poſt direptionem Romanæ Vrbis ab exercitu Cæſareo, & Pater Generalis Nicolaus Audet obtinuit ab ipſo confirmationem prædictarum Bullarum Ioannis 22. & Alexandri V. poſt examen rigoroſum ipſarum: Confirmauit igitur eas anno Domini 1528. die 25. Maij edito tunc breui,

Digitized by Google

breui, quod iuſſit in Bullam ſub plumbo reduci, vbi Romam redijt, anno 1530. pridie idus Auguſti. Hanc bullam à Laertio Cherubino tom. 1. Bullarij relatam, R. P. Ioannes Baptiſta Rubeus tunc Procurator Generalis ordinis obtulit Illuſtriſſimo Alexandro Riario Patriarchę Alexandrino, & Auditori generali Pontificis & Cameræ Apoſtolicæ, ad hoc ſpecialiter deputato, ad hoc vt iuridicè citaret coram ſe omnes intereſſe habentes in confirmatione huius bullæ, quæ publicè fuit affixa,& determinatum tempus indicitur ad eius contradictionem: quo elapſo abſque oppoſitione, Iudex declarauit excidiſſe ſuo iure quicumque priùs ſe poterant opponere; Et ex conſequenti bullam quaſi legitimam Procuratori ordinis tradidit, & permiſit fieri tranſumpta authentica cũ debita ſolemnitate. Videat lector,quàm rigidè & cum omni formalitate iuris in hac materia proceſſerunt: non credo poſſe in hac parte dubitare, qui hæc legerit,quæ fidem humanam firmiſſimam exigunt.

AD Primum ergo dicendum cum Cherone, quod in bullario Cherubini,ſi diligentèr reuoluatur, ſimile inuenitur initium ſcilicet in Bonifacio VIII. de Inſtitutione Sanctiſſimi Iubilæi plenariǫque peccatorum remiſſionis: In eodem Ioanne 22. contra immolantes dæmonibus, item de auditionibus obſeruandis ab Auditoribus Rotæ Romanæ: In Martino V. in Eugenio IV. in Clemente VIII. Et apud P. Vuadingum ſunt litteræ Honorij III. & aliorum Põtificum ex regiſtro Vaticano ſic inſcriptæ,Cum quatuor &c. Vnde dicit Duuallius de ſuprema Pontificis poteſtate q. 4. quòd in his præmiſſis infallibilitas nõ eſt ſita. Ad aliud dicendum, quod non eſt attendendum ad hæc minima; nam etſi Pontifices vtantur Kalendis nonis & Idibus, vtuntur etiam indifferentèr numeratis diebus menſium: Et ſimiliter, quòd quidem in officio Diuino Eccleſia dies hebdomadæ inſignit nomine feriarum, excepto Sabbato & Dominica, ex Inſtitutione Summi Pontificis ſed in alijs inſignit nomine planetarum, etiam Sabbatum quod vocat diem Saturni, & Dominicam quam vocat diem ſolis, vt videre eſt in Concilijs Conſtantienſi, Florentino, Lateranenſi vltimo, & Tridentino, accomodans ſe communi vſui loquendi introducto ab antiquis Romanis, qui diebus hebdomadę nomina plãnetarum indiderunt: Vnde hæc vox *dies Mercurij* eſt Eccleſiaſtica, & potuit à Beatiſſima Virgine pronũtiari. Ad aliud dicendum, quòd Pontifex potuit ponere hic *irritare* pro infringere, & meliùs in hac bulla quæ refert pactum Beatæ Virginis initum cum Carmelitis: nam irritare dicitur propriè de pacto, infringere verò de iure publico & conſtitutionibus: Potuit etiam hoc contigiſſe deſcriptoris aut typographi errore, aſſumentis vnum verbum pro alio non multum differenti.

AD Secundum dicendum, quòd in varijs exemplaribus illis nulla eſt differentia ſubſtantialis, ſed aliqua tantùm accidentalis & paruæ,quæ potuerunt irrepere ex hoc quòd aliqui bullam Sabbatinam de verbo ad verbum retulerunt, ſicut ipſe hic refero; Alij verò tantùm hiſtoricè attendentes ad ſenſum non ad verba, Vel etiam potuerunt irrepere ex deſcriptione codicum antiquiorum, & ex parte corroſorum & obliteratorum, ac forte Gothjci characteris, vt ego in hac materia aduerti, ac inſuper ex abbreuiationibus; Vnde non mirùm, quòd ſalua bullæ ſubſtantia fuerint aliqua in accidentarijs verba mutata. Dicimus igitur, quòd bulla fuit data anno primo Pontificatus Ioannis, vt ait noſter Gregorius; Vnde eſt error impreſſionis in Caſanate, dum dicitur data anno ſexto Pontificatus Ioannis: Et quia ipſe Ioannes fuit electus Lugduni, & poſtea ſedit Auenione; inde eſt quod aliqui dixerunt hanc bullam fuiſſe Lugduni datam, & alij fuiſſe datam Auenione. Ad aliud dicendum, quòd illa uiſio Beatiſſimæ

Virginis potuit contigiſſe vel paulò ante Pontificatum Ioannis, vt ait Paleonydorus, vel etiam in principio Pontificatus, vt aiunt noſter Gregorius & Caſanate, & poteſt aptè exponi pro vtroque tempore, ita quòd ſi dicatur ante contigiſſe, Virgo vocat ipſum Vicarium Chriſti, quia mox erat futurus, vt ſequẽtia verba indicant; Si dicatur contigiſſe in principio Pontificatus, per illa verba *Facio te Papam*, intelligit Virgo quod liberando ipſum ab aduerſario Bauaro & Antipapa Nicolao, conſtituebat in pacifica poſſeſſione Pontificatus, quod erat efficere ipſum ſolum Papam, ſublato omni dubio de vero eius Pontificatu; Et ſic bulla non eſt ſuppoſititia, nec fabulatoria. Ad aliud adiunctum dicendum, quod ibi nulla eſt contradictio: quia Alexander V. in ſua bulla refert de verbo ad verbum bullam Ioannis 22. Et ita in vno tranſumpto benè dicunt notarij & iudices ſe vidiſſe ambas bullas coniunctim, vnam ſcilicet inſertam in alia, non autem ſingulas ſeparatim; in alio verò tranſumpto benè etiam fit tantùm mentio bullæ Alexandri, quia ipſa ſola eſt per ſe, alia verò eſt tantum inſerta in ipſa: Conſtat autem, quod eſt error impreſſionis aut ſcripturæ ponere Alexandrum IV. pro Alexandro V. Ad aliud dicendum, quod aduerſarius eſt mirabilis; nam minimum probationis defectum exaggerat, & legitimam ac iuridicam probationis formam pro ſuſpicione falſitatis adducit: ſi homines bona fide & in ſimplicitate procederent, ſufficeret ſimplex hiſtoria cum traditione, ſed quia multi ſunt critici qui nolunt admittere niſi quæ vident, ideò tanta fuit opus circumſpectione: præſertim iuxta morem Romanæ Curię, in qua non ſemper recipiuntur tranſumpta iuridica in forma vidimus, ſed exiguntur tranſumpta iuridica in forma probantis, cum ibi poteſt interuenire aliorum intereſſe.

AD Tertium dicendum, quòd ex admiſſione bullæ Sabbatinæ nullum ſequitur inconueniens. Non primum: quia in tranſumpto authentico, quale appoſui, non habentur hæc verba *Te Chriſtianorum Vicarium faciam*; quæ tamen poſſunt habere legitimum ſenſum per hanc expoſitionem, id eſt *Te Chriſtianorum Papam Vicarium faciam, quorum Chriſtus eſt per ſe Papa & Pontifex*: Beatiſſima Virgo ſtetit promiſſis erga Ioannem Pontificem, ipſum eripiens, non ſolùm à Ludouico Bauaro, qui non potuit contra Ioannem præualere per inſtitutionem Antipapę Nicolai quem Ioannes vidit ad ſuos pedes proſtratum, ſed etiam ab alijs aduerſarijs, nempe ab Hugone Cadurcenſi, qui depoſitus & degradatus fuit igne conſumptus teſte Spondano, & à Matthæo patre Galeaſii, qui furijs diu noctuq; agitatus miſerè perijt: Vnde hæc propoſitio, *A tuo te eripiam aduerſario*, ſumi poteſt indefinitè. Nec ſequitur ſecundùm inconueniens: quia licet noſtri Carmelitę non ventitent ſua priuilegia, aut ſua nimis iactent, fuerunt tamen diligentes in conſeruanda hac bulla tanti priuilegij: ſed temporum miſeria perijt, ſicut & alia plura Religionis monumenta, in reuolutione Anglicana, in Regno quippe Angliæ inſtitutum fuit præcipuum ordinis Archiuium à Beato Alano Generali, qui venit de monte Carmelo, & à Sancto Simone Stoch eius ſucceſſore, ad quod originale huius bullæ potuit deferri. Nec ſequitur tertium inconueniens: Etſi namque vera fuerit hæc Virginis apparitio, non fuiſſet tamen credita ab aduerſarijs Ioannis Papæ, qui potiùs illam vt illuſionem & delirium iudicaſſent: erga ſequaces & amicos non indigebat illam exhibere, cum ab illis vt verus Pontifex acceptaretur; Et tamen fortè illam exhibuit. Nec ſequitur quartum inconueniens: quia ſi Ioannes habuit hunc errorem materialem, prout dicitur, per montem ſanctum vitæ æternæ potuit intellexiſſe locum aliquem delicioſum extra Paradiſum, in quo Sanctorum animæ nondum Diuina viſione ac fruitione beatæ viuebant in delicijs, vita æterna inchoata nondum perfecta. Ad illud quod ſubditur dicendum, quod con-

Digitized by Google

confraternitas ſacri ſcapularis per totum orbem terrarum ex deuotione fidelium celeberrima, & ex hac bulla Pontificis deriuata ſatis demonſtrat, quòd antiqui & moderni ſcriptores non ſpreuerunt hanc bullam, imò cum veneratione illam receperunt communitèr loquendo, quamuis inueniantur aliqui ſpiritus contradictionis, qui volunt eſſe in omnibus ſingulares, & reprobant quæ cæteri approbant: Et ſimilitèr demonſtrat, quòd tale priuilegium ex ipſo bullæ principio fuit celebratum.

QVAESTIO XX.

De ſingulari cultu Religionis Carmelitanæ erga Beatiſſimam Virginem Mariam.

NON mirùm, ſi religio Carmelitana Cœleſtibus priuilegijs fuerit ornata a Beatiſſima Virgine Deipara, cum ſemper fuerit ipſi deuota, etiam antequam inſtituer etur: Circa hunc ſingularem cultum quæruntur quinque.

¶ Primo, Vtrum religio Carmelitana ſpecialitèr inſtituta fuerit ab Elia in obſequium Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

¶ Secundo, Vtrum religioſi Carmelitę primi omnium B. V. Mariæ iam mortuæ ſacellum dedicauerint.

¶ Tertiò, Vtrum religio Carmelitana de iure titulo Beatiſſimę Virginis Mariæ de monte Carmelo inſigniatur, velut ipſi ſpecialitèr dicata.

¶ Quarto, Vtrum aliàs Carmelitæ iuſto titulo Sacræ Domus Lauretanæ adminiſtrationē obtinuerint.

¶ Quinto, Vtrum Carmelitæ ſpeciali veneratione Sacram Beatiſſimæ Virginis Mariæ familiam ſemper coluerint.

ARTICVLVS I.

Vtrum religio Carmelitana ſpecia liter inſtituta fuerit ab Elia in obſequium Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd religio Carmelitana nō fuerit ab Elia ſpecialiter inſtituta in obſequium Beatiſſimæ Virhinis Mariæ. Ita tenent aliqui huius Religionis æmuli: Probatur; Cum in Sacra Scriptura agitur de inſtitutione religionis Carmelitanę ab Elia, ac de eius alumnis, nulla penitùs fit mentio quòd fuerit inſtituta in obſequium Beatiſſimę Virginis Mariæ; Et tamen res tanti momenti & gloriæ ipſius non debuiſſet omitti, dum alia multò leuiora ad eam pertinentia referuntur: Ergo ſignum eſt, quòd Religio Carmelitana non fuerit ab Elia ſpecialiter inſtituta in obſequium Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

¶ 2. Præterea: Soli Carmelitæ dicunt & ſcribunt, quòd ſua religio Carmelitana ſpecialiter inſtituta fuerit ab Elia in obſequium Beatiſſimæ Virginis Mariæ: Sed teſtimonium de propria ipſorum excellentia non conuincit, cum ſuſpicione falſitatis relinquat, ob affectum cuicumque innatum ſuæ glorię; Vnde Phariſei obijciebant idem Chriſto dicentes, *Tu teſtimonium perhibes de te ipſo, teſtimonium tuum non eſt verum*; Cui obiectioni Chriſtus debuit ſatisfacere dicens, quòd Pater æternus teſtimonium perhibebat de ipſo: Ergo non poteſt dici cum fundamento, quòd religio Carmelitana ſpecialiter inſtituta fuerit ab Elia in obſequium Beatiſſimæ Virginis Marię.

¶ 3. Præterea: Si religio Carmelitana fuiſſet ab Elia ſpecialiter inſtituta in obſequiū Beatiſſimę Virginis Marię, eius alumni ab ipſo inſtitutionis principio feciſſent aliquid in honorem ipſius, vt

vt ſic ſuo muneri ſatisfacerẽt: Sed alumni religionſs Carmelitanę nihil tunc in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ fecerunt, at tantùm in lege gratiæ: Ergo Religio Carmelitana non fuit ab Elia ſpecialiter inſtituta in obſequium Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis & antiquiſsima noſtræ Religionis Carmelitanæ, communitèr recepta a noſtris Doctoribus, & ab alijs pluribus.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Elias expreſsum Dei mandatum habuiſset de fundanda Religione Carmelitana, ac ſimul habuiſſet reuelationem de futura Virgine Deipara, in eius obſequium hanc Religionem inſtituit.

RESPONDEO dicendum, quòd religio Carmelitana ſpecialiter inſtituta fuit ab Elia in obſequium Beatiſsimę Virginis Mariæ. Ad cuius euidentiam ſciendnm eſt: quòd tanti ęſtimanda eſt protectio ſpecialis Beatiſsimæ Virginis Dei genitricis Marię, vt omnis congregatio non ſolùm religioſa, ſed etiam ſęcularium Catholicorum, imò & quilibet bonus Catholicus glorietur eidem Sanctiſsimę Virgini ſpeciali titulo dicari, iuxta conſilium S. Bernardi ſermone de eius natiuitate, dicentis: *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam*: Inde eſt, quòd tot cernuntur vbique terrarũ congregationes & confraternitates ſub expreſſo nomine Beatiſsimę Virginis Marię; Et quod probamus noſtram religionem Carmelitanam ſpecialitèr ab Elia in eius obſequium inſtitutam fuiſſe.

Probatur concluſio authoritate noſtri Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani in ſuo libro de Inſtitutione monachorum cap. 36. vbi traditionem antiquiſſimam, & vniuerſalem noſtræ Religionis, circa hanc eius inſtitutionem in obſequium Beatiſſimæ Virginis ab Elia eius inſtitutore, & motiuum ipſius ſic proponit. *Recenſentes ergo religionis huius profeſſores Deum prædeceſſoribus eorum per viſionem prædictam ſpecialitèr reuelaſſe, infantulam quandam naſcituram, quæ ex vtero matris ſuæ munda ob omni peccati ſorde egrederetur, & ad inſtar corũ virginitatem ſpontaneam amplexaretur, de qua Virgine Deus homo naſceretur; contemplantes etiam ipſi hæc omnia poſtmodũ fuiſſe adimpleta, & genus humanum per hanc Virginem accepiſſe a filio Dei deſideratum ab eis pluuiæ (id eſt gratiæ diuinæ) beneficium, curauerunt cum deuotione aſſiduò deſeruire huic Virgini dudum eorum profeſſoribus reuelatæ ac deſideratæ, & poſtea eis exhibitæ: Et ſtuduerunt hanc ſpecialiter Virginem ideò ſibi ipſis in patronam aſſumere, quia nouerunt ipſam ſolam ſingularitèr eis conformem à primitijs virginitatis ſpontaneæ: Quemadmodum enim virginitas ſpontanea fuit primò per priſcos profeſſores huius religionis inchoata, & in viris introducta; ita eadem virginitas fuit poſtmodum per Dei genitricem primò in fœminis introducta & incepta: Propter quod ſicut religioſi Carmelitę ſunt primicerij virorum virginum, ita Beata Maria eſt fœminarum virginum voto primiceria; quæ conformitas primiceriatus ſpontaneæ virginitatis ſingulariter inter Dei genitricem & religioſos Carmelitas dudũ prophetata & poſt ea adimpleta fuit; ita quod religioſi Carmelitæ Virginẽ Mariam iam tempore Apoſtolorum dicebant ſororem ſuã & propter dictam conformitatem ſeipſos Fratres Beatæ Mariæ Virginis appellabant.*

Secundò probatur à poſteriori: Alũni religionis Carmelitanæ; non ſolùm in lege gratiæ, poſtquam eam viderunt, & familiari colloquio agnouerunt, magna in eius obſequium fecerunt, vt dicetur inferiùs dum quæritur, *Vtrum Religio Carmelituna de iure titulo Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo inſigniatur, velut ipſi ſpecialitèr dicata*; ſed etiam

Digitized by Google

etiam tempore legis antiquæ, nam Druidæ religioſi in Galliæ agro Carnutenſi (qui celebres erant tempore Iulij Cæſaris, & qui erant Eſſeni Filiorum prophetarum ſucceſſores & imitatores, ac proinde alumni religionis Carmelitanæ, vt conſtat ex obſeruantijs regularibus vtrorumque, quas ipſe Carnuti legi ponderaui & ſimul conſului) ſęculis aliquot ante natiuitatem Beatiſſimę Virginis, in eius honorem ſubterraneã dedicarunt Eccleſiam cum hoc titulo VIRGINI PARITVRAE, in qua deuotiſſimam ipſius imaginem poſuerunt, & omni ſollicitudine cultum ei aſſiduum impendebant, hæc vt nota ex Carnutenſi hiſtoria ſuppono; Vnde meritò reijciendi ſunt illi, qui per dictum titulum interpretantur quòd ipſam Eccleſiam æternitati conſecrarent, quaſi fundatores iudicaſſent nunquam futuram Virginem parituram: ſed hoc gratis & immeritò dicitur, cum Virginis Deum parituræ tã celebris apud Sybillas, & alios qui eius natiuitatem præceſſerunt, habeatur notitia, cur non & apud illos Druidas religioſos; quòd confirmatur traditione antquiſſima & venerabili Sanctę Carnutenſis Eccleſiæ: Ex quibus manifeſtè colligitur, quòd religio Carmelitana ſpecialitèr inſtituta fuerit ab Elia in obſequium Beatiſſimæ Virginis Mariæ; ex effectu enim cauſa colligitur. Correſpondit Beatiſſima Virgo Maria ſuis beneficijs & aſſidua protectione tam ſingulari ſuorum Carmelitarum obſequio, vt alibi in hoc opere demonſtrabitur.

AD primùm ergò dicendum, quòd ſi hæc veritas haberetur in Scriptura Sacra eſſet de fide diuina; quam tamen non proponimus vt talem, ſed tantùm vt piè credendam: nec omnia etiam grauiſsima continentur in Sacra Scriptura; cur Deus hoc myſterium noluerit in ea manifeſtare, manifeſtans alia minora, ignoramus: Et idem dicendum eſt de hoc diuinæ voluntatis beneplacito, quòd de alijs, nempè quòd Dominus eſt.

AD Secundum dicendum, quòd non ſoli Carmelitæ ex antiquiſsima traditione hanc docent & ſcribunt veritatem, ſed plures alij alibi citati, prę ſertim Trithemius Abbas, & Carthagna: Et quamuis ſoli Carmelitę hoc dicerent ex ſua traditione benè fundata, teſtimoniũ ipſorum eſſet bonum, & deberet recipi, ſicut in alijs domeſticum recipitur teſtimonium; aliàs multæ veritates perirent, quæ non niſi domeſticis poſſunt probari teſtimonijs; illa autem obiectio Phariſæorum fuit maligna, nam miracula Chriſti teſtimonium ipſius de ſeipſo demonſtrabant: Et tamen ipſe reſpondit, *Teſtimonium meum verum eſt, & teſtimonium perhibet Pater*.

AD Tertium patet ex dictis, quomodo Carmelitæ etiam in antiqua lege ante natiuitatem Beatiſsimæ Virginis Mariæ, multa in eius obſequium mira fecerunt.

ARTICVLVS II.

Vtrum Religioſi Carmelitæ primi omnium B. V. Mariæ iam mortuæ ſacellum dedicauerint.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd religioſi Carmelitæ non fuerint primi omnium qui B. V. Mariæ iam mortuæ ſacellum dedicauerint. Probatur: Traditione Carnutenſis Eccleſiæ certũ habetur, quòd Druidæ prophetijs inſtructi de Virgine paritura cœperunt eam colere, & poſtea capellam ſubterraneam hactenus venerabilem dedicare, quæ dedicatio contigit, vel ante natiuitatem huius Virginis, vel immediatè poſt eius mortem: Ergo religioſi Carmelitæ non fuerunt omniũ primi, qui B. V. Mariæ iam mortuæ ſacellum dedicauerint.

¶ 2. Præterea: Cæſarauguſtæ in Hiſpania eſt celebris Eccleſia ſub nomine B. Marię de Columna, vulgo del Pilar, quam ab Apoſtolo S. Iacobo maiori

in honorem eiuſdem Virginis adhuc viuentis ædificatam affirmant, vel immediatè ab ipſomet Apoſtolo, vel ab eius diſcipulis ſtatim poſt ſacrum eius tranſitum: Ergo cum religioſi Carmelitæ diſtulerint per aliquot annos Sacellũ in Carmelo eidem B.V. Mariæ iam mortuę dedicare, non fuerunt primi omnium qui capellam B. V. Mariæ iam mortuæ dedicauerint.

¶ 3. Præterea: Credibile eſt, quòd Apoſtoli natalem domum B.V. Marię in eius honorem dedicauerint ſtatim poſt ipſius mortem, vel etiam ſacellum ad eius ſepulchrum in valle Ioſaphat conditum; ob maximam venerationem eorum erga ipſam; Ergo religioſi Carmelitæ non fuerunt primi omnium, qui B.V. iam mortua Sacellum dedicauerint. Maximè quia authores Carmelitæ differunt inter ſe in aſsignando talis dedicationis anno.

SED CONTRA eſt vniuerſalis, & continuata traditio Religionis noſtræ Carmelitanæ, & authoritas expreſſa plurium doctorum etiam externorum.

CONCLVSIO.

Religioſi Carmelitæ fuerunt omnium primi qui B.V. Mariæ iam mortuæ Sacellum dedicauerint.

RESPONDEO dicendum, quòd religioſi Carmelitæ fuerunt primi omnium, qui B. V. Mariæ iam mortuæ Sacellum in monte Carmelo dedicauerint. 2. Et eſt probabile, quòd abſolutè primi omnium aliud Sacellum ipſi nondum natæ dedicauerunt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd pœnitùs innumeræ in toto terrarum orbe Eccleſiæ fuerunt ædificatæ in honorem Beatiſsimæ Virginis Mariæ à principio Chriſtianæ religionis, ac deinceps omni tempore; Dicimus tamen, quòd prima ipſi dedicata poſt ſacrum eius tranſitum fuit a noſtris religioſis in monte Carmelo, quę proinde hoc ſpeciali titulo præeminet cæteris in genere cauſæ exemplaris: In Carmelo autem tres præcipuę dicuntur fuiſſe capellę diuerſis temporibus a noſtris Carmelitis extructæ; Prima quidem dicta Seunium, ab ipſo Elia Sanctiſsimo conſtructa, ac plurium ſæculorum antiquitate veneranda; ſecunda verò ipſi dedicata Eliæ, & vocata Dominicum, ſua etiam antiquitate *venerabilis*; Et tandem hæc tertia, de qua hic loquimur, quę maiori fuit apud noſtros Carmelitas veneratione quàm cęteræ: Fuit autem ædificata in eo montis Carmeli loco, vbi quondam Elias noſter Sanctiſsmam Virginem Deiparam ſub typo nubeculę de mari in Carmelum aſcendentis diuinitùs ſibi demonſtratam fuerat contemplatus, conuenientiſsimum namque fuit vt in hoc ſacro conſtrueretur loco, vbi prima Mariæ notitia Carmelitarum Patriarchæ, totique Ordini fuit conceſſa: Hic autem locus eſt in ſummitate promontorij montis Carmeli, in decliui planitiei eius verſùs meridiem, quam alibi vt teſtis oculatus ſigillatim deſcribo: Vocatur hæc capella nunc *Mazalia*, venerabilis adhuc in ſuis ruinis; fuit figurę quadrangularis perfectæ, decem circiter menſurę paſſum ex quolibet latere, fuit rotundo cooperta fornice ſuper quatuor arcus innixo, ex quibus duo perſeuerant hactenus integri ad perpetuum Carmelitanæ pietatis monumentum erga Beatiſsimam Virginem, contra ſingulas temporis iniurias tot ſæculis continuatas.

Probatur prima pars concluſionis vniuerſali & firma religionis noſtræ traditione, Deinde antiquiſsima plurium Doctorum authoritate. Primus eſt Ioſeph Antiochenus in Speculo *perfectæ* militię Eccleſię primitiuę cap. 12. qui vixit in principio ſecundi ſæculi, loquens de noſtris Carmelitis ſic ait inter alia; *Quique in Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli decliuio fabricantes oratorium Saluatoris Matri ſpecialiſsimè ſeruierunt*. Secundus eſt Author Hiſtorię Romanæ, quę ſic ait: *A tempore Eliæ & Eliſæi prophetarum religioſi de numero eorum qui morabantur in monte Carmelo*

iuxta

Digitized by Google

iuxta ciuitatem Dominæ Noſtræ Nazareth, ſecretiùs ſolebant inhabitare vſque ad tempora Saluatoris, qui tandem prædicantibus Apoſtolis in fide confirmati in vno latere ipſius montis primi Eccleſiam in honorem Virginis Mariæ conſtruxerunt. Tertius eſt noſter Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus capite 29. dicens: *Poſtquã tam expreſſam, & propriam primitiarum ſpontaneæ Virginitatis conformitatem inter ſe, & Dei genitricem cognouerunt adimpletam; ipſi ex tunc Fratres Beatæ Mariæ Virginis appellati fuerunt: Et in memoriam viſionis de ortu huius Virginis præoſtenſę Sancto Prophetæ Eliæ, ſub ſpecie nubeculæ aſcendentis de mari in Carmelũ; monachi prædicti anno Incarnationis filij Dei octogeſimo tertio, diruentes eorum Sennion antiquum, ædificauerunt huic primæ Virgini Deo dicatæ capellam quandam in monte Carmeli iuxta fontem* Elię, *in ſitu illo, in quo Elias orans viderat nubeculam illam quaſi veſtigium hominis de mari aſcendere in Carmelum; vbi profeſſores prædicti ſeipſos huic Vigini commendantes ſingulis diebus in ſeptem horis Canonicis ad effundendum dictæ Virgini, & eius Filio ſedulas preces, & ſupplicationes atque laudes; etiam tunc ſemper conuenerunt: Ibique de Verbo Diuino, culpiſque vitandis, & animarum ſalute procuranda humili colloquio ad inuicem contulerunt:* Et *propterea cæteri etiam ab eorum Religione externi, eos deinceps Fratres Beatæ Mariæ Virginis de* Monte *Carmelo ſemper appellauerunt.* Hic author vixit in quarto Chriſti ſæculo. Quartus eſt noſter Baptiſta Mantuanus libro 3. Parthenices Marianæ, vbi de noſtris Carmelitis ſic ait.

Propterea montana viri ſpelæa colentes,
Audito illius fato ſublime ſacellum
Apricis poſuere iugis primi, atque quotannis
Sacra inſtaurantes hymnos & thura ferebant:
Propterea iſtorum longos ſeruata per annos
Poſteritas iungit Mariæ cum nomine montis
Nomina Carmeli.

Poſſent plures alij Authores adduci, qui huius primi Sacelli Carmelitani in honorem Beatiſsimæ Virginis Mariæ conſtructi mentionem faciunt: Vt Armachanus, Trithemius & Carthagena aliàs adducti.

Probatur ſecunda pars concluſionis: Alibi monſtratum eſt Druidas Gallos fuiſſe Eſſenos religioſos, vt manifeſtè conſtat ex Hiſtoria Carnutenſis Eccleſiæ, ipſorum namque doctrina & exercitia fuerunt omnino conformia doctrinæ & exercitijs Eſſenorum: Sed ex vna parte Eſſeni fuerunt religioſi Carmelitæ, vt alibi demonſtratur: Ex alia verò parte Druidæ Carnuti ſacellum ædificauerunt, & dedicarunt Virgini parituræ, quòd ſubterraneum hactenus ſub maiori eccleſia, veneratione maxima cultum videtur, & hoc aliquot ſęculis ante natiuitatem Beatiſsimæ Virginis, cui Sacellum dedicabant, ſcientes ipſam aliquando venturam ex continuata traditione à temporibus Elię, cui fuerat reuelata: nec conſtat de alio anteriori Sacello, quod fuerit eidem Beatiſsimæ Virgini Mariæ dedicatum: Ergo eſt probabile, quòd abſolutè religioſi Carmelitæ primi omnium aliud Sacellum Beatæ Virgini Mariæ nondum natę dedicauerint. Hic notandum eſt, quantum à veritate aberrent authores aliqui, qui credentes hos Druidas ſolitarios fuiſſe ethnicos, dixerunt ipſos hoc ſuum Sacellum dedicaſſe Virgini parituræ, id eſt æternitati, non Virgini Deum parituræ, quia tenebant non fore parituram in æternũ Virginem vllam: ſed de hoc alibi dictum eſt.

AD primùm ergò dicendum, quòd in nullo contrariatur primę parti concluſionis, & confirmat ſecundam partem.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi Sãctus Iacobus ædificauit immediatè illam Eccleſiam, tunc adhuc viuebat Beatiſsima Virgo; vnde non procedit contra primam partem concluſionis, nec cõtra ſecundam, vt patet: ſin autem fui

Digitized by Google

ędificata ab eius diſcipulis, non conſtat quòd pręceſſerint noſtram Carmeli: in cuius tamen ædificatione gloriari poteſt religio Carmelitana, nam S.Elpidius & alij diſcipuli S.Iacobi fuerunt Carmelitę religioſi, vt alibi probatur.

AD Tertium dicendum, quòd neutrum ex dictis conſtat, notandum tamen circa ſacram domum Lauretanam, quòd fortè noſtri Carmelitæ ipſam dedicauerunt ob vicinitatem Carmeli cum ciuitate Nazareth; qui cum fuerunt a Saracenis de Carmelo eiecti, curam illius gerebant, & tunc Angelorum miniſterio fuit translata primum in Dalmatiam, deinde Lauretum: Quapropter allegato iure ſuo fuit a Pontifice noſtro Baptiſtę Mantuano eiuſque Carmelitis conceſſa, ſed miſerabilitèr ob malum & inſalubrẽ aerem poſtmodum ab ipſis deſerta. Hęc probant apertè noſtram concluſionem: ad maiorem tamen gloriam Ordinis noſtri dicunt aliqui, quòd noſter Elias ab eius principio ædificauit Templum ſeù Oratorium in monte Carmelo, tum orationis, tum prędicationis & conferentiæ ſpiritualis cauſa, de quo ſic ait Ioannes Ieroſolymitanus de Inſtit. cap. 19. *Elias in monte iſto nedum habitare elegit, verùm etiam domum orationi conſecratam, appellatam Semneion, in eo ædificauit &c. ad volumina quoque Legis & Prophetarũ à Patre eorum audienda pariterque legenda*. Notat Vaſtellius in hunc locum, quod Templum iſtud ſeu Oratorium ædificatum a S.Elia in loco Carmeli, vnde viderat myſticam illam nubeculã typum Virginis Deiparę tunc ipſi reuelatæ, ab ipſomet eidem Virgini dedicatum fuit, ſub titulo Virginis pariturae, quem etiam poſtmodum Druidæ Galli eius ſucceſſores imitati, oratorium ſuũ Carnutenſe ipſi Deiparæ Virgini pariturę dedicarunt, vt dictum eſt: Ex quo Oratorio tunc primùm ab Elia ædificato, & poſtea in principio Eccleſię alio celebriori ędificato, Carmelitanus ordo dictus eſt Beatiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, vt ſępiùs dictum eſt quem titulum honorificum non ſolùm Summi Pontifices, ſed etiam ipſamet Beatiſsima Virgo & Chriſtus Ieſus confirmarunt; Refert enim S.M.N. Thereſia, ſicut & Epiſcopus Turiaſonenſis in eius vita p.2. cap. 17. quòd ipſi Chriſtus apparens anno 1571. dixit; *In diebus tuis videbis ordinem Virginis valde promotum*. Pro maiori dictorum notitia ſciendum eſt, quod *in principio* ordinis ſub Elia, & deinceps noſtri Carmelitæ ſeparatim in cauernis Carmeli hinc inde diſperſi viuebant; conueniebant tamen ſæpiùs in prædictum Semnęum ad præaddućta pietatis exercitia; Semnæũ autem, vt ait Suidas pag. 728. tom. 2. eſt monaſterium, in quo ſoli Aſcetę venerandę vitę miſteria peragunt, & in ſanctæ vitæ exercitationibus ſe exercent: Vnde Semnæum illud Elianum non ſolùm continebat Oratorium, ſed etiam aliàs officinas ad communes actus religioſos. Alij dicunt, quod *Semnęum* ſignificat locum Imperatrici, vel Rheę deorum matri dedicatum: quod aptè Semnęo Carmeli noſtri congruit, dedicato veræ Imperatrici cęli & terrę, Deique genitrici Mariæ; quę multis fuit prenuntiata non ſolùm in populo fideli, ſed etiam inter Gentiles: nam S.Procopius martyr, defendens fidem Chriſtianam coram Flauiano Præſide Cæſareę, dixit ei myſteria Chriſtianorum fuiſſe prædicta ab oraculis Gentilium; Et inter alia retulit, quod Iaſon princeps Argonautarum Athenas reuerſus conſuluit Delphicum oraculum, vt ſciret cui dedicandum foret primum Templum Athenis conſtruendum, & reſpondit dedicandum fore *Virgini Deum paritura, quæ vocaretur Maria*, vt habetur in eius vita.

AR-

Digitized by Google

Articulus III.

Vtrum Religio Carmelitana de iure titulo Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo inſigniatur, velut ipſi ſpecialiter dicata.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd religio Carmelitana non inſigniatur de iure titulo *B*eatiſsimæ Virginis Marię de monte Carmelo, velut ipſi ſpecialiter dicata. Ita tenet Hieronymus Romanus, & alius dicẽs quod dum Carmelitę vocantur Fratres *B*eatæ Mariæ de monte Carmelo, hæc Maria non eſt Dei genitrix, ſed eſt illa Aegyptiaca quondam peccatrix. Probatur ſpecialis titulus dedicationis alicuius debet manifeſtari proprio eius nomine, mutuato ab illo cui eſt dicatum: Sed Religio Carmelitana per Eliam inſtituta nõ habet nomen mutuatum à *B*.V.Maria, vt dicatur Religio Mariana; at a monte Carmelo, a quo dicitur Carmelitana; quod ſi dicatur Religio *B*eatæ Mariæ, hæc non eſt Dei genitirix, at Aegyptiaca; Et inſuper dato quod eſſet denominata a *B*. V. Dei genitrice, adhuc ſunt alię religiones quæ ab ipſa denominantur, vt Religio Seruitarum *B*eatę Mariæ: Ergo Religio Carmelitana non inſignitur de iure titulo *B*eatiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, velut ipſi ſpecialitèr dicata.

¶ 2. Præterea: Specialis titulus dedicationis alicuius Religionis *B*eatiſſimæ Virgini Dei genitrici factæ, debet apparere in ſpeciali cultu, quem talis religio exhibet *B*eatiſſimę Virgini: Sed religio Carmelitana non exhibet ſpecialem aliquem cultum *B*.V.Dei genetrici; Et ſunt alię Religiones, qui eidem Beatæ Virgini exhibent cultum ſpecialem; nam Carthuſienſis & Dominicana quotidie paruum eius officium recitant, & ſimilitèr plures aliæ quid ſimile in eius honorem faciunt: Ergo religio Carmelitana de iure titulo Beatiſſimæ Virginis Marię de monte Carmelo non inſignitur, velut ipſi ſpecialiter dicata.

¶ 3. Pręterea; Beatiſſima Virgo Maria debet habere ſpecialem protectionem religionis ſibi ſpecialiter dicatę; cum enim hoc ratio exigat & ſit cõſuetudo apud homines, quòd ſpecialitèr protegant quæ ſunt ſibi ſpecialiter dicata, quaſi propria: multò magis hoc faciet Beatiſſima Virgo Maria in omnibus rectiſſima, & quæ ſua compenſatione dona noſtra excedit: Sed in religione Carmelitana non apparet ſpecialis protectio Beatiſſimæ Virginis Mariæ; nam ſi dicatur quòd ei conceſſit Scapulare, quo a multis liberatur malis, etiam legitur illud conceſſiſſe alicui religioſo Sancti Dominici; Ergo Religio Carmelitana de iure non inſignitur titulo Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, velut ipſi ſpecialiter dicata.

SED CONTRA eſt conceſſum ab ipſamet Beatiſsima Virgine Maria priuilegium, authoritas Summorum Pontificum, & communis fidelium conſenſus.

Conclusio.

Cum Beatiſsima Virgo Maria nobiliſsimam ſui nomenclaturam religioni Carmelitanæ conceſſerit, & Summi Pontifices eam confirmauerint, eiuſdem Virginis erga Carmelitas protectione, & Carmelitarum erga ipſam iugiter declaratam; Religio Carmelitana de iure titulo Beatiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo inſignitur, velut ipſi ſpecialitèr dicata.

RESPONDEO dicendum, quòd religio Carmelitana de iure titulo Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo inſignitur, velut ipſi ſpecialiter dicata: Non tamen per hoc volumus excludere a ſimili priuilegio religiones alias, ſi quæ illud participant; dicimus quæ noſtra ſunt, alijs relinquimus di-

cenda eorũ propria circa hanc materiã. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, non defuiſſe identidem aduerſarios accerimos noſtræ Re-ligioni Carmelitanæ; propter quod Deus iuſtorum & innocentum protector ei patronos & defenſores meritiſſimos, etiam ex alijs religionibus ſuſcitauit: ſed præcipui ſunt duo, videlicet Abbas Trithemius Ordinis Sãcti Benedicti, qui duos compoſuit libros in honorem Carmelitanæ religionis, primum quidem de laudibus Carmelitarum, ſecundum autem de Sanctis & viris illuſtribus Ordinis Carmelitani: Alius eſt R. P. Ioannes de Carthagena Ordinis Minorum Sancti Franciſci, qui librum decimum ſeptimum homiliarum compoſuit de Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ de monte Carmelo, vbi iuſto commotus zelo Carmelitanæ Religionis aduerſarios impugnat acerrimè, eorumque obiectiones doctiſſimè reſoluit: ſed notandum, quòd ex dictis aduerſarijs aliqui procedunt ſine malitia, doctrinam aliorum ſequentes abſque examine, qui tamen non penitùs excuſandi ſunt, ſicut nec illi qui leuibus coniecturis antiquas & benè fundatas traditiones impugnant: Alij ſunt malitioſi, qui vel animo contradicendi, vel propria exaltandi ex depreſſione aliorum agnitam impugnant veritatem: De his Carthagena loco citato homilia 2. ſic ait: *Arbitror ſanè Sacro Ordini Carmelitano perſimile quidpiam, atque Patriarchæ Ioſepho accidiſſe; Etenim ſicut Iacob patre eius tunicam polimitam ei ſoli præ cæteris alijs fratribus ſuis donante in pignus ſingularis amoris, quo illum proſequebatur, inuidiæ liuore ſaucij eius fratres aduersùs eum excandeſcere cœperunt; ſic enim ait ſacer textus Geneſis 37. Videntes autem fratres eius, quòd a patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidpiam pacificè loqui: Non diſsimilitèr cum Sanctiſsima Virgo in argumentum ſpecialis dilectionis, qua erga Carmeliticum ordinem æſtuabat, tunicam polimitam Scapularis dono dederit Beato Simoni Stoch Anglo Carmelitici Ordinis Priori Generali, vt in eius officio legitur, & tradunt Palæonydorus libro 3. cap. 12. Ioannes Fauent. & Philippus Macerus in vita Sancti Petri Thomæ; quidam huius fauoris inuidi, vel veritatis ignari non poſſunt huic Sacro Ordini inſtar Fratrum Ioſeph quidquam pacificè loqui: cæterum apertiſsimè ipſos deceptos fuiſse quantum præſentis argumenti conditio patitur, luculenter commonſtrabo: Quia tamen inter omnes oppugnatores acriùs* Hieronymus *in ſuo defenſorio aduerſus hunc ſacrum ordinem inuehitur; & quia præ intemperata cupidine illum expugnandi, nullum lapidem immotum reliquit, quo illum non impeteret: eius præcipuè deliria manifeſtè aperiam, deinde aliorum obiectu diluam.* Hactenus Carthagena.

Probatur concluſio ex dictis ſupra, cum probauimus quòd noſtra religio Carmelitana ſpecialiter inſtituta fuerit ab Elia eius fundatore in obſequium Beatiſſimæ Virginis Mariæ; hoc enim ſolum ſufficeret, vt de iure titulo Beatiſſimæ Virginis Marię de monte Carmelo inſigniretur, velut ipſi ſpecialiter dicata; maximè propter rationem adductam ex noſtro Ioanne Ieroſolymitano, ex conformitate *ipſius Virginis* & Carmelitarum in primiceriatu ſpontaneæ virginitatis, illius inter fęminas & iſtorum inter viros. Probatur etiam ex dicendis infra, dum probabimus quòd Carmelitæ poſſint vocari Fratres Beatiſſimę Virginis Marię de monte Carmelo ex pluribus titulis; ex hoc enim particulari titulo Fratrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ concludimus euidenter totius religionis: nec dicta ſuperiùs, nec dicenda inferiùs repetemus hic, ſed nouas authoritates firmandis *iiſdem* alijſq; motiuis tam in ſignis nomenclaturæ proponemus.

Secundò probatur authoritate Summorum Pontificum, quotquot de noſtra Religione Carmelitana ſcripſerunt, eam in ſuis bullis inſigniunt nomine Beatiſſimę Virginis Mariæ de monte Carmelo; vt videre eſt in Bullarijs: ſed ſpecialitèr & maximè ad præſens intentum

tum

tum loquitur Sixtus IV. dicens: *Dum attenta meditatione penſamus, quod Glorioſiſſima Dei Genitrix Virgo Maria produxit ſuorum ordinem Beatæ Mariæ de monte Carmelo, quem eiuſdem Virginis Mariæ ſpeciali titulo voluit inſigniri, & ob eiuſdem Virginis reuerentiam ordo ipſe a Chriſtifidelibus per amplius veneraretur: At ordinem ipſum, & eius ſingulares perſonas, vti cæteros regularium ordinum profeſſores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam religionis ſpeculum & exemplare ſpeciali charitate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum* Eliæ, *Eliſæi &* Enoch, *& aliorum Sanctorum* Patrum, *qui montem ſanctum Carmeli iuxta fontem Eliæ habitarunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes*. Idem ferè dicunt Ioannes XXII. Iulius II. & Gregorius XIII. Denique conſentiunt omnes ſucceſſores Pontifices, dum ſpeciale officium Carmelitis conceſſerunt, & approbarunt, in quo ſub die 16. Iulij faciunt commemorationem ſolemnem B. Virginis Mariæ de monte Carmelo: Cuius officij oratio ſic habet; *Deus, qui Beatiſſimæ ſemper Virginis & Genitricis tuæ Mariæ ſingulari titulo Carmeli ordinem decoraſti &c.*

Tertiò Probatur authoritate Illuſtriū Doctorum. Abbas Trithemius in præfatione lib. de laudib. Carmelitar. ſic ait: *Magnam huius ordinis inſtitutio laudem promeruit, quam Regina Cęli ſuo vocabulo inſigniuit: O verè beata vnio, quæ tantæ parentis munita præſidio in æternum firma conſiſtit; ſub Dei Matris protectione Carmelitiſus ordo quieſcit, & idcircò nulla vnquam aduerſa formidabit: Gaude decus Carmeli, te mundi Sator ob matris honorem diligit, Domina Mundi Virgo Maria, vt oculi pupillam cuſtodit; Te ſupernæ patriæ ciues colunt, amant & laudant, nomen & honorem Imperatricis ſuæ in te ſedulò venerantes: Recti quoque diligunt te, memores pulchritudinis tuæ, te nemo veraciter diligit niſi bonus; nemo inſtructionem tuam odio habet, niſi peruerſus: Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Euangelij pacis, quàm venuſta facies, quàm elegans forma, quàm decorus aſpectus! Beati cultores tui, qui ambulant in ſemitis veritatis, qui contemptis mundi rebus tua præcepta deuota ſinceritate cuſtodiunt: Maior es, ò Carmeli ſacrata religio, quàm vt verbis meis valeas prædicari Silere a tuis laudibus non valeo, quoniam quod virium negat infirmitas, charitas ſubminiſtrat*. Et libro 2. cap. 2. ſic ait: *Cur inuides Fratribus Carmelitis ordinis ſui titulum, quem eis contulit Regina Cælorum? Enim verò ſi Domina mundi ſe Carmelitis ſororem exhibere voluit, quis ei contradicere poteſt? An non licet ei quod vult facere? An oculus illius nequam eſt, quia ipſa bona eſt? Noli turbari, noli iraſci, noli frendere dentibus; nemo Reginã Cæli prohibere poteſt, quominus Carmelitas ſuos fratres appellet & filios: non friuola loquor, non falſa; cum Summi Pontifices Romani,* Petri *ſucceſſores Carmelitas non aliter appellare conſueuerint, quàm fratres Dei Genitricis.* Videatur Carthagena libro 17. humiliarum, qui homilia prima de hoc agit ex profeſſo. Philippus Hieropolitanus Abbas apud Paleonydorum libro 2. cap. 1. ait: *O Carmelitarum religio, quàm magna facta es in domo Domini! nunquid non olim à modico fonte Eliæ Dei Prophetę principium habuiſti? Et ecce nunc in magnum fluuium creuiſti: Tu olim plantata in eremo, nunc facta es ciuitas plena populo: Tu fundatorem habes adhuc in* Paradiſo *viuentem, & glorioſam Virginem Mariam Reginam Cæli Dominam Mundi in patronam ſingularem: ſicut enim de te olim proceſſerunt* Patriarchæ *& Prophetę, ſic nunc de te procedunt Sacerdotes & Leuitę, Doctores & Euangeliſtæ, qui patres patroni omnium religioſorum facti ſunt*. Ex Armachano ſic ait noſter Vualdenſis de Sacrament titulo 9. *Erat huius ordinis ſoror nomine Maria, quæ dum de Nazareth in montem Carmeli conſcendere ſtatueret, pluries dixit filio ſuo; Vadam, & narrabo nomen tuum fratribus meis patris Eliæ filijs: Et quid putas ordo Carmeli reſponderit? Vtique illius Sanctiſſimæ* Elizabeth *verbum; Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini*

mei

mei ad me? Atque illud verbum Inſtitatoris Eliæ; mulier da mihi filium.

Quartò probatur hæc honorifica Beatiſſimæ Virginis Mariç nomenclatura in Religione Carmelitana, quaſi ſpecialiter ipſi dicata, ex his quæ huiuſmodi religio in obſequium Beatiſſimæ Virginis fecit, quæ à prima ſui origine vſque modo ſe ſpeciali cultu B. Virgini dicauit. Nam primò, vt refert noſter Ioannes Ieroſolymitanus in libro de Inſtitutione monachorum cap.32.& ſequentibus Sanctus Elias Propheta eius Patriarcha prænoſcens diuina reuelatione ſub typo illius nubeculæ aſcendentis de mari naſcituram fore puriſſimam Virginem Dei Matrem futuram, de qua myſtica nubecula fit mentio libro 3.Regum cap. 18. ſuam Religionem Carmeliticã cum voto caſtitatis vix adhuc natam in honorem & cultum eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis dicauit. Secundò, alumni Religionis Carmelitanæ maiorum continua traditione, & poſtea frequenti aduentu Sanctiſſimæ Virginis Mariæ in montem Carmelum, ac familiari eius conuerſatione,in eiuſdem Virginis amorem rapti ſacellum in monte Carmeli ædificarunt ad eius honorem, primi omnium mortalium poſt ipſius mortem, vbi quotidie ſepiùs laudes Dei eiuſdẽque puriſſimç Virginis ſuæ Matris & patronç ſingularis vt pij eius filij decãtabant; vnde Fratres Beatiſſimæ Virginis communiter vocari cœperunt, ſiue hoc Deo populis inſpirante, ſiue ipſis hoc affectantibus ex peculiari affectu erga Sanctiſſimam Virginem Dei Matrem. Tertiò S. Cyrillus Alexandrinus Carmelitanæ Religionis alumnus,ac ſedis Apoſtolicæ legatus in Concilio Epheſino determinari fecit contra Neſtorium quòd Beatiſſima Virgo Maria ſit verè & propriè Dei Genitrix & Mater quòd eſt origo omnium Mariæ priuilegiorum, & de hac etiam materia laudabiliter ſcripſit: Et in hoc apparuit zelus honoris Mariæ, ac filialis in eam affectus præſulis huius religionis, & in eius perſona totius religionis. Quartò denique plura ſemper Carmelitanç Religionis alumni in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariç fecerunt, & adhuc facere perſeuerant: vt enim loquar quaſi teſtis oculatus de noſtris Diſcalceatis, prçter ſingulorum in Sanctiſſimam Virginem affectum peculiarem;in communi (vltra feſtum commemorationis ſolemnis Beatæ Mariæ de monte Carmelo die 16. Iulij, quod eſt primç claſſis) omnia eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis feſta ſub ritu ſecundæ claſſis cum octaua celebrant, cum ieiunio & abſtinentia à lacticinijs in eorum vigilijs: Inſuper qualibet hebdomada ſemel ſaltem officium eius ſemiduplici ritu recitant: Singulis Sabbathis & vigilijs ipſius antiphonam Salue Regina cum cereis ſolemniter decantant, ſingulis diebus poſt veſperas deuotè litanias eius recitant: Et quòd maiorem erga ipſam affectum ac deuotionem exprimit, continuò nomen Mariç habent Carmelitæ in ore; non enim aliter ſe ſalutant dum ſibi occurrunt, quàm his verbis, vno incipiẽte dicere, *Laudetur Ieſus Chriſtus*; Et altero reſpondente, *Eiuſque Sanctiſſima Virgo parens Maria*. Hæc ſunt, alijs pluribus breuitatis cauſa ſilentio prçtermiſſis ex parte Religionis Carmelitanç, quç demonſtrant ipſam de iure & titulo Beatiſsimç Virginis Mariç de monte Carmelo inſigniri, velut ei ſpecialiter dicatam.

Quintò Probatur hæc honorifica Beatiſsimç Virginis Mariç nomenclatura in noſtra religione Carmelitana,quaſi ſpecialitèr ipſi dicata, ex hoc quòd ipſa ſemper ſpecialem eius habuit protectionem. Nam primò dum in humanis ageret, imitata exemplum Sanctç Annæ Matris ſuæ,ac Sanctæ Emerẽtianç Auiç, ſepiùs in anno ſolemnioribus diebus Carmelum conſcendebat ad viſitandos affectu materno ſuos Carmelitas,vt prçter citatum ſuperiùs Armacanum refert Martinus Italus in ſuis chronicis dicẽs: *Ad eos autem qui ineunte tempore ſuperioribus ex Prophetis originem traxerunt, Sanctam Dei Genitricem cum in humanis age-*

ageret, ſicut matrem ad filios ſæpe numero veniſſe legimus; ad iſtiuſmodi etiam viros Chriſtum cum diſcipulis quibuſdam perueniſſe didicimus. Secundò Sanctiſsima Virgo Dei Genitrix refertur à Dionyſio Carthuſiano, Philippo Bergomēſi & alijs, monaſterium inſtituiſſe centum quinquaginta monialium quibus præerat, & hoc poſt Chriſti Domini paſſionem; tunc autem nullum aliud erat religioſum inſtitutum, quàm Carmelitanum ab Elia fundatum; hoc tamē non legi in antiquioribus authoribus. Tertio Beata Virgo Maria noſtram Religionem Carmelitanam ſub Honorio III. Summo Pontifice protexit contra aliquos, qui eam extinguere, vel ſaltem honorificam eius nomenclaturam auferre tentabant: Cum rem hanc Pontifex diſcutiendam quibuſdam curialibus cōmiſiſſet, qui deciſionem eius differebant: Sanctiſsima Dei Genitrix aſtitit noctu Pontifici, & vt negotium abſolueret admonuit dicens; *Nec eſt aduerſandum in his, dum iubeo; nec diſſimulandum, dum promoueo*: Vt autem fidem adhiberet ijs quæ dicebat, ſignificauit ei duos ex Curialibus Religionis huius æmulos Deo vltore plenos eſſe diſpari exitu, ſed diſceſſu pari: *V*nde à ſomno excitatus Pontifex, & de eorum pœna certior factus regulam huius Religionis confirmauit, & eius honorificum titulū approbauit 3. Kalendas Februarij anno 1216. vt refert Palæonydorus libro 3. cap. 5. Hunc rurſùs titulum approbauit Vrbanus VI. poſt determinationem vniuerſitatis Cantabricenſis contra quendam Doctorem æmulum, qui Crmelitas vocabat Fratres Mariæ Agyptiacæ, & nō Virginis Dei Genitricis Mariæ. Quartò, Sanctiſſima Virgo dedit peculiarem Sacri Scapularis habitum religioni Carmelitanæ in perſona ſui Generalis Sancti Simonis Stoch Anglici, vt Celeſti hac veſte ipſa religio dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur: quòd ſic euenit, Cum Sanctus hic Preſul vrgente prędicta perſecutione Religionis Sanctiſſimæ Virginis protectionem imploraret ſequenti oratione ab ipſo dici ſolita.

Flos Carmeli, vitis florigera,
Splendor Cæli, Virgo puerpera
Singularis.
Mater mitis, ſed viri neſcia,
Carmelitis da priuilegia
Stella maris.

Eadem *V*irgo Sanctiſſima ei apparēs, & Sacrum Scapulare tradens ſic alloquitur: *Dilectiſſime fili hoc recipe tui ordinis ſcapulare, meæ confraternitatis ſignum, Tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, in quo quis moriens æternum non patietur incendium; Ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni*. Quintò tandem & vltimò, Sancta Dei Genitrix Maria ſpecialem obtinuit à Chriſto pro Carmelitis & alijs confratribus ſacri ſcapularis indulgentiam, qua ipſos quantocius è pœnis purgatorij liberat, & præſertim in die Sabbathi eidē Sanctiſſimæ Virgini dicato: hanc indulgentiam declarauit Ioanni XXII. ipſamque confirmauit in bulla quæ incipit, *Sacratiſſimo*, data Lugduni 3. die menſis Martij anno 1. ſui Pontificatus, dicens; *Iſtam ergo ſanctam Indulgentiam accepto robore in terris confirmo, ſicut propter merita Virginis Chriſtus conceſſit in Cęlis*: meminit huius bullę Paleonydorus lib. 3. capit. 11. in qua Summus Pontifex fatetur B. Virginem ſibi apparuiſſe ac dixiſſe, *Propter deuotionem, quam erga me habes, ab aduerſario tuo te liberabo, & ad ſupremum dignitatis Eccleſiaſticæ culmen te promouebo; in cuius rei recompenſationem volo te beneuolum exhibere erga fratres meos filios Eliæ*; Et inter alia præcepit, vt indulgentiam hanc Sabbathinam per propriam bullam confirmaret. Eandem indulgentiam poſtea acceptarunt & confirmarunt Alexander *V*. in bulla quę incipit: *Tenore cuiuſdam priuilegij fœlicis recordationis Ioannis* XXII. Clementis *VII*. in bulla quę incipit: *Dilecti filij*, data in *V*rbe veteri die 15. Maij anno 1528. vbi hæc habentur; *Die quo à ſæculo huiuſmodi purgatorium acceſſerint, ipſa Virgo glorioſa Dei Geni-*

Digitized by Google

Genitrix Maria Sabbatho ſequenti poſt illorum confratrum ac ſororum obitus viſitando, à pœnis Purgatorij huiuſmodi eorum animas liberabit. Et tandem Gregorius XIII. in bulla quæ incipit: *Vt laudes Glorioſiſſimæ Mariæ.* Inſuper Carthagena refert vniuerſitatem Salmanticenſem declaraſſe validam hanc indulgentiam, & ſe Doctorum ſubſcriptiones legiſſe ac vidiſſe. Quia verò hoc priuilegium B. Virginis eſt ita ſingulare, vt ſolùm per geſtationem ſcapularis participari poſſit, cum tamen alia priuilegia & indulgentiæ reddantur communia: non mirum ſi tot aduerſarij, & toties contra illud inſurrexerint; ſed tamen conſenſu Eminentiſſimorum Cardinalium, & decreto Pauli V. iterum confirmatum eſt, *Piè credendum eſſe quòd Beata Virgo filios in Scapularis ſocietatem relatos, qui abſtinentiam modicam precesque paucas eis præſcriptas frequentarunt ac pro ſui ſtatus ratione caſtitatem coluerunt, materno planè affectu ſoletur dum igne purgatorio expiantur, ac in cæleſtem patriam obtentu ſuo quantocyus efferat.* Tanta protectio Beatiſsimæ Virginis Mariæ erga religionē Carmelitanam clarè demonſtrat, eam ipſi ſpecialiter dicatam, & de iure titulo Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo inſigniti. Hæc omnia ſummariè continentur in lectionibus ſecundi nocturni officij commemorationis ſolemnis Beatiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo die 16. Iulij, à Sacra Rituum Congregatione approbatis.

AD Primum ergo dicendum, quòd religio Carmelitana ab Elia inſtituta habet nomen mutuatum à Beata Virgine; quia verè dicitur reilgio B. V. Mariæ de monte Carmelo: quòd iſta verum eſt, vt Innocentius IV. decem dies indulgentiarum conceſſerit, & Vrbanus IV. tres annos & totidem quadragenas ijs, qui prædicto titulo vel ipſam religionem, vel aliquem eius alumnum nominauerint: Hæc autem Maria, cuius titulo gloriantur Carmelitæ, eſt Dei Genitrix, & non Aegyptiaca, vt conſtat ex ipſo textu diplomatum Pontificiorum. Quòd ſi aliæ Religiones etiam nomen Beatiſſimæ Virginis Mariæ habeant, puta Seruorum ipſius, non eis inuidemus; dummodo nobis concedatur nomen Fratrum Beatæ Virginis Mariæ, quod nobilius eſt nomine Seruorum: In communi tamen vſu loquendi non ſemper exprimitur breuitatis cauſa.

AD Secundùm dicendum, quòd religio Carmelitana ſpecialem cultum exhibet Beatiſſimæ Virginis Mariæ, tum in ſupradictis, tum in pluribus alijs, puta in ieiunijs & diſciplinis toto anni tempore in Sabbatho eidem Sanctiſſimæ Virginis conſecrato fieri ſolitis. Quòd ſi dictæ religiones exhibent illum peculiarem cultum puriſſimæ Virgini, etiam ſequitur quòd ſint illi ſpecialiter aliquo modo dicatæ, & ex hoc mereantur aliquem eius ſpecialem titulum; qualem, iudicet lector. Quòd ſi in religione Carmelitana non eſt obligatio recitandi quotidie paruum officium Beatæ Virginis, hoc prouenit apud noſtros Diſcalceatos, non ex defectu piæ affectionis erga ipſam, ſed ex amore contemplationis, quo taciti & ſolitarij Deo & eidem Sanctiſsimæ Virgini vacare deſiderant. Et inſuper hunc quaſi defectum multis alijs erga Beatam Virginem exhibitis compenſant.

AD Tertium dicendum, quòd ſatis ex dictis apparet ſpecialis protectio B. V. Dei Genitricis Mariæ erga religionem Carmelitanam: Nec negatur, quod eadem Sanctiſſima Virgo præbeat ſpecialem aliquam protectionē alijs, maximè religionibus. Ad illud, quod ſubditur de ſcapulari, dicendum quòd tali Religioſo fuerit quidem datum, ſed non ita authenticè, nec cum ſupradictis priuilegijs: Cuius ſignum eſt, quod ex authoritate Apoſtolica ſcapularis confraternitas ſolis appropriatur Carmelitis, cum facultate communicandi alijs, ſiue regularibus, ſiue ſæcularibus; Et ab ipſis aſſumunt, aut ſaltem dependentèr, quot quot illud geſtant. Erga ſacrum ſcapulare maxima creuit in orbe deuotio, ita quòd multi Ponti-

Pontifices, & Imperatores, & Reges, alijque Principes illud geſtent; Et inſuper plures aliorum ordinum Religioſi.

Articvlvs IV.

Vtrum aliàs Carmelitæ iuſto titulo Sacræ Domus Lauretanæ adminiſtrationem obtinuerint.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ non obtinuerint aliàs iuſto titulo ſacræ domus Lauretanę adminiſtrationem. Probatur: Hęc ſacra domus de nouo fuit inuenta in Italia: Ergo potuit eſſe primi occupantis quantùm ad adminiſtrationem ex conceſſione Summi Pontificis; Et ita Carmelitæ non illam obtinuerunt iuſto titulo, ſed ex fauore nepotis Summi Pontificis eorum Protectoris.

¶ 2. Præterea: Si Carmelitæ iuſto titulo optinuiſſent aliàs adminiſtrationem ſacræ domus Lauretanæ, hactenus eam conſeruarent; non enim ſponte dimiſiſſent, ob gloriam religionis ſuæ inde prouenientem; nec coacti fuiſſent dimittere, quia iuſto titulo poſſediſſent: Ergo cum dimiſerint, non habuerunt iuſto titulo hanc adminiſtrationem.

¶ 3. Preterea: Eadem ratio currit de hac ſacra domo Lauretana, ac de fundo ipſius Nazareno, vt ex ſe patet: Sed illud fundum ſiue ſolum Nazarenũ, in quo prius erat ſacra domus Lauretana, poſſidetur iuſtè à Minoritis,& non à Carmelitis: Ergo Carmelitæ non obtinuerunt aliàs iuſto titulo adminiſtrationem ſacrę domus Lauretanę.

SED CONTRA eſt authoritas iuſtę conceſſionis Pontificiæ, audito Carmelitarum iure.

Conclvsio.

Carmelitæ aliàs iuſto titulo ſacræ domus Lauretanæ adminiſtrationem obtinuerunt; quia dicti Fratres B.Virginis, antiquiores cæteris religioſis, in Carmelo fundati, ac priùs poſſeſſores illius.

RESPONDEO dicendum, quòd aliàs Carmelitæ iuſto titulo Sacræ Domus Lauretanæ adminiſtrationem obtinuerunt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſacra domus Lauretana eſt ipſiſſima domus, in qua Beatiſſima Virgo Maria morabatur viuens Nazarethi in Palęſtina, quæ tranſlata fuit Angelorum opera, quando Palæſtina Chriſtianis totaliter erepta redijt ſub tyrannidem Saracenorum; noluit enim Dominus Ieſus Chriſtus hoc ſui, Sanctiſſimæ Matris ſuæ, Beati Ioſeph Nutritij, Sanctorum etiam auorum Ioachim & Annę ſacrarium ſiue ſanctuarium relinquere Infidelibus: Anno Domini 1290. capta Ptolemaida Ciuitate vltima Terrę Sanctæ, combuſtus fuit noſter Carmeli montis conuentus Nazareth vicinus, nec multò poſt diſperſi fuerunt inde noſtri Carmelitæ: Tunc huius ſacræ domus tranſlatio Angelorum miniſterio contigit; Apparuit primùm in Dalmatia, poſt aliquod tempus tranſmiſſo mari Adriatico fuit reperta propè littus maris in luco, cuius ſtationis monumẽta videntur hactenus; ſed quia latrones peregrinos ibi ſpoliabant & vexabant, iterum delata fuit ſupra collem ad milliare diſſitum; Verùm nec diutius ibi ſtetit, nam poſt aliquot menſes,ob duorum Recinetenſium auaritiam & odium fraternum, ad iactum ſagittæ tranſlata rurſùs eſt ad campum piæ mulieris Lauretæ, à qua denominatur Lauretana: miſſi dicuntur ſexdecim Legati tam in Dalmatiam quàm in Galilęam, vt de identitate ſacræ huius domus Lauretanæ cum Nazarena Beatiſsimæ Virginis Deiparæ certiores fierent: Hanc lega-

tionem factam eſſe anno Domini 1295. docet *Bzouius* tom. 13. Annalium, Horatius autem Turcellinus lib. 1. cap. 15. aſſerit factam eſſe anno 1296. Bonifacij VIII. Summi Pontificis 2. Quia locum Nazarethi, vnde fuit translata, vidi ſubiungo paucula prædictæ veritatis declaratiua: Hæc domus fuit ordinaria manſio ſacræ familiæ Beatiſſimæ Virginis, vt apparet ex armario & camino, infra erat locus ſubterraneus eiuſdē magnitudinis, in cuius angulo meridionali orabat ipſa Virgo Maria, cum ingreſſus ad eam Angelus annuntiauit ei Sacroſanctum *Incarnationis* Dominicæ myſterium, eamque Dei Matrem futuram declarauit; ad cuius veritatis confirmationem S. Helena *Imperatrix* duas marmoreas appoſuit columnas, tribus circiter palmis ab inuicem diſſitas, vnā in loco Beatiſſimæ Virginis orantis, aliā in loco Archangeli Gabrielis ſalutantis; illa miraculosè ſubſiſtit in aere, non enim innititur ſolo, nec inhæret lateri ſolùm ex creta, & vix attingit tectum ex gypſo, cum ſit ad minus quatuor palmorum craſſitudinis, ac ita maximi pōderis: In illo loco ſunt tria altaria; in parte ſeptentrionali ad angulum occidentalem eſt altare Annuntiationis, in quo dicitur quotidie Miſſa Beatiſſimæ Virginis vt in Aduentu, Miſſus eſt &c. In Euangelio S. Lucæ ſic profertur, *Miſſus eſt Gabriel Angelus in hanc Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*; & in Euāgelio Sancti Ioannis ſic concluditur, *Et Verbum Caro hic factum eſt*: Ex parte Orientali ſunt altaria S. Ioſeph & Sanctæ Annæ.

Probatur concluſio fideli narratione noſtri Baptiſtæ Mantuani, qui huius ſacræ domus Lauretanæ adminiſtrationē obtinuit à Cardinale Ruuero Sixti IV. Nepote ac Epiſcopo Recinetenſis, ipſius ſacræ domus Lauretanæ ac noſtre Religionis Carmelitanæ Protectore, ſub authoritate Pontificia Innocentij VIII. anno Domini 1489. Cum ius noſtræ religionis ad illud prætendendum allegaſſet. Sic igitur ait in ſua Lauretana Hiſtoria ad eundem Cardinalem, loquēs de ipſiuſmet conceſſione, cum prædicta authoritate Pontificia: *Audiens ordinis mei Fratres (vt ex Ioannis vigeſimi ſecundi litteris apparet) Beatiſſimæ Dei Genitricis titulo ſpecialiter inſignitos, & ſicut ex Decretal. libro 6. cap. de religioſis domibus teſtimonium habetur, inter omnes Religionum ordines antiquitate præſtare, habuiſſe item nos ab Elia & Eliſæo in monte Carmelo principium & originem, vt auunculus tuus Sixtus litteris Apoſtolicis atteſtatur; Et Patres ac Anteceſſores noſtros Viros Sanctiſſimos omnia fere loca Terræ Sanctæ (inter quæ fuit huius ſacræ Virginis Domicilium) olim tenuiſſe, ac religioſiſſimè gubernaſſe, priùs quam Saracenis Dei iudicio darentur in prædam: Hæc inquam audiens, rem conuenientiſſimam, & opere pretium exiſtimaſti, nos in antiquam reſtituere poſſeſſionem; Et idcircò hoc anno, me Vicario ex mantuana Congregatione (quæ Deo aſpirante de negligentiæ ſordibus, quibus penè totus Ordo noſter obruebatur, emergens inſtar antiquorum Patrum, vitam & mores nititur inſtituere) triginta viros approbatiſſimos in Eccleſia conſtituiſſe, qui in cordis munditia Deo ſeruientes, audiendis fidelium confeſſionibus & diuinis officijs vacent, ac omnium quæ ad diuinum cultum pertinent curam gerant. Quibus inceptis, author & conſeruator omnium Deus adiuuet, aſpiret, & faueat*: Hactenus noſter Mantuanus. Ex quibus colligitur, quatuor concurriſſe rationes ex parte noſtra pro prætenſione huius ſacræ domus Lauretanæ, debito propoſitas ordine. Prima fundatur in hæreditario iure: nam Carmelitæ vocati ſunt fratres Beatiſſimæ Virginis Mariæ ab ipſamet, vt conſtat ex Ioannis 22. litteris, hoc titulo ſpecialiter inſigniti: Ergo in hac ſacra hæreditate domus ipſius debent alijs præferri, qui ſimili titulo non gaudent. Secunda fundatur in antiquitate noſtræ Religionis Carmelitanæ præ cæteris, vt habetur ex libro 6. Decretalium cap. de Religioſis domibus: Ergo cum cætera ſint paria in prætenſione huius ſacræ domus, Carmeli-

Digitized by Google

melitæ quodam iure antiquitatis & primogenituræ debuerunt præ alijs gaudere. Tertia fundatur in iure Viciniratis: nam hæreditas alicuius carens iuſto prætenſore, debetur viciniori, & portio terræ repudiata vel derelicta accreſcit vicino: Ergo cum ex litteris Apoſtolicis Sixti IV. Auunculi prædicti Cardinalis, Carmelitę habuerint principium & originem ab Elia & Eliſæo in monte Carmelo, qui vix ad ſex milliaria diſtat à Nazareth, debuerunt ex prædicto iure vicinitatis hanc ſacram domum Nazarenam origine & ſitu Lauretanam prætendere, cum non eſſet alius iuſtus prætenſor. Quarta fundatur in iure poſſeſſionis, quæ non apparet iniuſta: Cum ergo noſtri Patres ac anteceſſores Sanctiſſimi, vt conſtat tum ex antiquiſſima traditione religionis Carmelitanæ, tum ex hiſtorijs fide dignis; omnia ferè loca Terræ Sanctę, inter quæ fuit hæc ſacra domus, poſſederint ac religioſiſſimè gubernarint, prædicto iure potuerunt illam prætendere ex antiqua poſſeſſione, cum ex Palæſtina translatam miraculosè viderunt in Italiam, & aliàs nullum haberet iuſtum poſſeſſorem; Vnde vigebat ius antiquæ poſſeſſionis. Prædictus noſter Baptiſta Mantuanus occaſione prædictæ prætēſionis breuem ſacræ domus Lauretanæ ſcripſit hiſtoriam, vt refert Turſellinus lib. 2. cap. 6. dicens: *Ergo a Mantuano viro celeberrimo prodita litteris eſt Lauretana hiſtoria, quæ ad eum diem ſermonibus tantùm vſurpabatur: Ex eo tēpore vulgari cœpta, magno vel Lauretanę religionis incremento, vel mortalium bono; namque ea, quam dico hiſtoriam, breui volumine circumlata, cum auidè ac paſſim lectitaretur, plurimorum animos ad Lauretanam Aedem viſendam colendamque pellexit*. Quod autem poſſeſſio huius ſacræ domus fuerit nobis conceſſa, docet Bzouius & Spondanus ad annum Chriſti 1489. Turſellinus lib. 2. c. 5. Panciroſus in ſuo libro de Theſauris abſconditis Almæ Vrbis Romanæ, loquens de Eccleſia S. Iuliani ad trophæa Marij. Et ex eo Georgius Coluenerius in Kalendario Sanctiſſimę Virginis Mariæ pro die 10. Decembris, dicens quòd ædicula B. Virginis, quæ nunc eſt Laureti, per annos pluſquam mille fuerit ſub cura Carmelitarum in Galilæa (ideòque eiſdem attributam eſſe ab Innocentio VIII. eamq; per multos annos tenuiſſe: ſubiungit noſter Mantuanus quoddam celebre miraculum in liberatione cuiuſdā fœminæ nobilis ex Gallia a ſpiritibus immundis, aſſerens dęmonem, etſi patrem mendacij, coactum exorciſmis reſpondiſſe ſacram domum Lauretanam, antequàm ex Ciuitate Nazareth transferretur fuiſſe Carmelitarum curæ commiſſam. Hæc ſacra domus ſic venerabilis eſt, quod omnes Chriſtiani Principes immenſis muneribus eam ditauerint; Et nouiſſimè Sereniſſima D. Chriſtina Suecorum Regina facta Catholica, ad eam ſceptrum & coronam attulerit.

AD Primum ergo dicendum, quod illa conceſſio Summi Pontificis nō fuit omninò gratuita, cum facta fuerit propter adductos iuris titulos, de quibus dictum eſt; quamuis aliàs vt valde gratuitam & gratioſam agnoſcamus. Tunc autem dictus Cardinalis Protector ordinis non erat amplius nepos Pontificis; mortuus enim erat Sixtus IV. & ſedebat Innocentius VIII.

AD Secundum dicendum, quòd Carmelitę Congregationis Mantuanę dimiſerunt ſponte adminiſtrationē ſacrę domus Lauretanæ propter aeris inclemētiam, qua plures infirmabantur, & etiam moriebantur, vt dicitur: Verū meritò dimiſerint, relinquentes propterea hoc sāctuarium, non iudico, iudicet lector. Deflent tamen nunc noſtri Carmelitę dimiſſionem huiuſmodi.

AD Tertium dicēdum, quod illi tituli iuris non ſunt demonſtratiui, ſed tantùm congrui & conuenientiæ: Vnde re integra, ſuaſerunt huius ſacræ domus Lauretanæ adminiſtrationē Carmelitis eſſe cōcedendam; poſt conceſſam verò alijs, non habent locum, quia alij ius acquiſierunt ex poſſeſſione. Et idem dicendum de Sanctuario Nazareno.

ARTICVLVS V.

Vtrum Carmelitæ ſpeciali veneratione Sacram Beatiſsimæ Virginis Mariæ familiam ſemper coluerint.

AD Quintum ſic proceditur; Videtur quòd Carmelitæ non ſemper coluerint ſpeciali veneratione Sacram Beatiſsimæ Virginis Mariæ familiam. Probatur ſigillatim de omnibus Sanctis ſacræ illius familiæ, qui fuerunt Sanctus Ioachim Pater Deiparę Virginis, Sancta Anna eius mater, & Sanctus Ioſeph ſpōſus ipſius. Et quidem de S. Ioachim, non apparet ſpecialis Carmelitarum veneratio; nihil enim aliud faciunt, quàm recitare eius officium, quòd faciunt alij: Ergo Carmelitæ non ſemper coluerunt ſpeciali veneratione Sacram Beatiſsimę Virginis Mariæ familiam.

¶ 2. Pręterea: Iam à multo tempore communis eſt deuotio Sanctæ Annæ & præſertim in Gallo prouincia, quæ ſacrum eius corpus in Aptenſi ciuitate poſſidet; ibi enim plures in eius obſequium diebus martis per totum annum ieiunant; non autem hoc faciunt Carmelitæ, nec aliud ſpeciale pro ipſa: Ergo Carmelitæ non coluerunt ſpeciali veneratione ſacram Beatiſsimæ Virginis Mariæ familiam.

¶ 3. Preterea: Carmelitæ ſolùm conceperunt deuotionem erga Sanctum Ioſeph, ex his quæ ſcripſit S. Thereſia de fideli ac efficaci eius interceſsione; Et aliunde deuotio erga S. Ioſeph eſt multò antiquior, cum V. D. Gerſon mira de ipſo ſcribat: Ergo Carmelitæ non coluerunt ſemper ſpeciali veneratione ſacram Beatiſſimæ Virginis Marię familiam.

SED CONTRA eſt traditio antiquiſſima & vniuerſalis noſtræ Religionis, & plura huius veritatis monumenta.

CONCLVSIO.

Carmelitæ ſpeciali veneratione Sacram Beatiſsimæ Virginis Mariæ familiam ſemper coluerunt.

RESPONDEO dicendum, quod Carmelitæ ſpeciali veneratione ſacram Beatiſsimæ Virginis Mariæ familiam ſemper coluerunt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd quidem Ieſus Chriſtus, & ipſa Virgo Maria ſunt præcipui huius ſacræ familiæ, ſed tamen de illis non agimus in preſenti, quia Ieſus Chriſtus eſt vniuerſalis Dominus vniuerſaliter cultus ab omnibus, de ſpeciali verò Carmelitarum veneratione erga Deiparam Virginem Mariam dictum eſt: Vnde propoſitam difficultatem examinamus, in ordine ad S. Ioſeph ſponſum ipſius Sanctiſſimæ Virginis, ad S. Ioachim & S. Annam parentes eius, & ad Sanctā Emerentianam auiam eiuſdem, de quibus nobis conſtat eſſe Sanctos & componere hanc ſacram familiam.

Probatur Concluſio ſigillatim: Et primò quantum ad S. Ioſeph, qui eſt præcipuus Patronus noſtri Carmeli renouati: eſt ſolemnitas eius ſecundæ claſſis, eiuſque officium ab immemoriali tempore in tota Religione Carmelitana celebratur, quod olim erat proprium ex approbatione Sedis Apoſtolicæ, vt refert Carthagena libro 4. homilia 8. in cuius hymno dicebatur de paruulo Ieſu blandiente Matri ſanctiſſimæ, & Sancto Ioſeph nutritio.

Nunc ad Ioſeph tanquam Patrem,
Nunc ad Sanctam repſit matrem
Per virgineas ceruices
Gratas alternando vices.

In noſtra Diſcalceatorum congregatione ſunt duæ prouinciæ ſub eius inuocatione, ſcilicet Aragoniæ & Belgij, ex viginti, conuentus autem quàm plurimi, ità quòd nulla ſit prouincia, quæ ſub eius inuocatione conuentum aliquē, & etiam plures non habeat: nec mirum

cum

cum S.M.N.Thereſia primum ſuarum Monialium Abulæ conuentum ſub titulo S.Ioſeph fundauerit: Certè N S.Mater ſuis ſcriptis inueteratam huius Sancti Patriarchæ deuotionem renouauit, quam eius filij totis viribus promouerunt.

Quantùm ad Sanctum Ioachim Beatiſsimæ Virginis Patrem: ſemper noſtra religio Carmelitana ſingularem in eum deuotionem conſeruauit, præſertim ex eo tempore quo Ieroſolymis ad portam auream noſtri Carmelitę domum eius ac Sanctæ eius coniugis Annæ ad erigendum conuentum a ſexcentis ferè annis obtinuit. Officium eius ab immemoriali tempore recitant noſtri Patres & ipſe pluribus annis, antequam in tota Eccleſia recitaretur, illud recitaui; Plures etiam Religionis conuentus ſub eius inuocatione reperiuntur, ſicut Hoſpitium Romanum noſtrorum Patrum Hiſpaniç: Quamuis autem ſit inter nos tantæ venerationis Sanctus Ioachim, ratione quàm maximæ ſanctitatis propriæ, ſpecialitèr tamen ad illum concurrit honorificus admodum titulus Patris Beatiſsimæ Virginis Deiparæ.

Quantùm ad Sanctam Annam Sanctiſsimæ Virginis Mariæ matrem: certiſsimum eſt antiquiſsimam eſſe noſtræ Religionis Carmelitanę deuotionem erga eam, cum ab immemoriali tempore officium eius recitetur; cui propriæ Antiphonæ ad Magnificat & ad Benedictus ſunt appoſitę; Ad Magnificat quidem habetur, *Anna parens ſublimis Domine, quæ eſt mater miſericordię, gemma lucens cęleſtis curiæ, te veneramur amore filiæ*; Ad Benedictus autem ſic habetur, *O Beata Anna, quæ ſemper regnas cum Angelis, illic noſtri ſic memor eſto, vt tuo mereamur ſociari collegio*. Feſtum eius eſt apud nos admodum ſolemne: multi conuentus noſtri ſub eius inuocatione conſtruuntur. Noſter Diſcalceatus P.Io: Thomas à S. Cyrillo librum ſatis magnum ſcripſit de laudibus, excellentijs, ac prærogatiuis S.Annæ.

Quantùm ad Sanctam Emerentianam S.Annæ matrem & Sanctiſsimæ Virginis Auiam: Fuit ſemper ſpecialis noſtrę religionis erga eam veneratio: Cuius duplex eſt fundamentum: primum quidem, quia ipſa circitèr anno ſeptuageſimo ante Diuini Verbi Incarnationem viuens, noſtros in monte Carmelo religioſos frequentabat, eorumque directioni ſuam committebat conſcientiam, quam ſemper puriſsimam ac Deo gratiſſimam agnouerunt; ſecundum autem fuit reuelatio diuinitùs ipſis facta de meritis eiuſdem Emerentianæ, quæ fuerat electa quaſi radix ipſius arboris & rami, vnde naſceretur fructus æternæ vitæ Meſsias: Et ſic ex tunc adhuc viuentem cœperunt venerari, & deinceps velut hæreditaria ſucceſsione continuarunt, pręſertim iam completo Sacratiſsimæ Incarnationis myſterio.

AD Primùm ergo dicendum, ſicut iam dictum eſt, quòd in noſtra Religione Carmelitana recitabatur officium S. Ioachimi, antequam apponeretur in Breuiario a Gregorio XV. Summo Pontifice: imo eſt fundamentum, quòd V. P. N. Dominicus à Ieſu Maria dilectus huic Pontifici, mouit ipſum ad promouendum deuotionem totius ſacrę familiæ Virginis Deiparæ.

AD Secundum dicendum, quòd noſtri Carmelitę prędictam ſpecialem exercent deuotionem erga Sanctam Annam, imò & ſuo die cantant miſſam ſicut in feſtis Beatiſsimæ Virginis: nec poſſunt omnes aliorum erga Sanctos deuotiones aſſumere, ſicut aſſignatam illam in Galloprouincia, quia pro ipſis eſſent nimiæ.

AD Tertium dicendum, quòd in religione Carmelitana ſemper continuauit deuotio erga S.Ioſeph; cuius ſignum eſt, quia ipſa S.M.N. Thereſia fuit erga illum deuotiſſima: Verum tamen eſt, quod ſuis ſcriptis eam vbique renouauit pœnè ſopitam, ac ſummoperè promouit in tota Eccleſia; ſed præſertim in Religione Carmelitana, inter ſuos fratres & filios.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XXI.

De nominibus Carmelitanæ Religionis.

CVM Religio Carmelitana in ſuo decurſu varijs nominibus fuerit inſignita, tam ſub antiqua quàm ſub noua lege; Ideò in præſenti de illis agimus: Circa quod quæruntur.

¶ Primo, Vtrum Carmelitę in antiqua lege meritò fuerint nominati Prophetæ.

¶ Secundo, Vtrum Carmelitę in antiqua lege meritò fuerint nominati Filij Prophetarum.

¶ Tertiò, Vtrum Carmelitę in antiqua lege meritò fuerint nominanati Rechabitæ.

¶ Quarto, Vtrum Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati fuerint Eſſeni & Aſſidæi.

¶ Quinto, Vtrum Carmelitæ poſſint vocari Fratres Beatiſſimę Virginis Mariæ de monte Carmelo.

¶ Sextò, Vtrum Carmelitæ ſub finem legis antiquæ, & in principio legis gratiæ meritò nominati fuerint Diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ.

¶ Septimo, Vtrum Carmelitæ poſſint meritò ſic à monte Carmelo denominari.

ARTICVLVS I.

Vtrum Carmelitę in antiqua lege meritò fuerint nominati Prophetæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ in antiqua lege non fuerint meritò nominati Prophetę. Probatur: Licet in antiqua lege fuerint collegia Prophetarum, vt legitur ſub Samuele; hi tamen non erant veri religioſi, quales tunc ſe fuiſſe dicunt Carmelitæ, quia præceſſerunt Eliam primum ſtatus religioſi fundatorem; Et in Sacra Scriptura legitur, quòd diſcipuli Eliæ vocabantur Filij Prophetarum, ſic ab ipſo Elia & Eliſeo Prophetis denominati: Ergo in antiqua lege, ſi Carmelitę fuerint dicti Prophetæ, tales immeritò nominabantur.

¶ 2. Præterea: Duo genera Prophetarum in antiqua lege dicuntur fuiſſe cum fundamento Sacræ Scripturæ; quidam ſic denominati à Spiritu prophetico; alij verò à canendis laudibus diuinis iuxta illud, *nunquid Saul inter Prophetas*: Sed Carmelitæ religioſi in antiqua lege ex neutro ipſorum poterant vocari Prophetæ; non ex primo, quia licet inter ipſos aliqui haberent Spiritum propheticum, erat tamen minor pars, à qua non fit denominatio; nec ex ſecundo, quia talis denominatio fuiſſet æquiuoca, & cauſaſſet confuſionem ob duplicem nominis Prophetæ ſignificationem; maximè quia non ita propriè deriuatur ex ſecundo genere: Ergo Carmelitæ in antiqua lege non fuiſſent meritò nominati Prophetæ.

¶ 3. Præterea: Si Carmelitæ in antiqua lege fuiſſent meritò nominati Prophetę à ſecundo genere Prophetarũ, nempè à canendis laudibus diuinis, tam honorificum nomen conſeruaſſent toto tempore legis antiquæ, cum in tali exercitio perſeuerauerint: Sed non contiuuauit

Digitized by Google

uit nomen Prophetarum in Carmelitis, ſi illud habuerunt, non enim ad hoc intentum inuenitur in Sacra Scriptura & antiquis authoribus: Ergo Carmelitę in antiqua lege non fuiſſent meritò nominati Prophetæ.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis & antiqua religionis Carmelitanæ, & communis authoritas Doctorum ipſius, præſertim Ioannis 44. libro & capite ſtatim citando.

CONCLVSIO.

Cum Carmelitæ primi S. Eliæ diſcipuli maiori ex parte ſpiritum prophetiæ haberent, & omnes in canendis laudibus diuinis occuparentur, meritò nominati ſunt Prophetæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati ſunt Prophetæ ſub principio fundationis Carmelitanæ religionis; Tum à Spiritu prophetiæ, quo illuſtrabantur. 2. Tum ab aſſiduo canendi diuinas laudes exercitio. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd nomen Prophetæ vel deſumitur à Spiritu prophetiæ, quo perfuſi Sancti Dei præuident & prædicunt futura: Et in hoc ſenſu iam communius recepto nomen Prophetæ deriuatur à procul fando, quia Sancti ſic prophetantes quaſi procul & à longè prænuntiant illo ſpiritu vel futura, vel remota annuntiant: vel deſumitur nomen Prophetę à fandis, & proferendis laudibus diuinis, Vnde Cunei pſallentium dicebantur Congregationes Prophetarum, iuxta illud; *Nunquid Saul inter Prophetas*: Dicimus igitur, quòd in vtraque acceptione Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati ſunt Prophetæ ſub principio fundationis Carmelitanæ religionis.

Probatur prima pars concluſionis dicta traditione antiquiſſima: & vniuerſali noſtræ Religionis, & authoritate Doctorum ipſius, maximè Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani libro de Inſtitutione monachorum cap. 11. vbi ſic ait: *Et propterea hi monachi, qui priùs vocabantur prophetę fuerunt poſtmodum appellati filij prophetarum*. Deinde probatur ratione: Illi meritò nominantur prophetæ à ſpiritu prophetiæ, qui tali ſpiritu illuſtrantur, vt patet ex ipſis terminis: Sed Carmelitæ in antiqua lege ſub principio fundationis Carmelitanę religionis illuſtrabãtur ſpiritu prophetię, maiori ſaltem ex parte, à qua debet fieri denominatio, iuxta dictum illud Sacræ Scripturæ de Eliæ priuilegio, *Qui prophetas facis ſucceſſores poſt te*; quod inductione confirmatur, nam Elias ipſorum fundator erat in hoc ſenſu propheta, ſicut & quatuor primi eius diſcipuli, nempè Eliſæus, Ionas, Michæas filius Iemla, & Abdias; & idem dicendum de alijs primitiuis eius diſcipulis cum enim eſſent omninò ſolitarij, & à tumultu rerũ mundanarum penitùs ſegregati, magis erant diſpoſiti ad diuinas communicationes percipiendas ex illo Scripturæ, *Ducam illam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*: Ergo Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati ſunt prophetæ, ſub initio fundationis Camelitanæ religionis, à ſpiritu prophetię quo illuſtrabantur.

Probatur ſecunda pars concluſionis: Tum adducta traditione & authoritate Doctorum noſtræ religionis, qui principaliter nomen prophetarum in primis Carmelitis deriuant ab aſiduo canendi diuinas laudes exercitio. Deinde probatur ſequenti ratione: Illi meritò nominantur prophetę ab exercitio canendi diuinas laudes, qui aſiduè diu noctuque magnaque deuotione canunt eas, vt conſtat ex dictis, & ex ipſis terminis: Sed Carmelitæ in antiqua lege ſub principio fundationis Carmelitanæ religionis, aſſiduè diu noctuque magnaque deuotione canebant diuinas laudes; propterea ad hoc exercitium capellam ędificarunt dictam Semnion, quæ toto tempore legis antiquæ perſeuerauit, & poſtmodum in lege gratię fuit ędificata alia in honorem Beatiſsimę Virginis, in qua pro-

Digitized by Google

propheticum hoc exercitium canendi diuinas leges continuarunt, vt aſſerit dictus Ioannes 44. cap. 36. dicens; *Poſtquã tam expreſſam & propriam primitiarum ſpontaneæ virginitatis conformitatem inter ſe & Dei genitricem cognouerunt adimpletam, ipſi ex tunc fratres Beatæ Mariæ Virginis appellati fuerunt; Et in memoriam viſionis de ortu huius Virginis præoſtenſę Sancto Prophetæ Eliæ, ſub ſpecie nubeculæ aſcendentis de mari in Carmelũ, monachi prædicti anno Incarnationis Filij Dei octogeſimo tertio, diruentes eorum Sẽnion antiquum, ædificauerunt huic primæ Virgini Deo dicatę capellam quandam in monte Carmeli, iuxta fontem Eliæ, in ſitu illo in quo Elias orans viderat nubeculam illam quaſi veſtigium hominis de mari aſcendere in Carmelũ; vbi profeſſores prædicti ſeipſos huic Virgini commendantes ſingulis diebus in ſeptem horis canonicis, ad effundendum dictæ Virgini & eius filio ſedulas preces & ſupplicationes, atque laudes etiam tunc ſemper conuenerunt; ibique de verbo diuino, culpiſque vitandis, & animarum ſalute procuranda, humili colloquio adinuicem contulerunt; Et propterea cæteri etiam ab eorum religione externi eos deinceps fratres Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli ſemper appellauerunt.* Hactenus Ioannes: Ergo Carmelitę in antiqua lege meritò nominati ſunt Prophetę, ſub principio fundationis Carmelitanę Religionis, ab aſſiduo canendi diuinas laudes exercitio.

AD primum ergo dicendum, quòd quidem Sacra Scriptura non facit mentionem de Carmelitis Sancti Elię diſcipulis ſub nomine Prophetarum, ſed tantum ſub nomine filiorum Prophetarum, vt probat argumentum; nam illa Prophetarum collegia, ſaltem ante Eliã, non fuerunt religionis Carmelitanæ, quamuis multi poſtmodum ad ipſam ea tranſiſſe doceant: Ratio autem cur Sacra Scriptura non faciat huiuſmodi mentionem, eſt quia nomen prophetarum in diſcipulis Elię Carmelitis parum durauit, & ſtatim ſubrogatum eſt nomen filiorum prophetarum, vt articulo ſequenti dicetur; alij tamen hanc mentionem fecerunt, vt Ioannes 44. citatus.

AD ſecundum dicendum, quòd ex vtroque genere prophetarum Carmelitæ in antiqua lege ſub principio fundationis Carmelitanę religionis dicti ſunt prophetę, vt probatum eſt. Vnde ad impugnationem contra primum, dicendũ quod in illo principio maior pars Carmelitarũ diſcipulorũ Elię habebat Spiritum propheticum, qui poſtea non fuit ita communis aucto diſcipulorum numero, & ſic ceſſauit ab eis nomen prophetarum: Ad impugnationem contra ſecundum, dicendum quòd nomen prophetarum ceſſauit à communitate diſcipulorum Elię, quando ſpiritus propheticus non erat eis communis, fortè ad tollendam huiuſmodi confuſionem & ęquiuocationem, & etiam ad maiorem reuerentiam Sanctorum Elię & *Eliſęi*, ac priorum diſcipulorum, ex quibus ſucceſſores nominabantur Filij prophetarũ & non prophetę vt priùs.

AD Tertium dicendum ſimilitèr, quòd Carmelitę non fuerunt nominati prophetę ex ſecundo genere prophetarum pręciſè, ſed ex vtroque ſimul vnito: Vnde ſublato primo quaſi principaliori, ceſſauit ab eis nomen prophetarum, ipſis etiam ob modeſtiam, & humilitatem apud populum id procurantibus, ne nominati prophetę ab officio canendi diuinas laudes, crederentur ab aliquibus habere ſpiritum propheticum.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum Carmelitæ in antiqua lege meritò fuerint nominati Filij Prophetarum.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitę in antiqua lege non fuerint meritò nominati filij Prophetarum. Probatur: Iudęi communitèr vocabantur Filij Prophetarum, vt conſtat ex illo dicto Sancti Petri in Actis Apoſtolorum capite 3. *Vos eſtis filij Prophetarum, & Teſtamenti quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros*: Ergo Carmelitę in antiqua lege non meritò fuerunt nominati Filij Prophetarum, quia nomen commune plurium non debet fieri particulare paucorum, ne in eius prolatione ſit confuſio, & ęquiuocatio generetur.

¶ 2. Prętereà: Carmelitę in antiqua lege fuerunt religioſi, vt ipſi probant; Filij autem prophetarum non erant religioſi, quia habebant vxores, vt conſtat ex illo libri 4. Regum cap. 4. *Mulier quædam de vxoribus prophetarum clamabat ad* Eliſæum, *&c.* Ergo Carmelitæ in antiqua lege non meritò fuerunt nominati filij Prophetarum.

¶ 3. Prętereà: Carmelitę in antiqua lege votis ſaltem ſimplicibus erant in ſtatu religioſo ſtabiles, ita vt non poſſent recedere a ſua congregatione, nec ab ea dimitti quacumque ex cauſa: Sed Filij prophetarum non erant huiuſmodi, nam recedebant, & dimittebantuur a ſocijs, vt conſtat in facto Giezi relato libro 4. Regum cap. 5. cui dixit S. Eliſeus dimittens & damnans; *Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, vt emas oliueta & vineas, & oues & boues, & ſeruos & ancillas; ſed & lepra Naaman adhærebit tibi & ſemini tuo vſque in ſempiternum*: Ergo Carmelitę in antiqua lege non meritò fuerunt nominati filij prophetarum.

SED CONTRA eſt authoritas Sacrę Scripturę, quæ diſcipulos Sanctorum Eliæ & Eliſei Carmelitanę religionis alumnos, vocat Filios prophetarum.

CONCLVSIO.

Cum Carmelitę in antiqua lege fuerint diſcipuli, ac proinde filij ſpirituales Sanctorum Prophetarum *Eliæ & Eliſæi, ac aliorum; meritò fuerunt nominati Filij Prophetarum.*

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ in antiqua lege meritò fuerunt nominati filij prophetarum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quaſi de Fide diuina certum, diſcipulos Sanctorum prophetarum Elię & Eliſei (qui ſimul erant alumni Religionis per ipſos in monte Carmelo fundatæ) nominatos fuiſſe filios prophetarum: Vnde non fecimus ſpeciale dubium, Vtrum nominati in Sacra Scriptura filij prophetarū fuerint alumni religionis Carmelitanæ; ſuppoſuimus enim tanquam euidens, determinato iam quòd noſtra Religio Carmelitana ſit ipſamet abſque interruptione, quam Sanctus Elias propheta in monte Carmelo fundauit: Vnde ſolùm in pręſenti quęrimus, vtrum illius religionis alumni, a loco fundationis eius dicti Carmelitę, in antiqua lege meritò nominati fuerint filij prophetarum: Et aſſerimus ſic conuenienter fuiſſe nominatos, primariò quidem ab ipſis Sanctis prophetis Elia & Eliſeo fundatoribus, ſecundariò autem ab alijs Sanctis prophetis ipſorum inſtructoribus.

Probatur concluſio ex parte primarij tituli huius denominationis: Verè fundatores alicuius religionis dicuntur patres ſpirituales illius, & alumnorum eius, quia ipſos in vita ſpirituali religioſa genuerunt, iuxta dictum S. Pauli ad fideles quos conuerterat; *Ego genui vos per Euangelium in Chriſto Ieſu Domino noſtro*: Et è conuerſo ac correlatiuè tales alumni dicuntur filij ſpirituales illorum

Digitized by Google

rum fundatorum; nam ſicut illi vitam ſpiritualem religioſam iſtis dederunt, ſic iſti vitam huiuſmodi ab illis receperunt: Vnde videmus, quòd ſicut S. Dominicus (& ita de alijs religionum fundatoribus) dicitur pater Dominicanorum, ſic Dominicani dicuntur filij S. Dominici: Sed ex vna parte illi qui in Sacra Scriptura nominantur filij prophetarum ſunt diſcipuli ac filij ſpirituales Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei, quia alumni religionis Carmelitanæ per ipſos fundatæ, vt dictum eſt; ex alia verò parte meritò huiuſmodi ſpirituales filij à ſuis patribus ſpiritualibus denominantur, prꝗſertim cum ſint inſignes viri, vt Benedictini a S. Benedicto, Auguſtiniani a S. Auguſtino &c: Ergo; cum Elias & Eliſeus ſint inſignes prophetæ, Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati fuerunt filij prophetarum.

Secundò probatur ex parte ſecundarij tituli huius denominationis, ſimili penitùs ratione, ſed breuitèr propoſita, quia ex prædicta nota: Inſtructores in vita ſpirituali dicuntur patres ſpirituales diſcipulorum, & hi dicuutur filij ſpirituales illorum, ſecundariò tamen, ſi ſint alij in hoc munere magis principales & primarij, vt contingit in præſenti caſu de fundatoribus religionum, quia principaliùs ab illis alumni religionum, quam à particularibus inſtructoribus vitam ſpiritualem religioſam, ac primariò recipiunt: Sed Carmelitæ in antiqua lege, præter Eliam & Eliſeum, habuerunt alios prophetas Sanctos in vita ſpirituali religioſa inſtitutores aut inſtructores, vt ſtatim dicetur: Ergo Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati fuerunt Filij prophetarum. Confirmatur hæc ratio authoritate noſtri Ioannis 44. in libro toties citato capite 11. vbi ſic eam proponit: *Ex tunc factum fuit, quòd Elias multiplicatis iſtis monachis per eum inſtitutis, quoſdam ex eis excellentes prophetas qui futura præuidebant aſſumpſit ad hoc officium, vt ſcilicet cum eo & poſt eum dictos monachos ſollicitè in vita monaſtica ſecundum formam ei traditam à Deo erudirent, & in diſciplina prophetica, & in pſalmis in pſalterio canendis eos inſtituerent, & ita diligentem curam eorum gererent, ac ſi filij eorum eſſent: Et propterea hi monachi, qui priùs vocabantur Prophetæ, fuerunt poſtmodum appellati Filij prophetarum, quia dictorum excellentiùs prophetarum huius religionis erant diſcipuli, & in prophetica ac in monaſtica diſciplina ſub regimine ipſorum tanquam patrum ſuorum prophetarum: Et ſub hoc titulo, quo dicebantur filij prophetarum, fit ſæpe in libro regnorum de his monachis mentio.* Hactenus author iſte.

AD primùm ergò dicendum, quòd in illo loco per filios prophetarum, idem Ioannes intelligit noſtros Carmelitas, qui ipſa die Pentecoſtes, audito vehementi illo ſuperuenientis ſpiritus ſono, concurrerunt ad cœnaculum Apoſtolorum ex vicino ipſorum hoſpitio, ad quos S. Petrus ſub finem ſermonis adducta verba protulit., poſtquam populum præſentem fuiſſet alloquutus: Quod videtur fundatum in eo qnod ibidem dicitur accurriſſe viros religioſos ex omni natione, qui audiebant Apoſtolos linguis ſuis loquentes. Deinde nomen commune plurium poteſt paucis particularibus appropriari propter ſpecialem rationem in his paucis præ cęterrs concurrentem, vt contingit in præſenti, & tunc ex adiunctis tollitur confuſio & æquiuocatio.

AD Secundum dicendum, quòd filij prophetarum non habebant vxores: illa autem mulier erat vidua relicta Abdiæ prophetæ, quando adhæſit Eliæ, & factus eſt Religionis Carmelitanę alumnus, vt ait idem Ioannes 44. citatus.

AD Tertium dicendum, quod Giezi non fuit propriè diſcipulus S. Eliſei, nec filius prophetarum alumnus Religionis Carmelitanę, ſed fuit puer & quaſi ſeruus Eliſei; ſic enim nominatur in illo capitulo, & ad ſummum tertiarius religionis Carmelitanæ: Vnde non mirum, quòd propter illud crimen ſimonię dimiſſus ſęcularitèr vixerit.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrum Carmelitæ in antiqua lege meritò fuerint nominati Rechabitæ.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ in antiqua lege non meritò fuerint nominati Rechabitæ. Probatur: Erat congregatio Rechabitarum apud Iudæos, de qua fit mentio in Sacra Scriptura; qui tamen non erant religioſi, quia ducebant vxores, & habebant familias;nec inueniuntur alij Rechabitæ apud Authores probatos: Ergo cum Carmelitæ in antiqua lege ſe veros fuiſſe religioſos dicant,non meritò ſe Rechabitas nominaſſent.

¶ 2. Præterea: Si Carmelitæ in antiqua lege fuiſſent nominati Rechabitæ; ex vna parte hoc nomen cauſaſſet confuſionem, quia prædictæ congregationi non religioſę primariò conueniebat, quo proinde fuiſſent ſignificati potiùs illius alumni quàm Carmelitæ religioſi; Ex alia parte nomen Rechabitarũ ab illis deriuatum non fuiſſet Carmelitis honorificum, quia illi erant Proſeliti & aduentitij ex Madianitis, ac ita noui fideles qui à templo excludebantur: Ergo Carmelitæ in antiqua lege non fuerunt meritò nominati Rechabitæ.

¶ 3. Præterea: Vel nomen Rechabitarum in antiqua lege conueniſſet Carmelitis à Sanctis prophetis Elia & Eliſęo, qui dicti ſunt Rechab ſeu currus Iſrael, vt ait Iacobus Boulduc; Vel à S. Ionadab Principe Rechabitarum, qui cum aliquot ex ſuis factus eſt diſcipulus Eliſæi, & alumnus religionis Carmelitanæ: Sed ex neutro capite hoc nomen conueniſſet Carmelitis meritò;non ex primo, quia interpretatio illa non videtur vera; nec ex ſecundo,quia denominatio non fit à paucis, & aliunde inerat Carmelitis glorioſum nomen Filiorum prophetarum: Ergo Carmelitæ in antiqua lege non fuerunt meritò nominati Rechabitę.

SED CONTRA eſt vniuerſalis, & antiquiſſima Religionis Carmelitanæ traditio, communis ſententia Doctorum ipſius & exterorum.

CONCLVSIO.

Cum ad Carmelitas acceſſerit S. Ionadab Princeps Rechabitarum cum pluribus ex ſuis, & Carmelitæ fuerint diſcipuli Eliæ & Eliſæi dictorum Rechab, meritò nominati ſunt Rechabitæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati fuerunt Rechabitæ; Tum quia S. Ionadab Princeps Rechabitarum cum pluribus ex ſuis ad ipſorum religionem ſub S. Eliſæo acceſſerit. 2. Tum quia Sancti Prophetæ Elias & Eliſæus vocati fuerunt Rechab ſiue currus Iſrael. Ad cuius euidentiam ſciendnm eſt, quòd alũni religionis Carmelitanę ſæpiùs nomẽ mutauerũt in decurſu tẽporis tot ſæculorum: In principio dicti ſunt Prophetę, non multò poſt ſub ipſomet Elia ſuo fundatore propter adductam rationem dicti ſunt Filij Prophetarum: Exinde ſub regimine Sancti Eliſæi dicti ſunt Rechabitæ, vt referunt multi authores etiam externi: In pręſenti examinamus rationes, vnde hoc nomen potuit oriri, vtrum ſint legitimæ, propter quas meritò Carmelitis conueniat.

Probatur prima pars concluſionis: Sanctus Ionadab fuit Princeps congregationis Rechabitarum, ipſorumque reformator, vt conſtat ex capite 35. Ieremię Prophetæ, in quo ipſi Rechabitæ mentionem illius admodum honorificam faciunt, quaſi filij pręceptis eius obedientiſſimi: Qui Ionadab, viſo miraculo Sancti Eliſei, quo filium Sunamitis defunctum à mortuis ſuſcitauit, ipſi Eliſęo adhæſit, ex cuius inſtructione primùm ſuam Rechabitarum congregationem in multis reformauit, editis pluribus præceptis loco citato Ieremiæ relatis, vt ait noſter Ieroſolymitanus capite 25. quamuis tunc in virginali ca-

Digitized by Google

ſtitate Eliſæum ſecutus non fuerit; Poſtmodum tamen in hoc etiam eum ſecutus eſt cum pluribus alijs ex dicta congregatione, vt eſt communis traditio noſtrę Religionis Carmelitanæ, cuius proptereà alumnos fuiſſe ſupra probauimus: Cum hic Ionadab eſſet vir illuſtriſſimus, & apud omnes nominatiſſimus, vt conſtat ex eo quòd Iehu nouus Rex Iſrael data manu ipſum in ſuum currum aſſumpſerit, cum in curiam Samariæ quaſi triumphator intraret; Inde factum eſt, quod ex illo principe Rechabitarum, & ex pluribus Rechabitis ſequacibus eius, diſcipuli S. Eliſei, quibus mixti ſunt, nominati fuerint Rechabitæ, qui priùs Filij Prophetarum vocabantur: Ergo Carmelitę in antiqua lege meritò nominati ſunt Rechabitę ex hoc titulo.

Probatur Secunda pars concluſionis tum authoritate, tum ratione Iacobi Boulduc lib. 3. de Eccleſia ante legem cap. 6. vbi ſic ait ad intentum noſtrum: *Eliæ autem & Eliſæo ſucceſſit in officio vir ſapientia & ſanctitate celeberrimus Ionadab, qui paſſim in Scriptura dicitur filius Rechab; quia filius, id eſt diſcipulus fuit eorum, qui primi hoc nomine Rechab honoris cauſa vocati ſunt; iſti autem fuerunt Elias & Eliſæus, ille quidem ab iſto quando ſursùm ferebatur per turbinem in Cælum vidente, iſte verò a Ioas Rege Iſrael, cum ægrotaret infirmitate qua mortuus eſt (currus enim Hebraicè dicitur Rechab ſiue Rechab) ab illo ergo die nomen Rechab honorabile factum eſt, ita vt præcipuus Filiorum prophetarum Archimandrita, qui in hoc munere ſucceſſit Eliſæo, Filius Rechab, quaſi vtriuſque Rechab nempe Eliæ & Eliſæi diſcipulus appellatus ſit, & omnes ſodalitatis illius alumni deinceps Rechabitæ ſunt appellati; quod idem eſt, ac ſi Eliaitæ vel Eliſaitæ diceretur.* Hęc author ille, quę ſecundam partem concluſionis probant.

AD Primum ergo dicendum, quòd quidem alumni primitiui illius congregationis Rechabitarum non erant religioſi, vt ratio probat: Sed tamen alios inuenimus Rechabitas apud probatos Authores, qui fuerunt veri religioſi, pręſertim apud S. Hieronymum, noſtrum Ioannem Ieroſolymitanum & alios plures, de quibus intelligimus in pręſenti.

AD Secundum dicendum, quantùm ad primam partem, quòd non ſemper cauſatur confuſio, quando nomen aliquod duo ſignificat, quia ex circumſtantijs facilè dignoſcitur de quo illorum debeat tale nomen intelligi: Quantùm ad ſecundam partem dicendum, quod nomen Rechabitarum apud Iudæos erat honorificum ex ſuo authore, nempe Hobab ſiue Rechab cognato Moyſi filio Iethro ſiue Raguelis ſacerdotis Madian nobiliſſimi; Et appropriatum diſcipulis Elię & Eliſei carebat omni illa macula, ac velut dedecore Proſelitorum, quod totum conſiſtebat in extrinſecis, vt quòd non liberè ingrederentur in templum, ibique cęteris Iudęis mixti conſiſterent, ſed haberent locum ſpecialem ab illis ſegregatum & coniunctum.

AD Tertium dicendum, quantùm ad primam partem, quòd illa interpretatio citati authoris poteſt eſſe vera quoad deriuationem huius nominis Rechabitarum, quamuis in eius diſcurſu miſceantur aliqua non vera, vt ſuo loco iam ſupra ſufficientèr expendimus, dum inquireretur an Rechabitæ fuiſſent alũni Carmelitanæ religionis: Quantùm ad ſecundam partem dicendum, quòd aliquando fit denominatio à paucis, ſiue à minori parte, quando illi pauci ſunt præcipui, & minor pars eſt ſanior, vt contingit in præſenti; nam Sanctus Ionadab erat Princeps Rechabitarum, & qui eum ſequuti ſunt ad Religionem Carmelitanam, erant præcipui alumni Congregationis Rechabitarum: Deinde hæc denominatio facta eſt de nouo a populo, iuxta ſenſum primę partis noſtræ concluſionis, & non ex electione Carmelitarum, qui contenti erant ſuo nomine Filiorum Prophetarum, quamuis implicitè idem eſſet nomen Rechabitarum, nam Rechab ſignificabat Sanctos

Digitized by Google

-ctos Prophetas Eliam & Eliſæum, iuxta ſecundam partem concluſionis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati fuerint Eſſeni & Aſſidæi.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ in antiqua lege non fuerint nominati meritò Eſſeni & Aſſidæi. Probatur: Nomen Eſſenorum & Aſſidæorum deriuatur à ſanctitate ſecundum aliquos: Sed iuxta hanc deriuationem non meritò Carmelitæ nominati fuiſſent Eſſeni & Aſſidæi; ſic enim nominari arguiſſet in eis ſuperbiã & arrogantiam, dum hoc nomen vel ſibi vſurpaſſent, vel ab alijs impoſitum acceptaſſent: Ergo Carmelitæ in antiqua lege non meritò nominati fuerunt Eſſeni & Aſſidæi.

¶ 2. Præterea: Nnmen Eſſenorum ſecundùm alios deriuatur à Sancto Propheta Eliſæo, velut dicti Eſſeni ſeu Eſſei, quaſi Eliſſeni ſeu Eliſſei: Sed iuxta hanc deriuationem non meritò Carmelitæ nominati fuiſſent Eſſeni; cum enim Sanctus Eliſeus non ſit Carmelitarum fundator, at Sanctus Elias, impropriè fuiſſent ab eo denominati: Ergo Carmelitæ in antiqua lege non meritò nominati fuerunt Eſſeni & Aſſidæi.

¶ 3. Præterea: Multa probant Eſſenos & Aſſidæos non fuiſſe religioſos; Tum quia dicuntur habuiſſe diuitias, quę repugnant voto paupertatis eſſentialitèr requiſito ad ſtatum religioſum; Tum quia eis attribuuntur errores contra veram fidem, ſine qua non poteſt eſſe vera Religio; vnde Ioſephus libro 13. Antiquitatum eorum ſectam vocat hęreſim: Ergo Carmelitæ in antiqua lege non meritò nominati fuerunt Eſſeni & Aſſidæi.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis & antiquiſsima noſtræ Religionis Carmelitanæ, & omnium illorum authoritas, qui Eſſenos & Aſſidęos vocant alumnos eiuſdem religionis noſtræ.

CONCLVSIO.

Cum in antiqua lege ſola eſſet religio Carmelitana, & hæc valde Sancta, ac plurimum aucta per Sanctum Eliſæum prophetam; meritò tunc Carmelitæ nominati fuerunt Eſſeni & Aſſidæi.

RESPONDEO dicendum, quod Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati fuerunt Eſſeni & Aſſidæi; Tum à Sanctitate. 2. Tum à S. Propheta Eliſeo. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, ex dictis ſuperiùs, quòd Eſſeni & Aſſidæi fuerunt penitùs ijdem, ab eadem ſanctitate denominati; nam tam Eſſenus quàm Aſſidæus ſignificat ſanctum, à voce Hebræa Chaſid ſeu Haſid: Vnde cũ ſupra diuiſim ac ſigillatim de illis egerimus, inquirentes an fuerint alumni Religionis Carmelitanæ; nunc coniungimus, inquirentes de conuenientia nominis ipſorum reſpectu Carmelitarum ſub antiqua lege: Vnde Genebrardus libro ſecundo Chronologiæ ad annum Mundi 3911. ait *Aſſidæos, id eſt Eſſæos (ſiue Eſſenos) quaſi Sanctos.*

Probatur prima pars concluſionis: Illi qui in antiqua lege dicti ſunt Eſſeni & Aſſidæi, fuerunt veri Carmelitæ religioſi, vt ſupra demonſtratum eſt. Erántque viri pijſſimi, ac ſanctitatis opinione apud omnes inclyti; Et propterea hoc Eſſenorum ac Aſſidęorum nomine fuerunt communitèr inſigniti; Ergo Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati fuerunt Eſſeni & Aſſidæi, à ſanctitate. Hanc rationem adducit Philo Hebræus libro de vita contemplatiua dicens; *Eſſeni a Sanctitate dicti, horum pietati quos meritò comparabimus, verſantes ſacra volumina euaſerunt ad ſupremum fœlicitatis faſtigium*: Ecce quàm ſanctos proponit illos Philo, ex aſſidua legis Domini meditatione, ac diuinorum contemplatione,

Digitized by Google

ne, vt dicat perueniſſe ad ſupremum fœlicitatis faſtigium, ſiue ad eam beatitudinem inchoatam, quæ in hac vita poteſt haberi, ſed ſolo altiſſimę rerum cęleſtium contemplationis exercitio, quo perfuſus mirabiliter intellectus Deum in caligine quodammodo videt, ipſoque voluntas eius amore ſuccenſa ſuauiterque transformata fruitur.

Probatur Secunda pars concluſionis: Poſt raptum Sancti Eliç Prophetæ, noſtra Religio Carmelitana plurimùm creuit, multis fundationibus à S. Eliſeo Propheta factis, & acquiſitis in ipſa pluribus Rechabitis cum eorum principe Ionadab; De fundationibus conſtat ex ſacra Scriptura, & præſertim de illa ad ripas Iordanis, in qua manſerunt vſque ad tempora Chriſti quàm plures Eſſeni, vt ſtatim dicetur; De acquiſitis autem Rechabitis, articulo pręcedenti dictum eſt: Vnde cum fundamento loquuntur illi, qui Eſſenos ſeu Eſſæos, quaſi Eliſſeos à Sancto Eliſeo denominant, tum à loco habitationis ab ipſo eis parato, tum ab augmento & dilatatione religionis ab ipſo facta; Et ita cum ſub ipſo plurimum floreret, non mirum ſi eius alumni ab eodem fuerint denominati: Ergo Carmelitæ in antiqua lege meritò nominati fuerunt Eſſeni. Hanc rationem ex parte adducit Doctiſſimus Genebrardus libro 1. Chronologiæ ad annum mundi 3272. dicens: *Eliſæus conſtruxit cellas Prophetis in Hiericunctis ſolitudine; manauit inſtitutum, & loci Religio ad poſteros, fuitque deſertum hoc vſq; Engaddi ab Eſſenis habitatum, hominibus continentię incredibilis.*

AD primùm ergò dicendum, quòd Carmelitæ non ſibi vſurparunt hoc nomen Eſſenorum & Aſſidæorum, prout à Sanctitate deriuatum; ſed eis fuit inſtinctu diuino impoſitum à populis: Tum quia illorum religio erat potior & ſanctior pars populi fidelis; Vnde videmus quòd in Eccleſia primitiua, tam Pręlati quàm religioſi nomine ſanctitatis inſigniebantur, quòd tamen nunc ſoli Summo Pontifici appropriatur, ob ſupremam eius dignitatem in terris: Tum quia communiter eius alumni erant ſanctitate conſpicui, & apud omnes inclyti: Quod nomen non ſponte acceptarunt, ſed coacti potiùs illud paſſi ſunt.

AD Secundum dicendum, quòd etſi Sanctus Eliſæus propheta non ſit fundator religionis Carmelitanæ, fuit tamen eius promotor eximius, & Eliæ coadiutor fideliſſimus in fundatione; Vnde meritò dicere poterat, Elias plantauit, Ego rigaui, Deus autem incrementum dedit: Propterea ex ipſius nomine denominari potuerunt eius alumni Carmelitæ Eſſeni aut Eſſęi velut Eliſſęi, ex quadam corruptione nominis.

AD Tertium dicendum, ſicut ſupra dictum eſt, quòd Eſſeni & Aſſidæi verè fuerunt pauperes ex voto, ſaltem in particulari: ſi concedantur eis diuitiæ ex redditibus, fuerunt pauperes in particulari, quòd ſufficit ad votum paupertatis: ſi verò concedantur diuitiæ tantũ ex eleemoſynis, fuerunt etiam pauperes in communi, quòd tamen non requiritur ad votum paupertatis. Ad aliud dicendum, quod Eſſeni & Aſſidęi fuerunt ſani in fide; Et illi ritus, qui velut errores eis imputantur, vel fuerunt piæ regulares obſeruantię, vel ſacræ quædam cæremonię futurorum Eccleſiæ myſteriorum præfiguratiuæ, vt ſupra de illis agentes expoſuimus.

AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum Carmelitæ poſſint vocari Fratres Beatiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo.

AD Quintum ſic proceditur; Videtur quòd Carmelitæ non poſſint vocari Fratres Beatiſsimæ Virgiuis Mariæ de monte Carmelo. Ita ſcripſit quidam author, dicens eos potiùs eſſe vocandos Fratres Sanctæ Mariæ AEgyptiacæ. Probatur: Nimia eſt audacia Carmelitarum ſe tam glorioſo inſignire nomine, cum de iure ipſis non debeatur: Ergo Carmelitæ non poſſunt vocari Fratres Beatiſsimæ Virginis Mariç de monte Carmelo.

¶ 2. Prçterea: Vt Carmelitæ poſſint iuſto titulo vocari Fratres Beatiſsimç Virginis Mariç de monte Car-melo, debet concedi quod ipſa Beatiſſima Virgo vel fundauerit Religionem Carmelitanam, vel eius alumna fuerit (non enim vocantur fratres ipſius naturales, at religioſi:) ſed nec Beatiſſima Virgo fundauit religionem Carmelitanam, cum ſit poſterior eius fundatione facta per Eliam; nec fuit alumna eius, cum non deceat Matrem Dei fuiſſe Religionis alicuius alumnam; ſicut nec decuiſſet Chriſtum ipſius filium fuiſſe religioſum: Ergo Carmelitæ non poſſunt vocari fratres Beatiſsimæ VirginisMariæ de monte Carmelo.

¶ 3. Preterea: Si Carmelitæ poſſent vocari Fratres Beatiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo propter cauſas extrinſecas; puta quia fecerunt plura in honorem eiuſdem Vrginis, & prçſertim Capellam in dicto monte; vel quia Virgo ipſa illis plura fecit beneficia, præſertim ſacri ſcapularis; ſequeretur quòd alij quoque religioſi, qui ſimilia pro ipſa fecerunt, vel illis ipſa fecit, poſſent vocari Fratres Beatiſſimæ Virginis Mariæ, nec tam inclytam dimitterent nomenclaturam, vt conſtat ex paritate rationis: Sed alij religioſi non vocantur Fsatres Beatiſſimæ Virginis Mariæ: Ergo nec Carmelitæ poſſunt tales vocari.

SED CONTRA eſt declaratio ipſiuſmet Beatiſſimæ Virginis Mariæ, authoritas Summorum Pontificum, & communis ſententia Doctorum.

CONCLVSIO.

Cum religio Carmelitana fuerit in obſequium Beatiſsimæ Virginis Mariæ fundatori ipſius Eliæ ab initio reuelatæ fundata; Ipſaque Virgo Beatiſſima non ſemel in habitu Carmelitano apparuerit, Et Carmelitas ſuos Fratres appellauerit: meritò poſſunt Carmelitæ Fratres Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo vocari.

RESPONDEO dicendum, quòd multis titulis poſſunt Carmelitæ vocari Fratres Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo: tum quia religio Carmelitana fuit per Eliam fundata in obſequium eiuſdem Virginis Deiparæ ipſi reuelatæ. 2. Tum quia hæc religio primam ipſi Virgini defunctæ capellam in Carmelo ædificauit 3. Tum quia ipſa Virgo Beatiſſima in habitu Carmelitarum non ſemel apparuit. 4. Tum quia ipſamet Carmelitas ſuos Fratres appellauit. 5. Vnde Summi Pontifices Carmelitas inſignierunt hoc glorioſo nomine, & indulgentias ijs conceſſerunt, qui tali nomine eos inſignirent.

Probatur prima pars Concluſionis ex dictis ſuperiùs, quòd Elias Carmelitanç Religionis patriacha, cum in myſtica illa nubecula de mari aſcendente reuelatam ſibi Virginem Mariam Dei Matrem futuram agnouiſſet, in eius obſequium ſuam inſtituit religionem, vt eſt eiuſdem Religionis traditio, quam refert inter alios noſter Ioannes 44. c. 36. dicens: *Recenſentes ergo Religionis huius profeſſores, Deum prædeceſſoribus eorum*

Digitized by Google

rum per viſionem prædictam ſpecialiter reuelaſſe infantulam quandam naſcituram, quæ ex vtero matris ſuæ munda ab omni peccati ſorde egrederetur &c. Propterea Sixtus IV. in ſua Bulla in fauorem ordinis Carmelitani dicit ipſum fuiſſe productum à Beata Virgine, id eſt in genere cauſæ finalis, & etiam exemplaris: ait enim; *Dum attenta meditatione penſamus, quòd glorioſiſſima Dei Genitrix Virgo* Maria *produxit ſacrum ordinem B. Mariæ de monte Carmelo, quem eiuſdē Virginis Mariæ ſpeciali titulo voluit inſigniri, vt ob eiuſdem Virginis reuerentiam ordo ipſe a Chriſti fidelibus per amplius veneraretur.*

Probatur ſecunda pars concluſionis multorum authoritate; ſed nunc ſufficiat duos adducere. Primus eſt Armacanus in ſermone de Conceptione Virginis, vbi ſic ait de eremitis noſtris Carmeli montis: *Tunc illi eremitæ prædicantibus Apoſtolis inter cæteros ſunt conuerſi, & in vno latere montis ipſius primò Eccleſiam ſiue Oratorium in honorem Beatæ Virginis conſtruxerunt, in loco illo ſcilicet, in quo didicerant ipſam in vita ſua cum ſodalibus Virginibus cohabitaſſe; Et ab hoc nimirum inter omnes religioſos Dominæ noſtræ primitùs ſunt adſcripti, vt vocarentur* Fratres *Beatæ Mariæ de monte Carmelo.* Secundus eſt Trithemius Abbas libro de laudibus Carmelitarum cap. 7. vbi ſic ait: *Sicut ex veterum lectione didicimus, titulum Beatæ Mariæ Virginis Carmelitis conuenire maximè ſcimus; nam ij ab exordio ſuæ inſtitutionis Dei Genitricem ſemper maximo honore, & reuerentia ſunt proſequuti, enim verò non diu poſt Domini paſſionem fratres montis Carmeli capellam in eiuſdem montis latere in Dei Genitricis honorem conſtruxerunt, eamque in ordinis ſui aduocatam ac patronam elegerunt, & fratres eius deinceps appellati ſunt: Sicut ergo a Carmelo Carmelitæ, ita a capella quam ędificauerunt, vſque in hodiernum diem Fratres Beatiſſimæ Dei Genitricis & Virginis appellantur; Et digna quidem Carmelitis denominatio, vt qui Dei Matrem ſpeciali ſemper amore] venerantur, etiam illo ſint titulo clariores:* Et infra proſequitur: *Nec dubium mihi eſt, quin Dei parens Maria hunc ordinem ſpeciali fauore proſequatur, quem & loco vicinum, & tempore primum & ſibi & filio in obſequium exortum recognoſcit; Digni profectò ſunt fratres Carmelitę Sacratiſsimæ Virginis titulo inſigniri.*

Probatur Tertia pars concluſionis ex multiplici apparitione Beatę Virginis Mariæ in habitu Carmelitano, quas refert Lezana in ſuo libro, cui titulus eſt *Maria* Patrona, & alij authores: Aliquando enim apparuit cum dicto habitu & pallio albo, ſub quo Carmelitas protegebat: Aliàs apparuit cum eodem habitu, ſed inſertis per totum ſtellis præfulgido, & corona in capite. Quibus apparitionibus voluit Beatiſſima Virgo demonſtrare, quam iuſto titulo Carmelitæ ipſam vocarent ſororem, & ſeipſos Fratres eius à tempore Apoſtolorum, vt affirmat noſter Ioannes 44. loco ſupra citato qui hanc nomenclaturam deriuat à conformitate ipſorum cū Beata Virgine, & præſertim in hoc quòd ipſi primi inter homines vouerint virginitatem, ſicut illa vouit prima inter mulieres: vnde concludit; *Ita quod religioſi Carmelitæ Virginem Mariam iam tempore Apoſtolorum dicebant ſororē ſuam, & propter dictam conformitatem ſeipſos fratres Beatæ Mariæ Virginis appellabant.*

Probatur quarta pars concluſionis duplici teſtimonio eiuſdem Beatiſſimæ Virginis in occaſionibus ſuccurrentis. Prima occaſio ſic refertur à Lezana citato & alijs: *In Ceſtria Ciuitate Regni Angliæ erat monaſterium fratrum Virginis Mariæ de monte Carmelo, quo maximè quidam ſæculares offenſi, verbis iniurioſis obloquebantur, dicentes eſſe hoc nomine indignos: ſed puniti ſunt; nam multi eorum ſubitò morientes ſe ſacrilegos appellabant, & ideò ſe mori fatebantur: Quare inſtituta fuit proceſſio generalis; tunc cum tranſiret proceſſio, & Carmelitæ ante quandam ligneam imaginem, & imagini ſe in-*

Digitized by Google

ſe inclynantes dicerent plerique, Aue Maria; lignea imago capite inclinato ſalutat, & digito extenſo ter dicit alta voce; Ecce ſunt fratres mei: Et tertia vir ſubiunxit; Qui viderit vnum ex eis, viderit vnum ex fratribus meis: vnde hæc carmina ante Sanctam Imaginem illam, & ad perpetuam tam honorifici teſtimonij pro Carmelitis memoriam, appoſita ſunt.

Dicens Angelicam Carmeli turba ſalutem
Cantat Aue, fauſtamque humili ceruice ſalto
Reddit imago, manum ter dirigit atque loquelam,
Ecce mei fratres, inquit &c.

Secunda vero ſic refertur: *Grande miraculum ſucceſſit apud montem Peſſulanum; mons enim ille mari vicinus eſt, & ob hoc ſunt ibi maiores & frequentiores tempeſtates: Cum igitur, vt minus ex hoc læderentur, in quodam turris eminentis pinnaculo multas reliquias incluſerunt, inter quas erat magna pars ligni Crucis Chriſti; Semel poſtea magna tempeſtas venit, pinnaculum fregit, & reliquias diſperſit: Exeunt ergo Canonici proceſſionaliter, & reliquias collegerunt, excepto Sanctæ Crucis ligno, quod ante eos ſaltabat, & recedebat cum illud colligere volebant; quod ſæpiùs euenit tentantibus alijs & alijs Clericis & Religioſis: Habebant tunc Fratres noſtri ibi locum nouum, & erant valde pauperes, & inter eos cuidam Fratri noſtro fuerat facta reuelatio a Beata Virgine, præcipiente ei & dicente; Volo quod fratres mei tollant Crucem filij mei: Proceſſerunt igitur humili Cruce & habitu, nec ſanctum lignum vt antea ſaltauit: fratres itaque læti Dominicum Crucis lignum cum Canonicis ad conuentum portauerunt & retinuerunt, vbi & cæpit coruſcare miraculis.* Qui ſimiles Beatiſſimæ Virginis Mariæ fauores erga ſuos fratres & filios Carmelitas ſcire voluerit, legat authores ordinis noſtri, & ſpecialiter Lezanam libro citato.

Probatur quinta pars concluſionis ex his quæ dicuntur in lectionibus officij Commemorationis ſolemnis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo: ſic autem inter alia de noſtris Carmelitis in principio Eccleſię ad fidem Chriſti conuerſis habetur: *Peculiari quodam affectu Beatiſſimam Virginem (cuius colloquio & familiaritate fæliciter frui potuere) adeò venerari cæperunt, vt primi omnium in eo montis Carmeli loco, vbi Elias olim aſcendentem nebulam Virginis typo inſignem conſpexerat, eidem puriſſimæ Virgini ſacellum conſtruxerint: Ad nouum ergo ſacellum ſæpe quotidie conuenientes, ritibus pijs, precationibus ac laudibus Beatiſſimam Virginem, velut ſingularem ordinis tutelam colebant: Quamobrem fratres Beatæ Mariæ de Monte Carmelo paſſim ab omnibus appellari cæperunt; eumque titulum Summi Pontifices non modo confirmarunt, ſed & indulgentias peculiares ijs, qui eo titulo vel ordinem vel fratres ſingulos nuncuparent, conceſſere.*

AD Primum ergo dicendum, quòd eſſet magna temeritas & audacia Carmelitarum, ſe tam glorioſo inſigniri nomine Fratrum Beatiſſimę Virginis Mariæ, niſi ipſa ſumma dignatione illud ipſis conceſſiſſet: nec ſingulare eſt Carmelitis tam glorioſo inſigniri nomine, cum alij inſigniantur nomine Societatis Ieſu, & Sanctiſſimæ Trinitatis.

AD Secundum dicendum, quantum ad primum, quòd Beatiſſima Virgo Maria concurrit ad fundationem Religionis Carmelitanæ in genere cauſæ finalis & exemplaris modo explicato, quod eſt perfectiſſimum; & ad hoc ſufficit quòd fuerit præuiſa & Eliæ fundatori prænunciata: Vnde in hoc ſenſu poteſt dici fundatrix illius, & Carmelitæ poſſunt dici fratres ipſius. Quantùm ad ſecundum reſpondent Dionyſius Carthuſianus & Bergomenſis, quòd Beata Dei Genitrix Virgo Maria poſt Chriſti Domini monaſterium centum quinquaginta monialium inſtituit, quibus præerat; tunc autem nullum erat aliud inſtitutum religioſum, quàm Eliæ Carmelitanum, à Chriſto Domino iam

approbatum; Et ſic eius alumna ex illis dici poteſt, nec vlla in hoc apparet indecentia, non tamen legi apud antiquiores.

AD Tertium dicendum, quòd etiam extrinſecæ huiuſmodi cauſæ ſunt ſingulares in Carmelitis, vt quod primam in honorem Beatæ Virginis Mariæ capellam fundauerint, & quòd ab ea ſacrum ſcapulare receperint tanta ſolemnitate & miraculis; Vnde poſſint præ alijs Religioſis fratres eius appellari: quod ſi in alijs Religioſis probetur concurrere tales cauſas, etiam tale nomen ob illas eis concedemus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Carmelitæ ſub finem legis antiquæ, & in principio legis gratiæ meritò nominati fuerint diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ.

AD Sextum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ ſub finem legis antiquæ, & in principio legis gratiæ non meritò nominati fuerint diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ. Probatur: Sanctus Ioannes Baptiſta non eſt fundator Carmelitarum; ſed tunc tantùm erat ſuperior illius conuentus, quem Sanctus Eliſæus ad ripam Iordanis fundauerat: Ergo ſimpliciter & abſolutè Carmelitæ illius temporis non poterant nominari meritò diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ, ſed ſoli Carmelitæ dicti conuentus.

¶ 2. Præterea: Hoc nomen diſcipulorum Sancti Ioannis Baptiſtæ non præſumitur ab ipſo Carmelitis impoſitum, quibus Elianum potiùs impoſuiſſet in reuerentiam tam eximij prophetæ & Patriarchæ Carmelitarum, in cuius ſpiritu & virtute venerat ipſe: Nec ab ipſiſmet Carmelitis, qui hanc Eliæ non feciſſent iniuriam, præferentes Ioannis nomen Eliæ nomini, cum ipſe Ioannes eſſet Eliæ diſcipulus: Nec ab alijs, cum in laudem Sancti Ioannis tam Chriſtus Dominus quàm cæteri dixerint eum eſſe Eliam: Ergo Carmelitæ non fuerunt nominati meritò diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ.

¶ 3. Præterea: Apud authores illius temporis inuenimus Carmelitas religioſos in ſuo Carmelo reſidentes, nempe ex Ioſepho Antiocheno, qui proinde fuerunt præcipui Carmelitarum, velut incolæ primi conuentus: Sed hi non fuerunt nominati diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ, at communi nomine Eſſeni, ſic enim nominantur à Ioſepho Hebræo, Philone & alijs: Ergo Carmelitæ ſub finem legis antiquæ, & in principio legis gratiæ non meritò nominati fuerunt diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ, ſaltem vniuerſalitèr.

SED CONTRA eſt authoritas Sacræ Scripturæ in Euangelio, & vniuerſalis traditio noſtræ Carmelitanæ religionis, ac communis Doctorum ipſius ſententia.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Ioannes Baptiſta fuerit princeps ac illuſtris reformator Eſſenorum, qui erant ijdem ac Carmelitæ religioſi, meritò ſic ab ipſo nominati fuerunt diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ.

RESPONDEO dicendum, quod Carmelitæ ſub finem legis antiquæ, & in principio legis gratiæ meritò nominati fuerunt diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod Sanctus Ioannes Baptiſta communiter vocatur à Sãctis Patribus Princeps Eſſenorum, vt aſſerit Bellarminus libro 2. de monachis cap. 5. dicens; *Denique* Ioannem *Baptiſtam monachorum & eremitarum principem fuiſſe ſcribunt ferè omnes Patres*: Hoc præſertim affirmat S. Hieronymus in epiſtola ad Euſtochiũ, dicens ipſum principem fuiſſe vitæ monaſticæ; ſicut & in alia epiſtola ad Paulinum

linum: Similiter hoc affirmat S. Ioannes Chryſoſtomus homilia 1. in S. Marcum dicens; *Sacerdotum princeps ſunt Apoſtoli, ſic monachorum princeps Ioannes Baptiſta eſt*; Et in homilia eiuſdem Sancti Ioannis ait, *Conſiderate monachi dignitatem veſtram, Ioannes princeps veſtri eſt dogmatis. ipſe monachus*. Quod confirmatur etiam ex Euangelio, in quo legimus ſæpe, quòd Sanctus Ioannes Baptiſta habuit in eremo diſcipulos, non ſolùm aduentitios, qui audiendi ipſum prædicantem gratia accedebant, ſed etiã domeſticos, qui vitam religioſam ducebant, vt ſupra probatum eſt.

Probatur concluſio: Sanctus Ioannes Baptiſta fuit princeps & eximius reformator Eſſenorum, quos ſupra probauimus fuiſſe alumnos religionis Carmelitanæ, ac proinde veros Carmelitas, ita quod eos ad priſtinum vitæ monaſticæ rigorem, ac primum ſplendorem, quem ſub Elia fundatore habuerant, reduxerit; eundem inducens ſpiritum, eandem veſtium aſperitatem, & cæteras regulares obſeruantias, propterea creditus fuit ab alijs, & ab ipſo Chriſto appellatus alter Elias: Ergò merito fuerunt nominati eius diſcipuli, nam a tam illuſtri magiſtro poſſunt diſcipuli denominari, præſertim quia eos præparauit Euangelio, vt Chriſti Præcurſor. Hanc rationẽ adducit Sanctus Ambroſius iam ſupra citatus epiſtola ad Vercellenſes ſic latè diſcurrens: *Cum ergo venit ſacra plenitudo temporis fuit ad dictos monachos in deſertis miſſus homo ille à Deo, cui nomen erat Ioannes ſcilicet Baptiſta, monaſticę vitæ eremiticæ ab Elia inſtitutæ cultor eximius: Ambo enim tam Elias quã Ioannes fuerunt indumentis hiſpidis induti, luxu caſti, victu frugi, conuerſatione ſolitarij, & deſerta iugiter ſequuti; fuerunt etiam electi per Deum Præcurſores Chriſti; Ioannes quidem aduentus primi, Elias verò vltimi, dicente Domino; Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia; Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eum quæcumque voluerunt, tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet; Et propterea Sacerdotes & Leuitæ ab Hieroſolymis per Iudæos ad Ioannem miſſi intuentes eum in omnibus conuerſationem monaſticæ vitæ* Eliæ *præcipuè ſequi, quærebant ab eo ſi ipſe erat Elias; quin imo ſicut Angelus Gabriel de eo prædixerat, venit in ſpiritu & virtute Eliæ, ad exemplum cuius domo ſui patris & terrenis opibus derelictis conuerſatus fuit iugiter in deſertis. & ad inſtar illius vinum & ſiceram non bibens, habuit ad imitationem eius veſtimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos, vt teſtatur Matthæus Euangeliſta capite tertio.* Hæc S. Ambroſius, quibus nihil clarius.

Secundò; Tanta fuit ſanctitas & excellentia Sancti Ioannis Baptiſtæ, quod à Chriſto Domino dictum fuerit de eo palam inter alias ipſius laudes; *Non ſurrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptiſta*, quo teſtimonio videbatur cæteris hominibus præferri: Et inſuper creditus fuerit Meſſias ſiue Chriſtus in lege promiſſum, tam à ſuis diſcipulis, quàm ab alijs, vt teſtatur ſolemnis illa legatio ad eũ facta per Scribas, & Phariſęos, relata capite 1. Sancti Ioannis Euangeliſtę; ergò Eſſeni Carmelitę illius temporis meritò fuerunt nominati eius diſcipuli, cum aliàs eſſet ipſorum princeps, vel ex propria affectatione, vel aliena denominatione.

AD Primum ergo dicendum, quod licet Sanctus Ioannes Baptiſta non fuerit fundator Carmelitarum, fuit tamen eximius eorum reformator, & Sanctus tam inclytus, quòd ab ipſo omnes Eſſeni Carmelitæ illius temporis, quorum erat princeps, potuerint meritò denominari eius diſcipuli; Et non illi ſoli qui cum eo in eodem conuentu manebant.

AD Secundum dicendum, quòd ſi tunc Carmelitæ dicti fuiſſent diſcipuli Eliæ communitèr, argumentum probaret; ſed vocabantur Eſſeni vel Aſſidei, vnde citra omnem iniuriam Sancti Eliæ potuerunt nominari diſcipuli S. Ioannis Baptiſtę; non quidem ab ipſomet San-

Digitized by Google

ćto Ioanne, vt adducte rationi concedimus, ſed vel iuxta proprium ipſoru m deſiderium, vel ex aliorum denominatione; Cum Sanctum Ioannem Meſſiam ſiue Chriſtum eſſe crederent, ac proinde Sancto Eliæ præferrent, quamuis ipſe præ humilitate ſe multò inferiorem illo prædicaret.

AD Tertium dicendum, quod tunc in Carmelo & alibi reſidebant Eſſeni Carmelitæ; Et quia erat omnium veſtitus, & idem modus vitæ religioſę, nominabantur omnes diſcipuli S. Ioannis, vt expreſſum habetur in Euangelio, quãdiu vixit Sanctus Ioannes: Poſt mortem ipſius denuò nominati fuerunt Eſſeni, vel Aſsidæi, vt adducta probat authoritas Ioſephi, Philonis, & aliorum ſic eos denominantium.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Carmelitæ poſſint meritò ſic a monte Carmelo denominari.

AD Septimum ſic proceditur: Videtur quod Carmelitę non poſſint meritò ſic a monte Carmelo denominari: Ita tenuerũt aliqui ante tempora Ioannis 44. qui propterea ſucceſſores Eliæ Carithas, non Carmelitas vocandos eſſe dicebant, vt affirmat hic author. Probatur: Conuenientius eſt, quòd religioſi alicuius religionis a ſuo fundatore denominentur, quàm a loco fundationis, præſertim ſi fundator ſit aliquis Sanctus inſignis; Et ita communius in alijs religionibus denominatio fit à fundatore, vnde dicuntur Benedictini a S. Benedicto, Auguſtiniani à S. Auguſtino, Dominicani a S. Dominico, Franciſcani a S. Franciſco, & ſic de pluribus alijs: Ergo cum Carmelitæ dicunt Eliã eſſe ipſorum fundatorem, qui aliàs in Sacra Scriptura eſt vir admodum inſignis, non meritò ſic denominantur a monte Carmelo, ſed potiùs deberent ab eo denominari Eliani ſeu Eliotæ.

¶ 2. Præterea: Mons Carmelus nõ eſt natale ſolùm religionis Carmelitarũ, quia ipſimet Carmelitæ docent, quòd Elias cœpit fundare ſuum ordinem propheticum in torrente Carith; ſed ſi denominatio alicuius religionis, & alũnorum eius debeat ſumi a loco fundationis, debet eſſe a primo loco ſeu à natali ſolo illius: Ergo Carmelitę non poſſunt merito ſic a monte Carmelo denominari, at potiùs dicendi forent Carithę a torrente Carith.

¶ 3. Pręterea; Non manſit Elias ex profeſſo in monte Carmelo, ſed ſolùm in eo fuit aliquando per modum tranſeuntis, vt ait Hieronymus Romanus: Ergo mons Carmelus non poteſt conſiderari vt ſedes Religionis Elianæ, ac proinde nec eius alumni poſſunt meritò ab eo denominari Carmelitæ.

SED CONTRA eſt authoritas Summorum Pontificum, & communis antiqua vox omnium gentium.

CONCLVSIO.

Cum Sanctus Elias montem Carmelum elegerit, quaſi propriam ſedem religionis ab ipſa fundatæ, poſſunt eius alumni meritò ab eodem monte denominari Carmelitæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ poſſunt meritò ſic à monte Carmelo denominari. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ordines religioſi ſuam denominationem a diuerſis principijs deriuant: Aliqui ab aliquo cœleſti priuilegio, vt noſter Carmelitanus, qui etiam denominatur ordo Beatiſsimæ Virginis Marię, ordo Trinitariorum, Ordo Ieſuatorum, Societas Ieſu: Alij à ſuo fundatore, vt Benedictinus, Auguſtinianus, Dominicanus, Franciſcanus &c. Alij a natali ſolo ſuæ fundationis, vt Carthuſianus ab aſperrimis montibus Carthuſiæ; Camaldulenſis, Præmonſtratenſis &c. Pari modo dicimus: quod noſter denominatur Carmelitanus à monte Carmelo Palæſtinæ ad mare

Digitized by Google

mare Mediterraneum, in quo fuit à Sancto Elia fundatus.

Probatur concluſio authoritate Summorum Pontificum: Quotquot enim vel de ipſa religione, vel de eius alumnis ſcripſerunt: quotquot ipſi priuilegium aliquod conceſſerunt, qui ſunt quàm plurimi, vocant ipſam in ſuis bullis Carmelitanam, aut Beatæ Mariæ de monte Carmelo, ipſiuſque alumnos vocant Carmelitas: nullum in particulari nomino, tum quia prolixum & lectori moleſtum eſſet, tum quia paſsim occurrunt eorum bullæ, quarum plures in libro noſtrorum priuilegiorum ſimul collectæ continentur.

Secundò probatur communi & antiqua voce omnium gentium, apud quas noſtræ religionis alumni degunt in quatuor orbis terræ partibus, ſiue fideles, ſiue infideles; quæ ipſam vocant religionem Carmelitanam, & eius religioſos vocant Carmelitas: Hæc autem communis & antiqua omnium gentium cõceſſio legitimam huius nominis poſſeſſionem largitur; Et ſic meritò Carmelitę à monte Carmelo denominantur.

Tertiò probatur à priori: Religiones earumque alumni poſſunt meritò à natali ſolo fundationis ipſarum denominari, & de facto plures ſic denominantur, vt dictum eſt; vel ex modeſtia fundatorum, qui prę humilitate nolunt proprijs nominibus ſuas inſignire religiones; vel ex vſu populorum, qui potiùs loca fundationum quam nomina fundatorũ ſciunt: ſed religio Carmelitana fuit in monte Carmelo per Eliam fundata, vt ſupra probatum eſt, ita vt Elias eius fundator elegerit montem Carmelum, quaſi propriam ipſius ſedem, vt plures docent authores. Balbinus epiſtola ad Antoninum Imperatorem ſic ait; *O Antonine inter memorabilia in hac regione mõs eſt Carmelus, in quo & vetus religio, & ſanctitas ab Elia antiqua eſt*: Vvillelmus Epiſcopus Tyri de bello ſacro ſic ait; *Carmelus mons in Syria Eliæ, Eliſei, & aliorum prophetarum incolatu valde nobilis*: Et noſter Ioannes 44. Ieroſolymitanus cap. 19. ait; *Elias ad ſui & diſcipulorum ingem manſionem elegit Carmeli montem; tanquam commodiorem ad propheticam diſciplinam & vitam monaſticam in eo edocendam & exercendam*: Et cap. 20. ait; *Ad continuam autem reſidentiam in Carmelo ſemper faciendam, Elias montem hunc deuotiorem ſuis diſcipulis reddidit*: Ergo Carmelitæ poſſunt meritò ſic à monte Carmelo denominari.

AD primùm ergò dicendum, quòd licet ſit conuenientius religioſos à ſuis potiùs fundatoribus, quam a loco fundationis ſuæ religionis denominari, quando præſertim fundatores ſunt inſignes Sancti, vt contingit in noſtro Elia: Ex alterutra tamen cauſa ſuperius adducta ſuccedit aliquando quòd denominentur à loco fundationis. Fortè hæc denominatio noſtræ religionis tunc accidit, quando multiplicatis religionum fundatoribus, alumni noſtræ in monte Carmelo reſidentes ſteterunt firmi ſub Patriarchatu Eliæ, quos alij ſequuti sũt; Vnde tunc ab his quaſi primis & præcipuis reliqui vocati ſunt Carmelitæ.

AD Secundum dicendum, quòd quamuis Sanctus Elias cœperit in Torrente Carith religioſum viuendi modũ cum aliquot diſcipulis; montem tamen Carmelum ad perfectam eius ſtabilitatem, tanquam magis idoneum ac exercitijs religioſis aptum elegit. Vnde poſtquam Dei mandato Eliſeum recepit diſcipulum, congregatis in monte Carmelo diſcipulis, vitam relgioſam ac ſolitariam inſtituit in communi, & ibi quandiù vixit frequentiùs habitauit, ac pluribus ibidem patratis illuſtrauit miraculis: Propterea de Carmelo dicitur Iſaię 32. *Habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Carmelo ſedebit, et erit opus iuſtitiæ pax, et cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

AD Tertium dicendum, quòd Elias noſter poſt inſtitutionem religionis diu & ordinariè manſit in monte Carmelo, vt com-

vt communitèr tenent omnes nationes, vt habetur ex Sacra Scriptura ſæpiùs Eliam in monte Carmelo referente, vt conſtat ex adductis authoritatibus, & confirmatur ex cauerna manſionis ipſius ordtnariæ apud omnes ſectas venerabili: Vnde hic author loquitur ex proprio ſenſu malè fundato.

QVAESTIO XXII.

De Habitu Carmelitanæ Religionis.

QVIA viri religioſi ſunt in ſtatu pęnitentiæ, debent illum in ſuo habitu aſpero demonſtrare: Vnde in præſenti agimus de habitu Carmelitanę religionis: Circa quem quæruntur ſeptem.

¶ Primo, Vtrum habitus regularis primitiuorum Carmelitarum ſit melota fuſci coloris.

¶ Secundo, Vtrum Carmelitę primitiui fuerint præcincti zona pellicea.

¶ Tertiò, Vtrum Carmelitę primitiui ab initio Scapulare paruum geſtauerint.

¶ Quarto, Vtrum Carmelitæ primitiui fuerint amicti capucio.

¶ Quinto, Vtrum Carmelitæ primitiui fuerint ſuperinduti pallio albo.

¶ Sextò, Vtrum Carmelitæ primitiui ſub Elia nudis pedibns incederent.

¶ Septimo, Vtrum Carmelitæ primitiui, tam in antiqua quàm in noua lege baculum geſtarent.

ARTICVLVS I.

Vtrum habitus regularis primitiuorum Carmelitarum ſit melota fuſci coloris.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd habitus regularis primitiuorum Carmelitarum non ſit melota fuſci coloris. Probatur: Melota denominatur à Melo, ſiue Taxo animali, ita vt ſit veſtis ex eius pelle vel pilis cōfecta, vt conſtat ex etymologia nominis: Sed Carmelitæ primitiui non geſtarunt huiuſmodi veſtem, cum tale animal ſit valde rarum, nec proinde poſsit ſupplere veſtes tot religioſorum: Ergo habitus regularis primitiuorum Carmelitarum non eſt melota fuſci coloris.

¶ 2. Præterrea: Melota erat veſtis cilicina multum aſpera, vt communitèr coucedunt authores: ſed, vt refert noſter Ioannes Ieroſolymitanus libro de Inſtitutione monachorum cap. 38. Carmelitæ primitiui non geſtarunt hanc veſtem à tempore immemoriali, nam ante tempora ipſius Ioannis, qui floruit quarto Eccleſiæ ſæculo, iam illam non geſtabant: Ergo habitus regularis primitiuorummm Carmelitarum non eſt melota fuſci coloris.

¶ 3. Prætérea: Eſto rudis & aſper habitus poſſit vocari melota; præteritis tamen ſæculis Carmelitę non habebant habitum fuſci coloris, ſed nigri, & talē plures inter eos geſtant hactenus; Ergo habitus regularis primitiuorum Carmelitarum non eſt melota fuſci coloris.

SED CONTRA eſt traditio noſtræ Religionis Carmelitanæ, & communis authorum Carmelitarum conſenſus, & ſpecialitèr Ioannis 44. & Baptiſtæ Mantuani in ſpeciali egloga de hac materia.

CONCLVSIO.

Habitus regularis primitiuorum Carmelitarum fuit melota fuſci coloris.

RESPONDEO dicendum, quòd habitus regularis primitiuorum Carmelitarum eſt melota fuſci coloris, quia in principio illam geſtarunt: 2. Poſteà tamen iuſtis de cauſis in tunicam rudiorem laneam mutauerunt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd S. Elias noſter Patriacha, cum religionem noſtram in monte Carmelo fundauit, tam ſibi quàm ſuis diſcipulis eius alumnis aſperrimum & hiſpidum aſſumpſit habitum, vel ex pellibus animalium confectum, vel ex pilis rudioribus contextum ad inſtar cilicij (quod eſt probabilius ob maiorem aſperitatem) qui vulgo dicitur melota, & quo nec die nec nocte exuebātur: Hic habitus a collo vſque ad medias tibias, & inferiùs deſcendebat, & brachia vſque ad manus tegebat.

Probatur & explicatur prima pars cō. cluſionis: vt ait noſter Ioannes 44. loco citato, dicitur Melota propriè à Melo, (ſeu Mele vt alij volunt) animali, quòd etiam Taxus appellatur; de cuius pilis, vel pelle facta veſtis, quæ eſt valde hiſpida, melota propriè vocatur: quamquam quælibet veſtis de pilis animaliū aſperis, aut de pellibus hiſpidis facta, melota vulgariter dicatur; nam & indumentum de Camelorum pilis, vel de pilis caprinis, conſueuit melota communitèr dici à multis. Hæc pars concluſionis ſic explicata probatur authoritate Sacræ Scripruræ: Ad Hebręos 11. ſic habetur: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes in montibus & in ſpeluncis, & in cauernis terræ*: Hunc locum communitèr intelligunt expoſitores de Elia eiuſque diſcipulis Carmelitanæ Religionis alumnis; vnde D. Thomas ibidem lectione 8. dicit quòd per hos Egentes ſignificatur ſtatus voluntariæ paupertatis aliquorum veterum prophetarum, qui præfigurabant ſtatum perfectionis noui Teſtamenti: Dicit etiam, quòd dicti prophetæ fuerunt in ſtatu pœnitentiæ, & infert quòd meritò ferebant pro indumento melotes & pelles caprinas; quia, vt ait, *Qui profitentur ſtatum pœnitentiæ, debent oſtendere ſigna profeſſionis*: Infert etiam quòd rectè habitabant ſolitudines & cauernas, quia ſunt loca apta ad contemplationem & pœnitentiam: Deinde probatur ſigillatim: De S. Elia ſic ait Iuuencus;

L. 1. *Taxea Camelorum fuerunt velamina ſetis;*
Et zonæ pellis medium cinxere prophetam.

non dubium, quin fideles Eliæ diſcipuli ſuum magiſtrum in hac parte fuerint imitati toto tempore Synagogæ, cum ſub eius finem inueniamus S. Ioannem Baptiſtam ad inſtar Eliæ melota indutum, in medio Eſſenorum qui fuerunt hæreditarij ſucceſſores Filiorum prophetarum Eliæ diſcipulorum, vt aſſerit S. Ambroſius epiſtola ad Vercellenſes dicens; *Cum ergo venit ſacra plenitudo temporis, fuit ad dictos monachos in deſertis miſſus homo ille à Deo, cui nomen erat Ioannes ſcilicet Baptiſta, monaſticę vitæ eremiticæ ab Elia inſtitutæ cultor eximius; Ambo enim tam Elias, quàm Ioannes fuerunt indumentis hiſpidis induti*: Et paulò poſt dicit quod S. Ioannes habuit ad imitationem Eliæ veſtimintum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos; quod etiam habet expreſſum ſuper textus Matthæi 3. Similitèr monachi primitiuæ Eccleſiæ deſcribuntur & depinguntur induti melota, quos probamus alumnos eſſe Religionis Carmelitanæ.

Probatur Secunda pars concluſionis authoritate noſtri Ioannis 44. capite 38. citato, vbi ait: *Melotę geſtatio ſucceſcentibus temporibus deriſum potiùs quàm ædificationem eam videntibus comparabat.* Idcircò *veſtem illam cilicinam deſpectam cūctis, & quæ ex hoc ipſo nulla poterat ſpiritus*

ritus emolumenta conferre, ſed elationis concipere natiuitatem : profeſſores huius Religionis (Carmelitanę ſcilicet) *concordi ſententia refutarunt: loco autem eius tunicam lanæ non pretioſa, ſed mediocriter aſpera, eiuſdem coloris cuius exiſtebat Melota* (fuſci videlicet) *Subtus Scapulare geſtare aſſumpſerunt ; quoniam dictorum Sanctorum Patrum noſtrorum, tam veteris quàm nouæ legis exemplis oſtēditur, monacho huius profeſſionis conuenire, veſtem habere aſperam, & magis contrahentem corpus quam fouentem, & illi repugnare, veſtem habere pretioſam & delicatam, ſeu mollem aut delectantem carnem* : Quod poteſt confirmari dicto Chriſti Domini de Ioanne cap. 11. Matthæi & Lucę 7. *Quid exiſtis in deſertum videre, hominem mollibus veſtimentis indutum? qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Quid autem myſticè ſignificaret Melota, ſic declarat idem Ioannes capite vltimo: *Melotæ quidem, ſeu veſtis aſperæ geſtatio ſignificat, monachum debere per dignam pœnitentiam emendare omne, quod ex ignorantia vel ex infirmitate contigerit eum peccare.* Color autem fuſcus, qui eſt lanæ naturalis, ſignificat ex alijs ſimplicitatem religioſam quæ debet omni carere fictione. Hanc etiam partem concluſionis docet expreſsè Caſſianus libro 1. de habitu monachi cap. 3. dicens: *Quamobrem cilicinam veſtem, velut circumſpectam cunctis atque notabilem, & quæ ex hoc ipſo non ſolum nulla ſpiritui poſſit emolumenta conferre, ſed etiàm elationis concipere vanitatem, quæque ad neceſſarij operis exercitium, in quo monachū ſemper impigrum expeditumque oportet incedere, inhabilis atque inepta ſit, omnimodis refutarunt.* Priùs dixerat, quod *veſtimenta monachorum ita erant vilia, vt nulla coloris, vel habitus nouitate inter cæteros huius propoſiti viros habeantur inſignia.*

AD primùm ergò dicendum, ſicut iam dictum eſt, quòd licet originaliter melota ſignificet veſtē ex pelle vel pilis meli confectam: communiter tamen ſignificat quancunque veſtem aſperam & hiſpidam ex pilis Camelorùm & ſimilium, qualem geſtabant primitiui Carmelitæ in Paleſtina & alijs regionibus Orientis ; vbi talia abundant animalia.

AD Secundum dicendum, quòd probat ſecundam partem concluſionis. Per Carmelitas autem primitiuos non intelligimus in preſenti omnes illos, qui primitiuam religionis Carmelitanæ regulam obſeruant: ſed tantùm eos qui fuerunt primitiui Carmelitanę religionis alumni ante diuiſionem ſtatus religioſi in plures religioſos ordines.

AD Tertium dicendum, quod aliud habemus teſtimonium fuſci coloris in Melota Carmelitarum, ſcilicet Sancti Simpliciani diſcipuli noſtri Capraſij montis Carmeli Prioris, qui legitur tunicam fuſcam Sancto Auguſtino tradidiſſe. Quod ſi Carmelitæ nigrum colorem poſtea aſſumpſerunt, hoc fuit iudicatum velut inobſeruantia, & omnes reformatæ congregationes religionis Carmelitanæ ſtatum fuſcum colorem introduxerunt, pro quo pugnat Baptiſta Mantuanus in ſpeciali egloga: Et iam in tota religione Carmelitana rariſſimi ſunt qui non geſtent colorem fuſcum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Carmelitæ primitiui fuerint præcincti zona pellicea.

AD Seoundum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitę primitiui non fuerint pręcincti zona pellicea. Probatur: zona pellicea ſiue coriacea eſt propria religionis Auguſtinianæ; refertur enim quòd Sanctus Auguſtinus eius fundator indutus fuit habitu religioſo à Sancto Simpliciano tunc Mediolanenſi Archidiacono, poſtea Archiepiſcopo, nempe tunica fuſca, zonaque pellicea: Ergo Carmelitæ primitiui ante Sanctum Auguſtinum non fuerunt pręcincti zona pellicea.

¶ 2. Præ-

Digitized by Google

¶ 2. Prȩterea: Si Carmelitȩ primitiui fuiſſent præcincti zona pellicea, ita quòd primi illam geſtaſſent, ſequitur quòd poſſent illius confraternitatem inſtituere per Apoſtolicam authoritatē, non minore iure quam Patres Auguſtiniani: Ergo cum huiuſmodi confraternitas ſit reſeruata Patribus Auguſtinianis, ſequitur quòd zona pellicea non ſit propria Carmelitarum primitiuorum, ſed ab illis nouiſſimè vſurpata.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis & antiqua religionis Carmelitanæ, traditio, & Doctorum ipſius communis ſententia, continuato vſu confirmata.

CONCLVSIO.

Cum Carmelitȩ primitiui fuerint imitatores Sancti Eliæ ſui Patriarchæ, fuerunt præcincti zona pellicea.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ primitiui fuerunt præcincti zona pellicea ad imitationem Sancti Eliæ ſui Patriarchæ, cuius vſus fuit perſeueranter continuatus in religione Carmelitana ad hæc vſque tempora. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Chriſtus Dominus in Euangelio Lucæ cap. 12. dicit ſuis Diſcipulis; *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris:* Per primum communiter intelligunt Sancti Patres, quòd ſuis ſequacibus & ad perfectionē tendentibus commendauit caſtitatem in præcinctione lumborum, quia prædominatur in illis humor libidinis, iuxta illud dictum ſacerdotis celebraturi, dum cingulum ſumit; *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, vt maneat in me virtus continentiæ & caſtitatis:* Propterea Viri religioſi omnium ordinum, qui votum caſtitatis in ſolemni profeſſione emittunt, vt oſtendant ſe eſſe eius in primis cultores, prȩcincti lumbos incedunt, ſed diuerſis cingulis; Aliqui vtũtur cingulo, ex rudi corda confecto, ſcilicet Minoritæ; Alij ex lana, alij ex lino, alij tandem ex pelle vel corio, quòd eſt communis; tali quippe vtuntur Dominicani, Auguſtiniani, noſtri Carmelitæ, Monachi omnes diuerſarum Congregationum Sancti Benedicti, ac plures alij.

Probatur cōcluſio cōtinua ſerie tē porũ ab ipſo fundationis principio Carmelitanȩ religionis per Eliã. Ipſe Elias eius fundator zona pellicea vtebatur, vt conſtat ex libro 4. Regum cap. 1. & hac velut inſigni proprio ſui ordinis prophetici tunc naſcentis in, Carmelo fuit diſcipulus à nuncijs Regis Samariȩ, & ab ipſo Rege cognitus; Cum enim ei nuncios ſuos interrrog、anti de viro qui occurrerat ipſis, cuius figurȩ & habitus eſſet, & illi dixiſſent, *Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus*, ſtatim concluſit, *Elias Thesbites eſt*: Vnde Iuuencus ſic canit de Elia.

Texta Camelorum fuerant velamina ſetis,
Et zonæ pellis medium cinxere Prophetam.

Non dubium, quin Eliſeus & alij primi Eliȩ diſcipuli filij prophetarum fuerint ſuum Patriarcham imitati in geſtatione huius cinguli.

Deinde Sanctus Ioannes Baptiſta cum ſuis Eſſenis (quorum ipſe princeps vocatur à Sanctis Patribus, & ipſi dicuntur ſucceſſores filiorum prophetarum) vſus eſt zona pellicea, vt habetur cap. 3. Euangelij S. Matthæi his verbis; *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos.*

Exinde primitiuæ Eccleſiæ monachi Carmelitanȩ Religionis alumni, pro cingulo zonam habebant pelliceam, vt affirmat noſter Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus in libro de Inſtitutione monachorum cap. 17. cuius myſticam ſignificationem ſic deſcribit vltimo capite. *Accintio zonæ pelliceæ ſpecialiter denotat, monachum debere omnem luxorioſum motum extinguere in membris, in quibus ſeminaria coitus continentur, & caſtitate in membris illis pollere.* Quod fuſius decla-

Digitized by Google

declarat Caſſianus libro 1. de habitu monachi cap. 12.

Dinde tale cingulum fuiſſe vniuerſaliter introductum inter monachos ad imitationem Eliæ, non ſolùm in Oriente, ſed etiam in Occidente docet Caſſianus libro 1. de inſtitutione cap. 2. dicens: *Itaque monachum, vt militem Chriſti in procinctu belli ſemper poſitum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere; hoc enim habitu etiam illos ambulaſſe, qui in veteri Teſtamento huius profeſſionis fundauere primordia, Eliam ſcilicet & Eliſæum, diuinarum ſcripturarum auctoritate demonſtratur:* Hi autem monachi ſunt Religionis Carmelitanę alumni, & Carmelitæ primitiui.

Denique poſt reparationem Carmeli ſub Sancto Bertholdo eiuſque ſucceſſoribus notis ad hæc vſque tempora perſeueraſſe vſum zonæ pelliceæ in Carmelitana religione eſt omninò certum, & communiter receptum: Vnde non indiget maiori probatione, quàm continuò eius vſu nunquam interrupto. Vnde demonſtrata manet concluſio noſtra, quòd Carmelitæ primitiui fuerunt amicti zona pellicea, ad imitationem Sancti Elię ſui Patriarchæ, cuius vſus fuit perſeueranter continuatus in religione Carmelitana ad hæc vſque tempora.

AD primum ergo dicendum, quòd zona pellicea ſiue coriacea eſt quidem propria religionis Auguſtinianæ; ſed tamen non primò, nec priuatiuè ad alias religiones: non primò; quia in ordine Carmelitano ab Elia inſtituto, & a Sancto Ioanne Baptiſta continuato præceſſit vſus zonæ pelliceæ, tam in ipſis Patribus & magiſtris, quàm in ipſorum alumnis & diſcipulis Carmelitis, vt probatum eſt, à quibus potiùs deriuauit vſus zonæ pelliceæ ad alios, & præſertim ad Patres Auguſtinianos: nã vt docent Sanctus Antoninus 3. parte titulo 24. Poſſid. & Groſſen in vita Sancti Auguſtini, Sanctus Simplicianus Capraſij montis Carmeli Prioris diſcipulus, & Epiſcopus Mediolanenſis, dum eſſet eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconus, ipſum Auguſtinum in fide Chriſti inſtruxit, fuſcã tunicam zonamque pelliceam induit, & vitam monaſticam edocuit; quam vitæ normã ipſe Auguſtinus primũ ſuis ſocijs, mox factus Epiſcopus Hipponenſis Clericis & Canonicis ſeruandam propoſuit. Nec etiam zona pellicea eſt propria Auguſtinianis priuatiuè in ordine ad alias Religiones; quia plures alię, tam monachales, quàm mendicantes eius vſu gaudent, vt dictum eſt.

AD ſecundum dicendum, quòd noſtri Carmelitæ primitiui, poſtquam ſacrum ſcapulare receperunt a Beatiſsima Virgine, in ſignum miræ protectionis ipſius, cuius priuilegium non ſolùm ipſi Carmelitanæ religioni, ſed etiam alijs Chriſti fidelibus communicabatur, eius confraternitatem inſtituerunt, & mira deuotinne promouerunt, quam Deus innumeris decorauit miraculis & gratijs; Ad cuius confirmationem nuper ſucceſſit Tridenti, quod bombices inſtinctu diuino Scapulare paruum ex vtraque parte formatum perfectiſſimè, delicatiſſimis filis ſericeis confecerunt, quòd prodigium admirati magnates illius Ciuitatis, illud ad Imperatorem miſerunt quaſi munus pretioſiſſimum, quòd ipſe pijſſimus Imperator inter ſacras noſtrorum Diſcalceatorum gazas ad perpetuã rei memoriam & venerationem Viennæ in Auſtria repoſuit. Vnde non mirum, quod noſtra religio Carmelitana hac Sacra Scapularis confraternitate contenta non inſtituerit aliam: Potuiſſet de iure hanc inſtituere zonę pellicee; ſicut & aliam corone Beatiſsimæ Virginis Mariæ recitandi ſcilicet Angelicam ſalutationẽ Aue Maria, quot annis ipſa Virgo Deipara vixit, cuius inſtitutor fuit noſter Petrus Eremita promotor belli ſacri anno Domini 1099. vt referunt multi authores contemporanei: hic enim vir eximius & Beatiſſimæ Virgini imprimis deuotus ingentem Chriſtianorum exercitũ ad Terram Sanctam conducens, hoc piũ introduxit exercitium coronę recitandæ etiam publicè, vt ſic milites in deuotis operibus occupatos tenens, ab alijs nociuis

ciuis remoueret: Sed quia noſtra religio Carmelitana hanc pietatis inſtitutiotionem non promouit; Et poſtea Sanctus Dominicus mirabiliter perfecit, inſtituto Roſario, & adiuncta ſimul meditatione myſterium Deiparæ Virginis, ideò ſacra Dominicanorum familia confraternitatem hanc titulo poſſidet, & mira fidelium vtilitate ac eiuſdem Virginis deuotione colit, cum totius orbis applauſu, & quàm plurium miraculorum prodigioſo ſucceſſu.

Articvlvs III.

Vtrum Carmelitæ primitiui ab initio Scapulare paruum geſtauerint.

AD Tertium ſic proceditur; Videtur quòd Carmelitæ primitiui ab initio ſcapulare paruum non geſtauerint: Ita tenent Scoliaſtes Bibliothecę Patrũ, qui ideò negat librũ de Inſtitutione monachorum eſſe Ioannis 44. quia inter alia in eo fit mentio Scapularis. Probatur: Beata Virgo Maria dedit ſcapulare Beato Simoni Stoch, & per ipſum tunc Religioni Carmelitanę; ac proinde ante ipſum non erat in vſu: Ergo Carmelitæ primitiui ab initio non geſtauerunt ſcapulare paruum; ſi enim iam ante fuiſſet in vſu, ad quid de nouo illud Beata Virgo conceſſiſſet.

¶ 2. Pręterea: Non legitur quòd Elias, Eliſeus, Filij Prophetarum, Eſſeni, Sanctus Ioannes Baptiſta & primi Eccleſiæ monachi geſtauerint ſcapulare paruum: Sed hi ſunt Carmelitę primitiui: Ergo Carmelitæ primitiui ab initio non geſtarunt ſcapulare paruum.

¶ 3. Pręterea: Petrus Eremita, qui inter Carmelitas primitiuos numeratur, non geſtauit ſcapulare paruum; nam legitur de ipſo, quòd habebat tunicam capuciatam, qui autem admittunt pro illo tempore in religione Carmelitana ſcapulare parũum, dicunt ei, & non tunicæ conſutum fuiſſe capucium: Ergo Carmelitę primitiui ab initio non geſtauerunt ſcapulare paruum.

SED CONTRA eſt traditio antiqua & vniuerſalis noſtræ Religionis, Carmelitanæ, & communis ſententia Doctorum ipſius.

Conclvsio.

Carmelitæ primitiui ab initio geſtauerunt ſcapulare paruum.

RESPONDEO dicendum, quod Carmelitæ primitiui ab initio geſtauerũt Scapulare paruum. 2. quod poſtmodum fuit mutatum in ſcapulare magnum, quale fuit illud quod Beatiſsima Virgo Maria dedit Sancto Simoni Stoch. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod pro temporum & locorum diuerſitate fuit aliqua mutatio accidentalis in habitu Carmelitarum, non autem ſubſtantialis: Quod non fuerit mutatio ſubſtantialis, patet ex eo quod ſemper eædem veſtes apparentes, & in numero, & in forma ſiue figura, & in colore in plurimum remanſerunt; nempe melota, vel aſpera veſtis longa fuſci coloris; zona pellicea, ſiue cingulum coriaceum ex pelle animalium; ſcapulare, ſiue ſuperhumerale fuſci etiam coloris; Et palliũ album, ſiue cappa & clamys candida: Quod autem fuerit accidentalis mutatio, patet ex aliquali dictarum partium habitus alteratione, vel quantùm ad lõgitudinem & breuitatem, vel quantùm ad alicuius additionem partis præſertim non apparentis, vel quantùm ad diuerſitatem materiæ; nam ſcapulare paruum fuit mutatum in magnum; fuit pro tolerando frigore conceſſa interior tunica carnem tegens, tenuior quidem habitu, ſed non minus aſpera coloris albi cum ſubligaculis ex rudi tela; & pallium, quod priùs ex pellibus caprinis fiebat, poſtea ex rudi panno conficiebatur.

Probatur prima pars Concluſionis authoritate noſtri Ioannis 44. Patriarchę Ieroſolymitani, qui tanquam teſtis ocularis,

laris, deſcripſit tam obſeruantias regulares noſtræ religionis, quam habitum religioſum & cætera ad ipſam pertinentia in ſuo libro de Inſtitutione monachorum, capite 39. dicit quod *Melotę paruum ſcapulare ſeu ſuperhumerale addebatur; non quidem pretioſum, quo Summus Sacerdos vtebatur; nec lineum dictum Ephod, quo Sacerdotes inferiores vel etiam ſæculares vtebantur ad canendas laudes diuinas; ſed laneum aut ex pilis caprarũ confectum, quo ſaltem vtebantur dum pſalmos canentes diuinis officijs intererant, erat veſtis ſine manicis collo impoſita deſcendẽs vſque ad renes, in vtroque latere aperta* Vnde erat omninò ſimilis paruo ſcapulari, quo noſtri Carmelitæ noctu vtuntur: Illud deſcribit Caſſianus lib. 1. de habitu monachi cap. 5. & vocat colobium, licet dicat fuiſſe lineum: fuit fortè diuerſitas in materia. Quid autẽ myſticè ſignificaret, declarat idem Ioannes capite vltimo dicens: *Geſtatio ſuperhumeralis ſiue ſcapularis ſignificat, debere monachum ſuo ſuperiori propter Deũ obedire, & opera Dei prompte exercere*: Propter quod dum aliquis mundo renuntians in noſtra Diſcalceatorum religione induitur, aut emittit ſolemnem profeſſionem, Superior ipſi tradens ſcapulare dicit; *Tolle iugum Chriſti ſuaue, & onus eius leue, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*. Conſtat Sanctum Hilarionem geſtaſſe ſcapulare, quod in eius vita dicitur Ependites; Ependites autem iuxta Scholiaſtem eſt veſtis exterior, ſcilicet aut ſcapulare aut pallium, ex adiunctis habetur, quod in vita Sancti Hilarionis ſignificat ſcapulare, & in vita S. Antonij pallium.

Probatur ſecunda pars concluſionis communi conſenſu Carmelitarum, & hodierno vſu ſcapularis magni: Dicunt enim communiter authores noſtri Carmelitæ, quod cum Beatiſsima Virgo Maria Dei Genitrix ſacrum ſcapulare Sancto Simoni Stoch ordinis Generali, per ipſum toti ordini cum tot priuilegijs ac prærogatiuis aſſiduæ protectionis cõceſſiſſet, relata ab ipſo Sancto Simone cunctis, qui tunc in conuentu Londinenſi Angliæ aderant, Carmelitis Beatiſſimæ Virginis apparitione, & ipſis oſtenſo ſcapulari cœlitus conceſſo, poſt admirationem tanti priuilegij, poſt reuerentiam ſacræ veſti adhibitam, communi conſenſu antiquum ſcapulare hactenus in ordine vſitatum & multo breuius ad huius noui ſimilitudinem efformarunt; intellexerunt enim hanc eſſe Beatiſſimæ Virginis Deiparæ volutatem, cui ſe libentiſsimè conformarunt; Et meritò, nam hoc ſcapulare magnum Auguſtiorem, ac Religioſæ modeſtiæ decentiorem reddit Carmelitanum habitum, quam erat ſub priori paruo ſcapulari. Sic autem efformatum ſcapulare hactenus inuiolabiliter continuauit, ac deinceps vſque ad finem mundi perſeuerabit ſub protectione tantæ matris Deiparæ Virginis.

AD Primùm ergo dicendum, quod quidem Beata Virgo Maria dedit ſcapulare Beato Simoni Stoch, & per ipſum tum religioni Carmelitanæ, ſed quale nunc geſtamus: negamus tamen, quod paruum iſtud de quo loquimur in præſenti, non eſſet ante ipſum in vſu: Ad quid autem Beatiſsima Virgo ſcapulare religioni Car-melitanæ conceſſerit, ſi iam erat in vſu; dicendum quod ex tunc ſcapulare titulis alijs priùs introductum determinauit quaſi propriam veſtem, confraternitatis deinceps ſuæ ſignum, quod item eſſet ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis & pacti ſempiterni: Quemadmodum dicimus, quod Deus poſt diluuium inſtituit iridem ſiue arcum cœleſtem in ſignum non futuri vnquam diluuij, & pacti cum Sancto Noe Patriarcha tunc initi & æterni; quamuis iris præexiſteret huic pacto quantum ad ſubſtantiam, vt pote a cauſis naturalibus formata; imò & naturaliter ſignificaret non futurum proximè diluuium, quia formatur in nube rorida, quę proinde non poteſt magnum imbrem ad diluuium cauſandum effundere.

AD

AD Secundum dicendum, quòd licet non legatur aſſignatos Patres, aut alumnos religionis Carmelitanę geſtaſſe hoc paruum Scapulare; ſufficit tamen authoritas noſtri Ioannis 44. authoris antiqui & eruditiſsimi ad hoc ſuadendũ quod etiam aliunde debet præſumi; nam ſi ad canendas laudes diuinas, non ſolùm ſacerdotes, ſed etiam ſeculares vtebantur ſimili paruo ſuperhumerali ſeu Scapulari lineo, quaſi veſte ſacra ad hoc deputata; multò magis religioſi illius temporis diuini cultus obſeruantiores debuerunt ſimilem aſſumere veſtem ſaltem cum diuinas laudes canebant, in quibus aſsiduè verſabantur, ſed aſperiorem, & ſuo ſtatui religioſo valde pœnitenti decentiorem.

AD Tertium dicendum, quòd Petrus Eremita noſter veniens in Europam geſtauit tunicam cum capucio, quia tunc fortè propter pręcedentes Saracenorum perſecutiones habitus noſter religioſus fuerat diminitùs in Scapulari, aut capucium eius erat conſutum tunicę inferiori, & non Scapulari.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Carmelitæ primitiui fuerint amicti capucio.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ primitiui nõ fuerint amicti capucio. Probatur: Sanctus Elias Carmelitanæ Religionis Patriarcha non fuit amictus capucio, at ſuis tantummodo capillis tectus erat; propterea piloſus dicebatur, & vt talis agnitus ab Ochoſia Rege Iſrael referentibus nuncijs: Ergo nec Carmelitæ primitiui eius diſcipuli fuerunt amicti capucio; præſumitur enim, quòd ſuum Patrem & magiſtrum fuerint in omnibus fideliter imitati.

¶ 2. Præterea: Carmelitæ primitiui Eliæ diſcipuli toto tempore legis antiquæ fuerunt Nazarei perpetui, & conſequenter nunquam ſcindebant capillos, at illlos nutriebant; quibus proinde caput ſufficienter tegebatur: Ergo Carmelitæ primitiui non fuerunt amicti capucio.

¶ 3. Præterea: Antiqui Prophetæ, & filij Prophetarum; imo & primi Eccleſiæ monachi, qui dicuntur Carmelitæ primitiui, ſolent communitèr depingi ſine capucio: Ergo ſignum eſt, quòd Carmelitæ primitiui non fuerunt amicti capucio.

SED CONTRA quantùm ad Carmelitos primitiuos legis gratiæ, eſt communis ſenſus noſtræ religionis Carmelitanæ, & authoritas Doctorum ipſius.

CONCLVSIO.

Carmelitę primitiui in lege gratiæ fuerunt amicti capucio.

RESPONDEO dicendum, quod licet in antiqua lege Carmelitæ primitiui non fuerint amicti capucio. 2. fuerunt tamen illo amicti in lege gratiæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ſtatus religioſus, cum ſit ſtatus pęnitentiæ requirit habitum pœnitentem, vt exteriùs demonſtretur: ſiue ergo Elias noſter dum Religionem Carmelitanam inſtituit, huiuſmodi pœnitentię deferret habitum ſuſceptum in collegio Prophetarum quod erat in Galaad, velut quoddam veſtigium Religionis, in quo velut alumnus vixerat; ſiue illum in ipſo fundatæ Religionis initio aſſumpſerit, ſtatim ſuis omnibus alumnis communicauit: Propterea cum Eliſeum Dei mãdato prophetam tum ſpiritu, tum profeſſione religioſa conſecraturus eſſet, miſit ſuper illum pallium ſuum, tanquam religioſum ordinis ſui habitum; quòd propterea diſcedens à diſcipulis ac raptus ab aere dimiſit, in perpetuum religionis monumentum eidem Eliſeo relinquens, qua ditatus hæreditate declaratur eius ſucceſſor, & in ſpiritu, & in regimine. Hoc autem tanquam certum in Elia, ac primis eius diſcipulis, quibus pri-

Digitized by Google

primitiæ ſpiritus religioſi datæ ſunt, ſtabilire debemus, quod in habitu religioſo paupertatem & mortificationem obſeruarunt: Vnde & ſuperflua, & delicata vitarunt: Et inſuper ad decentiam ſtatus religioſi pro illo tempore in huiuſmodi habitu attenderunt; plura quippe ſunt, quæ in vno tempore & loco decent, quæ in alio dedecent.

Probatur prima pars concluſionis tribus argumentis in contrarium adductis, quæ ſolùm hanc partem probant; ſed efficaciter, ſi paululum declarentur. Dicimus igitur quod in antiqua lege fuerunt inſtituti diuinitùs Nazarei, quibus in Sacra Scriptura ſtabilitę legũtur leges; Et pręſertim quòd vinum & ſiceram, aut aliud quod inebriare poſſet non biberent; Et quod nouacula non aſcenderet ſuper capita eorum; Vnde nutriebant capillos, quibus caput fouebant & ornabant; nec alio amictu vtebantur in capite ſaltèm ordinarie: Ex his Nazareis aliqui erant temporales, alij verò perpetui; temporales ad aliquod tempus determinatum huic inſtituto per emiſſa vota obligabantur, quo tandem elapſo remanebant à tali obligatione liberi; perpetui autem Nazarei votis perpetuis ad prædictas obſeruantias toto tempore vitæ manebant obligati. Dicimus igitur, quòd in antiqua lege tam S. Elias, quàm eius diſcipuli fuerunt Nazarei perpetui, vt communitèr docent authores noſtri ac plures alij, & conſequenter non alium in capite geſtabant amictum quàm proprios capillos, quibus ſimul tegebantur in temperata regione illa, & ornabantur velut inſignibus ſacri Nazareatus perpetui, & religioſæ profeſſionis.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate noſtri Ioannis 44. libro toties citato, cap. 39. vbi dicit, quòd *nouæ legis tempore ſuperhumerali, ſeu Scapulari in apertura colli iunctum fuit capucium tegens caput, & ſpatulas; quam veſtem noſtræ religionis profeſſores (fimbrijs & funiculis ab ea reſecatis) vſque nunc ſumma cum diligentia diebus ac noctibus indeſinenter geſtabant*. Hęc ait citatus Ioannes. Ratio aſſumptionis capucij in lege gratiæ apud monachos fuit, quia tunc ceſſauit Nazaræorum inſtitutio; Vnde cum monachi non tegerentur capillis in capite, debuerunt illud alio amictu tegere propter iniurias temporum, & ad honeſtatem religioſam; Et ita introductum fuit capucium, quod etiam aſſumpſerunt alij eccleſiaſtici, vt apparet in omnibus dignitatibus nempe in Summo Pontifice, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis &c. Quid autem myſtica ſignificet capucium, crediderim ſignificare tum innocentiam & ſimplicitatem paruulorum, quam habere debent monachi quaſi modo geniti infantes, ex Caſſiano mox citando; Tum galeam ſalutis, qua ſpiritualitèr amicti monachi monentur ſibi pugnandum eſſe contra tres acerrimos hominis hoſtes, diabolum ſcilicet, carnem & mundum, quia vt ait Iob, *militia eſt vita hominis ſuper terram, & qui volunt piè viuere, perſecutionem patiuntur*; Probatur etiam authoritate Caſſiani libro 1. de habitu monachi, cap. 4. vbi inter alia ſic ait: *Cucullis namque perparuis vſque ad ceruicis humerorumque demiſſis confinia, quibus tantùm capita contegant, indeſinenter diebus vtuntur ac noctibus; ſcilicet vt innocentiam & ſimplicitatem paruulorum iugiter cuſtodire, etiam imitatione ipſius velaminis commoneantur, qui reuerſi ad infantiam Chriſti cunctis horis cũ affectu ac virtute decantant; Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me, ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam, ſicut ablactatus eſt ſuper matrem ſuam.*

AD argumenta ergo in contrarium adducta dicendum, ſicut iam dictum eſt, quòd probant tantùm primam partem concluſionis. Circa monachos tamen primos Eccleſiæ notandum, quòd licet ſtatim in principio non aſſumpſerint capucium, quia non ſtatim ablatæ ſunt omnes cæremoniæ legis Iudaicæ; breui tamen illud communitèr aſſumpſerunt

pſerunt: Et noſtri habuerunt aliquando illud Scapulari conſutum, vt conſtat ex quadam conſtitutione B.Ioannis Soreth qua illud ſic geſtari iubebat iuxta morẽ antiquum religionis.

ARTICVLVS V.

Vtrum Carmelitæ primitiui fuerint ſuperinduti pallio albo.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ primitiui nõ fuerint ſuperinduti pallio albo: Probatur: S. Antonius, S. Baſilius, & alij antiqui monachi, qui dicuntur à Carmelitis ſuæ religionis alumni, referuntur & depinguntur cum pallio nigro: Ergo Carmelitæ primitiui non fuerunt ſuperinduti pallio albo.

¶ 3. Pręterea: Quando Carmelitæ de ſuo monte Carmelo fuerunt à Sancto Ludouico ducti in Gallia, pallium ferebant barratum, ſiue quaſi partibus nigris, & albis variegatum; vnde ipſi vocabantur Barrati, vt communiter referunt authores: Ergo Carmelitę primitiui non fuerunt ſuperinduti pallio albo.

¶ 3. Præterea: Carmelitę ſolùm vſurparunt pallium album in Capitulo generali montis Peſſulani anno Domini 1291. & tunc multos religioſos in hac parte habuerunt aduerſarios; præſertim Præmonſtratenſes: Ergo ſignum eſt, quòd Carmelitę primitiui non fuerunt ſuperinduti pallio albo, ſi namque pallium album fuiſſet ipſis proprium, à nemine fuiſſet contradictum.

SED CONTRA eſt vniuerſalis & antiqua traditio religionis Carmelitanæ, & certa relationum authoritas.

CONCLVSIO.

Carmelitæ primitiui fuerunt ſuperinduti pallio albo.

RESPONDEO dicendum, quòd pallium album eſt proprium Religioni Carmelitanæ, præmonſtratum ante eius inſtitutionem. 2. quo vſus fuit Elias eius fundator. 3. ſicut & eius alumni Carmelitæ toto tempore legis antiquę: 4. Et ſex primis Eccleſiæ ſæculis. 5. Poſtea fuit coactione Saracenorum ablatum. 6. tandem deuotioni Religionis authoritate Pontificis reſtitutum eſt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd præter veſtem religioſam, olim dictam melotem fuit in noſtra religione Carmelitana palliium inductum, tam neceſſitatis quàm decentię & compoſitionis religioſę cauſa, quod etiam vocatur clamys, & vſitatiùs cappa.

Probatur prima pars concluſionis: authoritate noſtri Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani in libro de Inſtitutione monachorum, vbi integrum religionis Carmelitanę habitum deſcribit, myſticam ſingularum eius partium rationem adducens capite vltimo: Vnde ſic ait ad præſens intentum; *Geſtatio pallij albi generaliter monſtrat monachum debere omnem culpabilem immunditiam à carne & à ſpiritu ſuo repellere, & in vtroque per virtuoſam puritatem fulgere, ac ita candorem mentis ſeruare, & etiam ſanctimoniam carnis cuſtodire.* Quòd hoc pallium album Religionis Carmelitanæ fuerit præmonſtratum ante eius inſtitutionem, conſtat ex viſione mirabili, quę in natiuitate Eliæ noſtri ſucceſſit, & à S.Epiphanio ſic refertur in libro de vitis Prophetarum, dum agit de Elia; *Quem cum eniteretur parens eius, eiuſmodi Sobach, patri viſio apparuit, viri niueum quendam præ ſe ferentes habitum puſionem ſalutabant, matriſque vberibus in ignem euellebant, quin & flammam ignis cibi loco miniſtrabant;* Per hos viros ſuperiori habitu albo indutos intelligit dictus Ioan-

Digitized by Google

Ioannes Carmelitas futuros Eliæ filios tunc demonſtratos.

Probatur Secunda pars concluſionis authoritate S. Gregorij Nazianzeni, qui dictum hoc myſticum Cantici Canticorum cap.3: Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad, intelligit de gregibus prophetarum Eliȩ diſcipulorum, qui morabantur in Galaad Eliȩ patria, & pellibus caprinis albi coloris induebantur. Deinde probatur ex vſu communi depingendi S.Eliam, non ſolùm in noſtra religione ſed etiam apud alios, Romȩ in Eccleſia S.Pauli extra muros eſt imago antiquiſſima S. Eliæ propè Sacriſtiam cum pallio albo.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate Ioſephi libro 2.de bello Iudaico, vbi loquens de Eſſenis ſucceſſoribus filiorum prophetarum, ac proinde alumnis Religionis Carmelitanæ, ſic ait; *Cuique eundem victus ordinem tribuunt, dolabellam quoque, & quod prædictum eſt perizoma, & albam veſtem tradentes*. Hoc pallium tam Eliæ, quam primitiuorum eius diſcipulorum, non tam ex pilis caprarum contextum; quàm ex earum pellibus conſutis ſimul effectum eſt, iuxta illud Apoſtoli de Elia eiuſque diſcipulis: *Circuierunt in melotis & in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ*; ita vt pellis melotam tegeret interiùs, pili verò exteriùs apparerent; huius figura fuit quaſi veſtis rotunda a collo vſque ad medias tibias totum corpus operiens, anteriùs aperta, ſed in reliquo clauſa, ſuperius anguſta, infeſiùr amplitudine expanſa.

Probatur quarta pars concluſionis tum adducta authoritate noſtri Ioannis 44. tum authoritate S. Athanaſij in vita S. Antonij, qui inducit ipſum apparentem in publico coram iudice cum ependite candido ſiue cum pallio albo, cum Fidei Catholicæ neceſsitas vrgebat contra hereſim Arianam, etſi Iudex prohibuiſſet ne comparerent monachi, qui ſua præſentia confortabāt fideles: Vnde meritò depictum vidi S. Antonium Romæ cum pallio albo, tunica fuſca, zonaque pellicea ad inſtar Carmelitæ, ſupra portam Xenodochij ipſius propè Sanctā Mariam Maiorem: De Sancto Pachomio etiam habemus, quòd veſte candida ſiue pallio albo vtebatur: & idem dicendum de alijs monachis.

Probatur quinta pars cōcluſionis authoritate noſtri S. Cyrilli Conſtantinopolitani in libro ſuo de peculiaribus geſtis ordinis, vbi ſic ait: *Dum Homar rex Arabiæ prædictus Terram Sanctam occupaſſet, ægre ferebat quòd iam dictæ religionis profeſſores* (loquitur de noſtra Carmelitana) *pallio albo deſuper induti incederent, cum tunc ſoli eorum Satrapæ huiuſmodi coloris habitu deſuper vterentur; qua propter geſtationem pallij albi dictis profeſſoribus interdixerunt, & ne de cætero tali pallio vterentur probibuerunt: Pro albo ergo pallio memoriali profeſsores pallium barratum ſiue ſtrepiticum tunc vnanimiter aſſumpſerunt, quòd vſque ad annum Domini milleſimum centeſimum octuageſimum ſeptimum geſtauerunt*. Hoc Cyrilli noſtri teſtimonium eſt a quingentis annis.

Probatur & explicatur ſexta pars cōcluſionis. Quamuis ſemper Religio noſtra Carmelitana pallium album prætenderit geſtare quaſi proprium, & prædicto anno illud reaſſumpſerit; iterum tamen deponere cogitur tyrannide Saracenorum, qui poſt Cyrilli noſtri mortem de nouo Palæſtinam ſubiugarunt, Et ita pallium Barratum denuò ſumpſit, quo Carmelitȩ vtebantur, cum Sanctus Rex Ludouicus eos in Galliam adduxit; Cumque ibi ſuum album reaſſumere voluiſſent, aduerſarios paſſi ſunt, maximè Prȩmonſtratenſes, ſed tandem agitata in iudicio contradictorio tali cauſa, & deiudicata eorum iuſtitia, authoritate Bonifacij VIII. Summi Pontificis iuri ſuo reſtituuntur, ex quo tempore ſemper deinceps pallium album geſtauerunt. Hanc pallij albi geſtationem Beatiſſima Virgo Maria comprobauit, dum

ſub

Digitized by Google

ſub illud tempus apparuit in habitu Carmelitano habens pallium album, ſub quo Carmelitas protegebat: ſic autem apparuit deuoto cuidam religioſo Carmelitę, vt habetur in libro exemplorum, & miraculorum Ordinis noſtri ex Arnoldo Boſſio libro 7. Speculi cap. 29. his verbis: *Quadam iure cum is religioſus ſe deuotioni cum alijs Fratribus dediſſet, & ferueus interius contemplationi ad Beatam Virginē vacaſſet, ſtans in choro vidit Beatiſsimam Dei genitricem Mariam ordinis ſui dilectam Patronam ſuis obtutibus præſentari, geſtantem ſuum filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſuper brachium; erat enim veſtibus albis induta, & alijs ornamentis ad modum ſororum ordinis, excepto quòd in capite gerebat coronam: Vidit & Angelos duos, vnum a dextris, & alium a ſiniſtris eius, tenentes pallium album & extendentes; ſub quo videbatur recipere viros albos & mulieres nitidis indutas (ſub quo etiam ipſe Frater accipi videbatur) & quaſi a vento & turbine videbantur defendi: Quibus viſis Frater vltra modum exhilaratus intellexit Beatam Dei Genitricem eſſe ordinis ſui dulcē protectricem & patronam: Vnde ei multas gratiarum actiones referens, deuotior in eius ſeruitio extitit, prouocans alios fratres in ſeruitio eiuſdem dulciſsimæ Patronæ fieri deuotiores.* Hæc & cum ijſdem verbis refert citatus Author, Ordinis noſtri ſatis antiquus & accuratus valde Hiſtoricus. Similem ſibi factam apparitionem narrat S.M.N. Thereſia libro Fundationum cap.5. de fundatione monaſterij Abulenſis ſic dicens: *Alia vice cum eſſent omnes moniales in choro orantes poſt completorium, vidi Beatiſsimam Virginem Dominam noſtram, cum maxima gloria, quæ ſub ſuo candidiſsimo pallio videbatur nos omnes recipere, & protegere; ex quo intellexi, quàm ſublimem gradum gloriæ daturus eſſet Dominus monialibus huius monaſterij.*

AD primùm ergò dicendum, quòd Sanctus Antonius geſtauit pallium album, vt conſtat ex dictis: quòd ſi depingitur cum nigro, vel hoc proceſſit ex licentia pictorum, vel quia religioſi Sancti Antonij in Oriente ex dicta Saracenorum tyrannide, relicto pallio albo, coacti fuerunt geſtare nigrum, cum quo ipſum Sanctum Antonium depingere cœperunt, vt ſe filios eius & ſucceſſores demonſtrarent. Idem dicendum de S. Baſilio; niſi dicatur ipſum ſumpſiſſe pallium nigrum, cum ſuam religionem inſtituit, diuiſo iam ordine monachali, qui ante indiuiſus pallio albo vtebatur. Similitèr dicendum, quòd antiqui monachi ante dictam diuiſionem vtebantur pallio albo.

Ad Secundum patet ex dictis, quòd Carmelitæ non ſpontè, ſed coactè pallium illud barratum tunc geſtabant.

AD Tertium ſimilitèr patet ex dictis, quòd tunc Carmelitæ non vſurparunt pallium album; ſed authoritate Summi Pontificis illud reaſſumpſerunt diiudicata ipſorum iuſtitia. Fuit autem pallium album ipſis contradictum, quia cum barrato ex Oriente venerunt; Vnde in eius mutatione paſſi ſunt aduerſarios. Non mirum, ſi Carmelitæ pallium album tanto feruore procurarunt reaſſumere, cum eſſet proprius ac diſtinctiuus ipſorum habitus, antequam Sacrum Scapulare recepiſſent a Beatiſſima Virgine; poſtquam enim illud receperunt, velut ſuum ſpecialem habitum coluerunt.

* * *

ARTICVLVS VI.

Vtrum Carmelitæ primitiui ſub Elia nudis pedibus incederent .

AD Sextum ſic proceditur : Videtur quòd Carmelitæ primitiui ſub Elia non incederent nudis pedibus . Ita tenet P. Lezana, qui dicterijs facetis potius, quam rationibus id probat. Probatur tamen:In lege antiqua erat opprobrium eſſe, & vocari Diſcalceatum , vt conſtat ex illo Deutoronomij 25. *Sin autem noluerit accipere vxorem fratris ſui quę ei lege debetur , perget mulier ad portam ciuitatis , & interpellabit maiores natu, dicetque ; non vult frater viri mei ſuſcitare ſemen fratris ſui in Iſrael , nec me in coniugium ſumere ; ſtatimque accerſiri eum facient , & interrogabunt ; ſi reſponderit , nolo eam vxorem accipere ; Accedet mulier ad eum coram ſenioribus ; & tollet calceamentum de pede eius , ſpuetque in faciem illius , & dicet; ſic fiet homini qui non ædificat domum fratris ſui , & vocabitur nomen illius in Iſrael, Domus Diſcalceati* ; Ergo non poteſt præſumi quòd Carmelitæ primitiui ſub Elia nudis pedibus incederent , cum hoc malè ſonaret in antiqua lege .

¶ 2. Præterea : Chriſtus Dominus eiuſque diſcipuli iam religioſi non incedebant nudis pedibus, at erant calceati ; De Chriſto Domino conſtat ex illo S.Ioannis Baptiſtæ dicto in ſui humiliationem & Chriſti venerationem , relato Matthęi 3. Marci 1. Lucæ 3. & Ioannis 11. *Non ſum dignus corrigiam calceamentorurum ſoluere* ; De Apoſtolis etiam conſtat ex illo ad Epheſios 6. *Calceati pedes in præparationem Euangelij* , præſertim quia ſuo tempore manducarunt Agnum Paſchalem ex Euangelio , præcipiebatur autem vt hoc fieret cum calceamentis in pedibus. ſed non poteſt dici , quod Carmelitæ primitiui duxerint vitam magis auſteram , quam Chriſtus eiuſque diſcipuli, imo Chriſtus Dominus in electis ſuis diſcipulis dedit omnimodam perfectionem ſtatui religioſo , vt communitèr conceditur. Ergo non poteſt dici, quòd Carmelitæ primitiui ſub Elia nudis pedibus incederent .

¶ 3. Prȩterea : Incedere nudis pedibus ex inſtituto religioſo , quaſi fuiſſet à Deo prȩceptum , eſt hæreſis vt docet Sanctus Auguſtinus tomo 6. libro de hæreſibus hæreſi 68. ſic enim ait ; *Et alia hæreſis nudis pedibus ſemper ambulantium , eo quòd Dominus dixerit ad Moyſem , vel ad Ioſue , Solue calceamentum de pedibus tuis , & quod Propheta Eſaias nudis pedibus iuſsus fuerit ambulare ; Inde ergo hæreſis eſt , quia non propter corporis afflictionem ſic ambulant , ſed quod teſtimonia diuina taliter intelligunt*: Sed non poteſt præſumi , quòd Carmelitæ primimitiui ſub Elia viri Sancti eſſent hæretici: Ergo nec dici poteſt, quòd nudis pedibus incederent .

¶ 4. Præterea : Carmelitæ tenent , quòd Exechiel & Daniel cum tribus ſocijs fuerunt alumni religionis Carmelitanę , qui proinde debuerunt Eliam & immediatos eius diſcipulos imitari: Sed hi non incedebant nudis pedibus , imò erant calceati ; nam Ezechielis 24. dicit ei Dominus , *Calceamenta tua erunt in pedibus tuis* ; Et Danielis 3. dicitur de ſocijs , quod *vincti cum braccis ſuis , & tiaris , & calceamentis , & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis* : Ergo Carmelitæ primitiui ſub Elia non incedebant nudis pedibus .

SED CONTRA eſt authoritas plurium Doctorum religionis Carmelitanæ præſertim inter noſtros Diſcalceatos .

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Cum Carmelitæ primitiui ſub Elia *forent admodum pænitentes, & primitias ſpiritus religionis haberent, cæperunt nudis pedibus incedere.*

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ primitiui ſub Elia nudis pedibus incedebant. 2. quos imitati ſunt eorum ſucceſſores, tam in antiqua lege, quàm in lege gratiæ quandiu fuerunt in Terra Sancta. 3. quem laudabilem vſum repararunt noſtri Diſcalceati in principio reformationis ſub S. M. Thereſia. Ad cuius euidentiam, ſciendum eſt, quòd per nudos pedes in præſenti excludimus calceos, quibus teguntur pedes; non autem Sandalia, quibus non teguntur pedes, at proteguntur ab offendiculis: Vnde non negamus Carmelitis primitiuis ſub Elia ſandaliorum vſum, at tantùm calceorum; quamuis fortè nec ſandalia geſtarent.

Probatur prima pars concluſionis: Aſperitas veſtitus tam Eliæ quàm primitiuorum eius diſcipulorum Carmelitarum repugnat calceamentis pedum, nempe nuditas capitis cùm ſolis capillis, melota cilicina &c. ſi enim modo religioſi reformati, qui capita tegunt, & habent habitum non ita rudem, incedũt nudis pedibus hic in regionibus multò frigidioribus, id potiori iure faciebant illi in Palæſtina magis temperata, cum extremam paupertatem & pœnitentiam in omnibus quærerent, carnem ſuam in ſeruitutem redigentes ne contra legem mentis recalcitraret; Vnde zelo & feruori Eliæ rigor omnis vitæ concedi debet, qui cum neceſſitate præciſa compati poteſt: Ergo Carmelitę primitiui ſub Elia nudis pedibus incedebant; Quod ſi noſter Ioannes 44. de hac re nihil dixerit, in alijs ſcribendis diligentiſſimus, hoc ideò fecit, quia ſuppoſuit vt euidẽs, quod nullus concederet calceos primitiuis Eliæ diſcipulis, quibus ipſe tam pauperes & aſperas veſtes à ſe deſcriptas ad tegendam nuditatem conceſſerat. Quod ampliùs confirmabitur ex dicendis.

Probatur ſecunda pars concluſionis. in Euangelio inducuntur diſcipuli Sancti Ioannis Baptiſtæ, quaſi magis auſteri in ieiunijs & alijs regularibus obſeruantijs, quam diſcipuli Chriſti; Vnde Chriſtus fatetur quòd Ioannes apparuit non manducans neque bibens, cum ipſe manducaret & biberet; Diſcipuli quoque Chriſti ſuo diuino Magiſtro referũt qualiter Iudæi in ſimilibus rigoribus diſcipulos Ioannis ſibi ipſis præferebãt: Sed ex vna parte diſcipuli Sancti Ioannis fuerunt Eſſeni ſucceſſores Filiorum prophetarum, vt alibi probatum eſt, ipſe enim Sanctus Ioannes vocatur à Sanctis Patribus Princeps Eſſenorum; Ex alia verò parte diſcipuli Chriſti, præſertim Apoſtoli, qui fuerunt religioſi, nudis pedibus incedebant ſine calceis & cum ſolis ſandalijs; nam Lucæ 10. habetur; *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta*; Et capite 22. *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis nunquid aliquid defuit vobis?* Et Marci cap. 6. Pæcepit Chriſtus diſcipulis, *ne quid tollerent in via niſi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zona æs, ſed calceatos ſandalijs, & ne induerentur duabus tunicis*: Ergo cum videamus in fine legis antiquę, & in principio legis gratiæ laudabilem vſum incedendi nudis pedibus in Eſſenis ſucceſſoribus diſcipulorum Eliæ, & introductum præcepto Chriſti in collegio Apoſtolorum ac diſcipulorum eius, ſignum eſt, quod hic vſus perſeuerauit in Carmelitis toto tempore legis antiquæ, & in lege gratiæ quandiu fuerunt in Terra Sancta; maximè quia poſt annum quadringenteſimum hoc ſcripſit Caſſianus libro 1. de habitu monachi cap. 10. dicens, *Calceamenta verò velut interdicta Euangelico præcepto recuſantes*: Et poſt annum milleſimum inuenimus noſtrum Petrum Eremitam nudis pedibus inceſſiſſe, ait enim Guibertus libro 6. Hiſtoriæ Ieroſolymitanæ de eo, quod *Subucula lanea ad carnem vtebatur, tunica capuciata ta-*

 lari

Digitized by Google

lari & nudipes incedebat. Et Sanctus Angelus in antiquiſſima imagine ſeruata in palatio Tuſculano D. Cardinalis Ludouiſij depictus apparet nudis pedibus cum duobus ſocijs etiam diſcalceatis.

Probatur Tertia pars concluſionis ipſo viſu: In principio reformationis noſtri Diſcalceati nudis omninò pedibus incedebant abſque ſandalijs: ſed cum aliunde noſtras conſtitutiones vidiſſent Commiſſarij Apoſtolici iudicarunt in his regionibus nimium frigidis non poſſe diu durare religioſos ſine ſandalijs præ frigore ac humiditate; cum aliàs ex abſtinentia carnium, diuturno octo mẽſium ieiunio, cæteriſque rigoribus eſſent debilitati: Vnde poſt aliquot annos vſus ſandaliorum introductus fuit, vt ſic pedes nudi remanerent, & ab offendiculis munirentur.

AD primùm ergò dicendum, quòd eſt nimis ridiculoſum, vt à viro graui proponatur: opprobrium quidem erat eſſe & vocari diſcalceatum in caſu illo Sacræ Scripturæ, quando quis contra præceptum legis nolebat accipere vxorem defuncti fratris ſui, ne ei ſuſcitaret ſemen, & ædificaret domum: ſed ille caſus non currit in Carmelitis primitiuis, qui ſolùm ad mortificationem corporis, & religioſam humilitatem nudis pedibus incedebant.

AD Secundum dicendum, quòd tam Chriſtus Dominus, quàm diſcipuli eius incedebant nudis pedibus: De Chriſto conſtat euidenter ex illo Lucę 7. vbi dicitur *quòd Maria Magdalena ſtans retrò lauit pedes eius lachrymis, vnxit vnguento, & oſculata fuit, terxitque capillis*, quæ non potuiſſet facere, ſi fuiſſet Chriſtus cum calceis; De eius diſcipulis iam probatum eſt. Vnde ad impugnationem contra primum reſpondet Abulenſis quęſt. 68. in caput 3. Matthæi dupliciter, quòd quidem Chriſtus non portauit calceos, at tantùm ſandalia ab initio; quia ſi priùs non portaſſet antequam vocaret Apoſtolos, fuiſſet inſtabilis in modo viuendi, quòd dedecet ipſum; nihil autem rigoris ſuis præcepit diſcipulis quod ipſe prior ad exemplum non obſeruauerit: Et ita dictum illud S. Ioannis de Chriſto vel accipitur iuxta communem modum loquendi, quando aliquis vult oſtendere vnum improportionabiliter excedere alterum, dicitur non eſſe dignus ſoluere corrigiam calceamentorum quę habet, vel ſi illa haberet: Vel accipitur, quia nondum videret Chriſtum, vt ait Ioannis 1. *Et ego neſciebam eum*; Et ſic poterat putare, quod Chriſtus portaret, vel portaturus eſſet calceamenta. Ad impugnationem contra ſecundum dicendum, quod quis poteſt dici calceatus ſandalijs, vt conſtat ex adducto ſupra teſtimonio Sancti Marci; Sandalia verò ferebant Apoſtoli & viri Apoſtolici, qui tamen dicebãtur calceati pedes in pręparationem Euangelij: ſimiliter in calceamentis, cum quibus præcipiebatur edi Agnus Paſchalis, comprehenduntur tam calcei quàm ſandalia.

AD Tertium dicendum, quòd qui crederet præceptum factum Moyſi & Ioſue ſoluendi calceamenta de pedibus, pertinere ad omnes fideles, eſſet hęreticus; Et hoc tantùm intelligit Sanctus Auguſtinus; Carmelitę verò primitiui ſic non credebant; quod ſi nudis pedibus incederent, hoc erat ad afflictionem corporis, quaſi ſupererogatorium, quod ex Auguſtino ipſo eſt laudabile.

AD quartum dicendum, quod in illis locis per calceamenta intelliguntur ſandalia: ſicut & capite 20. Iſaiæ cum ei dixit Dominus; *Vade, & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamento tua tolle de pedibus tuis, Et fecit ſic vadens nudus & diſcalceatus*: Vbi nota, quod ex hoc loco poteſt conijci, Iſaiam prophetam fuiſſe alumnum religionis Carmelitanæ, vt ſupra dictum eſt, quia dicitur indutus fuiſſe prius ſacco, qui tunc erat idem quod melota, & habitus pœnitentiæ religioſę: quem tamen iuſſus eſt exuere, ſicut & deponere ſandalia, vt hoc facto pręmonſtraret mala quæ Aegypto & Aethiopiæ ventura eſſent a Rege Aſsyriorum, qui ex captiuitate & tranſmigratione

gratione eorum minaret iuuenem & ſenem nudam & diſcalceatam: conijcitur etiam ex capite 56. vbi conſolatur Eunuchos ſpirituales, quos dicimus fuiſſe alumnos Religionis Carmelitanæ, vt alibi ponderauimus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Carmelitæ primitiui, tam in antiqua quam in noua lege baculum geſtarent.

AD Septimum ſic proceditur: Videtur quod Carmelitę primitiui non geſtarent baculum, nec in antiqua, nec in noua lege. Probatur: Non legitur, quod Sanctus Elias Carmelitarum fundator baculum geſtauerit; quòd ſi Sanctus Eliſæus illum geſtauit, hoc fuit propter debilitatem, aut aliam neceſſitatem: Ergo cęteri Carmelitæ primitiui non geſtauerunt baculum, cum Eliæ ſuo fundatori debuerint in omnibus conformari.

¶ 2. Præterea: nulla poteſt cauſa rationabilis adduci, quæ ſuaderet Carmelitas primitiuos geſtare baculum, vel domi, vel foris; cum ſuperfluum videatur, & religioſi debeant à ſuperfluis abſtinere: Ergo Carmelitę primitiui non geſtauerunt baculum.

¶ 3. Prętcrea: Geſtatio baculi vel eſt propter grauitatem, vel propter commoditatem, vel propter neceſſitatem: ſed Carmelitæ primitiui propter nullum iſtorum debuerunt geſtare baculum; non propter grauitatem, quę repugnat ſimplicitati religioſæ; non propter commoditatem, quæ contrariatur aſſiduæ religioſorum mortificationi, qui Crucem iugiter debent ferre; nec propter neceſſitatem, quia hæc non potuit eſſe communis omnium, at particularis paucorum: Ergo Carmelitæ primitiui non geſtauerunt baculum.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis noſtræ Carmelitanę religionis, & communis ſententia Doctorum illius ac exterorum, præſertim Ioannis noſtri Ieroſolymitani Patriarchæ 44. & Ioannis Caſſiani libro 1. de habitu monachi capite 9.

CONCLVSIO.

Cum Carmelitæ primitiui, tam in antiqua quam in noua lege iter agentes incederent pedites, baculum geſtabant.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ primitiui in antiqua lege iter agentes baculum geſtabant, ad imitationem Sanctorum prophetarum Eliæ & Eliſei fundatorum ſuorum. 2. quem vſum laudabilem Chriſtus ſuis pręcepit diſcipulis. 3. Et perſeuerauit in monachis Eccleſiæ primitiuæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hęc baculi geſtatio in monachis, licet quid minimum appareat, tamen in obſeruantijs regularibus nihil minimum iudicandum eſt, ſed omnia ſunt æſtimanda, quia *qui ſpernit modica paulatim decidet*: Vnde videmus quod ex neglectu minimarum obſeruantiarum incipiunt religiones relaxari, & ab his minimis neglectis deuenitur ad neglectum maiorum & præcipuarum; ita vt breui tempore deformentur omninò, ac penitus relaxentur: Et quia grauiſſimi authores citandi huius geſtationis baculi mentionem faciunt, ipſe volui ſpeciale dubium in præſenti de illa formari.

Probatur prima pars concluſionis authoritate noſtri Ioannis 44. in libro de Inſtitutione monachoruum capite vltimo, vbi ſic ait: *Tandem geſtatio baculi deſignat monachum nullis diaboli, aut mundi, vel carnis tentationibus debere parcere, ſed longè à ſe eas propulſare: Vnde ſignificat ſpiritualiter monachum numquam debere inermem incedere inter tot oblatrātium concupiſcentiarum & vitiorum canes, & inter tot inuiſibiles ſpiritualium nequitiarum beſtias, de quibus Propheta poſtulās per Deum liberari, ait; ne tradas Domine*

beſtÿs

beſtijs animas confitentes tibi. Debet igitur monachus fide munitus reſiſtendo eas longius propulſare, Apoſtolo Iacobo ita dicente; Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis: Aduerſum ſe etiam ſæuientes concupiſcentiarũ & vitiorum canes debet monachus retundere imitatione Dominicæ Paſſionis *& eiuſdem mortificationis exemplo, ita dicente Apoſtolo; Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Litteraliter autem hęc geſtatio baculi ſignificat, monachum debere peditem incedere ad imitationem Sanctorum illorum iter agentium, quando nulla premit neceſſitas. Quod Sanctus Eliſæus baculum geſtaret conſtat ex illo 4. Regum 4. ipſius Eliſęi dicto ad Giezi; *Tolle baculũ meum in manu tua, & vade, & pone baculum meum ſuper faciem pueri.*

2 Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Sacrę Scripturæ. Marci 6. dicitur: *Et præcepit eis* (ſcilicet duodecim Apoſtolis mittens binos) *ne quid tollerẽt in via, niſi virga tantùm.* Quod ſi Dominus Matthæi 10. & Lucæ 9. præcepit eiſdem Apoſtolis ne virgam ferrent: ſic concordat Abulenſis in Matthęi 10. q. 60. dicens; *Non virgam, videatur contrarium Marci 6. ſcilicet, Præcepit eis ne quid tollerent in via niſi virgam tantum; ſed dicitur communiter, quod Marcus accepit virgam propriè, Matthæus autem) Et idem dicendum de Luca) accepit figuratè pro ſuſtentatione temporali.* Eodem modo intelligit & concordat S. Aug. tom. 4. lib. 2. de Conſ. Euangeliſtarum cap. 30. Vnde inter alia habet: *Potuit etiam ſic breuiter dici; nihil neceſſariorum vobiſcum feratis, nec virgam, niſi virgam tantùm.*

Probatur tertia pars concluſionis authoritate Caſſiani libro 1. de habitu monachi cap. 9. vbi ſic ait: *nam & baculum geſtaſſe eoſdem viros, etiam Eliſæus, qui vnus ex ipſis eſt, docet cum dicit ad Giezi puerum ſuum, mittens eum ad ſuſcitandũ filium mulieris: Tolle baculum meum, & currens pone eum ſuper faciem pueri, vt viuat: Quem vtique non dediſſet ei* Propheta *geſtandum, niſi eum manu ſua ſolitus eſſet iugiter circumferre:* Cuius *geſtatio ſpiritaliter monet, nunquam debere eos inter ſe oblatrantes vitiorum canes, & inuiſibiles nequitiarum ſpiritalium beſtias inermes incedere; de quibus B. Dauid liberari poſtulans dicit; Ne tradas Domine beſtijs animam confitentem tibi, ſed irruentes eas retundere Crucis ſignaculo, ac longiùs propulſare, atque aduersùm ſe ſæuientes iugi memoria Dominicæ* Paſſionis, *& imitatione illius mortificationis extinguere.* Nunc etiam apud reformatos & pauperes religioſos laudabilis mos iſte viget, vt pedites iter agant baculum geſtantes, cũ nulla neceſſitas vrget ad aliter incedendum, & tunc apud noſtros Diſcalceatos expreſſa requiritur licentia Superiorum ad equitandum humili modo.

AD primùm ergò dicendum, quòd Elias noſter etiam geſtauit baculum iter agens, licet non inueniatur expreſsè ſcriptum; ſicut inuenitur ſcriptum de Eliſęo, occaſione miraculi reſurrectionis illius pueri: Ex adducta verò Caſſiani authoritate habetur, quod hic Sanctus Propheta baculum geſtabat ex more religioso, non propter debilitatem aut aliam neceſſitatem naturalem.

AD Secundum dicendum, quòd præter myſticam rationem geſtandi baculum in via, quam propoſuit tam noſter Ioannes 44. quam Caſſianus, naturalis ratio fuit, vt iteragentes pedites eius vſu ſubleuentur à labore itineris, & contra beſtias occurrentes vtcumque muniantur.

AD Tertium dicendum, quod hæc geſtatio baculi in Carmelitis nec fuit, nec eſt propter grauitatem, vt adducta ratio probat; nec propter magnam commoditatem, vt etiam adducta ratio ſuadet; ſed propter aliqualem commoditatem in vtraque neceſſitate expreſſa fundatam, quæ non dedecet reformatum & pauperem religioſum.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XXIII.

De Regula Carmelitanæ Religionis.

REGVLA eſt anima religionis, qua mouetur & in omnibus dirigitur; Vnde cum hactenus de requiſitis ad conſtitutionem Carmelitanę religionis actum ſit, nunc de eius regula agendum eſt: Circa quem quæruntur quatuor.

¶ Primo, Vtrum Regulę primitiuæ religionis Carmelitanæ ſit ab Elia Propheta eius Patriarcha.

¶ Secundo, Vtrum Regula Carmelitarum primitiua ſit tantùm vna & ſimplex.

¶ Tertiò, Vtrum Regula Carmelitana, prout ab Innocentio IV. confirmata, poſſit dici mitigata.

¶ Quarto, Vtrum Regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. mitigata, multum differat a Regula primitiua.

ARTICVLVS I.

Vtrum Regula primitiua Religionis Carmelitanæ ſit ab Elia Propheta eius Patriarcha.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd regula primitiua Religionis Carmelitanæ data non ſit ab Elia propheta eius Patriarcha: Ita tenēt qui antiquam huius religionis ſucceſſionem negant. Probatur: Si Regula primitiua religionis Carmelitanæ data ſit ab Elia propheta eius Patriarcha, vel hoc factum eſt in ſcriptis, vel traditione regularium obſeruantiarum: ſed neutrū dici poteſt, quia tam ſcripturæ quā traditiones prophetarum in ſacris litteris approbatorum, qualis eſt Elias, pertinēt ad fidem, ad quam tamen non pertinet dicta Regula: Ergo regula primitiua religionis Carmelitanæ non eſt data ab Elia propheta eius Patriarcha.

¶ 2. Præterrea: Hęc regula primitiua dicitur, etiam à Carmelitis, deſumpta à Regula S. Baſilij, & conſtat ex ſimilitudine illius ad iſtam: Ergo regula primitiua religionis Carmelitanę non eſt data ab Elia Propheta eius Patriarcha.

¶ 3. Præterea: Regula primitiua relgionis Carmelitanæ tradita fuit à B. Alberto Patriarcha Ieroſolymitano; ſic enim habetur in eius titulo, *Regula primitiua ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo à B. Alberto Patriarcha Ieroſolymitano tradita*: Ergò non fuit data ab Elia.

SED CONTRA eſt ipſius Carmelitanæ religionis antiquiſſima & vniuerſalis traditio, ac Doctorum ipſius communis ſententia.

CONCLVSIO.

Cum Elias Propheta regulares obſeruantias ſuæ religionis Carmelitanæ inſtituerit, meritò dicitur ab ipſo data Regula eius primitiua.

RESPONDEO dicendum, quod Regula primitiua religionis Carmelitanæ data fuit ab Elia propheta eius Patriarcha, per inſtitutionem regularium obſeruantiarum. 2. ſicque per traditionē recepta perſeuerauit deinceps toto tempore Synagogę, & quatuor primis Eccleſię ſeculis. 3. Deinde fuit ſcripta fuſius à Ioanne 44. Ieroſolymorum Antiſtite per relationem dictarum obſeruantiarū in ſuo libro de Inſtitutione monachorū. 4. ac tandem breuius à B. Alberto Patriarcha Ieroſolymitano per modum regulæ in ſcriptis tradita. Ad cuius euidentiā ſciendum eſt, quòd aliqua regula directiua morum poteſt haberi, vel per traditionem inſtitutarum regulariū obſeruantiarum, vel in ſcriptis: Primum con-

Digitized by Google

conſtat in ſimili de Eccleſia primitiua in qua tam Fides Catholica; quàm doctrina moralis atiquo tempore per ſolã traditionem diuinam aut apoſtolicam ſuſcepta perdurauit, donec ſcripta fuerunt quatuor Euangelia, Epiſtolæ Canonicæ &c. De ſecunda non eſt dubium, ſic enim nunc habentur ſingulæ religioſorum ordinum regulæ.

Probatur prima pars concluſionis: Ex vna parte nullibi conſtat Eliam ſuæ religioni Carmelitanæ ſcriptam dediſſe regulam, imo colligitur contrarium, quia talis regula fuiſſet conſeruata, & inſerta Sacræ Scripturæ vt quid maximi momenti, cum tam geſta quàm dicta huius Sanctiſſimi Prophetæ in ipſa reperiantur ſcripta: Ex alia verò parte, cum Elias Dei mandato ſuam Religionem Carmelitanam fundaſſet, debuit in ea regulares obſeruantias inſtituere, quas eius alumni religioſi cuſtodirent, ſine qnibus non poteſt conſiſtere Religio, cum ſint regula practica: Ergo Regula primitiua religionis Camelitanæ data fuit ab Elia Propheta eius Patriarcha per inſtitutionem regularium obſeruantiarum.

Probatur Secunda pars coclusionis: Cum apud vtrumque Ioſephum, Philonem, & alios Doctores fiat mentio regularium obſeruantiarum, ſiue religioſorum exercitiorum, quæ Filij Prophetarum, Rechabitæ, Eſſeni, Aſſidæi, ac Monachi primitiuæ Eccleſię, qui hoc ordine ſucceſſionis fuerunt alumni Elię, coluerunt; nullus tamen eſt qui ſcriptã ab eo regulam ab ipſis obſeruatam referat: Ergo ſiguum eſt, quòd regula religioni Carmelitanæ data ab Elia per inſtitutionem regularium obſeruantiarũ abſque Scriptura; ſic per traditionem recepta perſeuerauit deinceps toto tempore Synagogæ, & quatuor primis Eccleſiæ ſæculis.

Probatur tertia pars concluſionls; ſub finem quarti ſæculi & in principio quinti florebat noſter Ioannes 44. qui librum de Inſtitutione monachorum in antiqua lege exortorum & in noua perſeuerantium edidit, vt ſatisfaceret Capraſio ſuo diſcipulo Carmeli montis Priori, qui tale petierat opus a magiſtro ſuo tum pijſſimo, tum doctiſſimo: Petijt autem duplici ex cauſa; Prima quidem, vt ſic Ordinis Carmelitani, cuius erat ſuperior generalis, hiſtoriam perfectè noſceret, cuilibet enim naturale eſt velle originis ſuæ ſcire primordia; ſecunda verò vt videns hac via fundatorum ordinis & primorum eius alumnorum ſanctitatem, religioſum viuendi modum, res geſtas ſacras traditiones, & habitum; his vteretur in exemplum tum ſui, tum diſcipulorum ad capeſcendam perfectionem religioſam: Et ſic liber Ioannis eſſet in ordine loco Regulæ. Quòd tale fuerit motiuum Ioanni in ſcribendo, & huiuſmodi duplex cauſa fuerit Capraſio in petendo, habetur ex ipſo libri principio, ſic enim incipit: *Principium religionis huius, quemadmodum & vnde primo ipſa proceſsit, ratione petis dilecte Capraſi, ante alia perſcrutandum: quamuis namque conuerſationis huius ratio in ſola experientia conſiſtat, & nequaquam poſset hæc ratio plenè verborum doctrina, niſi ab experto tradi, neque etiam a te totaliter percipi, niſi eam pari ſtudio ac ſudore per experientiam apprehendere laboraueris: multò tamen efficaciùs poteris ſuſceptæ huius profeſſionis aſſequi diſciplinam, & ad illã capeſſendam alios ardentiùs incitare; cum auctorum atque fundatorum eius agnoueris dignitatem, & primariam religionis ipſius ſciueris inſtitutionem*: Propter quod (*vt ordine debito procedamus*) *de ſupremo huius religionis & primariæ eius inſtitutione eloqui pauliſper inchoabimus: deinde aliqua ſancta geſta, & glorioſas virtutes, & exteriorem habitus ornatum; deque ipſo fundatore, & primis eius diſcipulis, cæteriſque huius religionis priſcis profeſsoribus ſuccinctè diſponemus; ſicut hæc omnia antiqui huius noſtræ conuerſationis ſectatores ante nos intellexerunt, & nobis tam in veteri quàm in noua lege, doctrinis & exemplis philoſophati ſunt*: *Vt per hæc diſcas quanta Sanctorum præcipuorum auctoritate hæc noſtra vitæ religio confirmetur, &*

cum

Digitized by Google

cum quanta mentis ſecuritate formam huius conuerſationis ſequentes, non per nouitates ſumptas, neque per inanes fabulas, ſed per approbata totius vitæ monaſticæ primaria exemplaria, viam & corda noſtra Domino dirigimus, & ſemitas veniendi ad nos Deo noſtro rectas facimus. Hæc Ioannes, quibus alia ratio poteſt adiungi: Et eſt, quòd tunc ordines religioſi incipiebant multiplicari, a ſuo trunco, ſcilicet ab Eliano Ordine Carmelitano diuiſi; voluit igitur Ioannes hoc libro Carmelitas ſuos firmare ſub primitiuo Eliæ patriarchatu.

Probatur & explicatur quarta pars concluſionis: Sanctus Brocardus ſecundus inter Latinos Generalis Ordinis volens perfectiùs obſeruantiam regularem ſtabilire, & ſciens quòd natura humana pro innata ſua debilitate, ac infirmitate, præſertim in ſtatu corruptionis, ſemper ad laxiora tendit, & auſtera refugit, niſi contineatur: Ideò quamuis tunc Sanctis noſtris religioſis ſufficeret in prædicto Ioannis libro ſcire, quid ſui prædeceſſores obſeruaſſent, vt ad eadem obſeruanda & ad ipſos imitandos animarentur; Sanctus tamen hic Prælatus futura præuidens, & ex adducta radice conijciens fieri poſſe, quòd refrigeſcente charitate ſurgerent aliqui dicêres, quòd nunc debilitata natura modus ille viuendi maiorum noſtrorum in dicto libro deſcriptus, eſſet intolerabilis, & quod illi fortiori natura prædidi potiùs mirandi quàm imitandi eſſent; maximè quia in prædicto libro nihil præcipitur: Inde eſt, quòd ad perpetuam regularis obſeruantiæ firmitatem, & ad excludenda ſimilis relaxationis inconuenientia, voluit authoritate Beati Alberti Patriarchę Ieroſolymitani (quæ tunc ſufficiebat annuente Summo Pontifice) condi regulam præciſam cum preceptis tam affirmatiuis quàm negatiuis, quę omnes Carmelitas ad ſui obſeruantiam obligaret.

AD Primum ergo dicendum, quòd hæc Regula non eſt data in ſcriptis, ſed per traditionem ab Elia: Vt autem tam ſcriptura, quam traditio aliqua pertineat ad fidem, debet proponi authenticè ab Eccleſia vt credenda, ſic autem non proponitur hæc traditio regularis S.Eliæ.

AD Secundum dicendum, quòd priùs S. Baſilius ex traditionibus Carmeliticis ſuam confecit regulam, quàm ab illa poſtmodum regula Carmelitarũ fuerit deſumpta.

AD Tertium patet ex dictis, quòd pugnat contra concluſionem.

ARTICVLVS II.

Vtrum Regula Carmelitarum primitiua ſit tantùm vna & ſimplex.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd Regula Carmelitarum primitiua, prout à Diſcalceatis obſeruatur, non ſit tantùm vna & ſimplex, at multiplex. Probatur: Conſtitutiones Diſcalceatorum ſunt quędam ipſius Regulæ primitiuæ declarationes, & in ipſa fundatæ, vt habetur in earum prologo his verbis: Nonnullas conſtitutiones multis experimentis probatas, Regulæ ipſi conſentaneas in generalibus capitulis Religio noſtra ſanciuit: Sed in huiuſmodi conſtitutionibus oppoſita præcipiuntur, vt habetur capite 1. ſecundæ partis; dicitur enim, *Fieri nequit, vt inter nos ipſos non ſint aliqua etiam diſcrimina, & noſtro & proximorum bono conſentanea*: Ergo Regula Carmelitarum primitiua non eſt tantùm vna & ſimplex.

¶ 2. Præterea: Ipſa Regula Carmelitarum primitiua continet duos fines proximos ſibi contrarios, & incompoſſibiles, nempè continuæ contemplationis & externæ actionis erga proximum; De primo dicitur, *maneant ſinguli in cellulis ſuis vel iuxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes*; De ſecundo addidit

Digitized by Google

Innocentius IV. his verbis, *De animarum ſalute tractetis:* Sed nec vna ſimplex Regula, nec vna ſimplex Religio poteſt continere ſeu habere duos fines proximos ſibi contrarios & incompoſſibiles, cum penes illos tanquam per obiecta diſtinguantur eſſentialiter religiones: Ergo Regula Carmelitarum primitiua non eſt vna & ſimplex.

¶ 3. Præterea: Regula Carthuſianorum differt eſſentialitèr à Regula Trinitariorum aut aliorum, qui pro fine habent actionem charitatiuam erga proximum, cum inducant religiones eſſentialitèr diſtinctas, quæ proinde habent regulas diſtinctas eſſentialitèr in ſuis præceptis: Sed Regula primitiua Carmelitarum inducit maiorem diſtinctionem aut diuerſitatem præceptorum pro diuerſitate conuentuum inter ipſos Carmelitas, quàm ſit inter Carthuſianos & Trinitarios; nam in eremiticis conuentibus Diſcalceatorum eſt maior receſſus, & maius ſilentium quam in clauſtris Carthuſianorum, & in conuentibus miſſionum eſt maior occupatio in bonum proximi, quàm apud Trinitarios vt conſtat ex eorum conſtitutionibus: Ergo Regula Carmelitarum primitiua non eſt tantum vna & ſimplex.

SED CONTRA eſt communis ſententia Doctorum, non ſolùm Carmelitarum, ſed etiam exterorum.

CONCLVSIO.

Cum noſtra Diſcalceatorum religio ſit vna tantùm benè ordinata, Regula Carmelitarum primitiua eſt tantum vna & ſimplex.

RESPONDEO dicendum, quod Regula Carmelitarum primitiua eſt tantùm vna & ſimplex formalitèr. 2. Sicut & noſtra Diſcalceatorum Religio. 3. licet virtualitèr poſſit dici multiplex. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd vnitas aut diſtinctio Religionum, ſicut & Regularum ipſarum ſumitur à fine proximo, ad quem religiones diriguntur, & Regulæ dirigunt: Hoc enim eſt commune reſpectiuis ſpecificari, ac ita diſtingui inter ſe, ab ipſo ſuo fine proximo, velut ab obiecto per ſe inſpecto, cũ ordo ad illum ſit iutrinſecus & eſſentialis: Vnde ab ipſo ordine ſpecificantur, à fine verò radicalitèr. Finis autem religionum eſt triplex, videlicet contemplatio, actio charitatiua erga proximum & contemplatio ſimul & actio ordinatæ ad inuicem, vt mox declarabitur.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Vnitas, quæ importat indiuiſionem rei in ſeipſa, & diuiſionem à quolibet alio, non eſt æqualis in omnibus etiam phyſicis, eſt enim maior & minor, vt conſtat in numeris vnitate multiplici ſimul ordinata conſtantibus: In moralibus autem reperitur minor vnitas, cum ex pluribus phyſicis conſtent ſimul ordinatis, & ita vnitas ipſorum petitur a debito ordine, qui ordo ſi deſit, moralia erunt aggregatum quid per accidens: Cum igitur religiones, & ipſarum regulæ ſint quid morale, non aliam petunt vnitatẽ quam moralem, ſcilicet debitum ordinem ad ſuum finem proximum, qui ſit moraliter vnus: ſed Regula Carmelitarum primitiua habet debitum ordinem ad finem proximum ipſius Religionis Carmelitanæ moraliter vnum, qui coaleſcit ex contemplatione & ſimul actione charitatiua erga proximum ab ipſamet contemplatione deriuata, ipſique coniuncta & conformi, qualis eſt prædicatio & inſtructio, particularis etiam in Sacramento Pœnitentiæ, de veritatibus fidei & doctrinæ moralis in contemplatione perfectè cognitis: Ergo Regula Carmelitarum primitiua eſt tantùm vna & ſimplex.

Probatur ſecunda pars concluſionis ex ante dictis, eadem enim eſt ratio de Religione ac de eius regula, cum religio dirigatur in proprium finem per ſuam regulam, vnde dicitur vtraque vna ab eodem vno fine. Circa quæ notandum eſt, quòd in hac vita non datur pura contemplatio continuata, quia laſſantur

tur organa corporis ; à quibus dependet intellectus in ſua contemplatione, intellectio quippè concomitanté habet operationem phantaſiæ : Vnde religiones quantumcumque contemplatiuè debent inducere aliquas operationes externas, aliquando ex ſua ſpecie indifferentes ; Noſtra vera induxit prædictam operationem charitatiuam erga proximum valde meritoriam.

Probatur tertia pars concluſionis ex argumentis in contrarium adductis, quę ſolùm hanc partem, ſed efficacitèr probant. Igitur in noſtra Diſcalceatorum religione exercitia habemus pro ſatisfactione cuiuſcumque ſpiritus in diuerſis conuentibus : In eremiticis quidem tam continua eſt contemplatio, quòd eorum incolæ ſolis rebus diuinis occupati videantur, nihil enim eorum quæ geruntur in mundo percipiunt, vnde nec ſcribunt foras nec litteras recipiunt ; perpetuum penè ſilentium, & tam exactam cuſtodiunt ſolitudinem, vt Anachoretarum vitam multum excedant ; ſi quis exaggerationem eſſe dubitauerit, noſtras legat conſtitutiones, & hos conuentus noſtros adeat, & inueniet me admodum ſobriè de his loqui ; In conuentibus aut reſidentijs miſſionum religioſi ex ſuperabundantia contemplationis vacant cōuerſioni infidelium, cum multò fructu, vt ipſe per duodecim annos expertus ſui. In cæteris conuentibus etiam principalitèr vacant contemplationi, deinde ex eius redundantia vacant animarum ſaluti.

AD Primùm ergo dicendum, quod in noſtris conſtitutionibus non præcipiuntur oppoſita in hoc ſenſu, quòd vnum excludat aliud abſolutè, ſed tantùm quòd vnum ſuccedat alteri ad tempus : Vnde non obſtantibus illis conuentuum diſcriminibus aſſignatis, manet ſemper quòd finis principalis eſt contemplatio in ſingulis, & media ipſi proportionata, nempè ſilentium & receſſus maiori cura exercentur ; quamuis in aliquibus ſint peculiaria exercitia iuuando proximo deſtinata, vt ſtudium &c. cum actio charitatiua erga ipſum, procedens ex redundantia contemplationis, ſit finis ſecundarius.

AD Secundum dicendum, quod quidem Regula noſtra primitiua continet hos duos fines proximos, quos noſtra Diſcalceatorū religio reſpicit : ſed non ex æquo : nam contemplationem reſpicit vt primarium, & actionem charitatiuam erga proximum reſpicit vt ſecundarium : Hæc autem cum procedat ex redundantia illius, & aliunde non habeatur pura contemplatio continuata, ſequitur quòd non ſunt fines contrarij & incompoſſibiles, niſi pro eodem tempore, ſic autem non præcipiuntur in Regula, at ſucceſſiuè vnus poſt alium, & ſecundarius ex redundantia primarij, ſic verò conſiderantur per modū vnius.

AD Tertium dicendum, quòd Carthuſiani pro fine proximo ſolam reſpiciunt contemplationem, & Trinitarij ſolàm redemptionem captiuorum ; cætera vera reſpiciunt, vel vt media ad ſuum finem conducentia, vel vt acceſſoria : Vnde ex tali fine diſtinguuntur eſſentialiter vt duę religiones, & hoc quoque modo diſtinguuntur eorum Regulæ ad diuerſos fines directiuæ. Regula vero primitiua, ſicut & noſtra Carmelitarum Religio reſpicit prędictos ſuos fines per modum vnius, & cū dicta ſubordinatione, & pręcepta illa diuerſa pro diuerſis conuentibus tradit : vt media conducentia ad illos fines cum eadem ſubordinatione : Vnde tam religio noſtra, quàm Regula primitiua Carmelitana remànet vna, & ſimplex.

ARTICVLVS III.

Vtrum Regula Carmelitana, prout ab Innocentio IV. confirmata, poſſit dici mitigata.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd Regula Carmelitana, prout ab Innocentio IV. Summo Pontifice confirmata, poſſit & debeat dici mitigata. Ita tenent aliqui Carmelitæ mitigati, qui ſub reformationis nomine, ſe noſtris Diſcalceatis æquant; & quia non poſſunt celare, ſe regulam ab Eugenio IV. mitigatam habere, procurant inſinuare ipſam Carmelitanam Regulam, prout ab Innocentio IV. confirmatam, eſſe quoque mitigatam; Vnde dicunt & ſcribunt, quòd noſtri Carmelitæ Diſcalceati non debeant vocari primitiui. Probatur: Innocentius Quartus Summus Pontifex, præficiens reuiſioni Regulæ Carmelitanæ in ordine ad confirmationem, Hugonem a Sancto Caro Cardinalem, & Guillelmum Anterudenſem Epiſcopum Sacrę religionis Dominicanæ alumnos, dedit eis in ſua Bullà facultatem declarandi, mutandi, & mitigandi hanc Regulam; Ergò ſignum eſt, quòd fuit ab illis mitigata, & ſic à Pontifice confirmata.

¶ 2. Præterea: In hac reuiſione Regulæ Carmelitanæ multa fuerunt addita, vel detracta, vel etiam mutata, quæ reddunt ipſam mitiorem, vt ſigillatim oſtenditur. Priùs Carmelitarum conuentus fiebaut tantùm in eremis, Pontifex addidit, quòd fierent vbique in locis aptis ad obſeruantiam. Priùs Carmelitæ manducabant ſeparatim, Pontifex indulget vt comedant in communi refectorio. Item Pontifex permiſit habere aſinos & mulos, & aliquot animalium ſiue volatilium ad nutrimẽtum. Item Pontifex permiſit conuerſationem cum ſæcularibus pro animarum ſalute, cum priùs eſſent ſolitarij. Quantùm ad abſtinentiam ab eſu carniũ priùs ſic erat in Regula; *Ab eſu carnium ſemper abſtineatis, niſi pro infirmitatis, vel nimiæ debilitatis remedio ſumantur*: Pontifex abſtulit ly *ſemper & nimiæ*; Item in domibus ſæcularium permittit pulmenta cocta cum carnibus ſicut & veſci carnibus ſupra mare. Quãtùm ad ſilentium valdè laxauit: Regula prius illud pręcipiebat à dictis Veſperis vſque ad Tertiam dictam ſequentis diei nunc autem illud coarctat multum, nempè à Completorio dicto vſque ad primam dictam ſequentis diei: Ergo Regula Carmelitana, prout ab Innocentio IV. confirmata, poteſt & debet dici mitigata.

SED CONTRA eſt authoritas eiuſdem Summi Pontificis, & communis ſententia tam noſtrorum Diſcalceatorũ, quàm plurium exterorum.

CONCLVSIO.

Cum Regula Carmelitana prout ab Innocentio IV. confirmata, ipſius ac ſequentium Pontificum authoritate dicatur primitiua, non poteſt dici quòd ſit mitigata.

RESPONDEO dicendum, quòd Regula Carmelitana, prout ab Innocentio IV. confirmata, non poteſt dici mitigata. 2. quia additiones aut mutationes Pontificis non tam eam mitigarunt quàm declararunt. 3. quòd ſi mutauerint in aliquibus accidentalibus, potiùs rigidiorem quàm mitiorem effecerunt. 4. Vnde debet retinere nomen Regulæ primitiuæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd religio Carmelitana in Generali Concilio Lateranenſi fuerat inter quatuor mendicantes annumerata, & alijs tribus aſſociata, ſcilicet Auguſtinianæ etiam antiquæ, & Dominicanæ, ac Franciſcanæ tunc exurgentibus; Vnde neceſſarium fuit, Regulam Eremitis datam, ac vitæ ſolitariæ magis cõgruentem in aliquibus propter actionem

nem charitatis erga proximum, ad quam nouo titulo mendicantium obligantur, abſque tamen vlla contradictione textus; quæ declaratio ſpecialis, & conſequens confirmatio facta fuit ab Innocentio IV. Regula autem ſic declarata & confirmata eſt ſequentis tenoris. Albertus Dei gratia, Ieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, dilectis filijs Brocardo, & ceteris fratribus Eremitis, qui ſub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in monte Carmeli morantur in Domino ſalutem, & Sancti Spiritus benedictionem. Multifariè multiſque modis Sancti Patres inſtituerunt, qualiter quiſque in quocumque ordine fuerit, vel quemcumque modum Religioſæ vitæ elegerit in obſequio Ieſu Chriſti viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & de conſcientia bona deſeruire. Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propoſitum veſtrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in poſterum debeatis.

Illud in primis ſtatuimus vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi, omniumque aſſenſu, vel maioris, & ſanioris partis ad hoc officiũ eligatur: cui obedientiã promittat quilibet aliorũ & promiſſam ſtudeat operis veritate ſeruare. Prædictum declarans capitulũ Pontifex addidit ſequentia; *cum caſtitate & abdicatione proprietatis*; Et ſubiunxit; ***loca autem habere poteritis in eremis, vel vbi donata vobis fuerint ad veſtra religionis obſeruantiam apta & commoda, ſecundum quod Priori & fratribus videbitur expedire.***

Præterea iuxta ſitum loci quem inhabitare propoſueritis ſinguli veſtrum ſingulas habeant cellulas ſeparatas, ſicut per diſpoſitionem Prioris ipſius, & de aſſenſu aliorum fratrum, vel ſanioris partis eędem cellulæ cuique fuerint aſſignatæ. His addit Pontifex; *Ita tamen, quod in communi refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint communiter aliquam lectionem Sacræ Scripturæ audiendo, vbi commodè poterit obſeruari ſumatis.*

Nec liceat alicui Fratrum niſi de licẽtia Prioris qui pro tempore fuerit, deputatum ſibi mutare locum, vel cum alio permutare cellula Prioris ſit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eumdem locum primus occurrat, & de arbitrio, & diſpoſitione ipſius poſt modum quæ agenda ſunt cuncta procedant. Maneant ſinguli in cellulis ſuis vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditãtes, & in orationibus vigilantes niſi alijs iuſtis occaſionibus occupentur.

Hi qui horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant ſecundum cõſtitutionem Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ approbatam conſuetudinẽ, qui eas nõ nouerint viginti quinque vicibus pater noſter, dicant in nocturnis vigilijs exceptis Dominicis & ſolemnibus diebus, in quorum vigilijs prędictum numerũ ſtatuimus duplicari vt dicatur pater noſter vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis; in alijs quoque horis ſepties ſimiliter eadem dicatur oratio ſigillatim, præter officia veſpertina in quibus ipſam quindecies dicere debeatis.

Nullus Fratrum ſibi aliquid propriũ eſſe dicat, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur vnicuique per manũ Prioris, vel per fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit inſpectis ætatibus, & neceſſitatibus ſingulorum. Pontifex declarauit poſſe ſequentia haberi in communi, dicens; *Aſinos autem ſiue mulos, prout veſtra expoſtularit neceſſitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, ſiue volatilium ad nutrimentum.*

Oratorium, prout commodius fieri poterit, conſtruatur in medio cellularũ, vbi mane per ſingulos dies ad audienda Miſſarum ſolemnia conuenire debeatis vbi hoc commodè fieri poteſt.

Dominicis quoque diebus, vel alijs, vbi opus fuerit de cuſtodia ordinis & animarum ſalute tractetis, vbi etiam exceſſus, & culpę fratrum, ſi quæ in aliquo deprehenſæ fuerint, charitate media corigantur. In hoc capite Pontifex addidit; *Et animarum ſalute.*

Ieiu-

Digitized by Google

Ieiunium ſingulis diebus obſeruetis à feſto exaltationis Sanctæ Crucis vſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis; niſi infirmitas vel debilitas corporis aut alia iuſta cauſa ieiunium ſolui ſuadeat, quia neceſſitas non habet legem.

Ab eſu carnium (ſemper) abſtineatis, niſi pro infirmitatis, vel nimiæ debilitatis remedio ſumantur. Summus Pontifex abſtulit ab hoc capitulo ly, *Semper*, Et *nimiæ* addidit verò ſequentia; *Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, ne ſitis hoſpitibus oneroſi, extra domos veſtras ſumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus, ſed & carnibus ſupra mare veſci licebit*.

Quia verò tẽtatio eſt vita hominis ſuper terram, & qui piè volunt viuere in Chriſto perſecutionẽ patiuntur; aduerſarius quoque veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærẽs quẽ deuoret omni ſollicitudine ſtudeatis indui armatura Dei vt poſſitis ſtare aduersùs inſidias inimici. Accingendi ſunt lumbi veſtri cingulo caſtitatis, muniendum eſt pectus cogitationibus Sanctis: Scriptum eſt enim cogitatio Sancta ſeruabit te. Induenda eſt lorica iuſtitiæ vt Dominum Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & tota virtute diligatis, & proximum veſtrum tanquam vos ipſos. Sumendum eſt in omnibus ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere; ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo, Galea quoque ſalutis capiti imponenda eſt, vt de ſolo Saluatore ſperetis ſalutem, qui ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum. Gladius autem ſpiritus, quod eſt verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus veſtris; & quæcumque vobis agenda ſunt in verbo Domini fiant.

Faciendum eſt vobis aliquid operis, vt ſemper diabolus inueniat vos occupatos, ne ex otioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat inuenire. Habetis in hoc Beati Pauli Apoſtoli magiſterium pariter, & exemplum, in cuius ore Chriſtus loquebatur, qui poſitus eſt à Deo Prædicator & Doctor Gentium in fide & veritate; quem ſi ſecuti fueritis, non poteritis oberrare. In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus; non quaſi nos non haberemus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos; nam cum eſſemus apud vos hoc denuntiabamus vobis; quoniam ſi quis non vult operari non manducet: audiuimus enim inter vos quoſdam ambulantes inquietè nihil operantes: His autem, qui huiuſmodi ſunt denuntiamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes panem ſuum manducent: hæc via Sancta, & bona ambulate in ea.

Commendat autem Apoſtolus ſilentium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum propheta teſtatur; cultus iuſtitiæ ſilentium eſt; & rurſus; in ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Ideoque ſtatuimus vt ab hora veſpertina vſque ad horam tertiam ſequentis diei ſilentium teneatis, niſi fortè neceſſitas vel cauſa rationabilis, aut licentia Prioris ſilentium interrumpat. Pontifex hic mutauit Veſperas in Completorium, & Tertiam in Primam, & abſtulit adhibitam modificationem. Vnde iam habet regula; *Ideoque ſtatuimus vt dicto Completorio ſilentium teneatis vſque ad primam dictam ſequentis diei.*

Alio verò tempore licet ſilentij non habeatur obſeruantia tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caueatur: quoniam ſicut ſcriptum eſt, & non minùs experientia docet in multiloquio peccatum non deerit: & qui inconſideratus eſt ad loquendum ſentiat mala: Item qui multis vtitur verbis lædit animam ſuam, & Dominus dicit in Euangelio: de omni verbo otioſo, quòd locuti fuerint homines reddent de eo rationem in die iudicij. Faciat ergo vnuſquiſque ſtateram verbis ſuis, & frenos rectos ori ſuo (ne fortè labatur, & cadat in lingua ſua, & inſanabilis ſit caſus eius ad mortem) cuſtodiens cum propheta vias ſuas, vt non delinquat in lingua ſua; & ſilentium

nium, in quo cultus iuſtitię eſt, diligentèr & cautè ſtudeat obſeruare.

Tu autem Frater Brocarde, & quicũque poſt te inſtitutus fuerit Prior illud ſemper habeatis in mente, & obſeruetis in opere quod Dominus ait in Euangelio: quicumque voluerit inter vos maior fieri erit miniſter veſter, & quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.

Vos quoque cæteri Fratres Priorem veſtrum honorate humilitèr; Chriſtum potiùs cogitantes quam ipſum, qui poſuit ipſum ſuper capita veſtra: Et Eccleſiarum præpoſitis ait; qui vos audit me audit. Et qui vos ſpernit me ſpernit, vt non veniatis in iudicium de contemptu, ſed de obedientia mereamini vitæ æternę mercedem. Hæc breuitèr ſcripſimus vobis, conuerſationis veſtræ formulam ſtatuentes ſecundum quam viuere debeatis. Si quis autem ſupererogauerit ipſe Dominus cum redierit reddet ei. Vtatur tamen diſcretione, quę virtutum eſt moderatrix. Data in Ciuitate Achon die 13. Ianuarij, Anno ſalutis 1171.

Probatur prima pars concluſionis: authoritate ipſiuſmet Innocentij IV. Summi Pontificis, qui Regulam Carmelitanam, prout à ſe declaratam & confirmatam, vocat primitiuam: Vnde ab illo tempore titulus hic ei præfixus abſq; vlla contradictione hactenus perſeuerat; *Regula primitiua Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo à B. Alberto Patriarcha Ieroſolymitano tradita, & ab Innocentio IV. confirmata*: Ergo non poteſt dici mitigata. Deinde declarationes ac mutationes circa ipſam factę sũt in paucis & accidentalibus, quæ propterea non poſſunt ipſam denominare mitigatam & mutatam; aliàs quotidie religiones deberent dici mutatæ ac mitigatæ; propter ſimiles accidentales mutationes & declarationes, quę in ſingulis accidunt ſucceſſiuè. Denique probatur efficaciter ex mox dicendis circa ſecundam, & tertiam partem concluſionis: quarta verò pars manet ex hic dictis probata.

Probatur ſecunda & tertia pars concluſionis diſcurrendo ſigillatim de ſingulis additionibus & mutationibus appoſitis. In prima additione voto obedientię addit expreſſum votum caſtitatis, & etiam paupertatis: Et quantùm ad illud quod ibidem ſubiungit de receptione locorum, eſt ſimplex declaratio; conſtat autem, quòd per additionẽ horum ſolemnium votorum, non mitigatur regula, ſed magis ardua & aſpera redditur; priùs etiam recipiebantur fundationes tam in eremis quàm in vrbibus, ad imitationem Sanctorum Eliæ & Eliſęi. In ſecunda additione, qua Pontifex præcipit, vt manducẽt religioſi in refectorio communi, lectioni Sacræ Scripturæ attendentes, non videtur vlla mitigatio, quia ſic in communitate tacendo manducare, non ſapit relaxationem, ſed intuentium ædificationem, & manducãtium coarctationem in modeſtia, & cõpoſitione externa; plures mallent ſeorſim quàm ſic communitèr manducare; Nec additio contradicit regulæ, ſed declarat ipſam, quòd ſcilicet præcipiendo cellulas ſeparatas non obligat ad ſeparatè manducandum. In tertia additione circa ea quę licet habere in communi, nulla penitùs eſt mitigatio, ſed eſt ſimplex regulę declaratio; cum nihil ibi cõtineatur ipſi contrarium; conceditur enim habere in communi neceſſaria, dũ præcepit quòd nullus Fratrum ſibi aliquid proprium eſſe dicat, ſed ſint ipſis omnia communia: determinatque aliqua, quæ licet habere quaſi neceſſaria, vt aſinos, mulos, & aliqua animalia, & volatilia ad nutrimentum, puta vaccas pro lacte, & gallinas pro ouis. In quarta additione Pontifex ſi ex vna parte videtur mitigare dum permittit ſumere pulmenta cocta cum carnibus, ne ſimus hoſpitibus oneroſi; ex alia tamen rigidiorem reddit regulam, dum obligat iter agentes frequentiùs mendicare, more Apoſtolico pedites incedendo, non enim congruit equitantibus mendicare. Et quia mendicantes non habent ad libitum neceſſaria ad victum, permittit eis

in

Digitized by Google

in neceſſitate ſumere pulmenta coctã cũ carnibus, dum aliud haberi ſaltem commodè non poteſt. Sed admodum rarò noſtri religioſi vtuntur hæc regulæ indulgentia; imo certiſſimum eſt, quòd vix vnus reperitur, qui ſanus eligat potiùs ſolo pane veſci, quàm vti hac indulgentia. Et quia ordinariè nauigantes ſupra mare ſolent ſe malè habere, & vomitibus debilitari, vt quotidiana conſtat experientia; ideò ipſis tanquam infirmis & debilibus declarat ex vi regulę permiſſum eſſe eſum carnium, quia igitur in prædictis caſibus permittitur vſus carnium, ideò dum præcipit abſtinere ab illis abſtulit ly, *Semper*: abſtulit autem ly. *Nimia*, ad remouendum ſcrupulum; Religioſi quippe timoratæ conſcientiæ continuò perplexi forent, quando debilitas eorum nimia eſſet: Vnde in hoc ſequuntur iudicium medici determinãtis, quando debilitatis remedium exigit vſũ carnium. In quinta tandem additione Pontifex dum tollit adhibitam modificationem circa obſeruantiam ſtricti ſilentij, priùs in regula contentam ſine dubio illam reſtringit: vix autem dici poteſt quòd mitigat, dum terminum a quo ſilentij incipiendi ponit à completorio dicto, ponitur ante à veſperis dictis; & dum terminum ad quem ſilentij ſoluendi ponit in prima dicta, poſitum ante in tertia dicta. Quia voluit ordinem Carmelitanum accomodare publico vſui Eccleſiæ, quo tertia ſolet dici paulò ante prandium, & veſperæ ſecunda poſt meridiem hora, cum tamen priùs in ordine tertia diceretur ſummo mane et veſperæ ſub nocte: Vnde cum eſſet impoſſibile religioſis erga bonum proximi occupatis tota ferè die ſilentium obſeruare, ſi incepiſſet & expiraſſet tantùm, iuxta terminos in regula præfixos, & ſecundum communem vſum Eccleſiæ a conſueta priùs hora diei mutatos; inde eſt, quòd Pontifex prædictas horas canonicas in regula commutauit, vt ſilentium eodem tempore circa Auroram deſineret, & circa crepuſculum veſpertinum inciperet: quòd tanto rigore ſolet obſeruari, vt graue iudicetur piaculum, vel vnicum tunc proferre verbum.

Tandem vt laceſſiti ius noſtrum defendamus, hic appono breuiter indicatas authoritates Summorum Ponti ficum qui litem hanc dirimunt, & declarant noſtros Diſcalceatos eſſe primitiuos Carmelitas, reliquos autem eſſe mitigatos. Gregorius XIII. in ſua bulla quæ incipit *Pia conſideratione*, apud Cherubinum in Bullario tomo 2. pagina 335. quæ noſtris in Hiſpania Prouinciam ab alijs ſeparatam primò conceſſit. poſt additionem ac mutationem in regula factam per Innocentium IV. hanc vocat abſolutè nomine declarationis ſolùm, ſed additionem & mutationem factam ab Eugenio IV. vocat nomine mitigationis & relaxationis: Item regulam vt ab Innocentio aliqualiter mutatam & declaratam vocat abſolutè primitiuam & arctiorem; ab Eugenio verò mutatam vocat mitigatam & laxiorem: Et tandẽ noſtros Diſcalceatos vocat abſolutè Carmelitas primitiuam regulam obſeruantes, ſeu regulæ primitiuæ, aut Carmelitas primitiuos; Calceatos autem vocat Fratres mitigatam regulam obſeruantes, ſeu Carmelitas mitigatos. Sixtus V. in ſua bulla quæ incipit *Cum de ſtatu*, qua noſtris Diſcalceatis propriam concedit congregationem ſub vno vicario generali, ipſos vocat primitiuos, alios autem Carmelitas vocat mitigatos. Clemens VIII. in bulla ſua, quæ incipit *Paſtoralis officij*, in Bullario Cherubini tom. 3. pagina 24. qua noſtris Diſcalceatis ab alijs Carmelitis penitùs ſeparatis propriũ concedit Præpoſitum Generalem, ijſdẽ differentiæ nominibus vtitur, primitiuorum pro noſtris, & mitigatorum pro alijs. In ore horum trium Summorum Pontificum ſtabit omne verbum. Quandiu ſola verba volarunt, tacui; ſed quia ſcripta legi in contrarium, hęc ſcribere coactus fui, vt huiuſmodi controuerſiæ veritas appareret.

AD primum ergo dicendum, quòd licet his Præſulibus dederit Pontifex amplam facultatem illam; non tamen

ſunt

Digitized by Google

ſunt vſi in ordine ad mitigationem, quia tunc noſtri Carmelitæ feruentes admodum non eam quærebant; ſed tantùm vſi ſunt in ordine ad declarationem, & aliquam mutationem in aliquibus punctis, qua fuerant de nouo declarati mendicantes, & deputati charitatiuæ actioni erga proximum; vt ſic tollerentur ſcrupuli.

Ad Secundum patet ex dictis in ſecunda & tertia parte concluſionis.

Articvlvs IV.

Vtrum Regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. mitigata, multum differat à Regula primitiua.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. Summo Pontifice mitigata, non multum differat à Regula primitiua. Ita dicunt aliqui Carmelitæ. Probatur: Dicunt illi, quòd nulla penitus eſt differentia in auſteritate vitæ inter ſuos & noſtros Diſcalceatos: Ergo ſignum eſt, quòd regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. mitigata, non multum differt à regula primitiua.

¶ 2. Præterea: Ex vna parte aliqui Carmelitæ, qui militant ſub hac regula mitigata, vocant ſe reformatos: Ex alia parte geſtant habitum omninò ſimilem noſtro; dicentes quod non permittimus eos diſcalceari: ſed ſimilitudo tam nomenclaturę quàm habitus indicant non eſſe multum differentiæ inter regulam ab ipſis obſeruatam & noſtrã, quia nomenclatura & habitus ſunt indicia religioſæ profeſſionis: Ergo Regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. mitigata, non multum differt à Regula primitiua.

¶ 3. Prætera: Si Regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. mitigata, multum differret à regula primitiua, ſequeretur quòd eſſet diſtincta & alia regula, multa namque differentia inter aliqua cauſat diſtinctionem eorum: Sed regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. mitigata, non eſt diſtincta, nec dicitur alia à regula primitiua: Ergo non multum differt ab illa.

SED CONTRA eſt communis ſententia omnium illorum, qui Regulam Carmelitanam, tam mitigatam ab Eugenio IV. quàm primitiuam legerunt.

CONCLVSIO.

Cum regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. mitigata, differat in quatuor punctis ſubſtantialibus a Regula primitiua, multum ab illa differt.

RESPONDEO dicendum, quod Regula Carmelitana, prout ab Eugenio IV. mitigata, multum differt à regula primitiua. 2. Vnde tam in hoc quàm in alijs regularibus obſeruantijs eſt maxima differentia inter cultores illius & cultores iſtius. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd anno Domini 1430. celebratum fuit Ratiſbonæ in Germania capitulum generale, in quo propter aſſumptionem V. P. Bartholomæi Raccolij Generalis totius ordinis Carmelitani in Epiſcopum Maſſilienſem à Martino V. Summo Pontifice factam, ſucceſſor eius eligitur in vigeſimum quartum Generalem P. Ioannes Faccus natione Gallus patria Auenionenſis, vir plenus meritis, zelo prudentia & doctrina clarus: Cum in illo capitulo communi Patrum conſenſu iudicatum fuiſſet ſcrupuloſum, varias conſuetudines, & diuerſos vſus aut abuſus introductos contra regulam primitiuam tolerare: Determinatum eſt ad ſatisfactionem conſciẽtię, mitigationem aliquam eiuſdem Regulæ à Summo Pontifice poſtulare; cum aliàs impoſſibile crederetur obſeruantiam regularem labefactatam reparare. Eorum petitioni annuit Summ. Pont. & ſequentẽ mitigationis Bullam conceſſit.

Digitized by Google

Eugenius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis prouidentia circumſpecta, nonnunquam ea, quæ ad propagationem religionum quarumcumque, & diuinis obſequijs mancipatarum perſonarum proſperum ſtatum cõſeruandum, ac animarum ſalutem, earundem ſalubriter inſtituta fuerunt, vt fructũ afferant exoptatum rèformat & moderatur. Et vt Religiones ipſe præſertim à Sede Apoſtolica approbatæ, in ſuo vigore perdurent, prout temporis penſata qualitate in Domino proſpicit expedire libenter impẽdit ſuæ ſolicitudinis partes. Sanè cũ ſit nobis pro parte dilectorum filiorum Ioannis Facci Magiſtri Generalis, ac Prouincialium, & clauſtralium Priorum & vniuerſorum Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli nuper expoſitum quod in certis capitulis Regulæ fratribus dicti Ordinis per bonæ memoriæ Albertũ Patriarcham Ieroſolymitanum traditæ, inter cætera cauetur expreſsè, quod fratres prędicti ordinis ab eſu carnium abſtineant, niſi pro infirmitatis vel debilitatis remedio ſumãtur, eiſdem etiam, quod ſingulis diebus (Dominicis dumtaxat exceptis) à Feſto Exaltationis Sanctæ Crucis, vſque ad Feſtiuitatem Reſurrectionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti ieiunare teneantur: quodque ſingulis eorum manere debeant in cellulis ſuis die ac noctem in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes, præcipitur. Et propterea nonnullis ipſius ordinis profeſſores, propter arctitudinem, & rigoroſitatem regulæ huiuſmodi, tam ex fragilitate humana quam ex debilitate corporea nequeuntes, eandem Regulam obſeruare diſpendium ſuæ ſalutis incurrant: Quod plures etiam aſperitatem huiuſmodi pertimeſcentes, ab ingreſſu eiuſdem ordinis retrahantur. Nos verò qui plantare Religionem Sacram, & plantatam modis omnibus fouere impenſis deſiderijs affectamus, ſuper hoc quantum nobis & poſſibile prouidere ſalubriter cupientes & rigorem huiuſmodi quadam temperie mitigantes, ac regulam ipſam moderantes, Apoſtolica authoritate tenore præſentium ſtatuimus, ordinamus, & concedimus, quod dicti ordinis profeſſores, qui nunc ſunt, & pro tempore erunt, tribus dumtaxat diebus ſingularum ſeptimanarum, etiam quibus præfertur, ieiunare iuxta eandem Regulã ſint adſtricti, præterquam in Aduentu, & in quadrageſima, & alijs prohibitis diebus, carnibus veſci: ac horis congruis in eorum Eccleſijs, & illorũ clauſtris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare licitè, & libere valeant, decernentes eos, & eorum ſingulos circa præmiſſa, ad arctiorem obſeruantiam, quæ ſupra præmittitur, occaſione profeſſionis in dicto ordine emiſſæ, vel in poſterum emittendæ, minimè teneri; Et nihilominus fratribus eiſdem qui regulam ipſam, & vt præmittitur, moderatam obſeruauerint, quod eis proficiat in remiſſionem peccatorũ: Inſuper quod omnibus, & ſingulis priuilegijs, indulgentijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, protectionibus & prærogatiuis eidem ordini per anteà conceſſis, vti & gaudere poſſint, eadem authoritate concedimus per præſentes: conſtitutionibus, & ſtatutis Apoſtolicis, conſuetudinibus etiã prædictis, & alijs ordinis & Regulæ prædictis capitulis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate vallatis: cæteriſque contrarijs non obſtantibus quibuſcumque. Et vt ipſi fratres in humilitatis, & paupertatis ſpiritu, ac caſtimonia virtutum Domino famulantes, ad huiuſmodi mitigatam Regulam obſeruandam, feruentiùs animentur. omnibus, & ſingulis Fratribus, & futuris duntaxat, qui Regulam iſtam, ſicut præmittitur, moderatam obſeruauerint; ſeu in obſeruantia ipſius vixerint, vt Superiores ipſorum dicti ordinis, vel alius quicumque idoneus, eiuſdem Ordinis Sacerdos, omniũ peccatorum ſuorum de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel tantùm in mortis articulo plenam remiſſionem in ſtatu & Sinceritate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia vel deuotione noſtra, ac ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificũ cano-

Digitized by Google

canonicè intrantium, nec non obſeuantia prædicta perſiſtente authoritate apoſtolica, concedere valeant, deuotioni ipſorum tenore præſentium indulgemus. Sic tamen quod ijdem Superiores, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eiſdem Fratribus. Si ſuperuixerint, vel per alios ſi fortè tranſierit, faciendam iniungant; quã ipſi Fratres facere teneantur, vt præfertur. Et ne (quod abſit) propter huiuſmodi gratiam, Fratres prædicti reddantur procliuiores ad illicita in poſterum committenda; volumus quod ſi ex confidentia remiſsionis huiuſmodi, prædicti Fratres aliquando fortè committerent, quoad illa prædicta remiſsio nullatenus ſuffragetur. Et inſuper quod per vnum annum, ex quo noſtra præſens conceſsio ad eorundem Fratrum pro tempore exiſtentium notitiam peruenerit computando, ſingulis ſextis ferijs impedimento legitimo ceſſante ieiunent. Quod ſi prædictis ſextis ferijs ex præcepto Eccleſiæ, regulari obſeruantia, iniuncta pœnitentia, voto, vel alias ieiunare teneantur vna alia die ſingularum Septimanarum einſdem anni, quà ad ieiunandum non ſunt adſtricti ieiunent. Et ſi in dicto anno, vel aliqua eius parte eſſent legitimè impediti, anno ſequenti, vel aliàs quamprimum potuerint, modo ſimili ſupplere ieiunium teneantur. Porro ſi alias forſitan prælibatum ieiunium in toto, vel in parte adimplere commodè non potuerint, eo caſu Superiores ipſorum ieiunium, in alia pietatis opera, prout ſaluti animarum illorum viderint expedire, commutare valeant; quæ ipſi pari modo valeant adimplere: alioquin noſtra huiuſmodi præſens conceſſio, quoad non obſeruantes duntaxat, nullius ſit roboris vel momenti. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrorum, ſtatuti, ordinationis, & voluntatis infringere, ſeu ei auſu temerario contraire. Si quis attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrũ anno Domini M.CCCCXXXI. quintodecimo Kalendas Martij Pontificatus noſtri anno primo.

Probatur prima pars concluſionis: Regula Carmelitana, prout ab Eugenio Quarto mitigata, alterat Regulam primitiuam notabiliter in quatuor ſubſtantialibus punctis, quia dimidium ieiunij tollit; carnibus veſci permittit, ſicut & manere extra cellas, & proinde ad libitum loqui: Ergo multum differt ab illa.

Probatur ſecunda pars concluſionis quantùm ad primùm ex dictis, quantùm verò ad aliud, ex illis quæ dicuntur alibi, vbi oſtendimus noſtram Religionẽ Carmelianam, vt à S. M. N. Thereſia renouatam eſſe auſteriorem quam eſſet ante mitigationem: ibi namque proponuntur noſtræ regulares obſeruantiæ tam rigidę, quòd ab illis multum diſtant cultores Regulæ mitigatæ, ſi verè eorum obſeruantiæ proponantur. In auſteritate tantùm eſt comparatio non in alijs, quia ponderator ſpirituum eſt Dominus.

AD primùm ergò dicendum, quòd illa dicta non ſunt oracula, ſed aliquorum aſſerta, quo ſpiritu prolata neſcio, niſi ad nimiam exaltationem ſui, & depreſſionem noſtri.

AD Secundum dicendum, quòd hæc nomenclatura & ſimilitudo habitus fuerunt cauſa confuſionis, vt aſſeruerunt multi qui inter illos ingreſsi ſunt, credentes ſe inter noſtros recipi: Propterea caſu mox referendo contigit, quod Auguſtus Pariſienſis Senatus poſt longam diſcuſſionem iuris, decretum pronuntiauit die 2. Iulij anni 1663. quo eis pręcipitur, vt ab vſurpato Reformatorum nomine abſtineant, & habitum noſtro ſimilem deponant, cappas reaſſumendo plicatas & longiores. Caſus hic fuit, quòd in Regia fundatione noſtrorum in ciuitate Aurelianenſi nos in multis vexabant: Vnde noſtri ab ipſis coacti, volentes ſe ab eorum violentia defendere, hac occaſione ad ius ſuum requirendum moti ſunt. Totum hoc negotium fusè ſcriptum, & typis mandatum vbique currit; Aliàs hæc non ſcripſiſſem. Iam

in ſimili altercatione fuerat expedita ſequens Bulla.

Vrbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex in Sede Principis Apoſtolorum à Domino conſtitutus ex incumbènti ſibi munere ad ea potiſſimum mentis ſuę aciem aſſiduè intendit, per quæ Chriſti fideles diuinis obſequijs ſub ſuaui religionis iugo, & ſtrictioris obſeruantiæ regulis mancipati proſperè dirigi valeant, & ſi aliquæ vnquam ſubrepunt corruptelæ, paſtorali vigilantia eliminentur, vt regulares ipſæ perſonæ in pacis amœnitate vota ſua Domino reddant, & fœlicioribus in dies proficiant incrementis. Cum itaque ſicut Dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo Diſcalceatorum nuncupatorum Congregationis Sancti Eliæ Nobis nuper exponi fecit, nonnulli Religioſi Carmelitæ Calceati de obſeruantia nuncupati in Belgio exiſtentes habitum per Fratres eiuſdem Congregationis Diſcalceatorum geſtari ſolitum, & per eos ſuſceptum, vel eidem ſimilem, cum graui Fratrum Diſcalceatorum Congregationis huiuſmodi damno, à primæua ſui forma mutauerint, & variauerint, malumque huiuſmodi in alijs etiam, & præſertim Siciliæ Prouincijs ſerpere cœperit, quin etiam Fratres Carmelitæ calceati huiuſmodi ſe Carmelitas reformatos Sanctæ Thereſiæ vocitent, & ſubſcribant in graue ipſorum Fratrum Diſcalceatorum detrimentum, & ſcandalum plurimorum. Nos pro muneris noſtri debito huic malo de opportuno remedio, per quod Fratrum Calceatorum præfatorum temeritas compeſcatur, quantum cum Domino poſſumus prouidere, ac Fratrum Diſcalceatorum Congregationis huiuſmodi quã in viſceribus gerimus charitatis proſpero, fœlicique ſtatui, & directioni conſulere volentes, De Vener. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negocijs Regularium Præpoſitorum conſilio, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus & ſingulis Fratribus Carmelitis Calceatis de obſeruantia nuncupatis prædictis ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ, ac priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & quoad illorum ſuperiores etiam ſuſpenſionis ab officijs per eos obtentis ipſo facto incurrendis pœnis diſtricte præcipiendo mandamus, vt habitum regularem vniformem, & per eos antea ſuſceptum, iuxta Congregationis eorundem Carmelitarum Calceatorum de obſeruantia huiuſmodi communia ſtatuta deferant, nec illum vllo vnquam tempore mutare, vel variare audeant, vel præſumant abſque ſpeciali huius Sanctæ Sedis licentia: Ijs verò, qui eundem habitum vt ſupra mutarunt, vel quoquo modo variarunt, ſub eiſdem cenſuris, & pœnis, vt præfertur incurren. ſimiliter mandamus, vt intra duorum menſium ſpatium poſt publicationem præſentium eundem habitum, prout antea deferebant, & quem communis vſus iuxta vniuerſalia ſtatuta Congregationis Fratrum Carmelitarum Calceatorum de obſeruantia huiuſmodi reaſſumere omninò debeant, & teneantur, neque ſe Carmelitas reformatos Sanctæ Tereſiæ, vel Beatæ Tereſiæ nominent, vel ſubſcribant. Quocirca Ven. Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum ordinarijs in prædictis & alijs Prouincijs & locis; vbi opus fuerit conſtitutis per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi per ſe, vel per alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ac in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, Fratres Calceati de obſeruantia huiuſmodi ad præſentes literas, omniaque & ſingula in illis, vt ſupra contenta & ordinata plenè obſeruanda, & adimplenda ſub pœnis prædictis cogant, & compellant, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Decernentes, eaſdẽ præſentes literas etiam ex eo quod intereſſe in præmiſſis habentes ad id vocati, citati, & auditi non fuerint vel aliàs quouis prætextu vel cauſa de ſubreptionis, ſeu nullita-

litatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu vocari, impugnari, retractari, aut in ius, vel controuerſiam vocari, nullatenus vnquam poſſe, ſed illas ſemper validas firmas, & efficaces exiſtere, & fore; atque ab omnibus, ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruari. Sicque & non aliter per quoſcunque Iudices ordinarios & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardin. etiam de latere Legatos, ac Sedis Apoſtolicæ Nuntios in quauis cauſa, & inſtantia ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nõ obſtan. Conſtit. & ordin. Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Ordinis prædicti etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate, alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis Carmelitis Calceatis præfatis illorumque Superioribus, & perſonis, ac quibuſuis alijs ſub quibuſcumque tenore & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritan. & alijs decretis in genere, vel ſpecie etiam motu, & ſcientia ſimilibus, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorũ tenore præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem quòd præſentibus literis, ac omnibus in eis contentis nullatenus derogetur, aut derogatum ſit, vel eſſe cenſeatur, niſi de eis ſpecialis, & ſpecifica, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio omnino fiat. Quodque præſentinm tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem de præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die prima Decembris 1632. Pontificatus noſtri anno decimo.

M. A. Maraldus.

AD Tertium dicendum, quòd quia mitigatio non tollit abſolutè, & penitùs dictas regulares obſeruantias, ſed eas moderatur: Inde eſt, quod Regula mitigata non eſt ſimpliciter diſtincta & totalitèr alia a noſtra primitiua, ſed tantùm ſecundùm quid.

QVAESTIO XXIV.

De Mitigatione Religionis Carmelitanæ.

HVMANAE conditionis eſt, quod ad laxiora tendat; Vnde non mirum; ſi Religio Carmelitana, adinſtar aliarũ fuerit mitigata: In præſenti igitur inquirimus de cauſis & occaſionibus huiuſmodi mitigationis, & quæruntur ſex.

¶ Primo, Vtrum mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ex generali conditione humana.

¶ Secundo, Vtrum mitigatio religionis Carmelitanę ſucceſſerit ex relaxatione in paruuis.

¶ Tertiò, Vtrum mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ex nimia Superiorum tolerantia.

¶ Quarto, Vtrum mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ex nimia occupatioue in externis.

¶ Quinto, Vtrum mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſerit occaſione Schiſmatum Eccleſiæ.

¶ Sexto, Vtrum mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ob tranſmigrationem ipſius ab Oriente in Occieentem.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ex generali conditione humana.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd mitigatio Religionis Carmelitanæ non ſucceſſerit ex generali conditione humana. Probatur; Natura humana, vt potè rationalis, inclinat ad bonum rationis, & conſequenter ad ſequendas regulas morum: Sed quãdiu vigent regulæ morum in aliqua religione non ſuccedit mitigatio eius, imò ſuccedit mitigatio ex earum inobſeruantia: Ergo mitigatio religionis Carmelitanę non ſucceſſit ex generali conditione humana.

¶ 2. Prętereà: Si mitigatio religionis Carmelitanę ſucceſſit ex generali conditione humana, ſucceſſiſſet ſtatim à principio, quia poſita cauſa ponitur effectus: Sed mitigatio Religionis Carmelitanę non ſucceſſit à principio, ſed tantùm à ducentis triginta quatuor annis, vt conſtat ex bulla ipſius: Ergo mitigatio Religionis Carmelitanæ nõ ſucceſſit ex generali conditione humana.

¶ 3. Prętereà: Si mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſſiſſet ex generali conditione humana, ſequerentur duo; Primum, quòd ſimilis mitigatio ſucceſſerit in alijs religionibns, nam poſita generali cauſa ſequitur generalis effectus; ſecundum, quod huiuſmodi mitigatio eſſet inculpabilis, vtpotè procedens ex cauſa nataturali, & neceſſaria: Sed neutrum dici poteſt, quia ſunt multę Religiones non mitigatæ, & mitigatio Religionis Carmelitanę proceſſit ex aliquorum culpa: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſſit ex generali conditione humana.

SED CONTRA eſt authoritas Summi Pontificis Eugenij IV. declarantis motiuum concedendi bullam mitigationis.

CONCLVSIO.

Cum naturæ rationalis corruptæ per peccatum originale conditio tendat ad laxiora mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſsit ex generali conditione humana.

RESPONDEO dicendum, quod mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſsit ex generali conditione humana, tanquam à prima radice. Ad cuius euidentiã ſciendũ eſt, quòd effectus aliqui dependent ab vnica cauſa proxima, quę propterea dicitur totalis; alij verò dependent à pluribus cauſis proximis, quę dicuntur partiales; Et in præſenti dicimus, quòd mitigatio Religionis Carmelitanæ plures habuit cauſas proximas partiales, vt in tota quæſtione hac dicetur; prima tamen radix ipſius inter cauſas proximas fuit generalis conditio humana: Deus naturam humanam condiderat integram & perfectam, ſed per peccatum primi parentis originale in cæteris corrupta fuit: vtrumque ſtatum ipſius ſic deſcribit D. Thomas 12. q. 85. ar. 3. *Per iuſtitiam originalem perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipſa ratio a Deo perficiebatur ei ſubiecta: Hæc autem originalis iuſtitia ſubtracta eſt per peccatum primi parentis, & ideò omnes vires animæ remanent quodammodò deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipſa deſtitutio vulneratio dicitur naturæ: ſunt autem quatuor potentiæ animę, quæ poſſunt eſſe ſubiecta virtutum; ſcilicet ratio, in qua eſt prudentia; voluntas, in qua eſt iuſtitia; iraſcibilis, in qua eſt fortitudo; concupiſcibilis, in qua eſt temperantia. In quantum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantiæ, in quantũ verò voluntas deſtituitur ordine ad bonũ, eſt vulnus malitiæ; in quantum vero iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis, in quantum verò concupiſcentia deſtituitur ordine ad delectabile moderata ratione, eſt vulnus concupi-*

Digitized by Google

cupiſcentiæ: Sic igitur iſta quatuor ſunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis; Hæc Diuus Thomas.

Probatur concluſio indicata authoritate Eugenij IV. Summi Pontificis in bulla mitigationis, dans cauſam cur illam concedat; ſic ait: *Sanè cum ſit nobis pro parte dilectorum filiorum Ioannis Facci magiſtri Generalis, ac Prouincialium, & Clauſtralium Priorum, & vniuerſorum Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo nuper expoſitum, quod in certis capitulis regulæ Fratribus dicti Ordinis per bonæ memoriæ Albertum Patriarcham Ieroſolymitanum traditæ, inter cętera cauetur expreſsè; Quod Fratres prædicti Ordinis ab eſu carnium abſtineant, niſi pro infirmitatis vel debilitatis remedio ſumantur*; E*iſdem etiam, quòd ſingulis diebus Dominicis duntaxat exceptis) a feſto exaltationis Sanctæ Crucis vſque ad feſtiuitatem Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti ieiunare teneantur; Quodque ſinguli eorum manere debeant in cellis ſuis, die ac nocte in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes, præcipitur: Et propterea nonnulli ipſius Ordinis profeſsores, propter arctitudinem & rigoroſitatem regulæ huiuſmodi, tam ex fragilitate humana, quàm ex debilitate corporea nequeuntes eandem regulam obſeruare, diſpendiũ ſuę ſalutis incurrant; Quod plures etiam aſperitatem huiuſmodi pertimeſcentes, ab ingreſſu eiuſdem ordinis retrahantur &c.*

Secundò probatur ratione ex ſupradictis deducta: Ex vna parte regula primitiua Carmelitanæ Religionis eſt admodum auſtera, & concupiſcentiæ mortificatiua, quia præcipit res appetitui valdè contrarias, vt eam legenti conſtat, ſicut eſt diuturnum ſeptem menſium continuorum ieiunium, perpetua ab eſu carnium abſtinentia, aſſiduus cellæ receſſus, aſſiduum penè ſilentium &c. Ex alia verò parte poſt peccatum originale conditio humana fuit in omnibus Adæ poſteris debilitata, ac ita remanſit infirma in ordine ad bonum, quòd Apoſtolus dixerit; *Non quod volo hoc facio, ſed quod nolo hoc operor, quia peccatum dominatur in membris meis*, per fomitem ſcilicet ab eo relictum, nempe per concupiſcentiam originali iuſtitia deſtitutam, quæ ſic tendit ad bonum delectabile præter dictamen rationis: Vnde relicta ſibi ipſi refugit aſperam & ſtrictam virtutis viam, & tendit ad ſuauem ac latam deliciarum & commodorum: Ergo cum mitigatio Carmelitanę Religionis hoc aliquantulum importet, ſucceſſit ex generali conditione humana. Et quia radix hæc omnium malorum eſt penè connaturalis, quia vitium in naturam inoleuit, inde eſt quod aliarum quoque religionum mitigatio; quæ hactenus fuit, ex illa ſucceſsit; & quæcunque futura eſt, ex illa ſuccedet, vt a primo principio, concurrentibus alijs cauſis & occaſionibus in tota hac quæſtione propoſitis.

AD Primum ergo dicendum, quòd quidem natura humana quantùm ad partem ſuperiorem rationis, inclinat ad bonum rationis ipſi conforme; quantùm verò ad partem inferiorem appetitus inclinat ad bonum delectabile: Sed quia pars inferior debet ex ordine naturali ſubijci parti ſuperiori, ideò Deus in hominis creatione, vt potè perfectam, per donum iuſtitiæ originalis ſubiectam omninò fecerat partem inferiorem dominio rationis; Vnde non poterat præter eius leges tendere ad bonum ſenſibile; ſed ſublata tali ſubordinatione per priuationem iuſtitiæ originalis, tendit appetitus ad bonum ſenſibile pręter dictum rationis, & ſępè contra illud ipſamque rationem ſecum trahit frequenter ad tale bonum amplectendum.

AD Secundum dicendum, quòd cõcluderet, ſi conditio humana foret totalis & integra cauſa mitigationis, hac enim poſita ſequitur effectus, non autem poſita cauſa partiali. Dicimus igitur, quod ſemper conditio humana tendit ad mitigationem in religionibus; ſed non habet ſtatim a principio ſuum effectum, propter primitias ac feruorem ſpiritus introducti à fundatoribus, & con-

conſeruati à primis eorum diſcipulis, propter vigilantiam Superiorum, & propter regularem obſeruantiam etiam in minimis; verùm his ſublatis aut remiſsis, prima radix illa ſuam influit corruptionem.

AD Tertium dicendum, quantùm ad primum obiectum, quòd ſi ſunt aliquæ religiones nullo modo mitigatæ, hoc ideò eſt, quia vigilantia Superiorum & ſpiritu feruoris inferiorum conditio humana radix mitigationis fuit impedita, ne malum ſuum effectum ſenſim influeret. Quantùm ad ſecundum dicendum, quòd in mitigatione Carmelitana fuit culpa eorum, qui vel ſequuti ſunt malignam humanæ conditionis influentiam, vel ei non reſtiterunt cum poſſent; in primo fuit culpa inferiorum, in ſecundo autem Superiorum.

ARTICVLVS II.

Vtrum mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ex relaxatione in paruis.

AD Secundum ſic proceditur; Videtur quod mitigatio Religionis Carmelitanæ non ſucceſſerit ex relaxatione in paruis. Probatur: mitigatio Religionis Carmelitanæ non ſucceſsit ex aliquo connaturali, alias ſtatim à ſuo principio fuiſſet mitigata: ſed eſſe relaxatum in paruis eſt connaturale homini, cum etiam iuſtus ſepties in die cadat: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſsit ex relaxatione in paruis.

¶ 2. Præterea: Parui defectus ſuccedunt in omnibus religionibus, cum nec confirmati in gratia ſint ab illis exempti, ſola Virgo Maria ſingulare priuilegium in hoc habuit: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſsit ex relaxatione in paruis, cum aliæ religiones ſint non mitigatæ, in quibus eſt ſimilis relaxatio in paruis.

¶ 3. Preterea: Relaxatio in paruis eſt paruum in Religione malum; Et ita non poteſt magnum in ea cauſare damnum, aliàs effectus excederet cauſam: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſsit ex relaxatione in paruis, cum mitigatio ſit magnum religionis damnum.

SED CONTRA eſt authoritas Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum, ac quotidiana generalis in omnibus experientia.

CONCLVSIO.

Cum relaxatio in paruis diſponat ad maiorum relaxationem, mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſit ex relaxatione in paruis.

RESPONDEO dicendum, quòd mitigatio relgionis Carmelitanæ ſucceſſit etiam ex relaxatione in paruis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd relaxatio religionis alicuius in paruis, importat ad præſens intentum quod paruæ fiant inobſeruantiæ cum impunitate: Quòd aliquando ſuccedant inobſeruantiæ, præſertim paruæ in religionibus, eſt commune tam reformatis, quàm relaxatis, ſed cum hac differentia, quòd in reformatis non fiunt impunè, ſicut fiũt impunè in relaxatis: Quælibet Religio poteſt meritò vocari vinea Domini, iuxta illud Iſaiæ 5. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei; Et ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea, & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas: nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam; Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ; Auferam ſepẽ eius, & erit in direptionem; diruam materiam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam; non putabitur, &*

non

Digitized by Google

naui fodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ, & nubibus mandabo ne pluat ſuper eam imbrem: vinea enim *Domini exercituum domus Iſrael eſt, & vir Iuda germen eius delectabile; & expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; Et iuſtitiam & ecce clamor*: Quamuis autem hæc parabola vineæ intelligatur de Eccleſia illius temporis iuxta dictum prophetæ, poteſt tamen intelligi in ſenſu myſtico & accōmodatitio de qualibet congregatione religioſa, & præſertim de noſtra Carmelitana tunc exiſtente, prima omnium, radice cæterarum, ſemper duratura, Sanctiſſimæ Virgini ſacrata, & plantata ab Elia Sanctiſſimo Propheta: Et meritò, nam prædicta omnia, quæ litteraliter fiunt ad vtilitatem ac pulchritudinem materialis vineę, facta ſunt ad perfectionem & ſecuritatem myſticæ Carmeli vineę; nam ſepiuit eam mandatis & conſilijs, fertilem reddidit eijciendo lapides inobſeruantiæ, plantauit bonos palmites in exercitio virtutum, ędificauit turrim in medio eius proponens exemplū Chriſti iuxta dictum hoc S. Auguſtini, *Chriſtus turris fortiſſima a facie inimici, confuge ad turrim ne feriaris a diabolo, recogita Chriſtum & turrim intra, ſi aliquid pateris, ipſe prior paſſus eſt*; Torcular extruxit in ea, ſuadens continuum mortificationis ſtudium.

Probatur concluſio multiplici authoritate Sacræ Scripturæ. Et primò habetur illud dictum Spiritus Sancti; *Qui ſpernit modica paulatim decidet*: Deinde habetur adducta iam authoritas Iſaiæ ſub metaphora vineæ, quòd ſcilicet myſtica religionis vinea non correſpondēs culturæ Domini, & non reddens fructus in perfectione ſuauiſſimos, at tantū imperfectos, quia non attendit ad parua, quæ ipſos in ſua conſeruant perfectione, paulatim deſtruitur, ſepe denudatur, ac penitus conculcata vertitur in deſertum, Domino iuſtè id permittente; Et confirmatur ex illo Pſalmi 79. *Vineam de Aegypto tranſtuliſti, eieciſti gentes & plantaſti eam, dux itineris fuiſti in conſpectu eius, plantaſti radices eius, & impleuit terram, operuit montes umbra eius, & arbuſta eius cedros Dei, extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius; vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam? exterminauit eam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam; Deus virtutum conuertere, reſpice de cælo, & vide & viſita vineam iſtam, & perfice eam quam plantauit dextera tua*. Paruæ huiuſmodi inobſeruantiæ ſunt illæ vulpes paruulæ, de quibus dicitur à Spiritu Sancto in Canticis; *Capite vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*. Denique poteſt probari ex illo lamentationum Ieremię cap. 2. *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione, luxitque ante murale, & murus pariter diſſipatus eſt*: Minores obſeruantię regulares ſunt antemurale religionis, & vota ſunt murus; illis per relaxationem diſſipatis, iſta breui funditus euertuntur, & ſi non deſtruitur, ſaltem mitigatur religio.

Secundò probatur duplici authoritate Sanctorum Patrum: Cum Sancto Auguſtino fuiſſet obiectum, imperfectiones & peccata venialia parum nocere; Reſpondit maxima afferre damna, & ruinam plerumque cauſare, quod triplici confirmat exemplo dicens; *Nolite contemnere venialia, quia minima ſunt, ſed timete quia plura, plerumque enim beſtiæ minutæ multæ nocent; nunquid minutiſſima ſunt grana arenæ? ſed ſi arena amplius in naui mittatur, mergit illam vt pereat; quàm minutæ guttæ pluuiæ? nonne flumina implent, & domos deijciunt; timenda eſt ergo ruina multitudinis, etſi non magnitudinis*: Quæ ſi vera ſunt in ordine ad particulares perſonas, multò magis vera ſunt in ordine ad religioſas cōmunitates, in quibus facilè multi declinant ad laxiora & ſenſibus commodiora: vnde mala conſequentia ex nouitatibus timenda eſt. Sanctus Gregorius homilia 52. dicit: *Nonnunquam in paruis deterius quàm in maiori peccatur; maior enim, quò citius quieſcit, culpa cognoſcitur, & eò*

Digitized by Google

etiam celeriùs emendatur; minor verò, dũ quaſi nulla creditur, eò peiùs, quò & ſecuriùs in vſu retinetur.

Tertiò probatur ratione experimentali in omnibus communitatibus, non ſolùm religioſis, ſed etiam ſæcularibus. Niſi communitatis alicuius ſtatuta conſeruentur accuratè,ac inuiolabiliter,poſt quam benè fuerunt ſtabilita, cum tot ſint ſenſus hominum quot capita, & multi vel ſpiritu contradictionis, vel propriæ motiuo excellentiæ reprobent quæ ceteri approbant; ſequitur quòd quilibet ad nutum procurat nouitates introducere, tendendo præſertim ad laxiora, & incipitur à paruis ſub prætextu quòd inobſeruantiæ in huiuſmodi nihili reputandę ſunt; verùm poſtea pręmiſſa in paruis tam praua diſpoſitione,proceditur ad maiores inobſeruantias tunc redditas faciliores ex præuia aliorum tranſgreſſione; ac tandem peruenitur ad omnimodam relaxationem: Et ita ſucceſſit in omnibus Religionibus mitigatis, & ſucceſſiſſe dicimus in Carmelitana quantùm ad mitigationem Regulę primitiuæ: Qua propter congregationes & Reſpublicè benè ordinatè vigilant ne in rebus etiam minimis admittatur vlla relaxatio, præuidentes ex ea futuram totalem ſui ruinam. Deinde: Qui ſunt infideles in paruis, demerentur gratias & conſolationes diuinas, ſine quibus religioſi non poſſunt rigorem obſeruantiæ ferre; Vndę neceſſe eſt,vt mitigatio religionis procuretur.

AD primùm ergò dicendum, quòd eſto ſit quodammodo connaturale homini cadere in paruis; quandiu tamen per correctionem fraternam ſingulares hi caſus emendantur, ac ſic impediuntur, non eſt relaxatio, nec inde eſt diſpoſitio ad mitigationem.

Ad Secundum ſimiliter dicendum, quòd quandiu ſimiles parui defectus non impunè committuntur, at corrigũtur, non eſt relaxatio in paruis: Vnde ſimiles defectus ſub prędicta correctione compatiuntur cum Religionibus non mitigatis.

AD Tertium dicendum, quod ſecundùm adductam D. Auguſtini ſententiam ſingulares defectus parui ſigillatim non multum afferunt damni, ſed pluralitas ipſorum ac vniuerſalitas magnum damnum afferunt; quia,vt vulgo dicitur *multa parua faciunt vnum magnum*: maximè quia,vt ait Sanctus Gregorius 24. moralium,*Vſitata culpa obligat hominem, vt nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem; Conatur, & labitur, quia vbi ſponte diu perſiſtit,ibi & cum noluerit cadit.*

ARTICVLVS III.

Vtrum mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ex nimia Superiorum tolerantia.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſſerit ex nimia Superiorum tolerantia. Probatur: Summus Pontifex Eugenius IV. in Bulla mitigationis has illius affert rationes dicens; *Propterea nonnulli ipſius ordinis profeſſores,propter arctitudinem & rigoroſitatem regulæ huiuſmodi, tam ex fragilitate humana, quam ex debilitate corporea nequeuntes eandem regulam obſeruare, diſpendium ſuæ ſalutis incurrant; Quod plures etiam aſperitatem huiuſmodi pertimeſcentes, ab ingreſſu eiuſdem ordinis retrahantur*: Ergo mitigatio Religionis Carmelitanę non ſucceſſit ex alia ratione, nempe nimia Superiorum tolerantia.

¶ 2. Præterea: Eſto ſit aliquando nimia Superiorum tolerantia, ac diſſimulatio in tolerandis inobſeruantijs; nõ deſunt tamen religioſi perfecti & iuſti in qualibet communitate religioſa,qui corrigant inobſeruantes, ac proinde impediant religionis mitigationem; nam vt ait S. Ambroſius in Pſalmum 118. *In plerisq; iuſti aſpectus admonitio correctionis, perfectioribus lætitia eſt*: Ergo mitigatio Carmelitanę Religionis non ſuc-

ceſſit

ceſſit ex nimia Superiorum tolerantia.

¶ 3. Preterea: Si admittatur, quod mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſit ex nimia Superiorum tolerantia, ſequitur quòd Superiores deberent eſſe rigidi in increpando & reprehendendo defectus; Et ita continuò clamãdum eſſet, quòd tamen videtur inconueniens: Ergo mitigatio religionis Carmelitanę non ſucceſſit ex nimia Superiorum tolerantia; maximè quia tunc Superior Generalis erat vir tã benè meritus quod factus eſt paulò poſt Epiſcopus.

SED CONTRA eſt, quod relaxatio omnium religionum ex parte refunditur ad nimiam Superiorum tolerantiam.

CONCLVSIO.

Cum impunitas inobſeruantiarum ſit cauſa relaxationis religionum, & impunitas ſit ex nimia ſuperiorum tolerantia, ex illa ſucceſſit mitigatio religionis Carmelitanę.

RESPONDEO dicendum, quòd mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſit etiam ex nimia Superiorum tolerantia. Ad cuius euidentiã ſciendum eſt, quòd ſub nomine Superiorum intelligimus eos, qui præceſſerunt mitigationem, & ad illam concurrerunt ex ſua negligentia circa regularem obſeruantiam, ſiue fuerint Priores, ſiue Prouinciales, ſiue Generales: non autem intelligimus eos præcisè, qui talem mitigationem à Summo Pontifice petierunt, præſertim ſi mitigatio erat introducta ex abuſibus, & reparari non poterat. Circa hoc dicitur quod anno Domini 1430. celebratum fuit Ratisbonę Capitulum generale, in quo propter aſſumptionem V. P. Bartholomæi Raccolij Generalis in Epiſcopum Maſſilienſem à Martino V. factam, ſucceſſor eius eligitur in vigeſimum quartum Generalem Ioannes Facius, natione Gallus, patria Auenionenſis, vir plenus meritis, zelo prudentia & doctrina clarus: Cum in illo capitulo, communi Patrum conſilio & cõſenſu iudicatum fuiſſet ſcrupuloſum, varias conſuetudines, & diuerſos vſus ſeu abuſus introductos contra regulam primitiuam tolerare; decretum eſt ad ſatisfactionem conſcientiæ, mitigationem eiuſdem regulæ à Summo Pontifice poſtulare; cum aliàs impoſſibile crederetur obſeruantiam regularem labefactatam reparare.

Probatur & explicatur concluſio Tres ſunt, ait Hugo de S. Victore, *Species negligentium Prælatorum* (de quibus ſcilicet in præſenti loquimur:) *Quidam qui benè viuunt, & ſubiectos malè viuere permittunt: Quidam qui male viuunt, & ſubiectos bene viuere cogunt: Quidam qui malè viuunt, & ſubiectos malè viuere volunt*: Hos omnes miratur Sanctus Gregorius Magnus in Paſtorali, quod prælaturas admittant, dicens; *Ab Imperialis Paſtorale magiſterium quanta temeritate ſuſcipitur, cum ſit ars artium regimen animarum, hoc eſt magiſterium diſciplinæ vt culpis diſcretè nouerit parcere, & pie reſecare*. De prima ſpecie negligentium Prelatorum, qui benè viuunt, & ſubiectos malè viuere permittunt, habetur illud Ezechielis 3. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael; ſi dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur a via ſua impia & viuat; ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem verò eius de manu tua requiram*: Quod exponens Sanctus Gregorius homilia 11. in Ezechielem ait; *Vbi ſubiectus ex ſua culpa moritur, ibi is qui preeſt, quoniam tacuit reus mortis tenetur*: Cuius rationem adducit Apoſtolus ad Hebræos 13. dum ait; *Obedite prepoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*: Nec refert ad Prelatorum excuſationẽ quod boni ſint, ſi negligentes in ſua cura fuerint; non enim ſufficit ſubditos exemplo regere, niſi etiam verbo & virga corrigat errantes, qui deſpecto ipſius exemplo extra viam rectam diſcurrunt; quia vt ait S. Leo directè ad noſtrum intentum, *Inferiorum culpæ ad nullos ma-*

Digitized by Google

gis referenda ſunt, quàm ad deſides negligentesque Rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorem diſſimulant adhibere medicinam: Vnde talis Prælatus audiat Sanctum Auguſtinum 9. Confeſſionum dicentem ſibi; *Non omnis qui parcit, amicus eſt; nec omnis qui verberat, inimicus, melius eſt cum ſeueritate diligere, quàm cum lenitate decipere*: In hac ſpecie fuit maior pars ſuperiorum, qui nimia ſua tolerantia ad mitigationem religionis Carmelitanæ concurrerunt, quia maior pars eorum in ſeipſis boni benè viuebant.

Secunda ſpecies negligentium Prælatorum ſeu ſuperiorum concurrit etiam ad mitigationē religionis Carmelitanæ: Non enim inter tot ſuperiores defuerūt aliqui, qui malè ſiue cum inobſeruantia regulę viuebant, & ſubiectos benè viuere cogebant: Sed hi, vt ait idem Hugo, licet *inſtruerent verbis, occidebant exemplis*, & obſeruantiam deſtruebant: De quibus ait Sanctus Chryſoſtomus, eos grauiter monens; *Si Prælatus es, reſpice quia in iudicio tuo ſedes*: Quod magis explicans Sanctus Antoninus ait; *Si benè docueris, & malè vixeris, tui ſoliùs condemnator eris; nam benè viuendo & benè docendo populum inſtruis quomodo viuere debeat, benè autem docendo & malè viuendo Deum inſtruis quomodo te debeat condemnare*.

Tertia ſpecies negligentium Prælatorum ſiue ſuperiorum eſt omnium peſſima; Et ſi fortè fuerunt aliqui inter Carmelitanæ religionis ſuperiores, qui malè viuerent id eſt non iuxta regulam, & ſubiectos eodem modo malè viuere vellent, ne ſingulariter ipſi mali apparerēt, hi multo magis ad eiuſdem Religionis mitigationem concurrerunt: De his habetur illud Ieremiæ 23. *Væ paſtoribus, qui diſpergunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus: Ideò hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad paſtores qui paſcunt populum meum; Vos diſperſiſtis gregem meum, & eieciſtis eos, & non viſitaſtis eos, ecce ego viſitabo ſuper uos malitiā ſtudiorum ueſtrorum, ait Dominus*. De his quoque loquens Sanctus Auguſtinus ait; *Qui nec regiminis in ſe rationem habuit, nec ſua delicta deterſit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicendus eſt magis quàm Epiſcopus*. Vt ſit bonus ſuperior, debet benè viuere regulam obſeruando, & facere ſubiectos benè viuere, iuxta præceptum Spiritus Sancti Eccleſiaſtici 32. *Rectorem te poſuerunt noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex ipſis, curam illorum habe*: Si tales ſemper fuiſſent & forent noſtræ Religionis Carmelitanæ ſuperiores, nunquam ex parte ipſorum mitigatio eius ſucceſſiſſet, aut ſuccederet.

AD Primum ergo dicendum, quòd ibi Summus Pontifex adducit rationem prætenſæ mitigationis magis plauſibilem pro decore ipſius religionis; Et conueniens fuit illam adducere, cum ex vna parte iam mitigatio fuiſſet, ex abuſibus ſenſim introducta, & exiſtentes tunc ſuperiores non poſſent ſuorum prædeceſſorum cauſata damna reſarcire.

AD Secundum dicendum, quòd licèt perfecti & iuſti Religioſi ſuo zelo ac bono exemplo mitigationem impediant; niſi tamen ſuperior ipſis cooperetur ſua diligentia, cuius admonitiones ſunt efficaciores, non multum proficient, quia ſunt particulares, quibus dicent inobſeruantes; *Quid ad te? Quis te conſtituit Iudicem ſuper nos*: Et quia in communitate regulariter plures ſunt, quibus noua placent, quæ ſunt ſenſualitati commoda, ideò plures ſunt qui ſequuntur libertates quàm obſeruantiam, vt experientia docet: Et iuxta hoc dicit Sanctus Auguſtinus libro de Paſt. *Qui in conſpectu populi male viuit, quantùm in illo eſt, eum à quo attenditur occidit*.

AD Tertium dicendum, quod iuxta conſilium Sancti Auguſtini in quodam ſermone ſuperiores debent amare ſubditos etiam imperfectos, ſed perſequi imperfectiones, ſic enim ait; *Eſto ſimilis medico, medicus non amat ægrotantem, ſi non odit ægritudinem, vt liberet ægrotum, febrem perſequitur, nolite amare*

Digitized by Google

re vitia amicorum veſtrorum, ſi amatis amicos veſtros. Vel iuxta doctrinam Sancti Bernardi ſuper Cantica debent ſimul eſſe patres & matres; ſic enim ait: *Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos, ſtudete magis amari quàm metui; Et ſi interdum ſeueritate opus eſt, paterna ſit non tyrannica, matres fouēdo, patres corripiendo vos exhibeatis*. Vel tandem debent procedere iuxta dictamen Sancti Gregorij 3. moralium dicētis; *Miſcenda eſt lenitas ſeueritate, faciendo quoddam ex vtroque temperamentum, vt neq; multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neq; nimia benignitate ſoluātur*. Ad illud quod ſubditur dicendū quòd quidē Generalis eſt primus motor in obſeruātia regulari, ſed debent ad illā ſimul cōcurrere ſuperiores alij ſubordinati, tam Prouinciales quàm locales immediati; quia bonum ex integra cauſa, malum verò ex quocumque defectu.

Articvlvs IV.

Vtram mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ex nimia occupatione in externis.

AD Quartum ſic proceditur; Videtur quòd mitigatio Religionis Carmelitanæ non ſucceſſerit ex nimia occupatione in externis. Probatur: A tempore quo religio Carmelitana fuit in Europam tranſplantata, ſuperiores inuigilauerunt, ne religioſi nimis occuparentur in externis, vt conſtat ſpecialiter in Sancto Simone Stoch, primo Generali hic electo, qui breue Apoſtolicum impetrauit, ne Carmelitæ in officijs, Inquiſitorum & ſimilibus occuparentur: Ergo mitigatio Religionis Carmelitanę non ſucceſſit ex nimia occupatione religioſorum in externis.

¶ 2. Præterea: Beatus Nicolaus Gallicus Sancti Simonis Stoch ſucceſſor immediatus in officio Generalis, ſic fuit ſollicitus in impedienda occupatione nimia circa functiones externas, quòd præter exemplum & doctrinam librum etiam ad hunc finem edidit, cui titulus eſt *Ignea ſagitta*: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſſit ex nimia occupatione in externis.

¶ 3. Præterea; Non legitur, quod in Carmelitana Religione fuerit alia occupatio in externis, quàm charitatiua concionandi populo, audiendi cōfeſſiones, & docendi in Academijs: Sed huiuſmodi occupatio non poteſt eſſe cauſa mitigationis Religionum, cum potiùs charitas ſit vinculum perfectionis, nec poſſit eſſe nimia, & multæ religiones in his amplius occupatæ non ſint mitigatæ: Ergò mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſſit ex nimia occupatione in externis.

SED CONTRA eſt ipſa experientia, & communis ſenſus Carmelitarum.

Conclvsio.

Cum finis primarius religionis Carmelitanæ ſit ſpiritus contemplationis, cui opponitur nimia occupatio in externis, ex hac ſucceſſit eiuſdem religionis mitigatio.

RESPONDEO dicendum, quòd præcipua cauſa mitigationis Carmelitanę religionis fuit nimia occupatio in externis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd idem eſt finis remotus omnium religionum, nempe charitas; fines autem proximi ſunt plures, quibus diuerſæ Religiones ad illum communem charitatis tendunt: Aliquæ Religiones habent pro fine proximo ſolam contemplationem cum medijs ad illam proportionatis, puta receſſum, pſalmodiam, ſilentium; Aliæ habent pro ſuo fine actionem externam ad bonum proximi ordinatam, vt prædicare confeſſiones audire, captiuos redimere, docere, hoſpites colligere &c. Alię denique mixtum habent ſuum finem ex contemplatione & actione, de quibus ſingulis in tractatu de Religione ex profeſſo diſſeruimus;

nimus: Carmelitana religio iuxta ſuum inſtitutũ,& regulæ per Innocentium IV. confirmatæ præſcriptum finem ex contemplatione & actione mixtum habet, ſiue duos habet fines, primarium contemplationis, & ſecundarium actionis vtrumque reſpiciens debito ordine; contemplationem quidem per ſe, actionem verò ex quadam conſequentia & redundantia contemplationis; Cum enim in hac vita non poſsit haberi pura contemplatio, conueniens eſt, vt Religioſi poſt datum contemplationi tempus opportunum communicent proximo in pijs virtutum exercitijs bona quę in ſtudio contemplationis acquiſierunt; media ad obtinendum hunc duplicem finem appoſuit noſtra religio Carmelitana,& pręſertim ad primarium contemplationis, ſcilicet receſſum penè continuum in cellis cum meditatione in lege Domini die ac nocte, & mortificationem carnis per diuturnum ieiunium & continuam ab eſu carnium abſtinentiam,ne corpus incraſſatum recalcitret, & aggrauet animam, ac deprimat ſenſum multa cogitantem; De neceſſitate receſſus in anima contemplatiua ſic loquitur Sanctus Bernardus; *Regem in decore ſuo videbunt oculi eius praeuntem ſe ad ſpecioſa deſerti, ad flores roſarum & lilia conualliũ,ad amœna hortorum & irrigua fontium, ad delicias cellariorum & adoramenta aromatum, poſtremò ad ipſa ſecreta cubiculi; iſti ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ penes ſponſum abſconditi, hæ vitæ paſcua pręparata in refectionem animarum ſanctarum, Beatus vir qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis:* Ad hæc ſecreta cum ſuo ſponſo commertia & ſacra colloquia feruẽter anhelare debet ſponſa anima contemplatiua; maxime cum eius mandato in fratrum ſuorum fuit obſequio diutiũs occupata; tunc enim ad refocillandam animam, intimæ cum ſponſo vnioni, & profundæ contemplationis inhiare debet ſuauitati: Iam priùs ſponſum inuitauerat, vt ſeipſam de medio ciuitatis, in qua videbat iniquitatem & contradictionem, ad ſolitudinem agrorum religionis educeret dicens: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica:* nunc autem vult ipſo foras egreſſo ad ſpirituales delicias frui; Anima quippe quę ſic aliorum curam aſſumit, vt ſui curam negligat, quæ ſic externis occupatur,vt ad interna contemplationis ocia nunquam ſe colligat; meritò deſpicitur, & ab omnibus deſpicienda cenſetur.

Probatur concluſio ex dictis: mitigatio Religionis Carmelitanæ facta fuit in his quatuor, ſcilicet in receſſu ſeu ſolitudine cellarum, in iugi meditatione legis Domini, in ieiunio, & in abſtinentia ab eſu carnium, vt conſtat ex ipſa bulla mitigationis: ſed præcipua cauſa mitigationis in huiuſmodi eſt nimia occupatio in externis; nam hæc directè tollit receſſum cellularum, & iugem legis Domini meditationem in eis, vt patet ex ipſis terminis; deinde communitèr dicitur, & experientia diſcitur, quòd oratio & mortificatio ſunt fideles ſociæ, ita quod neutra ſine altera poſſit eſſe, nam ſolius orationis ſuauitate faciles imò dulces redduntur pœnitentiæ, & mortificatione ſola quieti manent appetitus inordinati, quæ meditantem ac contemplantem animam poſſent turbare; Et ſic ex conſequenti nimia occupatio in externis inducit mitigationẽ mortificationis: Ergo præcipua cauſa mitigationis Carmelitanæ Religionis fuit nimia occupatio in externis; Quòd confirmatur experientia in cæteris religionibus mitigatis.

AD Primum ergo dicendum, quòd verè tunc temporis Superiores Generales, & plures alij inuigilarunt, ne religioſi nimis occuparentur in externis, vt demonſtratur de S.Simone Stoch ex adducta tali diligentia: ſed tamen paulò poſt remiſſus eſt hic ſpiritus ſolitudinis in ſuperioribus alijs, qui in hac parte non ſunt virilitèr cooperati; vel ſaltem in inferioribus, quibus ob diuerſos reſpe-

Digitized by Google

ſpectus cedere coacti ſunt ſuperiores.

AD Secundum ſimilitèr dicendum, quòd Beatus Nicolaus Gallicus fuit etiam diligentiſſimus in excludendis occupationibus externis, vt ſuo loco ſpecialitèr probatur: Sed vir Sanctus reſiſtere non potuit torrenti cæterorum; Vnde videns ſe non poſſe nec exemplo, nec repetitis exhortationibus, nec editione citati libri remedium adhibere, renuntiauit officio Generalis, & receſsit ad optatam ſolitudinem montis Ennatrot, ibique ſolitarius degit, ac ſancto fine quieuit.

AD Tertium dicendum, quòd charitas vt ſit vera & perfecta, debet eſſe benè ordinata; Vnde in his etiam operibus concionandi, audiendi confeſsiones &c. quæ videntur eſſe opera charitatis, poteſt eſſe aliquis defectus aut exceſſus ex nimia occupatione. Charitas igitur benè ordinata eſt vinculum perfectionis, non autem deordinata illa occupatio externa, quæ videtur eſſe charitatis. Charitas in actu interno non poteſt eſſe nimia, bene tamen in actibus externis ab ea imperatis: Quæcumque autem religio indiget interno orationis ſtudio, vt bene verſetur in externis ſuis exercitijs, alioquin illo penitùs omiſſo relaxabitur, quia Martha exigit auxilium Mariæ; ſed hoc præcipuè verum eſt in Religione Carmelitana ſecundùm primitiuam regulam, cuius finis primarius eſt contemplatio, quo ſublato per nimiam occupationem in externis, omnino relaxatur:

ARTICVLVS V.

Vtrum mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſserit occaſione ſchiſmatum Eccleſiæ.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd mitigatio Religionis Carmelitanæ non ſucceſſerit occaſione ſchiſmatum Eccleſiæ. Probatur: mitigatio religionis Carmelitanæ facta eſt ſub Eugenio IV. cum iam terminata fuiſſent Eccleſiæ ſchiſmata, nam poſt Eugenium nullum fuit tale ſchiſma, & ſi fuit tempore illius in Concilio Baſileenſi creato Felice V. parum durauit: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſsit occaſione ſchiſmatum Eccleſię.

¶ 2. Præterea: Si mitigatio religionis Carmelitanę ſucceſsiſſet occaſione ſchiſmatum Eccleſiæ, ſimilis mitigatio eadem occaſione ſucceſsiſſet in alijs religionibus, nam poſita eadem cauſa vel eadem occaſione ſequitur idẽ effectus: ſed non legitur, quod occaſione ſchiſmatum illorum Eccleſiæ ſucceſſerit mitigatio in alijs religionibus: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ nõ ſucceſsit occaſione ſchiſmatum Eccleſiæ.

¶ 3. Præterea: Schiſmata Eccleſiæ diuidebant quidem fideles, & etiam religioſos ordines, vt illi vel iſti credito Pontifici verò adhærerent: Sed hoc nullo modo fidem Catholicam, aut regularem obſeruantiam religionum alterabat: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſsit occaſione ſchiſmatum Eccleſiæ.

SED CONTRA eſt fidelis relatio illorum temporum, & ratio ſuadens.

CON-

CONCLVSIO.

Cum ſchiſmata Eccleſiæ factiones in Religione Carmelitana cauſauerint, eius mitigatio occaſione illorum ſucceſſit.

RESPONDEO dicendum, quod mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſit etiam occaſione ſchiſmatum Eccleſię. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd poſt tranſmigrationem religionis Carmelitanæ ab Oriente in Europam fuerunt aliqua & diuturna Eccleſiæ ſchiſmata: Tranſmigratio magis ſolemnis ipſius ſucceſsit anno Domini 1254. cũ Sanctus Ludouicus Rex Gallię rediens ab expeditione prima belli ſacri contra Saracenos ſex ex noſtris Carmelitis primitiuis ſecum duxit, & fundans eis monaſteria religionem promouit: Primum ex tunc ſchiſma ſucceſsit ſub Ioanne XXII. Summo Pontifice, qui creatus fuit anno 1316. contra quem inſurgens Ludouicus Bauarus Imperator, & Romam veniens ſuſcitauit in Antipapam Petrum de Corbario Reatenſem Minoritam ſub nomine Nicolai V. qui poſt receſſum Ludouici ab Italia captus Auenionem transfertur ad pedes Ioannis Pontificis, ibique mancipatus carceri moritur: Quid relaxationis in Carmelitana religione cauſauerit hoc ſchiſma, non conſtat in particulari; eſt tamen fundamentum dicendi, quod aliquam diuiſionem in ea cauſauerit, nam aliqui referunt tunc Coloniæ electum Generalem anno 1317. Simon de Spiera, fortè iuſſu Imperatoris Schiſmatici, qui tamen ab alijs non numeratur inter Generales, ſed Gerardo de Bononia ſubſtituitur immediatè Guido de Perpiniano: magnam in ordine Minorum cauſauit confuſionem, qui maiori ex parte ſuum ad tempus ſecutus eſt alumnum Antipapam Nicolaum, & inter alios Michael de Ceſenna & Ochamus. Poſt mortem Gregorij XI. qui Pontificiam ſedem Romę reſtituit anno 2375. diuturnius & perniciosius ſchiſma ſurrexit in Eccleſia: nam cum Clerus populuſque Romanus peterent inſtantius Pontificem Italum, ne Romã iterum relinqueret, Cardinales Galli numero plures (erant enim tredecim, & quatuor Itali in conclaui tunc congregati) volentes clamantem populum & Clerum pacificare, reſponderunt ſe valde ſollicitos circa boni Pontificis electionem pro gloria Dei & bono Eccleſiæ; ſed non valentes pacificare communi conſenſu nominarunt Pontificem Bartholomeum Cardinalem de Neapoli Archiepiſcopum Barienſem à conclaui abſentem: Sed cum poſtea rigidiſsimum eſſent experti, maiorem timentes ſeueritatem, poſt tertium menſem ſub prætextu nimij caloris Romæ & inſalubris aeris in æſtate Anagniam receſſerunt, & inde Fundos in Campania, vbi manifeſtum codicem ediderunt, quo violentam fuiſſe Vrbani VI. electionem affirmabant; quaſi factam in loco parũ tuto, & in medio populi tumultuantis; vnde ad nouam Pontificis electionem procedẽtes, elegerunt ſub auſpicijs Reginæ Ioannæ Cardinalem de Gebenna, qui nomen Clementis VII. aſſumpſit: Hunc maior pars orbis chriſtiani ſequebatur, Gallia, Hiſpania, media Italia, & aliæ Regiones: Hoc ſchiſme fuit peſsimum, Eccleſiæ nociuum, ac diuturnũ; nam ab anno 1378. durauit vſque ad annum 1417. Vrbanus VI. perſeuerauit Romæ vndecim annis, cui ſucceſſerunt Bonifacius IX. anno 1389. Innocentius VII. anno 1404. & Gregorius XII. anno 1406. Clemens VII. receſsit Auenionem, vbi mortuus ſucceſſorem habuit Benedictum XIII. dictum prius Petrum de Luna Catalaunum: Cum ſchiſma plurimum Eccleſiam turbaret conuocatum fuit Piſis concilium ad inſtantiam Caroli VI. Regis Galliæ, ad quod Cardinales tam Gregorij quam Benedicti acceſſerunt, Gregorio conſentiente, ſed Benedicto contradicente, & in patriam per Rhodanũ fugiente; in quo fuit electus Alexander V. Minorita Cretenſis,

depo-

depoſitis alijs Pontificibus, qui tamen dignitati Pontificiæ non renuntiarunt: Alexander nouus Pontifex à Piſano Cōcilio Bononiam acceſsit, vbi octauo menſe Pontificatus obijt, eique ſufficitur Ioannes XXIII. dictus Balthaſar Coſſa; Cum ſchiſma creuiſſet aucto in ternarium numero Pontificum, de communi totius orbis Chriſtiani conſenſu conuocatum eſt Conſtantiæ Concilium generale, in quo Ioannes accuſatus carceri mancipatur, Gregorius liberè renuntians mœrore confectus Recineti moritur, & Benedictus nolens redire deponitur; in eodem autem Cōcilio fuit electus Martinus V. ante dictus Oddo Columna: Tunc finito ſchiſmate pax redijt Eccleſiæ, ſed breui nouo ſchiſmate turbata eſt ſub Eugenio IV. electo Antipapa Felice V. in Concilio Baſilienſi, ſed hoc ſchiſma parum durauit, nec tantum nocuit Carmelitanę religioni, quantum illud prius.

Probatur concluſio fideli relatione ſucceſſuum religionis Carmelitanę ſub illo tempore. Schiſma illud magnum cœpit anno 3. Generalatus Bernardi Ollenſis ſiue Ollerij Minoricenſis electi anno Domini 1375. in conuentu Podicēſi ſeu Anicienſi; qui cum tempore ſchiſmatis Clementi VII. fideliter adhæreret deponitur ab Vrbano VI: & ſubrogatur ei Michael de Bononia anno Domini 1380. ſub nomine Vicarij Generalis, qui anno ſequenti Veronæ eligitur in Generalem, ſed continuante ex alia parte prædicto Ollerio ſuum munus; Et ita religio Carmelitana ſuum quoque ſchiſma fuit paſſa, duos habens Generales: mortuo Brugis Ollerio anno 1384. ſufficitur Auenione Raymūdus de Aquario Narbonenſis, Michaeli verò de Bononia ſufficitur Brixiæ anno 1387. Ioannes à Rayde Mediolanenſis; vterque ſubiectas ſibi prouincias gubernabat; iſte per Italiam, Germaniam & Pannoniam, ille verò per Galliam, Hiſpaniam & Britanniā; Ioanni mortuo ſufficitur Matthæus à Bononia anno Domini 1405. electus in conuentu Bononienſi, Raymundo autem ſufficitur Perpiniani anno 1389. Ioannes Groſſi; Reddita tandem Eccleſiæ & Ordini Carmelitano pace, renuntiantibus officio ambobus Generalibus, Mattheo ſcilicet à Bononia, & Ioanne Groſſi, hic natione Gallus, patria Tholoſanus, Bononiæ rursùs eligitur anno 1411. in totius Ordinis Generalem. Vix credi poteſt, quanta in huiuſmodi diuiſionibus & partialitatibus acciderit perturbatio religionis Carmelitanę, quāta libertas, & quanta regularis obſeruantiæ relaxatio, quilibet namque ſuperior, vt ſubiectos ſibi religioſos ſub ſua deuotione contineret; ne declinarent ad alium, debuit eorum tolerare defectus, & omnia per fas perque nefas contra religionis obſeruantiam petita concedere, quæ omnia temporum illorum anguſtijs & perturbationibus aſcribuntur.

AD primùm ergò dicendum, quòd quidem mitigatio expreſſa regulæ Carmelitanæ facta eſt ſub Eugenio IV. authoritate Apoſtolica, ita vt deinceps licitum fuerit iuxta illam viuere: ſed ex relaxatione regularis obſeruantiæ præcedentium ſchiſmatum occaſione fuit ſenſim introducta.

AD Secundum dicendum, quòd etiam aliæ religiones occaſione dictorū ſchiſmatum ſuas paſſæ ſunt relaxationes & regulares obſeruantiæ mitigationes, quibus poſtea remedium attulerunt, vel per indulgentiā Apoſtolicam in earum permiſſione ad inſtar Religionis Carmelitanæ, vel per earum reſciſionem in noua reformatione.

AD Tertium dicendum; quòd ſchiſmata Eccleſiæ hoc quidem tantùm directe & per ſe cauſant, vt fideles & etiā religioſi ordines illi vel iſti credito Pontifici verò adhæreant; ſed tamen ex cōſequenti & occaſionaliter in religioſis ordinibus cauſant relaxationem ac mitigationem obſeruantiæ regularis modo explicato.

Articvlvs VI.

Vtrum mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſſerit ob tranſmigrationem ipſius ab Oriente in Occidentem.

AD Sextum ſic proceditur: Videtur quòd mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſſerit ob tranſmigrationem ipſius ab Oriente in Occidentem. Probatur: Si talis tranſmigratio religionis Carmelitanæ concurriſſet ad eius mitigationem, ſtatim à principio fuiſset mitigata religio Carmelitana, nã poſita cauſa ponitur effectus: Sed religio Carmelitana diu floruit in Occidente cum primitiuo feruore ſpiritus abſque vlla mitigatione: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſſit ob tranſmigrationem ipſius ab Oriente in Occidentem.

¶ 2. Pręterea: Superiores Religionis Carmelitanæ, ſub quibus cœpit hæc tranſmigratio, congregati in Capitulo generali ad montem Carmelum, vt præcauerẽt eius mitigationem decreuerunt vt conuentus in Occidente de nouo fundati candem prorsùs regularem obſeruantiam cuſtodirent, quam antiqui conuentus Orientis; tale enim erat decretum, *Quoniam ex præcepto Sanctorum Patrum iubemur habere cor vnum & animam vnam in Domino, & quia iuſtum eſt vt ſub vna regula viuentes, vniformes in neceſſarijs vitæ noſtræ obſeruantijs inueniamur &c.* Ergo mitigatio Religionis Carmelitanæ non ſucceſſit ob tranſmigrationem ipſius ab Oriente in Occidentem.

¶ 3. Pręterea: Eodem climate temperato fruitur religio Carmelitana in maiori parte Occidentis, eodem victu, eodem veſtitu, iiſdem moribus, quibus antea fruebatur in Oriente, vt conſideranti patet: Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ non ſucceſſit ob tranſmigrationem ipſius ab Oriente in Occidentem.

SED CONTRA eſt ipſa experientia, qua videmus in diuerſis regnis & prouincijs, etiam contemperatis, diuerſos viuendi modos inualeſcere.

Conclvsio.

Cum ſuauiorem viuendi modum Religio Carmelitana repererit in Occidente, mitigatio eius ſucceſsit ob tranſmigrationem ipſius ab Oriente in Occidentem.

RESPONDEO dicendum, quod mitigatio Religionis Carmelitanæ ſucceſſit etiam ob tranſmigrationem ipſius ab Oriente in Occidentem. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Religio Carmelitana in Oriente fundata tranſijt in Occidentem, vt ex ſupradictis euidenter conſtat: iam circa annum Chriſti ſeptingenteſimum ob perſecutionem Homar plures eius religioſi tranſierant in Europam, qui deinceps aliquos fundarunt conuentus, vt iam dictum eſt; religio tamen ipſa perſeuerauit in Oriẽte, ſaltem in deſertis, vbi circa annum Domini milleſimum centeſimum reparata fuit: Sed circa annum milleſimum ducenteſimum incepit ipſius tranſmigratio; præuenti namque Carmelitæ prophetica tum S. Cyrilli Conſtantinopolitani, tum S. Angeli Ieroſolymitani prædictione de ruina Chriſtianorum in Oriente, & malis euentibus quotidianis de hoc perſuaſi, poſt mortem dicti Sancti Cyrilli Generalis, Capitulum generale congregarunt, non tantum ad nouũ Generalem eligendum, ſed etiam ad deliberandnm quid in his temporum anguſtijs præſentibus, & alijs imminentibus ex perſecutione Saracenorum eſſet agendum: Determinarunt igitur, in Paleſtinę locis ſacris, & præſertim in mõte Carmelo religionis natali ſolo perſiſtere quandiu poſſent; ex tunc tamen plurium religioſorum miſſiones eſſe faciendas in regiones Chriſtianis Principibus ſubiectas, prẹſertim Occidentales,

les, deſtinando multos in propriam patriam, vt ſic faciliùs fundarentur conuentus & pararentur hoſpitia religioſis exulibus futuris, & a Terra Sancta expellendis; vt in illis poſſent poſt durum exilium recipi, ac Deo Beatiſsimęque Virgini Mariæ ſuæ ſpeciali patronæ deſeruire; alioquin expulſi ſine hac præcautione, cum magno ordinis detrimento ac dedecore huc illuc forent diſcurſuri: His ita determinatis, cęperunt Deũ & Beatiſſimam Virginem Deiparam, miſericordiæ matrem ſuppliciter exorare pro ſui ordinis conſeruatione: Virgo pijſsima ſuorum Carmelitarum precibus inclinata Superiori Carmeli apparuit, eumque materno planè affectu ſic alloquitur; *Dulciſsimus filius meus hæc dixit, Ordo Carmelitanus non ſolùm rursùs illuſtrabit Paleſtinam & Syriam; ſed etiam mundum vniuerſum*: Quæ viſio & reuelatio Beatiſſimæ Virginis, cum fuiſſet Patribus congregatis manifeſtata, de proſpera ordinis conſeruatione reddidit confidentes; Et ex tunc tam nouus Generalis electus B. Bertholdus II. quàm eius ſucceſſor immediatus B. Alanus, ob rationes adductas miſſiones varias religioſorum in Europam occaſione data fecerunt; multiplex autem occaſio ſe offerebat in reditu multorum Ducum frequenter venientium pro conſeruatione Terræ Sanctæ; Et tunc cęperunt monaſteria, quæ prius admodum rara videbantur, in Occidente miltiplicari, vt in Italia & Sicilia: Paulò poſt B. Alanus Brito miſit religioſos in Angliam circa annum Domini 1212. cum Baronibus Anglis Ioanne Veſchio & Richardo Greio, quos ipſe Generalis breui ſecutus eſt; Et tunc Religio Carmelitana dicitur tranſmigraſſe ab Oriente in Occidentem, quamuis non omnino complętè, nam etiam ſub S. Ludouico Rege Galliæ fuit aliorum tranſmigratio religioſorum anno Domini 1254. quæ ſub fauore tam boni Regis ad ordinis multiplicationem ac dilatationem plurimũ concurrit; erectis inde pluribus monaſterijs tum in Gallia, tum in Germania tum alibi: Tandem completa fuit hæc noſtræ relgionis Carmelitanæ tranſmigratio, cum capta Ptolemaida anno Domini 1290. fuit ipſa totalitèr expulſa de monte Carmelo totoque Oriente; ſed quia de his alibi magis in particulari diſſerimus, hæc pauca ſufficiunt in præſenti ad determinandam præſentem difficultatem.

Probatur & explicatur concluſio: noſter mons Carmelus, totaque Palæſtina, aliæque regiones Orientis vicinæ ſunt in Climate temperato; ac proinde clementioris aeris, magiſque aptæ ad tolerandos noſtræ religiones Carmelitanæ maximos rigores in ieiunio diuturno, in abſtinentia ab eſu carnium, in nuditate pedum, in diſciplinis, in cilicijs, in cellarum receſſu, & in cæteris vitæ religioſæ obſeruantijs; vt ipſa conſtat experientia, nam intemperies locorum, vel ie nimio frigore, vel in maiori calore, tales religionis rigores acceſſu ſui reddunt multò difficiliores; vnde communiter dicitur, quòd talis aut talis regio non compatitur tantam abſtinentiam, aut tantum vitæ rigorem: ſed in occiduis Europæ partibus, ex maiori ſaltem parte, non eſt tanta temperies climatis ac in Palęſtina, quia partes Septentrionales ſunt nimis frigidæ &c. Ergo mitigatio religionis Carmelitanæ ſucceſſit ob tranſmigrationē etiam ipſius ab Oriente in Occidentem; nam admiſſa mitigatio in vna & altera prouincia, facilè ſerpit in alias: Cui coöperantur, & conſuetudines regionum, & deliciæ populorum Europæ, quæ procul erant a noſtris conuentibus Orientis, vt plurimum ſolitarijs; ipſiuſque Carmeli montis aſpectus, ob memoriam Eliæ noſtri Patriarchæ ac Sanctorum eius diſcipulorum Religionis alumnorum, vitæ rigorem & regularem obſeruantiam penitùs inuiolabilem inſpirabat.

AD primum ergo dicendum, quòd probaret, ſi talis tranſmigratio eſſet vnica & totalis cauſa mitigationis Carmelitanæ religionis, hac enim cauſa poſita ponitur effectus: ſed dicimus, quòd

Digitized by Google

hęc tranſmigratio fuit tantùm cauſa partialis dictæ mitigationis, cui religio reſtitit in principio ex maxima Superiorũ ſollicitudine, & ex feruore religioſorum qui venerant ex Oriente, quorum exemplum diu fuit ſtimulus ſucceſſorũ, qui paulatim ex adductis occaſionibus & motiuis extinctus eſt.

Ad Secundum dicendum, quòd tale decretum Capituli Generalis in monte Carmelo facti continuit in Occidente per plures annos Religionem Carmelitanam in primitiuo ſpiritus feruore, qui poſtmodum ex alijs pluribus motiuis remiſſus fuit; quia ſanctæ regulæ plurimum iuuant ad regularem obſeruantiam, ſed non ſufficiunt.

AD Tertium dicendum, quòd paucę ſunt Prouinciæ in Occidente, quę penitus eodem fruantur climate, victu, veſtitu, & moribus quo fruitur Palæſtina; Et hæ aliarum exemplo facilè inducuntur ad mitigationem vitæ religioſæ, quę ex tot alijs motiuis ſuadetur, & cauſatur tam intrinſecis, quàm etiam extrinſecis vt dictum eſt.

QVAESTIO XXV.

De Reformatione Religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam.

PRAEPARAVIT Dominus Sanctam Virginem Thereſiam, vt nouo prodigio reformationẽ antiquę religionis Carmelitanæ, ſibi ſuæque matri dilectiſſimæ tandem operaretur: Circa quam quæruntur quatuor.

¶ Primo, Vtrum S. Thereſia a Ieſu ſit Reformatrix Religionis Carmelitanæ in Diſcalceatis.

¶ Secundo, Vtrum Reformatio Carmelitanę religionis per Sanctã Thereſiam fuerit diuinitùs prænuntiata.

¶ Tertiò, Vtrum Reformatio religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam facta ſit expreſſo Dei mandato.

¶ Quarto, Vtrum primitiuę Carmelitarum Regulæ in Diſcalceatorum religione, noui rigores fuerint ſuperadditi.

ARTICVLVS I.

Vtrum S. Thereſia a Ieſu ſit reformatrix Religionis Carmelitanæ in Diſcalceatis.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd S. Thereſia à Ieſu non ſit reformatrix Religionis Carmelitanæ in Diſcalceatis. Probatur: reformatio alicuius religionis præſupponit eius deformationem aut mitigationem, vt conſtat ex ipſis terminis: Sed religio Carmeli nunquam fuit totalitèr mitigata, cum ſemper floruerint conuentus in obſeruantia regulæ primitiuę, & cum cœpit S.Thereſia, adhuc vnus erat in Cypro Inſula: Ergo S. Thereſia à Ieſu non eſt reformatrix Religionis Carmelitanę in Diſcalceatis.

¶ 2. Præterea: Eodem prorsùs tempore, quo S. Thereſia ſuas cępit fundationes in Diſcalceatis; cœpit alia quoque reformationem religionis Carmelitanę, nempe Virgo Maria de Ieſu, quæ anno 1563. conuentum monialiũ ſub regula primitiua fundauit compluti; & hoc totum fecit diuina reuelatione, & cum S. Mater Thereſia de agendis contulit; Ergo non potiori iure Sancta Thereſia a Ieſu, quàm hæc Virgo Maria a Ieſu, eſt reformatrix Religionis Carmelitanę in Diſcalceatis.

¶ 3. Prǫterea: S.Thereſia non cõuixit Carmelitis Diſcalceatis ratione ſexus, vt ſic exemplo ſuo eos inſtrueret; nec debuit inſtruere verbo, cum Apoſtolus prohibeat fœminas in Eccleſia docere: Ergo Sancta Thereſia à Ieſu

non

non eſt reformatrix religionis Carmelitanæ in Diſcalceatis.

SED CONTRA eſt authoritas Eccleſiæ, communis vox fidelium, & vniuerſalis confeſſio Carmelitarum.

CONCLVSIO.

Cum S. Thereſia in Diſcalceatorum fundatione regulam primitiuam Religioni Carmelitanæ reſtiuerit, verè reformatrix ipſius eſt in Diſcalceatis.

RESPONDEO dicendum, quòd S. M. N. Thereſia à Ieſu verè eſt reformatrix religionis Carmelitanæ in ſuis Diſcalceatis. Ad cuius euidentiã ſciendum eſt, quòd iam ſpatio centum triginta annorum religio Carmelitana decurrerat a mitigatione regulæ, varijs identidem reformationibus iuxta Generalium pietatem reparata, ab anno ſcilicet 1430. vſque ad annum 1560. cum Deus optimus Maximus, in honorem Sanctiſsimæ ſuæ Genitricis Mariæ ſpecialis eius patronæ, ac iuxta zelum fundatoris ipſius Eliæ volẽs illam perfecte renouare; elegit, non virum aliquem eximium (plures namque tunc in ipſa florebant,& maximè qui Generalis prior exiſtebat, V.P. Nicolaus Audeth, alter Elias zelo, & lachrymis Ieremias) ſed elegit teneram Virginem Thereſiam; Tum quia ſolet infirma mundi eligere, vt confundat fortia, & contemptibilia, vt confundat ſapientes; Tum quia religio Carmelitana primam ſuam fundationem, principaliùs ad Sanctiſſimam Virginem Dei genitricem Mariam refert, & minùs principalitèr ad Eliam; ſic ſecundam ſuam fundationem, ſiue reformationem ac renouationem ad aliã refert Virginem Thereſiam principaliùs, velut ad Virginis virginum Vicariam, & minus principalitèr ad coadiutorem eius fideliſſimum V. P. N. Ioannem à Cruce in hac parte magni Eliæ ſucceſſorem.

Probatur concluſio authoritate Eccleſiæ, cuius approbatione S. Thereſia à Ieſu vocatur mater noſtra a Carmelitis Diſcalceatis, quibus conceſſum eſt eius officium ſub ritu primæ claſſis cum octaua: Sed hoc nomen,& tale officium non conceduntur, niſi fundatoribus aut reformatoribus religionum: Ergo cum Sancta Thereſia non ſit fundatrix Religionis Carmelitanæ, eſt reformatrix ipſius in Diſcalceatis.

Secundò probatur vniuerſali conſenſu & communi voce fidelium, qui S. M. N. Thereſiam à Ieſu vocant religionis Carmelitanę reformatricem, aut renouatricem, aut etiam inſtauratricem. Conſentiunt tam noſtri Diſcalceati, quàm alij Carmelitæ, quibus magis intereſſe videtur.

Tertiò probatur ſequenti ratione: S. M. N: Thereſia à Ieſu diuina inſpiratione, vel etiam iuſſione inſtituit congregationẽ Diſcalceatorũ, primò in monialibus anno Domini 1562. die Sancti Bartholomæi fundato Abulę monaſterio ex authoritate Summi Pontificis Pij IV. deinde in religioſis anno 1567. Dominica prima Aduentus erecto Durueli ex eadem authoritate conuentu, in qua renuntians Regulæ mitigationi primitiuam ipſam introduxit multò rigidiorẽ; Conſtitutiones pro monialibus edidit, ex quibus noſtræ religioſorum deſumpte ſunt; Plures earum fundationes fecit, & duas priores noſtrorum Durueli & Paſtranæ; Primas inſtruxit moniales verbis & exemplis domeſticis in regulari obſeruantia, ſicut & noſtros religioſos continuis cœleſtibus monitis; nihil fiebat ipſa viuente tam inter moniales quàm inter religioſos, niſi ex eius conſilio & beneplacito; quatuor priorum religioſorum, nempe V: P. N. Ioannis à Cruce, Antonij à Ieſu, Mariani à S. Benedicto, & F. Ioannis à Miſeria habitus ſua manu conſuit; Et plura fecit alia ad firmamentum nouæ Congregationis, quæ diuina benedictione tam in monialibus quàm in religioſis per quatuor orbis partes in inclytam creuit religionem, etiam apud infideles, ſiue virtutem eximiam, ſiue ſcientiam ſingularem

Digitized by Google

rem conſideres: Sed hæc omnia manifeſtè demonſtrant Thereſiam noſtram eſſe reformatricem religionis Carmelianæ, quia per hæc ipſam ad priſtinum ſplendorem ac priorem ſtatum in ſuis Diſcalceatis reduxit, vt diſcurrenti patet: Ergò Sancta Thereſia à Ieſu verè eſt reformatrix religionis Carmelitanæ in ſuis Diſcalceatis, quæ ſimilibus officijs nomen ac dignitatem fundatricis meritò obtinuiſſet, ſi nouam alumnis ſuis dediſſet regulam, & non reparaſſet antiquam.

AD Primum ergo dicendum, quod religio Carmelitana dicitur tota fuiſſe mitigata, quia mitigatio regulę primitiuæ fuit authoritate Summi Pontificis Eugenij IV. ad inſtantiam ſuperiorum ex decreto Capituli generalis, pro tota religione conceſſa, quamuis per accidens ob deuotionem aliquorum perſeuerauerint aliqui conuentus ſub obſeruantia regulæ primitiuæ: denominatio autem ſumitur ex his, quæ per ſe ac maiori ex parte contingunt; non autem ex illis, quę per accidens, ac minori ex parte fiunt: ſufficit autem quòd tota religio Carmelitana dicatur mitigata, licet non totaliter, ad hoc vt eius reparatio ſit vera reformatio; ſecus autem eſſet, ſi reparatio tantùm eſſet reſpectu aliquorum, remanente prorsùs eadem regula mitigata, quamuis aliqui tollerentur abuſus particularium.

AD ſecundum dicendum, quod huiuſmodi monaſterium Compluti fundatum fuit die vigeſima tertia Iulij anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, vndecim menſibus poſt fundationem monaſterij S. Ioſeph Abulę factam à S. M. N. Thereſia; nec ex illo proceſſerunt alia monaſteria monialium, & multò minus religioſorum Carmelitarum, ſicut proceſſerunt ex iſto: Vnde ſola noſtra S. M. Thereſia à Ieſu meretur abſolutè ac ſimplicitèr nomen ac dignitatem reformatricis Carmelitanę Religionis, & ad ſũmum ſecũdùm quid Venerabilis illa Mater Maria de Ieſu, quæ etiam Toleti S. M. Thereſiam conſuluit de prætenſa ſui monaſterij fundatione, & poſt captum ex eius conuerſatione ſolatium, & acceptum conſilium ac animum ad eam faciendam proceſſit. Ex huius V. M. Marię hiſtoria colligitur, quod anno Domini 1563. cum eſſet Granatæ monialis Carmelitana, ſed nouitia ſub regula mitigata, per ſanctiſſimam Virginem Carmeli Reginam & Matrem admonita voluit monaſterium ordinis reformatum fundare; ſed reuelatio eius quaſi ſomnium à Cõfeſſario ipſius reputata eſt, opus enim tam perfectum vires vnius nouitiæ credebat excedere: Verùm cum tertia vice confirmata fuiſſet, & à quodam eximio Dei ſeruo approbata, conſilijs eius dimiſſo monialis habitu, & aſſumpto alio Tertiariæ Sancti Franciſci Romam proficiſcitur, & deſideratum Breue Apoſtolicum obtinet pro intenta fundatione; Vnde rediens in Hiſpaniam, cum eam Granatæ non potuiſſet facere, Compluti fecit, & monaſterium à ſe fundatum diu rexit, & cum opinione ſanctitatis obijt.

AD Tertium dicendum, quod Religio Carmelitana includit tam moniales quàm Religioſos: S. M. N. Thereſia monialibus conuixit, ipſas autem ſicut & religioſos inſtruxit in regularibus obſeruantijs cœleſti doctrina à Deo inſpirata non præſumptione temeraria, quam Apoſtolus loco citato prohibet.

AR-

Digitized by Google

Articvlvs II.

Vtrum reformatio Religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam fuerit Diuinitùs prænuntiata.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quod reformatio religionis Carmelitanę per S. Thereſiã non fuerit Diuinitùs pręnuntiata. Probatur: Ad oſtendendum quod huiuſmodi reformatio fuerit prænuntiata diuinitùs, adducitur quædam authoritas Sancti Vincentij Ferrerij tractatu de vita ſpirituali cap. 19. quæ incipit; *Tertium quod debemus conſiderare*, ibique plurimum extollit quoſdam religioſos breui futuros: Sed hęc authoritas cum ſit indeterminata, poteſt æquè conuenire alijs ordinũ religioſorum reformationibus: Ergo ex vi huius reformatio Carmelitanæ religionis per S. Thereſiam non fuit diuinitùs pręnuntiata.

¶ 2. Præterrea: Adducitur authoritas alia Beati Ludouici Beltran, ad oſtendendum, quod dicta reformatio Carmelitanæ religionis fuerit diuinitùs prænuntiata, quã hic Beatus animat S. Thereſiam ad inchoandam reformationem ab ipſa ſibi propoſitam, loquens in nomine Domini: Sed hæc potuit dicere ex deſiderio tam boni operis, quod iuxta Dei beneplacitum fore credebat, Et non ex ſpeciali reuelatione diuina: Ergo nec ex vi huius reformatio Carmelitanæ religionis per S. Thereſiam fuit diuinitùs prænuntiata.

¶ 3. Præterea: Plures aliæ proponuntur reuelationes à Carmelitis, quibus conantur probare reformationem ſuæ religionis per Sanctam Thereſiam fuiſſe diuinitùs prænuntiatam: Sed huiuſmodi reuelationes vel non ſunt certæ, vel ſunt obſcuræ, vel poſt factam reformationem adductæ: Ergo reformatio Carmelitanæ religionis per Sanctam Thereſiam non fuit diuinitùs prænuntiata.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis ipſius religionis reformatæ, & authoritas plurium referentium diuinas reuelationes, quibus huiuſmodi reformatio fuit prænuntiata, præſertim noſtri Franciſci à S. Maria tom. 1. libro 1. cap. 1.

Conclvsio.

Cum multæ reuelationes diuinæ de futura reformatione religionis Carmelitanę per Sanctam Thereſiam ipſam præceſſerint, verè fuit diuinitùs prænuntiata.

RESPONDEO dicendum, quòd reformatio Carmelitanæ religionis per Sanctam Thereſiam fuit diuinitùs prænuntiata. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd variæ fuerunt Religionis Carmelitanæ reformationes in toto ſuo decurſu: Cum enim ſit conditionis humanæ eſſe mutabilis, & tendere ſemper ad laxiora ſenſui conformia, non ſteterunt eius alumni in eo feruore rigoris, quem introduxerat Elias in primitiuis diſcipulis; Et ita tam ſub antiqua lege per nongentos & triginta annos, quàm ſub lege gratiæ ſæpiùs iterata opus fuit reformatio. Tandem mitigata fuit regula ab Eugenio IV. Summo Pontifice: Et quia ſemper natura tendit deorſum, pręter alia in mitigatione conceſſa, plures fuerant laxitates introductę, ad quas omninò delendas plures religionis Generales inſudarunt; ſed pręſertim V. P. Ioannes Soreth, Nicolaus Audeth, & Baptiſta Mantuanus: Vnde hac occaſione erecta fuit Congregatio Mantuana adhuc celebris; in Gallia quoque, in Belgio, & alibi ſtabilitæ ſunt reformationes; ſed tamen intra limites regulæ mitigatæ: Illuſtrior eſt noſtra Diſcalceatorum, de qua nunc agimus; Tum quia primitiuam reaſſumpſit regulam, abdicata penitùs mitigatione; Tum quia plurimùm creuit, iam in viginti diuiſa prouincias; Tum quia totum orbem impleuit, quatuor eius partes illuſtrãs, ad

Digitized by Google

rem conſideres: Sed hæc omnia manifeſtè demonſtrant Thereſiam noſtram eſſe reformatricem religionis Carmelianæ, quia per hæc ipſam ad priſtinum ſplendorem ac priorem ſtatum in ſuis Diſcalceatis reduxit, vt diſcurrenti patet: Ergò Sancta Thereſia à Ieſu verè eſt reformatrix religionis Carmelitanæ in ſuis Diſcalceatis, quæ ſimilibus officijs nomen ac dignitatem fundatricis meritò obtinuiſſet, ſi nouam alumnis ſuis dediſſet regulam, & non reparaſſet antiquam.

AD Primum ergo dicendum, quod religio Carmelitana dicitur tota fuiſſe mitigata, quia mitigatio regulę primitiuæ fuit authoritate Summi Pontificis Eugenij IV. ad inſtantiam ſuperiorum ex decreto Capituli generalis, pro tota religione conceſſa, quamuis per accidens ob deuotionem aliquorum perſeuerauerint aliqui conuentus ſub obſeruantia regulæ primitiuæ: denominatio autem ſumitur ex his, quæ per ſe ac maiori ex parte contingunt; non autem ex illis, quę per accidens, ac minori ex parte fiunt: ſufficit autem quòd tota religio Carmelitana dicatur mitigata, licet non totaliter, ad hoc vt eius reparatio ſit vera reformatio; ſecus autem eſſet, ſi reparatio tantùm eſſet reſpectu aliquorum, remanente prorsùs eadem regula mitigata, quamuis aliqui tollerentur abuſus particularium.

AD ſecundum dicendum, quod huiuſmodi monaſterium Compluti fundatum fuit die vigeſima tertia Iulij anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, vndecim menſibus poſt fundationem monaſterij S. Ioſeph Abulę factam à S. M. N. Thereſia; nec ex illo proceſſerunt alia monaſteria monialium, & multò minus religioſorum Carmelitarum, ſicut proceſſerunt ex iſto: Vnde ſola noſtra S. M. Thereſia à Ieſu meretur abſolutè ac ſimplicitèr nomen ac dignitatem reformatricis Carmelitanę Religionis, & ad ſũmum ſecũdùm quid Venerabilis illa Mater Maria de Ieſu, quæ etiam Toleti S. M. Thereſiam conſuluit de prætenſa ſui monaſterij fundatione, & poſt captum ex eius conuerſatione ſolatium, & acceptum conſilium ac animum ad eam faciendàm proceſſit. Ex huius V. M. Marię hiſtoria colligitur, quod anno Domini 1563. cum eſſet Granatæ monialis Carmelitana, ſed nouitia ſub regula mitigata, per ſanctiſſimam Virginem Carmeli Reginam & Matrem admonita voluit monaſterium ordinis reformatum fundare; ſed reuelatio eius quaſi ſomnium à Cõfeſſario ipſius reputata eſt, opus enim tam perfectùm vires vnius nouitiæ credebat excedere: Verùm cum tertia vice confirmata fuiſſet, & à quodam eximio Dei ſeruo approbata, conſilijs eius dimiſſo monialis habitu, & aſſumpto alio Tertiariæ Sancti Franciſci Romam proficiſcitur, & deſideratum Breue Apoſtolicum obtinet pro intenta fundatione; Vnde rediens in Hiſpaniam, cum eam Granatæ non potuiſſet facere, Compluti fecit, & monaſterium à ſe fundatum diu rexit, & cum opinione ſanctitatis obijt.

AD Tertium dicendum, quod Religio Carmelitana includit tam moniales quàm Religioſos: S. M. N. Thereſia monialibus conuixit, ipſas autem ſicut & religioſos inſtruxit in regularibus obſeruantijs cœleſti doctrina à Deo inſpirata non præſumptione temeraria, quam Apoſtolus loco citato prohibet.

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum reformatio Religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam fuerit Diuinitùs prænuntiata.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quod reformatio religionis Carmelitanę per S. Thereſiã non fuerit Diuinitùs pręnuntiata. Probatur: Ad oſtendendum quod huiuſmodi reformatio fuerit prænuntiata diuinitùs, adducitur quædam authoritas Sancti Vincentij Ferrerij tractatu de vita ſpirituali cap. 19. quæ incipit; *Tertium quod debemus conſiderare*, ibique plurimum extollit quoſdam religioſos breui futuros: Sed hęc authoritas cum ſit indeterminata, poteſt æquè conuenire alijs ordinũ religioſorum reformationibus: Ergo ex vi huius reformatio Carmelitanæ religionis per S. Thereſiam non fuit diuinitùs pręnuntiata.

¶ 2. Præterea: Adducitur authoritas alia Beati Ludouici Beltran, ad oſtendendum, quod dicta reformatio Carmelitanæ religionis fuerit diuinitùs prænuntiata, quã hic Beatus animat S. Thereſiam ad inchoandam reformationem ab ipſa ſibi propoſitam, loquens in nomine Domini: Sed hæc potuit dicere ex deſiderio tam boni operis, quod iuxta Dei beneplacitum fore credebat, Et non ex ſpeciali reuelatione diuina: Ergo nec ex vi huius reformatio Carmelitanæ religionis per S. Thereſiam fuit diuinitùs prænuntiata.

¶ 3. Præterea: Plures aliæ proponuntur reuelationes à Carmelitis, quibus conantur probare reformationem ſuæ religionis per Sanctam Thereſiam fuiſſe diuinitùs prænuntiatam: Sed huiuſmodi reuelationes vel non ſunt certæ, vel ſunt obſcurę, vel poſt factam reformationem adductæ: Ergo reformatio Carmelitanæ religionis per Sanctam Thereſiam non fuit diuinitùs prænuntiata.

SED CONTRA eſt traditio vniuerſalis ipſius religionis reformatæ, & authoritas plurium referentium diuinas reuelationes, quibus huiuſmodi reformatio fuit prænuntiata, præſertim noſtri Franciſci à S. Maria tom. 1. libro 1. cap. 1.

CONCLVSIO.

Cum multæ reuelationes diuinæ de futura reformatione religionis Carmelitanę per Sanctam Thereſiam ipſam præceſſerint, verè fuit diuinitùs prænuntiata.

RESPONDEO dicendum, quòd reformatio Carmelitanæ religionis per Sanctam Thereſiam fuit diuinitùs prænuntiata. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd variæ fuerunt Religionis Carmelitanæ reformationes in toto ſuo decurſu: Cum enim ſit conditionis humanæ eſſe mutabilis, & tendere ſemper ad laxiora ſenſui conformia, non ſteterunt eius alumni in eo feruore rigoris, quem introduxerat Elias in primitiuis diſcipulis; Et ita tam ſub antiqua lege per nongentos & triginta annos, quàm ſub lege gratiæ ſæpiùs iterata opus fuit reformatio. Tandem mitigata fuit regula ab Eugenio IV. Summo Pontifice: Et quia ſemper natura tendit deorſum, pręter alia in mitigatione conceſſa, plures fuerant laxitates introductę, ad quas omninò delendas plures religionis Generales inſudarunt; ſed pręſertim V. P. Ioannes Soreth, Nicolaus Audeth, & Baptiſta Mantuanus: Vnde hac occaſione erecta fuit Congregatio Mantuana adhuc celebris; in Gallia quoque, in Belgio, & alibi ſtabilitæ ſunt reformationes; ſed tamen intra limites regulæ mitigatæ: Illuſtrior eſt noſtra Diſcalceatorum, de qua nunc agimus; Tum quia primitiuam reaſſumpſit regulam, abdicata penitùs mitigatione; Tum quia plurimùm creuit, iam in viginti diuiſa prouincias; Tum quia totum orbem impleuit, quatuor eius partes illuſtrãs, ad

ad ea etiam loca penetrans, quæ prius Carmelitas nunquam viderant; Tum denique quia miræ ſanctitatis opinione floret vbique: Vnde non mirum, ſi fuerit Diuinitùs prænuntiata, quaſi res ipſi Deo plurimùm accepta.

Probatur concluſio authoritate Sancti Vincentij Ferrerij tractatu de vita ſpirituali cap. 19. vbi ſic ait: *Tertium quod debemus conſiderare, eſt ſtatus & vita illorum hominum Euangelicorum, qui poſtea venturi ſunt; Communitas pauperũ, ſimplicium, manſuetorum, humilium, deſpectorum, ardentiſſima Charitate coniunctorum, qui de nullo alio cogitant, nec de alio loquuntur, nec aliud ſciunt quam Ieſum Chriſtum & hunc Crucifixum; non curant de hoc mundo, ſui ipſorum obliuiſcuntur contemplando gloriam Cæleſtem Dei & Sanctorum ipſius, & ſuſpirando intimè pro illa, & ex eius amore deſiderando ſemper mori dicentes cum S. Paulo, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto; Iſti ab alto repleti cum innumerabilibus theſauris diuitiarum cæleſtium, irrigantur dulciſſimis & mellifluis riuulis ſuauitatis & iucunditatis Diuinæ; ad quæ bona, relictis omnibus alijs rebus creatis, mirabiliter aſpirant: Et cum his exercitijs poſſumus eos imaginari velut cantores capellæ Angelicę, qui cum iubilo faciunt Deo ſuauiſſimam muſicam, propriorum cordium inſtrumentis.* Quod hæc prophetia ſit de reformatione religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam, conſtat ex traditione Patrum Sancti Dominici in Hiſpania, quorum vnus vir admodum grauis loquens aliquando cum noſtro P. Mariano à Sancto Benedicto, hoc ei tanquam rem apud ipſos notam retulit, & in libro manu ſcripto cuiuſdam Authoris ex ſuis expreſſum oſtendit, qui per aliquot annos obierat, antequam noſtra reformatio Thereſiana inciperet; habebatur autem in hoc libro ſcriptum, quòd adducta Sancti Vincentij Ferrerij prophetia foret complenda in Religione Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo.

Secundò Probatur alia Prophetia B. Ludouici Beltram ex eodem ordine Dominicano, & Beati Petri de Alcantara Franciſcani, quos conſuluit S. M. N. Thereſia de præcepta ſibi à Deo reformatione ordinis noſtri: Hi viri ſancti & diuinitùs illuſtrati, mirabilia conſiderantes opera Dei, poſt multas ad hunc effectum fuſas orationes, accepto cœlitùs oraculo, conſulenti reſponderunt Thereſię, vt ſua compleret in hac re pia deſideria de ſurſum afflata, & ſciret ea iuxta diuinum eſſe beneplacitum, promittentes ipſi auxilium Dei, ac exitum proſperum: Quod totum conſtat ex reſponſione B. Ludouici, quàm hic de Hiſpano tranſlatam appono. *Mater Thereſia*, ait, *tuam recepi epiſtolam: Et quia negotium, de quo me conſuluiſti, ita diuinum reſpicit obſequium, volui Domino humillimis meis precibus & ſacrificijs commendare; Et hæc cauſa fuit, cur tardauerim reſpondere: Nunc dico in nomine eiuſdem Domini, vt ſumas animum ad opus tam grande exequendum; ipſe tibi auxiliũ & fauorem impendet: Et ex parte ipſius certiorem te facio, quod quinquaginta anni non tranſibunt, donec tua religio ſit vna ex illuſtrioribus quæ ſunt in Eccleſia, qui te conſeruet &c. Valentiæ: Frater Ludouicus Beltran.*

Tertiò probatur alijs prophetijs & reuelationibus breuitèr tantùm indicatis, quæ paulò fuſiùs referuntur à Noſtro Franciſco de S. Maria loco ſuperiùs citato. Venerabilis P. N. Ioannes à Cruce adhuc iuuenis, rogans Deum, vt ipſum ad ſuum obſequium dirigeret, audiuit ſe futurum eſſe religioſum alicuius ordinis, ad cuius antiquam perfectionem renouandam ipſe cooperaretur. Frater Andreas à Sanctis laicus inter mitigatos diuina ſciuit reuelatione futuros in ordine Carmelitano Diſcalceatos, vt ipſe triginta annis priùs manifeſtauit Prouincialibus, à quibus ex tunc licentiam petijt tranſeundi ad ipſos, vt poſtmodum ſuo tempore fecit. Venerabilis M. Catharina à Ieſu fundatrix monaſterij Veas duodecim annis ante noſtram reformationem in myſtica vidit viſione

S.M.N.

Digitized by Google

S. M. N. Thereſiam cum ſuis monialibus, cum regula & conſtitutionibus, & vno etiam ex noſtris Diſcalceatis, eo prorsùs modo quo ſucceſſit poſtmodum in fundatione dicti monaſterij. Venerabilis Soror Beatrix à Matre Dei Hiſpalenſis quatuordecim annis ante Thereſianam reformationem vidit apparẽtem ſibi Carmelitam Diſcalceatum, qui iudicatur ex indicijs fuiſſe S. P. N. Elias, quique animabat ipſam vt habitum ſui ordinis aſſumeret.

Quartò probatur ex alijs reuelationibus & viſionibus, quæ ſucceſſerunt circa tempus reformationis huius, nondum tamen cognitę. Venerabilis Mater Catharina de Cardona, antequam noſtrę reformationis notitiam haberet, vidit S. P. Eliam ipſius habitu indutum, quem poſtmodum ipſa recepit. In Ciuitate Calaguritana Thereſa Spagnuela Matertera V. P. N. Ioannis à Ieſu Maria, cum vix inciperet Durueli noſtra reformatio, nec eius notitiam haberet, ipſum adhuc paruulum triennem prę-uidit in habitu Diſcalceatorum, & Romæ ſanctitatis opinione conſpicuum; quòd totum poſtea ſucceſſit. Venerabilis M. Anna à Sancto Auguſtino, adhuc paruula, cum vellet eſſe monialis, vidit in ſpiritu proceſſionem noſtrarum monialium cum S. M. Thereſia. Et tunc nullam ipſius notitiam habebat, nec reformationis eius. Hęc ad intentum noſtrum ſufficiunt, vnde alia ſimilia dimittimus.

AD primùm ergò dicendum, quòd quidem prophetia S. Vincentij Ferrerij eſt indeterminata, & fortè poſſet alteri religioni conuenire: Sed ex adducta traditione determinatur ad noſtram religionis Carmelitanę reformationem; ipſa verò traditio creditur fundata in ipſiuſmet Sancti Vincentij declaratione.

AD Secundum dicendum, quòd manifeſtè conſtat ex ipſis verbis B. Ludonici Beltran, quòd in hac materia loquitur ex diuina reuelatione, cum affirmet ſe loqui in nomine Domini; Et ita non loquitur ſolùm ex proprio deſiderio, vel ex apparentia boni ſucceſſus.

AD Tertium dicendum, quod ex ponderatione propoſitarum reuelationum ſtatim apparet, quòd non ſunt incertæ, nec obſcuræ, nec adductæ poſt factam & notoriam huiuſmodi reformationem religionis Carmelitanæ per S. M. N. Thereſiam.

ARTICVLVS III.

Vtrum reformatio religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam facta ſit expreſſo Dei mandato.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd reformatio Religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam non ſit facta expreſſo Dei mandato. Probatur: Nullibi reperitur expreſſum Dei mandatum Sanctæ Thereſię factũ de reformanda religione Carmelitana: Ergo reformatio religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam non eſt facta expreſſo Dei mandato.

¶ 2. Præterea: Poſt factam fundationem primi conuentus reformati monialium Abulę, Sancta Thereſia fuit paſſa ſcrupulos, num in hac fundatione facienda fuiſſet illuſa à dæmone, vt legitur in eius hiſtoria: Ergo ſignum eſt, quòd reformatio Carmelitanæ religionis per ipſãm non ſit facta expreſſo Dei mandato, quia non potuiſſet de hoc dubitare.

¶ 3. Præterea: Si reformatio Carmelitana Religionis per S. Thereſiam facta ſit expreſſo Dei mandato, ſequitur quod ſit de iure diuino; maximè quia reuelationes Sanctæ Thereſiæ ſunt ab Eccleſia approbatæ: Sed non poteſt dici, quod huiuſmodi reformatio ſit de iure diuino, nam aliàs non poſſet vlla authoritate Eccleſiaſtica deſtrui, quod conſtat eſſe falſum: Ergo reformatio religionis Carmelitanæ per S. Thereſiam

Digitized by Google

ſiam non eſt facta expreſſo Dei mandato.

SED CONTRA eſt communis ſenſus religionis ipſius Carmelitanæ, & quàm plurium Doctorum authoritas.

CONCLVSIO.

Reformatio religionis Carmelitanæ per Sanctam Thereſiam facta eſt expreſſo Dei mandato.

RESPONDEO dicendum, quòd reformatio Carmelitanę religionis per Sanctam Thereſiam facta eſt expreſſo Dei mandato, tum ipſi immediatè intimato 2. tum medijs viris Sanctis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd anno Domini 1560. Pij IV. Summi Pontificis 2. Nicolai Audeth Generalis 32. Deus Optimus Maximus religionis Carmelitanæ reformationem S. M. N. Thereſiæ ſuauiter inſpirauit, & efficaciter iniunxit, vt ſtatim probabitur: Vt eam ad opus tam grande fortiter animaret, duplicem ei conſiderationem excitauit; Primam quidem gratitudinis erga Deum ipſum tam miſericordem, qui de tantis eam periculis liberauerat, totque beneficijs cumulauerat, vt hoc ſcilicet motiuo in perfectiori ſtatu ipſi deſeruiret; Secundam autem charitatis & pietatis, vt ſcilicet hoc medio lucraretur animas Deo, cum hæretici tot ſuis erroribus tunc perderent, Et inſuper vt Sacras Virgines congregaret, quæ ſuo exemplo & precibus Eccleſiæ calamitatibus ſubuenirent, ſic miniſtros Euangelij adiuuando, Et poſtea noſtrâ Diſcalceatorum congregationem inſtituendo intendit milites Chriſti contra hæreticos ſcribere & armare.

Probatur prima pars concluſionis: Non ſolùm inſpiratione interna Deus Thereſiam noſtram ad incipiendam religionis Carmelitanę reformationem animauit, ſed etiam Chriſti apparitione viſibili, qui cunctantem ipſam in emenda domo pro noua fundatione, quia nimis anguſta videbatur, aſperè reprehendens ſic ait; *Iam tibi dixi, quod intres quomodo poteris, O cupiditas generis humani, quod credis Terram tibi defuturam! Quoties ipſe dormiui ſub dio, non habens locum vbi ſecurus ab iniurijs temporum manerē.* Deinde Chriſtus ei pręcepit, vt mitteret Romam ad obtinendum breue Apoſtolicum, vt ſic intenta fundatio noua primi conuentus reformati ſtabiliretur: in cuius diuini mandati confirmationem, ipſa Sanctiſſimam Virginem Deiparam, Sanctum Ioſeph, & S. Claram ſibi pollicentes operam ad hoc opus, & fœlicē promittentes exitum audit: Et miraculū in noui conuentus ędificatione ſucceſſit, accidit enim quod muri ruina paruulus eius ex ſorore nepos opprimeretur, hoc operante dæmone, vt mater paruuli quæ fabricam procurabat, morte filij perceita à cępto deſiſteret opere; ſed ſtupendo Reſurrectionis eius miraculo precibus S. M. N. Thereſiæ obtento confortatur, & ad proſequendum animatur. Denique cum Dominus S. M. N. Thereſiæ reformationem religionis Carmelitanæ etiā pro viris inſpiraſset, ei poſtmodum apparens ad opus animauit dicens; *Expecta paululum filia, & res magnas videbis*: Et quamuis non expreſſum de hoc mandatum immediatè ipſi factum legatur, præſumitur tamen fuiſſe.

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis: Quamuis S. M. N. Thereſia de prædictæ reformationis inſpiratione & expreſſo mandato non dubitaret, vt vera tamen obediens de opere ſibi præcepto ſuos confeſſarios, & alios viros ſanctitate ac doctrina conſpicuos ſollicitè conſuluit, & inter ipſos Beatum Petrum de Alcantara Minoritam, & Beatum Ludouicum Beltran Dominicanum: Hi viri ſancti diuinitùs illuſtrati mirabilia conſiderantes opera Dei, poſt multas ad hunc effectum fuſas orationes, accepto cœlitus oraculo, conſulenti reſponderunt Tereſiæ, vt ſua pia compleret deſideria de ſurſum afflata, & ſciret ea iuxta diuinum eſſe beneplacitum, Dei promittentes auxilium, & fœli-

Digitized by Google

fœlicē exitū: Quod totū conſtat ex reſpōſione B. Ludouici Beltran, ſequentis tenoris, quàm hic repetimus; *Mater Thereſia,* ait, *tuam recepi epiſtolam*; *Et quia negotium de quo me conſuluiſti, ita diuinum reſpicit obſequium, valui Domino humillimis meis precibus & ſacrificijs cōmendare*; *Et hæc cauſa fuit, cur tardauerim reſpondere: Nunc dico in nomine eiuſdem Domini, vt ſumas animum ad opus tam grande exequendum, ipſe tibi auxiliū & fauorem impendet*; *Et ex parte ipſius certiorem te facio, quod quinquaginta anni non tranſibunt, donec tua religio ſit vna ex illuſtrioribus quæ ſunt in Eccleſia Dei, qui te conſeruet &c. Valentiæ Frater Ludouicus Beltran.*

Ex quibus manifeſtè demonſtratur expreſſum Dei mandatum de reformatione religionis Carmelitanæ medijs viris ſancti Sanctæ Matri Noſtræ Thereſiæ intimatum, vt ſic de eo nulla foret dubitatio, cum tam ipſi quàm alijs fuiſſet manifeſtatum.

AD Primum ergo patet ex dictis, quòd expreſſum Dei mandatum de reformatione religionis Carmelitanæ reperitur, non ſolùm in libris S.M.N. Thereſiæ, cui fuit intimatum, ſed etiam in adducta B. Ludouici Beltran epiſtolæ reſponſiua.

AD Secundum dicendum, quòd dum Chriſtus Dominus S. M. N. Thereſiæ apparebat, vt ei mandaret aliquid, tunc non poterat de veritate apparitionis aut mandati dubitare: Sed Deo ſic diſponente ad probandam humilitatem & obedientiam ſponſæ ſuæ, quæ adinſtar Sancti Iob verebatur omnia opera ſua, poſtea inſurgebant ſcrupuli, num eſſet eluſa à dęmone, vt ſic cautiùs in omnibus incederet, recurrendo ad ſuos confeſſarios velut ab Eccleſia expoſitos ad ſui directionem.

AD Tertium dicendum, quod vt aliquid recipiatur ab Eccleſia tanquam de iure diuino, debet diuinum mandatum eſſe authenticum, vel in *Sacra Scriptura*, vel ipſius Eccleſiæ authoritate, quę tale mandatum proponat fidelibus vt de fide credendum; ſic autem non proponit reuelationes S.M.N. Thereſiæ, ſed tantùm eas proponit in communi vt piè credendas: Vnde mandatum illud expreſſum Dei de reformatione Religionis Carmelitanę, non facit quòd illa ſit de iure diuino.

ARTICVLVS IV.

Vtrum primitiuæ Carmelitarum Regulæ in Diſcalceatorum religione noui rigores fuerint ſuperadditi.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd primitiuæ Carmelitarum Regulæ non fuerint in Diſcalceatorum religione noui rigores ſuperadditi. Probatur: Quicquid rigoris in Diſcalceatorum Religione ſuperadditum primitiuæ Carmelitarum regulæ videtur, implicitè continetur, & multum amplius in vltimo eiuſdem Regulę capitulo, vbi dicitur; *Si quis autem ſupererogauerit, ipſe Dominus cum redierit, reddet ei, vtatur tamen diſcretione, quæ virtutum eſt moderatrix*; qua permiſſione datur locus multò pluribus rigoribus, quàm fuerint introducti in Diſcalceatorum Religione: Ergo primitiuæ Carmelitarum regulæ non fuerunt in Diſcalceatorum religione noui rigores ſuperadditi.

¶ 2. Præterea: Ante mitigationem primitiuæ Carmelitarum Regulæ, habitus fuit multò rigidior, & auſterior modus viuendi, quàm ſit nunc poſt eius reparationem; ille namque fuit melota perpetua ſiue continuum cilicium, iſte verò fuit congruus eremitis: Sed nihil tale nunc habetur in Carmelitarum Diſcalceatorum Religione: Ergo primitiuæ Carmelitarum Regulæ non fuerunt in Diſcalceatorum Religione noui rigores ſuperadditi.

¶ 3. Pręterea: Nihil rigidius di-

ci poteſt, quàm ea quæ leguntur in Sacra Scriptura, Ioſepho, Philone, cęteriſque probatis authoribus, de Filijs prophetarum, de Eſſenis, ac de monachis Eccleſiæ primitiuæ, qui fuerunt alumni Religionis Carmelitanæ & cultores primitiuę regulæ: Ergò fruſtra dicitur, quòd in Diſcalceatorum religione noui rigores fuerint ei ſuperadditi.

SED CONTRA eſt euidens experientia, & inductio plurium rigorum, qui in noſtra Diſcalceatorum religione fuerunt primitiuę Carmelitarum Regulæ ſuperadditi.

CONCLVSIO.

In noſtra Diſcalceatorum Religione noui rigores fuerunt primitiuę Carmelitarum Regulæ ſuperadditi.

RESPONDEO dicendum, quod In noſtra Diſcalceatorum Religione noui rigores fuerunt primitiuæ Carmelitarum Regulæ ſuperadditi. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Regula primitiua Ordinis Carmelitani ſic auſtera eſt, vt tempore Eugenij IV. Summi Pontificis velut inobſeruabilis fuerit iudicata; Vnde mitigationibus quibuſdã adiunctis circa principales eius obſeruantias, dicti Pontificis authoritate moderata eſt, vt ſupra dictum fuit. Sed quæ ſunt impoſſibilia hominibus, attenta corruptione ac debilitate naturæ, ſunt Deo poſſibilia, & gratia ipſius redduntur renouatis hominibus etiam poſſibilia, iuxta ſententiam Apoſtoli dicentis; *Omnia poſſum in eo qui me confortat*: Et hoc quotidiana conſtat experientia; non ſolùm in vno virtutis actu heroico, ſed etiam in continuatione vitæ religioſæ rigidioris obſeruantiæ, in qua continuò contra motus naturæ ac prauas eius inclinationes ſtandum & nitendum eſt. Dicimus igitur, quod non tantùm S.M.N. Thereſia, & alumni eius Carmelitæ Diſcalceati ac moniales Regulam primitiuam Ordinis Carmelitani reſtituerunt integrè, prout ab Innocentio IV. Summo Pontifice fuit confirmata: Sed etiam adiunctis pluribus obſeruantijs regularibus auſteriorem duplo reddiderunt, vt modo facta earum inductione demonſtrabitur.

Probatur concluſio ſigillatim diſcurrendo de nouis rigoribus in noſtra Diſcalceatorum Religione; primitiuæ Carmelitarum Regulæ ſuperadditis. Primò quantùm ad habitum: In noſtra reformatione prohibitus eſt omnis vſus linteaminum, non ſolùm in induſijs, ſed etiam in ſudariolis, ita vt omnia ſint lanea: Pedibus omninò nudis in principio reformationis incedebant Patres; ſed cum illi, quibus à Summo Pontifice commiſſa fuerat conſtitutionum noſtrarum approbatio, talem nuditatem ſanitati plurimum obeſſe iudicaſſent ijs qui continuò penè ieiunant, & carnibus abſtinent, ac proinde debilitatis, ordinariè, ſandaliorum vſus fuit introductus, conſtat autem, quòd prædicta ſunt vltra preſcriptum Regulæ primitiuæ.

Secundò quantùm ad vota religionis, pręter tria communiter in omni ordine religioſo recepta, & per Regulam nobis iniuncta, quartum eſt introductum in noſtra congregatione Italica, quo promittimus nullum officium aut dignitatẽ extra religionem vllo modo procurare, vel etiam admittere oblatam, niſi accedat præceptum Pontificis, intra religionem verò non procurare.

Tertiò quantùm ad mortificationes, etſi Regula primitiua ſuadeat opera ſupererogationis, non tamen ea præcipit: Conſtitutiones autem ſuperadditæ ipſi Regulę in noſtra reformatione plurimas de nouo præcipiunt mortificationes; vt quòd ter in hebdomada fiat diſciplina, ſcilicet feria ſecunda, quarta & ſexta, præter laudabilem vſum deuotionis erga Beatiſſimam Virginem communiter receptum faciendi eam Sabbatho: Inſuper introductus eſt vſus ferendi ſępiſſime catenulas & armillas ferreas ſupra nudum, retortis contra carnem acuminibus,

bus, & frequenter etiam cilicia: Et tandem ordinarius vſus pedes oſculandi, colaphos excipiendi, & proprios coram alijs defectus aperiendi receptus eſt.

Quartò quantùm ad ieiunium, prę̨ter illud diuturnum ab incluſa Exaltatione Sanctę Crucis vſque ad diem Dominicę Reſurrectionis per ſeptem menſes continuos, obſeruatur ex vi conſtitutionum dies alij quadraginta ieiunij à Paſchate vſque ad Exaltationem Sanctæ Crucis, ſcilicet qualibet ſexta feria, in vigilijs Beatiſſimæ Virginis, & alijs pluribus diebus; in quibus vigilijs, & in Aduentu inuiolabilis ſeruatur abſtinentia ab ouis & lacticinijs.

Quintò quantùm ad abſtinentiam carnium, iniungitur rigoroſè, ne religioſi facilè vtantur indulgentia regulæ permittentis ſumere pulmenta cocta cum carnibus, ne ſint hoſpitibus oneroſi, præcipiendo ipſis ne facilè credant ſe fore hoſpitibus oneroſos: quod ita rigidè obſeruatur, vt ſæpiùs contingat iter agentes ſolo pane, vel etiam fructibus duntaxat veſci.

Sextò quantùm ad ſilentium, tantus rigor per conſtitutiones additur, vt prohibeatur grauiter religioſis loqui, non ſolùm cum externis, ſed etiam cum domeſticis ex profeſſo; imò ad omninò neceſſaria pro verbis introducta ſunt quædam ſigna: Et in communi ſalutatione ſola hęc verba proferuntur; A præueniente quidem, *Laudetur Ieſus Chriſtus*; A reſpondente verò, *Eiuſque ſancta parens*: Vnde ſilentium ita ſtrictè cuſtoditur, vt vix vllum verbum, præſertim in locis ſanctioribus dormitorij, clauſtri & refectorij die vel nocte audiatur.

Septimò quantùm ad receſſum, tantus obſeruatur, vt ſolùm raris in caſibus liceat extra conuentum egredi: in conuentu verò nulli licet, etiamſi antiquo & graui, extra cellam manere, vel deambulare, niſi dum in communitate religioſi congregantur.

Octauò denique, vt multa alia paucis dicamus: conſtitutiones præcipiunt ſupra regulam nocte media ſurgere ad matutinum, ſemper nudo recitare & orare capite, cellas admodum pauperes habere, lectum ex ſolis tabulis cum duplici lodice habere abſque vllo ſtramento. Vnde ſi cuncta rigoris & mortificationis exercitia ſimul conſiderentur, quæ vel per regulam, vel per conſtitutiones iniunguntur; qui ea conſiderabit, euidenter & certè concludet, quod licet in alijs ordinibus religioſis ſit aliqua ſpecialis auſteritas maior, vt maior abſtinentia apud minimos, maior receſſus apud Carthuſianos, omnibus tamen penſatis noſtra Diſcalceatorum congregatio in mortificationis, & orationis exercitio cæteros ordines religioſos, ſi nō excedit, ſaltem adæquat. Quod adeò verùm eſt, vt qui cunctas auſteritates noſtras leget, mirabitur velut aliquòd impoſſibile, vel tantùm apud antiquos Anachoretas noſtros vſitatum: Quis enim non mirabitur audiens aliquem ſemper abſtinuiſſe à carnibus, per totam vitam ieiunaſſe octo ex duodecim menſibus, penè continuum ſeruaſſe ſilentium, ordinarium cuſtodiſſe cellulę receſſum, quater in hebdomada longam & rigoroſam ſumpſiſſe diſciplinam, nudis toto tempore pedibus inceſſiſſe, duabus horis quotidie mentali vacaſſe orationi, media nocte ad matutinum ſurrexiſſe, duas tantùm lodices ſupra nudam tabulam pro lecto habuiſſe, denique nihil feciſſe niſi priùs obtenta Superioris licentia; certè mirabitur, & dicet quòd ſola virtute gratię poteſt tam rigoroſa vita duci: quæ tamen omnia redduntur non ſolùm facilia, ſed etiam dulcia, tum iugi cęleſtium rerum contemplatione, tum fraterno aliorum exemplo, tum mutua religioſorum charitate.

AD Primùm ergo dicendum, quod illud aſſignatum ex vltimo Regulę capitulo eſt tantùm conſilium, & non præceptum, ſub quo tamen cadunt noui rigores ſuperadditi in noſtra Diſcalceatorum religione, præter quos adhuc in ea ſubſiſtit tale conſilium.

AD Secundum dicendum, quod ad ſummum probat pro tempore Eliæ, & in primi-

Digitized by Google

primitiuis eius alumnis, ſed poſteà moderatus fuit tam veſtitus, quàm modus viuendi, quamuis vterque ſit admodum rigidus & auſterus apud noſtros Diſcalceatos. Nec tamen hoc argumentum pugnat contra concluſionem, quia tantus rigor prę fatus, tantaque auſteritas non habetur ex præſcripto regulæ primitiuę.

AD Tertium dicendum, quòd non probat contra noſtram concluſionem, quia rigores illorum fuerunt ſupererogatorij; & non ex præcepto regulę; quamuis fortè noſtri illos adæquent.

QVAESTIO XXVI.

De Inclytis aliquot alumnis Thereſianæ reformationis.

DE nonnullis reformati per Sanctam V. Thereſiam Carmeli filiis occurrunt dubia, qui cum fuerint aliàs inclyti, noſtram merentur conſiderationem: Circa quos quæruntur quatuor.

¶ Primo, Vtrum V. P. N. Ioannes à Cruce poſſit dici reformator religionis Carmelitanæ.

¶ Secundo, Vtrum V. M. Catharina de Cardona verè fuerit alumna religionis Carmelitanæ.

¶ Tertiò, Vtrum V. P. Dominicus à Ieſu Maria Carmelita Diſcalceatus fuerit author miraculoſus Victoriæ Pragenſis.

¶ Quarto, Vtrum V. P. Dionyſius à natiuitate Carmelita Diſcalceatus poſſit declarari martyr.

ARTICVLVS I.

Vtrum V. P. Ioannes à Cruce poſſit dici reformator Religionis Carmelitanæ.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd V. P. N. Ioannes à Cruce ſit Reformator Carmelitanę religionis. Ita tenuerunt aliqui in præiudicium S. M. N. Thereſię. Probatur: V. P. Ioannes à Cruce, vt legitur in eius vita, ſemper obſeruauit regulam primitiuam Religionis Camelitanæ manens inter mitigatos, ſemper reformationem deſiderauit & procurauit, ac primus ipſe ſuo tempore amplexus eſt: *Ergo verè eſt* Reformator Carmelitanæ religionis.

¶ 2. Præterea: V. P. Ioannes à Cruce ante cæteros omnes reformatus & Diſcalceatus, primus regulares obſeruantias reformationis tam ſcripto, quàm verbo ac domeſtico exemplo in noua Diſcalceatorũ congregatione introduxit, vt ex eius hiſtoria conſtat: Sed hæc ſunt munera reformatoris in aliqua religione; Ergo V. P. Ioannes à Cruce eſt reformator religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Pręterea: Dicunt Carmelitæ, quod ſicut religio Carmelitana primam ſuam fundationem principaliùs ad Sanctiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam refert, & minùs principaliter ad Eliam; ſic ſecundam ſuam fundationem ſiue renouationem ad aliam Virginem S. Thereſiam principaliùs refert, & minùs principaliter ad V. P. Ioannem à Cruce in hac parte Magni Eliæ ſucceſſorem: Sed non obſtante hac principaliori relatione Religionis Carmelitanę ad Sanctiſſimam Virginem, Elias eſt eius fundator: Ergo etiam non obſtante ſimili relatione principaliori ipſius ad S. Thereſiam, V. P. Ioannes à Cruce eſt eius reformator.

SED CONTRA eſt authoritas reformatę religionis Carmelitanæ, qui licèt plurimùm veneretur V. P. Ioannem à

Cruce

Digitized by Google

Cruce, non tamen agnoſcit vt ſuum reformatorem.

CONCLVSIO.

Cum V.P. Ioannes a Cruce non ſit primus author reformationis Carmelitanæ *Religionis, nec primus eius* Pater *ordine intentionis, nec primus eius ſuperior, non eſt eius reformator.*

RESPONDEO dicendum, quod V.P. Ioannes à Cruce non eſt verè ac propriè reformator Religionis Carmelitanę. 2. ſed tantùm fideliſſimus S. Thereſiæ pro reformatione coadiutor. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic vir eximius, & talentis ſuis, & meritis potuiſſet eſſe non ſolum reformator, ſed etiam fundator alicuius religionis illuſtriſſimæ, fuit enim opinione ſanctitatis inclytus, cœleſti ſapienia & ſcientia perfuſus, ac Theologiæ myſticę Doctor inſignis: Fuit opinione ſanctitatis inclytus, propter virtutum heroicarum exercitium, & plurium operationem miraculorum. Fuit cœleſti ſapientia & ſcientia perfuſus, vt experti ſunt in eius regimine quotquot eum nouerunt, tum in nouę religionis gubernatione, tum in conſcientiæ ſubditorum directione: Fuit Theologiæ myſticæ Doctor inſignis, vt teſtantur libri per ipſum editi, qui profundiſsimam rerum ſpiritualium ſcientiam continent, & pijs lectoribus velut experimentalem reddunt, dum eorum animum ſua lectione colligunt, ac breui contemplatiuos reddunt; nec mirum, quod alios illuſtret, qui diuina luce ſic illuſtratus fuit; & quod alios accēdat, qui fuit ardentiſſimo Charitatis igne ſuccenſus: Hac luce & hoc igne in Deum transformatus vixit, & tandem mortuus eſt aduenientis de cęlo lucis globo perfuſus, in quo puriſſimam ſub ſpecie candidiſſimæ columbæ animam in cœlum emiſit, cuius fœlicitatem plures eius apparitiones, & ſubſequuta miracula teſtantur. Eius vita mirabilis in lucem edita cunctis eſt peruia, & ad eius beatificationem proceditur. Vnde hæc paucula ad præſens intentum adducta ſufficiunt.

Probatur prima pars concluſionis: Ad hoc vt aliquis dicatur reformator alicuius religionis, propriè ac rigoroſè loquendo, requiritur quòd ſit primus author reformationis, quòd ſit primus eius Pater ordine intentionis, ac primus eius Superior, vt ex ſe conſtat; ille ſiquidem debet dici reformator alicuius religionis, qui primus inſpirat reformationem verbo, exemplo, & inſtructione, verbo quidem vt primus author, exemplo vt primus pater, & inſtructione vt primus ſuperior; quod confirmatur inductione generali per alios omnes religionum aliarum reformatores, & proportione ſeruata per religionum fundatores; ſi quid enim ex aſſignatis deeſt alicui, iam non erit propriè ac rigoroſè loquendo reformator, at tantùm ſecundùm quid. Sed V.P.N. Ioannes a Cruce non fuit primus author reformationis Car-melitanæ religionis, nec primus Pater ordine inſtitutionis nec primus ſuperior; quòd non fuerit primus author, conſtat quia non cogitauit ipſe religionem Carmelitanam reformare, imò decreuerat ad Carthuſianos tranſire, ſed non tranſijt conſilijs S. M. N. Thereſiæ diſſuaſus; quòd non fuerit primus Pater reformationis ordine intentionis, ex noſtra patet hiſtoria, Venerabilis enim P. Antonius à Ieſu fuit primus, qui ſe in primum reformationis alumnum Sanctę M.N. Thereſiæ obtulit, & ſe per aliquot annos ad eam ipſius inſtructione præparauit; quod denique non fuerit primus ſuperior reformationis, etiam conſtat ex eadem hiſtoria nam poſt paucos dies factæ Durueli reformationis, adueniens P. Angelus de Salaxar Carmelitarū Prouincialis conſtituit dictum V. P. Antonium à Ieſu primū Priorē, & V.P.N. Ioannem à Cruce Suppriorem eius, nec fuit hic vnquam ſupremus reformationis ſuperior: Ergo V. P. N. Ioannes a Cruce, non eſt verè ac propriè reformator religionis Carmelitanæ. Quod con-

Digitized by Google

confirmatur ex communi ſenſu omniū religioſorum noſtræ reformationis, qui non agnoſcunt ipſum vt reformatorem,

Probatur ſecunda pars concluſionis tum argumentis in contrarium adductis, quæ ſolùm hanc partem, ſed tamen efficaciter probant. Tum ſequenti diſcurſu: S.M.N. Thereſia, licet plurimum æſtimaret prædictum V.P. Antonium, & ſua virtute, & mira prudentia, & venerabili canitie; vt tamen V. P. N. Ioannē à Cruce vidit, cernens in eo virtutem heroicam, cœleſtem ſapientiam, ac primitiuum mortificationis & orationis ſpiritum, ſtatim ipſum elegit quaſi petram fundamentalem reparati ædificij; ipſum mittens Valliſoletum ad faciendam monialium noſtrarum fundationem, ſpeciali cura procurauit inſtruere de obſeruantijs regularibus reformationis, vt eas dictis & factis inter noſtros Diſcalceatos ſtabiliret; ipſum inſigni Paſtranæ nouitiatui magiſtrum præfici curauit. Vnde vigor primitiui ſpiritus Carmeli ad totam reformationem deriuauit; ipſū vt exemplar Sanctitatis vbique propoſuit: ſanctum prædicando; qui ſæpius ad officia Prioris, Prouincialis, Definitoris generalis, ac ſemel ad officium Vicarij generalis ſublimatus, toti refulſit religioni potens in opere ac ſermone, cuius ſpiritum ſuis libris confirmauit: Ergo eſt fideliſſimus S. M. N. Thereſiæ pro reformatione Coadiutor, & talis communiter vocatur.

AD primùm ergò dicendum, quòd quidem V. P. N. Ioannes à Cruce ſemper obſeruauit regulam primitiuam religionis Carmelitanæ, manens inter mitigatos, quòd ſemper reformationem deſiderauit; quod ſi eam procurauit ex ſuo ſpiritu, non habuit intentum: ſed vbi poſtea motus a S.M.N. Thereſia, eam amplexatur, fuit quidem primus ordine exequutionis, at priorem ſe habuit ordine intentionis V.P. Antoniu m à Ieſu; ordo autem intentionis præcedit ordinē exequutionis, & nobilius eſt eſſe primum in illo quàm in iſto ordine.

Ad Secundum dicendum, quòd etſi per aliquot dies V. P. N. Ioannes à Cruce ante alios apparuerit reformatus & Diſcalceatus; quia tamen erat ſolus, nondnm erat congregatio Diſcalceatorum noſtrorum, quæ cœpit ad aduentū V. P. Antonij à Ieſu, quando ipſe, & V.P.N.Ioannes à Cruce, & alius Frater Ioſeph à Chriſto ſolemniter habitum reformationis aſſumpſerunt, renuntiantes expreſsè mitigationi, & vouentes obſeruantiam regulę primitiuæ. Nec a ſolo V.P.N.Ioanne à Cruce fuerunt introductæ regulares obſeruantię, ſed ad eas introducendas concurrit V. P. Antonius tunc primus ſuperior naſcentis reformationis.

AD Tertium dicendum, quòd in hac comparatione paritas non tenet in omnibus, ſed ſolùm in hoc quod dicitur in maiori argumento; quia ad fundationem primam Religionis Carmelitanæ Sanctiſſima Virgo concurrit in genere cauſæ finalis, cum fuerit fundata in eius tunc reuelatæ obſequium, Elias autem in genere cauſæ efficientis, cauſa verò finalis eſt principalior efficiente, quia hæc mota ordinatur ad illam mouentem: Et ſimiliter S. M. N. Thereſia principalius concurrit ad reformationem Religionis Carmelitanæ, quàm V. P. N. Ioannes à Cruce: Quòd autem S. Elias ſit fundator religionis Carmelitanæ, & V.P.N.Ioannes à Cruce non ſit reformator, ex hoc procedit quòd ille fuit primus in genere cauſæ efficientis, qui cœpit fundationem Religionis Carmelitanæ; iſte verò non fuit primus, qui cœpit reformationem.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum V. M. Catharina de Cardona verè fuerit alumna religionis Carmelitanæ.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd V. M. Catharina de Cordona non verè fuerit alumna religionis Carmelitanæ. Probatur: Sancta Thereſia ſcribens de ipſa in libro ſuarum fundationum dicit cap. 27. quòd *Paſtranæ religioſum Beatiſsimæ Virginis habitum deuotè ſuſcepit; non eo tamen animo vt fieret religioſa, nunquam enim ad ſtatum religioſum inclinauit; alia quippe via dirigebatur a Domino, quia timebat, ne tam heroica vitæ auſteritas per obedientiam mitigaretur, aut ſuſcepta ſolitudine chara priuaretur*: Ergo non verè fuit alumna religionis Carmelitanæ.

¶ 2. Præterea: Hæc V. Mater non poteſt dici verè alumna Religionis Carmelitanæ, niſi profeſſionem in ea emiſerit; non enim ſufficit habitum religioſum geſtaſſe, vel in monaſterio vixiſſe, quia vulgo dicitur quòd habitus non facit monachum, & Neapoli in alterius religionis monaſterio vixerat, & tamen non dicitur illius alumna: Sed hæc V. Mater non emiſit profeſſionem in religione Carmelitana, vt ex prædicta Sanctæ Thereſiæ authoritate conſtat: Ergo non verè fuit alumna religionis Carmelitanæ.

¶ 3. Præterea: Si hæc V. Mater verè eſſet alumna Religionis Carmelitanæ, vel eſſe annumeranda Patribus religioſis, vel monialibus Carmelitis, tertiarios enim non verè nominamus alumnos: Sed neutrum dici poteſt; non primum, quia Virgo non poteſt nec licitè, nec validè profiteri vitam religioſam in monaſterio religioſorum; nec ſecundum, quia non geſtauit habitum monialium, nec in earum monaſterio vixit: Ergo non verè fuit alumna religionis Carmelitanæ.

SED CONTRA eſt veritas hiſtoriæ ipſius, & communis ſenſus noſtræ Carmelitarum Diſcalceatorum religionis.

CONCLVSIO.

Cum V. M. Catharina de Cardona poſt ſuſceptum religionis Carmelitanæ habitũ, eſſentialia profeſſionis vota emiſerit, quæ vſque ad mortem in monaſterio ipſius perfectè ſeruauit, verè fuit alumna eiuſdem Religionis.

RESPONDEO dicendum, quòd V. M. Catharina de Cardona, poſt decurſum vitę penitùs eremiticę & anachoreticæ; facta fuit alumna noſtræ religionis Carmelitanæ, & verè talis dici poteſt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt id, quòd de ipſa refert S. M. N. Thereſia loco citato, & tomus 1. Annalium noſtrę reformationis libro 5. nẽpè quòd nata eſt Neapoli anno 1519. quamuis alij Barcinonæ natam affirment: Pater ipſius ex inclyta Ducum Cardonæ familia & regia Aragoniæ proſapia deducitur, ac creditur fuiſſe Marchio de la Padule: Mater autem aſſeritur fuiſſe conſanguinea Principiſſæ Salerni: Tantę fuit virtutis & prudentiæ, vt cum dicta Principiſſa in Hiſpaniam proficiſci meditaretur,, eam ſecum in ſolatium & conſilium ducere decreuerit, didicerat enim Deo magiſtro miraculosè legere, & Beatiſſimę Virginis Mariæ communicationibus habebatur inclyta: Proficiſcitur igitur in Hiſpaniam cum Principiſſa, relicto monaſterio, quòd non profitendæ religionis intentione, ſed ſolo motiuo receſſus fuerat ingreſſa: mortua Principiſſa, cum eſſet in Curia propter ſanctitatem & prudentiam venerabilis, à Rege Catholico Philippo II. in Principis Caroli & Domini Ioannis Auſtriaci gubernatricem aſſumitur; ſed poſt aliquod temporis ſpatium, cum ipſam iam Curiæ tæderet, & de receſſu cogitaret, audit Chriſtum Crucifixum, quem ordinariè ſecum gerebat, hæc verba promentem, Deſere palatium, quære antrũ

Digitized by Google

vbi liberiùs orationi & pœnitentiæ vaces: Voci Domini tam expreſſæ & ſalutari obtemperare decreuit; Vnde & animata conſilio B. Petri de Alcantara, & aliquot aliorum intentum ſuum exequutioni mandare aggreditur: Dum anxia cogitaret qualitèr egrederetur de Palatio,vidit Chriſtum quem appenſum collo gerebat, confeſtim in altum extolli, & verſus feneſtram cratibus clauſam procedere, ſibique dicentem audit; *ſequere me:* Tunc attonita, & ſimul lætabunda; & miraculosè ſe poſitam extra palatium intuetur, ac ſubitò ad eremum properat in viam crucis anno Domini 1562. Ibi tribus annis cum inaudita vitę auſteritate ſic ſolitaria vixit,quòd nullus circunſtantiam incolarum ſolitudinis eius locum ſciret: Totam diem orationi vocali & recitandis officijs Beatiſſimæ Virginis, Spiritus Sancti, Defunctorum; pſalmis pœnitentialibus cum Litanijs & gradualibus; noctem verò orationi mentali, ac cœleſtium contēplationi dedicabat, vbi raptus frequentes, diuinas reuelationes, Sanctorum apparitiones, ac miras communicationes alias fuit experta; Cuius cibus ordinarius erat herbarum aggreſtium & radicum, potus autem aquæ puræ: Elapſis tribus annis fuit inuenta à quodam paſtore, & ſic ad maiorem Dei gloriam hominibus manifeſtata, tunc enim concurrentium infirmitatibns miraculosè ſolo crucis ſigno medebatur: Hæc pauca hic neceſſaria ex alibi fuſius in eius vita dictis retulimus.

Probatur & explicarur concluſio: Poſtquam octo fluxerunt anni, ex quo hæc V. Mater in dicta cauerna paululū ampliata manſerat, graui cœpit morbo laborare, quem ibidem patienter tolerans, cum mortalem credidiſſet, deſiderabat in dilectæ ſolitudinis ſuę loco religioſum ædificare monaſterium, nondū determinans cuiuſnam ordinis foret; ſed cum quadam die coram Chriſti crucifixi imagine, quam ſecum ſemper habebat, deuotè oraſſet, ei Dominus candidam cappam oſtendit, vnde diuinitùs edocta iudicauit debere illud eſſe Carmelitarum Diſcalceatorum,quos tamen antea non viderat nec agnouerat, nec tunc amplius erant quàm duo eorum monaſteria, Manceræ ſcilicet & Paſtranę: Cum facta diligenti inquiſitione audiſſet ſimiles eſſe Paſtranæ religioſos illuc iter aggreditur, & monaſterij quod tam ardenter optabat fundationem procurauit, ibique ſacrum Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmelo coram omnibus religioſis in Eccleſia noſtra Sancti Petri habitum ſumpſit rudioris panni, ſic efformatum cum capucio, quòd potiùs hominem quàm fœminam repræſentaret: ædificato in loco cauernę noſtrorum Diſcalceatorum monaſterio, Patres noſtri perexiguam aliam nō procul inde præpararunt; vnde nunquam diſcedebat, niſi cum ad diuina officia in Eccleſiam veniebat; Tria religionis vota in ſimplici profeſſione emiſit: Perſeuerando igitur in pęnitentiæ rigoribus hæc Sancta Virgo ad vltimum ſuæ peregrinationis terminum peruenit; tunc vocatis duabus pijſſimis mulieribus, quæ decentiùs ei miniſtrarent, & erecto in eius cellula deuoto altari, quotidie Patres noſtri miſſam celebrabant, & ei Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tradebant, & ad fęlicem tranſitum eam præparantes religioſum deſtinarunt, qui ad ſolatium *animæ ipſius* Sanctorum hiſtorias perlegeret; Tandem in die octaua Aſcenſionis Chriſti Domini, præſentibus religioſis, ac ſuæ fundatricis Sanctæque matris mox futuram mortem etſi pretioſam deflentibus fęlicitèr obijt anno 1577. vndecima maij, & ad ſuum ſponſum properauit hæc anima ſancta, hæc nuſquam viſa Anachoreta, hoc prodigium pœnitentiæ hoc omnium virtutum exemplar: Paulò ante mortem rogata; vt præſentibus filijs religioſis benediceret, reſtitit quantum potuit dicēs ipſos eſſe Sanctos, & ſe peccatricem, coacta tamen precibus benedixit eis: In hora fœlicis eius exitus crux ſtellarum valde micantium ſuper ipſius cellā duobus fide dignis teſtibus apparuit.

Ipſa

Digitized by Google

Ipſa verò poſt mortem in viſione intellectuali S.M.N. Thereſiæ in illo monaſterio exiſtenti Angelis ſociata apparuit, eique multa manifeſtauit. Ex his fidelisſimè relatis, ſic formatur ratio: Ad hoc vt aliquis dicatur alumnus alicuius religionis, requiritur & ſufficit; quòd ſacrum illius habitum de manu Superioris acceperit; quòd ſuo tempore profeſſionem trium votorum religionis eſſentialium ſimplicem emiſerit, vt conſtat in Societate Ieſu, cuius alumni cum votis ſimplicibus ſunt verè religioſi; quod regulares eius obſeruantias cuſtodierit; quòd vſque ad mortem in monaſterio perſeuerauerit; ſed hæc omnia fecit V. M. Catharina de Cardona in Religione Carmelitana; vt conſtat ex hactenus dictis: Ergo verè fuit alumna illius.

AD Primum ergo dicendum, quòd illud dictum S.M.N.Thereſiæ debet intelligi de profeſſione ſolemni inter moniales, non autem de profeſſione ſimplici dicta inter noſtros; quæ licet non faciat perfectè religioſum, vt facit profeſſio ſolemnis, facit tamen verè religioſum.

AD Secundum dicendum, quod hęc V.Mater emiſit profeſsionem ſimplicẽ; vt dictum eſt, cui non contrariatur adducta S. M. N. Thereſiæ authoritas, ſed tantùm profeſſioni ſolemni.

AD Tertium dicendum, quod hæc V. Mater partim eſt annumeranda Patribus noſtris, partim monialibus Carmelitis: noſtris quidẽ Patribus ratione habitus, ratione manſionis, & ratione regularium exercitiorum, monialibus autem noſtris ratione ſexus; ex Indulgentia tamen Apoſtolici Nuncij virilis habitus religioſi formam, & manſionem prædictam propè noſtrum̃ monaſterium obtinuit, cum ei nota fuit sũma eius ſimplicitas & eximia ſanctitas.

ARTICVLVS III.

Vtrum V.P.Dominicus a Ieſu Maria Carmelita Diſcalceatus fuerit Author miraculoſus Victoriæ Pragenſis.

AD Tertium ſic proceditur; Videtur quod V. P. Dominicus a Ieſu Maria Carmelita Diſcalceatus non fuerit Author miraculoſus Victoriæ Pragenſis. Ita ſenſit aliquis, qui dixit hãc Victoriam nõ fuiſſe miraculoſam; quòd ſi fuerit miraculoſa, non eſſe attribuenda ipſi P.Dominico, ſed alteri. Probatur igitur ſub prædicto titulo, qui vtrũque dubium continet: Victoria Pragenſis fuit relata arte militari, videlicet maxima Ducum Imperialium prudentia, vt in eius relatione traditur; imò comes Buquoius exactiſsimam diſpoſitionis exercitus Imperialis delineationem conflictui generali præuiam fecerat. Ergo V.P. Dominicus à Ieſu Maria Carmelita Diſcalceatus non fuit author miraculoſus Victoriæ Pragenſis:

¶ 2. Pręterea: Tam duces quàm milites exercitus victorioſi erant expertiſsimi in re bellica, ac magno numero; duces autem & milites exercitus victi non experti, at tumultuariè collecti quamuis in magno numerò: Ergo hæc victoria Pragenſis non fuit miraculoſa, nec proinde Pater ipſe Dominicus fuit author miraculoſus illius.

¶ 3. Præterea: Duces exercitus victi notabiles commiſerunt errores, tã præuiè quàm ſimultaneè ad ipſum conflictum generalem, nam acceſſum liberum exercitui Imperiali permiſerunt, relicto ponte quo muniebantur; Ex proprijs etiam caſtris ſupra montem poſitis tumultuariè eruperunt, quibus protegebantur: Vnde non mirum, quòd fuerint victi: Ergo V.P.Dominicus à Ieſu Maria Carmelita Diſcalceatus non poteſt dici author miraculoſus huius Vi-

Digitized by Google

ctoriæ Pragenſis, cum fuerit merè naturalis.

SED CONTRA eſt authoritas Gregorij XV. Summi Pontificis, Ferdinandi II. Imperatoris, Maximiliani Ducis Bauariæ Generaliſsimi exercitus Catholici, ac omnium ducum & militum tam victoris quàm victi exercitus.

CONCLVSIO.

Cum victoria Pragenſis fuerit pluribus titulis miraculoſa, Et V.P.N. Dominicus à Ieſu Maria illam prædixerit cum omnibus circunſtantijs ſibi reuelatis, illam in nomine Domini promiſerit, & ad illam etiam miraculosè concurrerit, verè fuit author miraculoſus illius.

RESPONDEO dicendum, quòd Victoria Pragenſis anno Domini 1620. relata a Ferdinando II. Imperatore ſupra Comitem Palatinum Rheni fuit miraculoſa. 2. Et V.P, Dominicus à Ieſu Maria noſter Carmelita Diſcalceatus fuit author miraculoſus illius. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Comes Palatinus Rheni vocatus à Bohemis Regnum Bohemiæ rapuerat Ferdinãdo II. Imperatori legitimo Regi, & hæreticorum fretus auxilio ad Imperialem dignitatem aſpirabat: Ferdinandus ipſe, vt iniuriam ſibi factam repararet, & rebus ſuis conſuleret, exercitum comparauit, ac ſimul V.P.N. Dominicum à Ieſu Maria tunc religionis Præpoſitum Generalem, virum opinionẽ ſanctitatis inclytum à Paulo V. Summo Pontifice impetrauit ad animæ ſolatium & imperij remedium, qui finito Generalis officio in Germaniam profectus eſt; multa de hoc ſeruo Dei poſſent dici, ſed quia eius hiſtoriam ſpeciali libro compoſui, cuius compendium bis alibi retuli, ideò paucula ſolùm in præſenti referam ad huius difficultatis notitiam & commendationem. Natus eſt Bilbili in Hiſpania Tarraconenſis, & ſicut propter ipsũ nondum mundo natum. Deus plura fecit miracula, ſic toto tempore vitæ ipſius, in infantia, in pueritia, in adoleſcentia, in iuuentute, & vſque in finem vitæ eadem miraculorum prodigia continuauit, quæ poſt mortem pretioſam eius multiplicata ipſum reddidere clariſsimum: Nouitiatum & aliquot profeſsionis annos apud Patres Carmelitas duxit; ſed ſtabilita iam reformatione Carmeli per S.M.Thereſiam, ad noſtros venit diſcalceatos, apud quos in Hiſpania tum Supprioris tum Prioris officio non ſemel functus eſt: deinceps ad nouellam congregationem Italicã authoritate Clementis VIII. vocatus traiecit in Italiam non ſine triſtitia Regis Catholici ac Principum & Magnatum Hiſpaniæ: Romæ fuit apud omnes ordines celeberrimus, tum virtutum exemplis, tum miraculorum gloria & ſpiritu prophetiæ illuſtris; in noſtra verò Religione cuncta Superiorum etiam maiorum obiuit officia, fuit ſæpe Prior Romæ, fuit Procurator Generalis, fuit multoties Definitor generalis, ac tandẽ Præpoſitus Generalis: Fuit in Theologia Scholaſtica doctus, ſed eximius doctor in Theologia myſtica, cuius varios & celebres edidit tractatus: dilectus erat Deo & hominibus, tum ſanctitatis opinione, tum morum ſuauitate, tum beneficentia vniuerſali ad omnes: His paucis delineatus eſt V. P. N. Dominicus à Ieſu Maria, quem dicimus fuiſſe authorem miraculoſum Victoriæ Pragenſis.

Probatur concluſio quoad vtramque partem breui, ſed fideliſſima relatione huius victoriæ, quam fusè libro 4. vitæ dicti V. Patris per multa capita cum omnibus circunſtantijs deſcribo. Romæ anno Domini 1620. antequam in Germaniam Pontificis iuſſu proficiſceretur, futuræ per ipſum Victoriæ reuelationẽ habuit, & multis prædixit cum circunſtantijs, vt poſtea ab illis didici cum Romam miſſus fui anno 1626. ita vt cum poſtmodum Victoriæ iam obtentæ nuntium percrebuit cum iiſdem quas audierant circunſtantijs, non crederent eſſe relationem victoriæ; ſed prædictionem

nem

Digitized by Google

nem illius. Cum ad Imperialem exercitum peruenit Dominicus, & die decimâ menſis Octobris Strakonitzium luſtraret palatium ab hæreticis violatum, inter alia ſacrilegorum monumenta inuenit tabellam palmo cum dimidio longã & palmo latam ſupra gypſum depictam natiuitatem Chriſti Domini repræſentantem, in qua erat Beatiſſima Virgo Deipara ante filiolum Ieſum genuflexa, & S. Ioſeph cum Paſtoribus: Vidit cum ingenti ſpiritus mœrore, qualiter vnus hæreticus omnium excepto Chriſto pugionis acumine oculos effoderat, vt ipſe Angelica didicit reuelatione: Tunc in lachrimas, & gemitus erumpens Dominicus orauit Dominum, vt in hæreticorum confuſionem ſuam ſanctiſſimam matrem in illa imagine exaltaret: Et ſtatim ipſe generoſum emiſit votum agendi pro illius imaginis honore & gloria quicquid ipſi foret poſſibile: Vix votum emiſerat, cum noua luce perfuſus, certitudinem victoriæ ſenſit accreſcere; Vnde in poſterum de illa non poterat vel minimum dubitare, & ad illam conſequendam Duces ac milites quaſi certus de felici ſucceſſu hortabatur. Cum veniſſet dies ſeptima Nouembris, & Dominicus hanc victoriam inſtantiùs à Deo poſtularet, non ſolùm nouam de ea certitudinem in promiſſis, ſed etiam eius repræſentationem in nocte habuit; Vidit enim è cęlo ad terram ſterni viam Lacteæ ſimillimam; Hanc Angelorum numeroſæ turmæ ſub humana forma, lucidiſſimis armis inſtructæ, & ordines ſuos ac lineas tenentes deſcendebant, & totius Catholici exercitus frontem occupabant, Angelorum acies pulchrę, ſed ſimul formidabiles apparent: dum autẽ Dominicus militarem apparatum cœleſtem conſiderat, videt iniri certamen, Angelos triumphare, multa rebellium hæreticorum millia perire, ipſique victoriæ Sanctorum omnium interceſſionem cooperari. Statim hac ipſa nocte Dominicus Ducem Bauariæ Generaliſſimum conueniens, monet de generali conflictu die ſequenti ineundo, hortatur vt omnia præuideat neceſſaria, animat ad præliandum pro gloria Dei, & Beatiſſimæ Virginis honore, in quorum nomine denuò victoriam promiſit. Die ſequenti conſilium militare initur, & quæritur an ſit ineundus generalis conflictus; cum aliqui viderent hoſtes multò ſuperiores, & numero, & ſitu, & omnium rerum apparatu, diſſuadebant cõflictum: Quos audiens Dominicus, & habens præ manibus crucifixum, & prędictam Sanctiſſimæ Virginis imaginem à collo ad pectus appenſam gerens, ſic conſilium cum feruore ſpiritus alloquitur; *Ah filij Eccleſiæ eſt ne hoc tempus dubitandi? nunc quando Dominus ſuos hoſtes & veſtros in manibus vobis dedit, non debemus illos aggredi, dum vincere nobis eſt ita ſecurum? O fęlix pugna, in qua Deus eſt cauſa! Hæc eſt cauſa Domini, ad illam generoſè procedamus; Ipſe dabit vobis victoriam, veniunt hoſtes in ſua fidentes ſuperbia, ſed nos in Domino; Videte hic, quid matri Dei fecerint* (oſtendit tunc ſacram eius imaginem ab hæreticis violatam) *& certi ſitis quòd ipſa vos proteget & Deus honorem matris ſuæ tuebitur; confidite in Domino, & libentèr ad pugnam properate, Chriſtus pro vobis pugnabit, & citò dabit victoriam*: His auditis omnes ad pugnam inclinant, maximè quia hoſtes tormenta ſua in Imperiales explodunt: Dum conflictus incipit, Dominicus vt alter Moyſes in oratione collectus, oculos & manus in cœlum eleuat; fuſiſque lachrymis, Deum exorat, vt in honorem matris ſuæ Catholicos defendat: Ad experimentum fidei ipſius voluit Dominus vt frangerentur aliquæ Catholicorum turmæ, & alię fugerent; Vnde ad ipſum accurrens Dux Bauarię, dixit, *Fugiunt noſtri, & hoſtis victoriam clamat*: ſolatur illum Dominicus promiſſa rursùs victoria, & conſcendens equũ vt erat crucifixo, & dicta imagine munitus per exercitum diſcurrit, & alta voce clamat; *vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine! exurge Domine, iudica cauſam tuam & matris tuæ*: Cuius verbis animati Catholici ſic generoſè pugnant, vt

Digitized by Google

vt breui victoriam reportauerint exterritis ac fugientibus de repente hoſtibus ſequenti prodigio; nam vidit ipſe Dominicus, & viderunt plures alij etiam ex hoſtibus, tam à Chriſto quàm ab imagine prædicta radios exeuntes, aut potiùs flammarum globos erumpentes aduersùs hæreticos; Et certè in inſtanti digitus Dei apparuit in tanto inimicorũ terrore, ex quibus dicuntur fuſa centum millia militum, interempta ſeptem millia, & capta duo millia cum tormentis bellicis totoque belli apparatu. Cognouerunt hęretici hanc victoriam non fuiſſe naturalem; ſed ne miraculo attribuerent, magicis artibus noſtri Dominici referebant: Vnde vocabant magum inſignem Hiſpanum, & dicebant quòd eſſet magna Venefici illius potentia, quę tam numeroſum exercitum tam facilè diſſipaſſet; Et ipſe Princeps Anhaltinus Generalis exercitus, nomine Chriſtianus perdita fugiens victoria, & Comitem Palatinum in arce Pragenſi inueniens ait; *Fugiamus Rex, noſter exercitus diſſipatus eſt, nos magus ille faſcinauit*. Hæc breuiter ex fideliſſimis teſtium oculatorum relationibus adduximus, quæ ſi ponderet pius lector, certè concludet hanc victoriam in multis fuiſſe miraculoſam, & Dominicum noſtrum fuiſſe miraculoſum eius authorem: non tamen negamus, quin etiam prudentia humana, & aliorum preces ad illam obtinendam concurrerint, tunc enim in toto orbe Chriſtiano vota fidelium pro cauſa fidei Catholicæ fundebantur; ſolùm intendimus, quod Dominicus noſter fuit præcipuum & immediatum eius inſtrumentum; Et qui hoc negat, vel non habuit certam de ſucceſſu victoriæ notitiam, vel cum aliqua æmulatione loquitur.

Secundò probatur authoritate Summi Pontificis Gregorij XV. qui prędictam imaginem, ſub nomine Beatæ Mariæ de Victoria, ſolemni proceſſione totius cleri Romę honorauit, quam ipſe expectãs in noſtro Quirinali conuentu, ad maius Altare collocauit. Item authoritate Ferdinandi II. Imperatoris, qui ſcribens Regi Hiſpaniæ ad promouendam noſtri Dominici Canonizationem, poſtquam retulit virtutes ac pręclaras eius actiones, miraculoſam hanc Pragenſem victoriam recenſet eius meritis attribuens, quam vocat ſcaturiginem omnium proſperorum ſucceſsuũ religionis Catholicæ & Auſtriacæ domus in Germania: Vnde in ipſa epiſtola obligatum ſe Dominici beneficijs fatetur, dicens inter alia; *Inſtigant animum, tum impenſa gratitudo quàm à nobis multifarijs beneficijs ab ipſo acceptis deberi agnoſcimus*: Huic imagini B. Mariæ de Victoria coronam miſit Imperialem gemmis & lapillis pretioſiſſimam, vt ſic indicaret quod prædicta victoria miraculoſa imperium ſibi conſeruauerat; miſit etiam quàm plurima vexilla, & alia bellica ornamenta pro eius Eccleſia decoranda. Item authoritate Ducis Bauariæ, qui hanc agnoſcens victoriam miraculoſam, præuium conflictum quatuor tabulis accuratiſſime depictum Romam miſit cum alijs pretioſioribus donis. Item authoritate pluriũ Ducum ac militum Imperialis exercitus, qui talem victoriam dicentes miraculoſam, ad perpetuam eius memoriam, arma ſua & alia in dicta Eccleſia appenderunt. Tandem authoritate vniuerſali fidelium, qui hanc Eccleſiam nunc vulgò nominant Beatæ Mariæ de Victoria, in cuius die nempe octaua Nouembris ſolemniſſimam ipſius Deiparæ miraculoſæ celebratur officium ex conceſſione Summi Pontificis, & maximo populi totius Romani concurſu, qui etiam omni tempore hanc frequentat Eccleſiam ob miraculoſos fauores obtentos.

AD Primum ergo dicendum, quod miraculum non ſemper excludit diligentiam & prudentiam humanam, ſed illa præuia facit quod ſola non faceret: Et ita ſucceſſit in pręſenti Victoria.

AD Secundum dicendum, quòd etiam in exercitu victo fuerunt duces & milites in arte bellica plurimùm experti, qui potiùs Imperiales deſpiciebant; & ſui ruinam non generoſitati & prudentiæ illorum referebant, ſed virtuti noſtri Domi-

Digitized by Google

Dominici quam magicam vocabant, Catholici verò miraculoſam prædicauerunt.

AD Tertium dicendum, quod ſimiles hoſtium errores fuerunt prçuij effectus huius miraculi: nam ipſi confidentes in ſua virtute, liberum Imperialibus acceſſum permiſerunt, vt ſic ad conflictum allicerent, quem ſibi proſperum fore credebant; Ex eadem etiam iactantia de caſtris ſuis exierunt, ſpe nobilioris victoriæ.

Articvlvs IV

Vtrum V. P. Dionyſius à Natiuitate Carmelita Diſcalceatus poſſit declarari martyr.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Venerabilis Pater Dionyſius à natiuitate Carmelita Diſcalceatus non poſſit declarari martyr. Probatur: Venerabilis hic Pater fuit captus & occiſus cum socijs à Rege Sumatræ propter rationem ſtatus, quia Legatus ille Luſitanus, in cuius ſocietate nauigauit, fuit à Batauis dicto Regi prænuntiatus quaſi ſpeculator futurus Regni ipſius potiùs quàm Orator; Et ſub hoc prætextu captus fuit, vt conſtat ex fideli relatione legationis huius: Ergo V. P. Dionyſius à natiuitate qui dicta occaſione captus & occiſus fuit, non poteſt declarari martyr.

¶ 2. Præterrea: Luſitani ſunt plurimum inuiſi Sumatræ Regi, præſertim ex quo Ciuitatem Malacham ipſi iure belli abſtulerunt, ad cuius recuperationem Rex ille ſemper aſpirauit; cuius odij incrementum dedit, quod octo annis antea claſſis fortiſſima dicti Regis fuerat à Luſitanis contrita Nauarcho Lnſitanę claſſis & directore ipſomet Dionyſio; Vnde nauigaturus in Sumatram prædixit ſe à Sumatris occidendũ, ſi ab illis agnoſceretur, vt potuit agnoſci: Ergo non poteſt declarari martyr, cum ex odio nationis illius, & non in odium fidei fuerit occiſus.

¶ 3. Præterea: Rex Sumatriæ in illa occaſione ſolos occidi iuſſit Luſitanos, tantùm Legato & eius nepote reſeruatis; Et cæteris Chriſtianis indicijs ex nigro ſeu fuſco colore pepercit, vltrò dimittens: Ergo ſignum eſt quod Luſitani non fuerunt occiſi propter fidem Chriſti, ſed alio titulo; Et ita V. P. Dionyſius tunc occiſus non poteſt declarari martyr.

SED CONTRA eſt authoritas proceſſus iam oblati Sacræ Congregationi de Ritibus, ab Archiepiſcopo Goëſi iuridicè formati, in quo multi teſtes oculati de vero noſtri Dionyſij martyrio teſtantur.

Conclvsio.

Cum V. P. Dionyſius à natiuitate noſter Carmelita Diſcalceatus violentam potiùs mortem tolerare elegerit, quàm Chriſti fide negare, propterea occiſus poteſt declarari martyr.

RESPONDEO dicendum, quod V. P. Dionyſius à natiuitate noſter Carmelita Diſcalceatus poteſt declarari martyr. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hic V. Pater natus eſt in vrbe maritima Regni Galliæ dicta Honflour anno Domini millesimo ſexcenteſimo in principio menſis Decembris pijs & honeſtis parentibus, ex quorum conſenſu ad Indias Orientales nauigauit anno 1619. vbi poſt varios ſucceſſus, ob eximiam illorum marium notitiam, Nauarchus & ſimul Coſmographus Regius à Luſitanorum Prorege creatur: Cum diuinitùs ad ſtatum religionis vocaretur meo conſilio & opera noſtræ Carmelitanæ anno ſalutis 1635. in vigilia Dominicæ Natiuitatis habitum ſumpſit, & anno ſequenti in ipſa die Natiuitatis ſolemnem emiſit profeſſionem: Tam in nouitiatu, quàm poſt profeſſionem omnibus religioſis virtutum exemplar

Digitized by Google

plar eſt,ac diuinarum particeps communicationum, nam cœleſtes in oratione mentali ſplendores non rarò videbat. Cum in noſtro conuentu Goano Philoſophiæ ſtuderet, miſſus eſt in Inſulam Sumatram cum Regio Oratore D. Franciſco de Soza de Caſtro die 25. Septembris anno 1638.cui ſocius datus eſt V.F. Redemptus à Cruce Luſitanus; Poſt menſem nauigationis ad portum Achem appulit. Batani Luſitanorum inimici, prędictum Oratorem, quaſi ſpeculatorem ac proditorem futurum Sumatris iactabant: propterea ſimul cum eo omnes apprehenduntur Luſitani, & in varijs carceribus diſtributi miris vexantur modis ſpatio vnius menſis, ac pluribus promiſſis ſollicitantur, vt fidem Chriſti negantes mohometicam impietatem amplecterentur: Quibus Chriſti miles Dionyſius noſter indignatione ſancta commotus reſpondit; *Apagite miſerrima cupiditatum & mahometis mancipia,recreor ego tormentis quæ ob amorem Chriſti ſuſſero, pergite certatim ea congerere; non enim mihi fidem euellent, donec animam euellant à corpore; nec coniugem offerte, quia iam pridem tum ob ſacerdotium quod indignus in Luſitanos exerceo, tum ob Religioſam profeſſionem in ſacratius obſequium Dei memetipſum abdicaui*: Socius autem eius V. F. Redemptus ad ſimiles ſollicitationes reſpondit, incongruum eſſe ſe ad legem mahometis allici, qui eò venerat vt illos ad fidem Chriſti conuerteret. In huiuſmodi vexationibus & ſollicitationibus menſis integer effluxit, quo tempore V. P. Dionyſius ſocios animabat ad martyrium, conſolabatur, & omnibus charitatis recreabat officijs. Poſtmodum in fide Chriſti conſtantes trucidantur omnes crudeliter modo ſtatim dicendo:propterea poſſe declarari martyres ab Eccleſia dicimus.

Probatur concluſio ex fideli relatione ſucceſſus ex predicto proceſſu deſumpta. Sic afflicti Confeſſores nominis Chriſti, vt vix agnoſcerentur,ad maris ripam extra Ciuitatem deducuntur carnificibus & mahometicæ impietatis ſacerdotibus ſtipati: Tunc triplici tormentorum genere trucidantur: primò ſagittis eminus vibratis, deinde haſtis ſeu ſtimulis aculeatis, denique pugionibus ſerpentis in modum retortis; Et ſic etiam V. F. Redemptus noſter obijt in Domino. Singularis fuit V.P. Dionyſius certaminis Dux & Anteſignanus; A Præfecto Iuſtitiæ obtinuit, vt vltimo loco moreretur, Deo Barbari cor inclinante: Accepto igitur Crucifixo, quem ad pectus ſub ſcapulari geſtabat, & ad collum particula funis alligato, glorioſum illud militię Chriſtianę ſignum omnibus oſtendebat, ſingulos morti proximæ diſponebat, Sacratiſſima Ieſu & Marię nomina pronuntiando; ſic omnes glorioſè morientes in cœlum præmiſit. Ipſe poſtea lingua Malaica, quàm optimè callebat, fidem Chriſtianam coram infidelibus exaltauit, Genuflexus deinde mortem expectans plures actus fidei, ſpei, & charitatis, cæterarumque virtutum elicuit: ſed miniſtri nec ipſum attingere potuerunt, An Deo vires humano ſceleri denegante, an ſceleris horrore, an reuerentia in Patrem quem velut ſanctum venerabantur; Vnde proiecerunt arma, de quo Præfectus Regem admonuit,qui ad inferendam Patri mortem iuſſit Elephantem adduci,cuius pedibus conculcatus & graui pondere cōtritus interiret. Interim acceſſit quidam Apoſtata, qui gladium eximens genuflexi Patris caput à vertice ad aurem vtrāque ictu valido diffidit: Et ſanguis ad inſtar duorum fluminū fuſus pro Chriſto Seraphinum illum Terreſtrem purpurauit; Et tunc à Carnifice in humero dextro pugione percuſſus, & in latere ſiniſtro tranſuerberatus,tergemina inuocatione ſuauiſſima nomina *Ieſus Maria, Ieſus Maria, Ieſus Maria deuotè pronuntiauit*, & pium os plagæ lateris Chriſti applicuit, cadenſque in terram fœlicem animam Deo Creatori ſuo reddidit. In hac morte cuncta martyrio requiſita manifeſtè concurrunt: Vnde non opus eſt maiori expenſione.

Secun-

Secundò probatur ex præuijs aut ſubſequutis prodigijs. Tribus diebus antequam duceretur ad martyrium, illud diuina reuelatione prænouit, & cuidam ancillę cibum ſibi deferenti prædixit his verbis; *Heu ſoror dic Dominæ meæ* (in cuius ſcilicet domo detinebatur) *quod ei gratias ago pro hoſpitio & cibo, quæ mihi vſque modo præbuit, nam tribus non amplius diebus protrahetur hæc cura:* Quod ita ſucceſſit, cum Rex adhoc de morte ipſorum nihil determinaſſet, aut ſaltem declaraſſet. Licet aer regionis illius mirum in modum ad putrefactionem conducat, ob nimium calorem & humiditatem, cum frequentiſſimè ibi pluat, & ſol calidiſſimus terram exurat; & propterea reliquorũ martyrum corpora poſt paucos dies putrefacta ſunt: Attamen V. P. Dionyſij corpus ita manſit incorruptũ, viuidum, integrumque, vt ne capillus quidem deeſſet ex capite, & veluti viuum ſpiranſque appareret poſt ſeptem menſes, quibus vltimò viſus eſt à prædictis teſtibus. Poſt mortem tribus continuis noctibus apparuit facularum ſplendoribus ornatus eodẽ in loco prædicans Mahometanis; imò dicti ſplendores pluribus alijs noctibus ſupra defuncti corpus ab incolis Achem viſi ſunt; Et Angli Batauique mercatores illic reſidentes interrogati quid rei portenderent illi ſplendores nocturni; Reſponderunt, *Quod fidei Chriſtianæ cultores occidiſtis, nunc diuinis ſplendoribus amicti regnant in cælo, atque ideò Deus eorum corpora lampadibus & faculis cæleſtis lucis exornat*; Ideòque Dionyſij noſtri reliquię cœperunt infidelibus eſſe venerabiles. Cum Rex communi voce talia audiſſet prodigia, ſolemni nobiliũ ſuorum comitatu ſtipatus ſacrum corpus inuiſit, & ad iactum lapidis profundam iuſſit foſſam aperiri, in quam feſtiuo ritu vexillis explicatis, reſonantibus timpanis cum illud intuliſsent, flores tumulo ſparſiſsent, & terram obtexiſsent; omnibus expletis, confeſtim inſenſibiliter exiens ſepulchro, eodem in martyrij loco repertum eſt, vnde fuerat exportatum. Qua propter aliud medium Rex commentus eſt: iuſſit corpus ad inſulam exulum octo millibus diſtantem transferri, & fortiter alligato graui ſaxo in mare proijci; Quo fideliter completo nautæ reuerſi corpus in eodem martyrij loco repererunt, & in ſtuporem rapti miraculum diuulgarunt. Vnde Rex impos conſilij, & pertinacia perfidæ legis excæcatus mandauit ſacrum corpus in ſiluam deportari à feris deuorandum: ſed vana fuerunt hæc machinamenta, nam corpus ad ſuum martyrij locum redijt. Iam per integrum menſem in illo littore iacuerat, cum nauta Chriſtianus ſua pro deuotione parum ſiniſtræ manus digitum cultro tentarent abſcindere: ſanguinem ſimul & aquam emanare vidit ex vulnere; Vnde ſtupore prodigij confeſtim aufugit. Cum prædictus Luſitanorum Legatus tot mira percepiſſet, promiſſis doniſque à quodam Chriſtiano partem tunicæ V. Patris obtinuit, quæ cœleſtem ſuauiſſimum odorem exhalabat, vt ipſe Legatus & ephebus eius teſtantur. His miraculis voluit Dominus noſtri Dionyſii martyrium confirmare, quòd ſperamus ab Eccleſia declarandũ: maximè quia Sacra Congregatio de Propaganda fide iam aliquam circa hoc adhibuit diligentiam apud Sacram Congregationem de Ritibus.

AD primùm ergò dicendum, quòd ſolũ probat V.P.Dionyſiũ cũ ſocijs fuiſſe captum ratione ſtatus; non autem quòd propter eam fuerit occiſus, imò ſi voluiſſet fidem negare, promittebantur honores.

Ad Secundum ſimiliter dicendum, quòd non obſtante hoc odio, Luſitani particulares adibant in inſulam Sumatram, & quòd ibi erant aliqui Apoſtatæ à fide, quorum vnus percuſſit primus V. P. Dionyſium; Vnde hic præcisè mortuus eſt, quia noluit fidem Chriſti negare.

AD Tertium dicendum, quòd Rex quidem Sumatræ pepercit Chriſtianis Indicis, & dimiſit liberos: Luſitanos autem, quos oderat & timebat, conſtan-

Digitized by Google

tes in fide trucidauit; peperciſſet tamẽ & honoraſſet, ſi fidem Chriſti negaſſent: Vnde mortui ſunt pro fide, & poſſunt declarari martyres, quorum Dux fuit noſter V. P. Dionyſius à natiuitate. Nouiſſimè didici Romæ relatione duorum Patrum ſocietatis tunc ex Sumatra venientium, quod corpus V. Patris Dionyſij fuit ſepultum in eodem loco martyrij ſeparatim aliquantum ab alijs & quòd piæ venerationis cauſa viſitatur à Chriſtianis illuc accedentibus.

QVAESTIO XXVII.

De miſſionibus Carmelitarum Diſcalceatorum pro conuerſione Hæreticorum & Schiſmaticorum.

QVIA Carmelitæ Diſcalceati, ad inſtar Eliæ ſui Patriarchæ, præter ſpiritum contemplationis, habent etiam ſpiritum miſſionum pro conuerſione animarum: Ideò agendum eſt de eorum miſſionibus ſigillatim, & primò in ordine ad Hæreticos & Schiſmaticos: Circa quod quæruntur octo.

¶ Primo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati Inſtitutionem Sacræ Congregationis de propaganda fide promouerint.

¶ Secundo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur Græcorum conuerſioni.

¶ Tertiò, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Armenorum.

¶ Quarto, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Neſtorianorum.

¶ Quinto, Vtrum Carmelitę Diſcalceati cooperentur conuerſioni Syrorum Iacobitarum.

¶ Sexto, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperati fuerint reductioni Chriſtianorum Sancti Thomæ.

¶ Septimo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Arianorum.

¶ Octauo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati fuerint omnium primi, qui hoc ſæculo publicam in Hollandia habuerint Eccleſiam.

ARTICVLVS I.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati inſtitutionem Sacræ Congregationis de propaganda fide promouerint.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitę Diſcalceati non promouerint Inſtitutionem Sacræ Congregationis de propaganda fide. Probatur: In Bulla inſtitutionis huius Sacrę Congregationis ſolùm habetur, quòd Gregorius XV. illam inſtituerit, & nulla ſit mentio, quod Carmelitæ Diſcalceati illam promouerint: Ergo ſignum eſt, quod non promouerint, ſed Summus Pontifex illam inſtituerit motu proprio.

¶ 2. Pręterea: *In ſacra* hac congregatione nullum habetur monumentum, nec extat vlla memoria, quod Carmelitæ Diſcalceati promouerint eius inſtitutionem; Cum tamen aliàs honorifica extet memoria omnium illorum, qui peculiare beneficium aliquod ei contulerunt, vel in appenſis ipſorum imaginibus, vel in publicis Scripturis, vel alio quouis modo; conſtat autem, quòd eius inſtitutio eſt primum & principaliſſimũ beneficium ei collatum, quaſi cæterorũ fundamentum: Ergo ſignum eſt, quòd Carmelitę Diſcalceati non promouerunt inſtitutionem Sacræ Congregationis de propaganda fide.

¶ 3. Pręterea: Si Carmelitæ Diſcalceati promouiſſent inſtitutionem Sacræ

Digitized by Google

Sacræ congregationis de propaganda fide, ſemper aſſumeretur aliquis ex illis qui ei aſſiſteret, ſicut in Sacra Congregatione Inquiſitionis ſemper aſſiſtit aliquis ex Dominicanis, quia eius inſtitutionem promouerunt, Et ſic de alijs: Sed nullus Carmelita Diſcalceatus aſſiſtit ſacræ Congregationi de propaganda fide: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non promouerunt eius Inſtitutione...

SED CONTRA eſt fidelis relatio in vita V. P. N. Dominici à Ieſu Maria, & memoria librorum huius Sacræ Congregationis.

C O N C L V S I O.

Carmelitæ Diſcalceati promouerunt inſtitutionem Sacræ Congregationis de propaganda fide.

RESPONDEO dicendum, quòd noſtri Carmelitę Diſcalceati promouerunt inſtitutionem Sacræ Congregationis de propaganda fide, non ſolùm propoſitione ſimplici & concilio. 2. ſed etiã collata notabili pecuniarum ſumma pro fundandis eius redditibus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd præcipuum Eccleſiæ Romanæ munus & officium eſt, conuertere infideles ad fidem Chriſti: Vt conſtat ex illo Domini mandato, dato ipſius diſcipulis, in quibus tunc primitiua Eccleſia conſiſtebat; *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine* Patris *& Filij & Spiritus Sancti*: Vnde ad Summum Pontificem Vicarium Chriſti, & viſibile caput Eccleſiæ militantis pertinet ex officio proprio hanc conuerſionem procurare; miniſtros Euangelij prædicandi idoneos mittendo; quod ſemper effecit, & legitur hoc factum ſigillatim à diuerſis Pontificibus, vt à Sancto Celeſtino I. qui noſtrum Palladium Galatam cum ſocijs miſit ad conuerſionẽ Scotorum; à Sancto Gregorio Magno, qui Benedicto in Angliam miſit, Et ſic de alijs: Vt autem hoc aptiùs & efficaciùs fieret, conueniẽtiſſimum fuit, vt Summus Pontifex Congregationem Cardinalium & aliorum Prælatorum inſtitueret, quæ totaliter huic miſſionum negotio pro conuerſione infidelium inſiſteret; Et ita fecit eamque de propaganda fide denominauit, cuius inſtitutionem noſtros Carmelitas Diſcalceatos promouiſſe dicimus ſub Gregorio XV. quæ poſtmodum creuit admodum; nam Vrbanus VIII. magnificum & ampliſſimum ędificauit Romæ Collegium vbi plures manent alumni, & controuerſiarum ſtudijs vacant, vt ſic apti miſſionem miniſtri fiant: Hęc Sacra Congregatio ſeminarijs plurium nationum exiſtentibus Romę, & omnibus variarum religionum miſſionibus inuigilat.

Probatur prima pars concluſionis: ex his quæ diximus libro 6. cap. 5. Vitę V. P. N. à Ieſu Maria, ſcilicet quod à tempore Clementis VIII. V. P. N. Petrus à Matre Dei Celtiber, tunc illius Summi Pontificis Concionator Apoſtolicus hoc pietatis negotium in inſtitutione huius Sacræ Congregationis primus incepit, illam proponens dicto Pontifici, quando noſtros religioſos in Perſidem miſit: Sed mirabiliter illud promouit. Prędictus V. P. Dominicus etiam Celtiber Bilbilicenſis ſub Paulo V. ac tandem inſtantia ſua perfecit apud Gregorium XV. qui hanc Congregationem inſtituit: quę dicitur ex tredecim Cardinalibus, aliquot Prælatis & vno ſecretario compoſita: Prima eius ſeſſio coram Pontifice contigit die 14. menſis Ianuarij anno Domini 1622. Prælatus huius Congregationis à Gregorio XV. noſter Dominicus annumeratur, velut eius promotor inſignis; qui ex tunc agẽs ex officio, dictam Congregationem prudentibus conſilijs adiuuit, quandiu vixit octo annorum ſpatio, mortuus eſt enim anno Domini 1630. die 16. Februarij. De hoc inſigni viro non plura dicimus, quia iam alibi dicta ſunt.

Probatur Secunda pars coclusionis ex relatione, quam habui à P. Petro à Ma-

Digitized by Google

tre Dei Confeſſario & comite indiuiduo dicti V. P. Dominici, circa finem anni 1628. facta diligentia in libris dictæ cõgregationis 25. millia ſcutorum à dicto V. Patre collata reperijt. Hanc pecuniarum ſummam ita notabilem vel ſcriptis epiſtolis, vel etiam petens collegit à Principibus & magnatibus, in ordine ad fundandos redditus huius Sacræ Congregationis, quia nemo noſtri Dominici zelo & feruori reſiſtere poterat. Ne verò in opere tam Sancto impedimentum aliquòd pateretur, aut vlli præberet occaſionem ſcandali, dictus Pontifex Gregorius XV. expedijt Apoſtolicum Breue die 1. Martij anno Domini 1622. quo manifeſtat, qualiter ipſum agnoſcẽs Dominicum ſingulari pietate, amore erga proximum, & ardenti zelo propagandæ religionis Catholicæ prædictum, moueтur vt eius vtatur opera &c. illudque breue proprijs manibus Dominico tradidit in Eccleſia Beatæ Mariæ de Victoria Romę ad montem Quirinalem, & coram religioſis noſtris omnem in hac cauſa Dei diligentiam iniunxit. Anno Domini 1623. ex Ciuitate Genuenſi vnum & viginti millia ſcutorum vnica vice Romam tulit; Vnde admiratus Pontifex Dominicum vocauit dominum diuitiarum Genuenſium.

AD primùm ergò dicendum, quòd non fuit neceſſe, vt in Bulla inſtitutionis ſacræ Congregationis de propaganda fide fieret mentio, quod illam promouerant Carmelitæ Diſcalceati; ſufficienter hoc indicauit Pontifex in prædicto breue tradito N. P. Dominico.

AD Secundum dicendum, quòd N. V. P. Dominicus dum viueret, non procurauit ſimile monumentum aut memoriam, imò recuſaſſet, ſi obtuliſſet; poſt mortem verò eius fortè negligentes in hac parte fuerunt noſtri Carmelitæ in procurando apud ſacram Congregationem huiuſmodi monumento; quamuis ſit in libris eius ſufficiens memoria, dum collatæ per ipſum pecuniæ recenſentur, vt dictum eſt.

AD Tertium dicendum, quod ad huius veritatis teſtimonium ſufficeret, aſſumptum fuiſſe ipſum V. Patrem Dominicum inter alios huius ſacræ congregationis Prælatos, vt ei toto tempore vitæ aſſiſteret: Poſt eius mortem audiui etiam aſtitiſſe P. N. Præpoſitum Generalem Paulum Simonem à Ieſu Maria; ſed quia Religo noſtra potiùs attendit receſſui, non procurauit conſeruare hanc prærogatiuam.

ARTICVLVS II.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur Græcorum conuerſioni ſpecialiter.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non cooperentur Græcorum conuerſioni ſpecialiter. Probatur: Carmelitæ Diſcalceati nullam habent miſſionem in tota Græcia, vbi reſidet natio Gręcorum cum ipſorum Patriarcha: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur Gręcorum conuerſioni ſpecialiter, iuxta illud Apoſtoli; *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur.*

¶ 2. Præterea: Non conſtat de conuerſione vel totali, vel partiali Græcorum his temporibus facta: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non poſſunt dici ad conuerſionem Gręcorum cooperari ſpecialiter; hoc enim ſonat vel totalem, vel partialem Græcorum conuerſionem.

¶ 3. Præterea: Si quid eſt, quod ſuadeat dicendum, quod Carmelitæ Diſcalceati cooperentur Græcorum conuerſioni, maximè quia conuertunt aliquos Gręcos per totum Orientem diſperſos: Sed hac via poſſent etiam alij religioſi dici ad ſalutem Græcorum cooperari, quia nullus eſt in Oriente miſſionarius, qui aliquos non conuerterit Gręcos: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non poſſunt dici ad conuerſionem Gręcorum cooperari ſpecialiter.

SED CONTRA eſt authoritas fidelium

lium relationum, quæ mittuntur ab Oriente admodum authenticę.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati ſpecialitèr cooperantur Græcorum conuerſioni.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitę Diſcalceati ſpecialiter cooperantur conuerſioni Græcorum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, Græcos fuiſſe inter primos, qui fidem Chriſti ſuſceperunt; ſed anno Domini 854. Schiſmatici facti ſunt, huius ſchiſmatis fuit radix celebratum tunc Conſtantinopoli Concilium à S. Ignatio Michaelis Imperatoris filio eiuſdem ciuitatis Patriarcha in quo Gregorius Epiſcopus Siracuſanus fuit condemnatus hac conditione, quod eius depoſitio à Romano Pontifice confirmaretur; Hac indignatus ſententia Gregorius, totis viribus depoſitionem S. Ignatij Patriarchæ procurando obtinuit, eique Photium Eunuchum laicum & hæreticum ſubrogauit, qui tamen à Romano Pontifice condemnatus S. Ignatio ceſſit; ſed ipſo mortuo rurſus Patriarchalem ſedem inuaſit, & in odiũ Eccleſiæ Romanæ Summique Pontificis, à quo fuerat condemnatus, Schiſma Græcorum procurauit, pluresque ſeminauit hereſes ac errores: Primus & notiſſimus eſt circa proceſſionem Spiritus Sancti, quem a ſolo Patre procedere dicunt Græci, ſed hic damnatur in ſymbolis Niceno, & S. Athanaſij: Plures alij imputantur errores Grecis, nempè quòd Gloriam Sanctorum, & pœnam damnatorum non ſtatim poſt mortem ſecuturam, ſed vſque ad diem iudicij differendam affirment, quòd damnatur in Concilio Florentino: Quòd negent purgatorium, & conſequentèr ſuffragia viuorum pro mortuis irrideant: Quòd credant matrimonium ad libitum diſſolubile, ſecundas nuptias viduis, vt illicitas prohibeant, & ſimplicem fornicationem vt licitam permittant; Quòd dicant nullum eſſe peccatum res ſacras vendere, pecuniam in vſuram dare, nec latrones, nec vſurarios ad reſtitutionem teneri; inſuper licitum eſſe nocere inimicis, quantumuis mendacium & periurium interueniat: Quòd iterum babtizent à Latinis baptizatos, non baptizent pueros etiam in extremo periculo ante diem octauum: Quòd aſſerant non eſſe licitum conſecrare in azimo, ſed debere conſecrari in fermentato, ſolum vinum, nulla appoſita aqua, conſecrandum eſſe; neceſſarium eſſe laicis communicare ſub vtraque ſpecie; malos in Euchariſtia non recipere corpus Chriſti; dandam eſſe paruulis Euchariſtiam ſtatim poſt baptiſmum; Euchariſtiam eſſe efficaciorem in die cœnæ: Quòd affirment extremam vnctionem nihil conferre ad ſalutem corporis; Quod negent Eccleſiam Romanam eſſe primam & matrem aliarum, ipſi præferentes Conſtantinopolitanam: Quòd admittant plures Iudaicos ritus, circa abſtinentiam à ſuffocatis & alijs cibis in lege veteri prohibitis. Hi errores in Concilio Florentino ceſſauerunt, ſed paulò poſt renouati ſunt, maiori ſaltem ex parte. Dicimus igitur in præſenti, quòd noſtri Carmelitę Diſcalceati ſpecialitèr cooperantur conuerſioni Gręcorum à prædictis erroribus ad fidem Catholicam, vniti Patribus Capucinis, cũ quibus ſacrum fędus in miſſione Aleppenſi inierunt.

Probatur & explicatur concluſio: Dicimus, quòd Chriſtiani Gręci quamuis maiori ex parte maneant in Græcia & inſulis adiacentibus; multi tamen diſperſi ſunt per totam Syriam & alias Orientis regiones; noſtri non ſunt Cõſtantinopoli in Græcia, ſed Aleppi in Syria, vbi primò conuerterunt huius ciuitatis Archiepiſcopum Græcum, & poſtea Patriarcham Antiochenum reduxerunt, ad quorum exemplum multorũ millium Grecorum cõuerſio ſecuta eſt: Cui plurimùm contulit liber ille citatus alibi à N. P. Ioanne Petro compoſitus. Archiepiſcopus ille Aleppenſis vocabatur

tur Michael: qui cum adhuc eſſet Diaconus, fuit Aleppi magiſter noſtrorum Patrum pro lingua Arabica, vnde pium erga fidem Catholicam hauſit affectum deinde factus eſt Sacerdos, & deniquè mortua ipſius coniuge conſecratus eſt Archiepiſcopus Aleppenſis, & reconciliatus Eccleſię Romanæ mortuus eſt inter manus N. P. Brunonis à S. Yuone. Quantùm ad Patriarcham notandum eſt, quòd Græci conſeruant titulos in ſua natione quatuor Patriarchalium Eccleſiarum, nempè Conſtantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, & Ieroſolymitanæ: Vltimis his annis noſtrorum Patrum ſpeciali labore reductus eſt ad Fidem Catholicam Patriarcha Græcus Antiochenſis, & miram contraxit vnionem cum duobus alijs Patriarchis Catholicis, ſcilicet Armeno, & Syro Iacobitarum, de quibus ſigillatim agitur. Ad confirmandam horum trium Patriarcharum conuerſionem appono hic epiſtolam Aleppo ſcriptam ad Summum Pontificem Alexandrum VII. a Domino Baron Maſsilienſi Francorum Conſule in Syria, quæ ſic habet.

Beatiſsime Pater.

POſt perſecutionem ab hæreticis factã contra Miſſionarios, & Catholicos huius ciuitatis Aleppenſis anno præterito, ſicut certior facta eſt Veſtra Sanctitas à P. Procuratore miſſionum Carmelitarum Diſcalceatorum: Ex illo tempore ſucceſſus miſſionis huius in melius ſemper proceſſerunt ex gratia Dei, qui tantam benedictionem dedit continuis laboribus Carmelitarum Diſcalceatorum & Capucinorum fideliſſimorum Miſſionariorum, vt efficiant ea quæ priùs omninò videbantur impoſſibilia; Et continuans ſua Diuina Maieſtas illam augere, permiſit mortem Patriarchæ hæretici Syrorum infenſiſſimi Catholicis; quod Diuinæ prouidentiæ ſingularem effectum eſſe cognoſcimus, pro ſalute animarum, & propagatione fidei Catholicæ: Iudicatum eſt fore gratum Veſtræ Sanctitati quaſi Paſtoris ſollicito, ſi procuremus D. Andream Syrorum Archiepiſcopũ fideliſſimum Catholicum eligi Patriarcham totius nationis Syriacæ, quod ex Dei gratia obtinuimus, impetrato Turcarum Imperatoris diplomate gratioſiſsimo ſuper omnia quæ Patriarchis Orientalibus vnquam conceſſerit, cuius authenticum translatum videbit Sanctitas Veſtra, ſicut & relationem ſeparatam a dicto D. Andrea & a miſsionarijs miſſam. & a P. Hieronymo à S. Thereſia Carmelita Diſcalceato miſſionario latam. Humilitèr ſupplicant apud Veſtram Sanctitatem, vt dignetur dictam electionem confirmare, & ipſi Patriarchæ palliũ mittere, quo poſsit quamtocyus Epiſcopos Catholicos conſecrare, eoſque deſtinare ad ciuitates Syriæ ac Meſopotamiæ, aliarumque prouinciarum pro dilatatione fidei Catholicæ. Maxima bona, quæ ſperantur ex hac electione, & iam comparent in hoc quod ſe publicè declarant Catholicos, qui tantùm in corde tales erant, vel etiam inimici Catholicorum; quòd facta ſit vnio trium Patriarcharum, nempè Græci, Armeni, & Syri, qui ſe veros Catholicos opere comprobant (quod nec viſum, nec auditum fuit a mille annis, qui omnes Orientis nationes comprehendunt; ex quo breui tempore renouatus apparebit Oriens Deo fauente, & noua naſcens Eccleſia; quod non poſſum alteri attribuere, quàm meritis & gloriæ Veſtræ Sanctitatis, pro cuius conſeruatione Deum deprecor, vt poſſit harum recentium plantarum fructum videre ac colligere, oſculans ipſi beatos pedes. Datum Aleppi die 27. Auguſti anno Domini 1662.

Veſtrę Sanctitatis obedientiſſ. ſeruus
Baron.

Hunc Patriarcham Græcum ſimul cum Armeno nobis exhibet alia relatio in conſecratione dicti D. Andreæ, & in feſtiuo ſubſequenti conuiuio apud prædictum Conſulem Francorum, vbi hi tres ſimul erecti & nudis capitibus non ſemel propinarunt Summo Pontifici; quibus ipſe Pontifex ſingulis munera miſit, Græco autem & Armeno calicem argẽteum, cuique centum viginti ſcutorum,

pro

prædicto Patre noſtro Hieronymo latore.

AD Primùm ergo dicendum, quod Græci non manent omnes in Græcia, ſed multi ſunt reſidentes in tota Syria, & in alijs prouincijs; Ad quorum conuerſionem cooperati ſunt ſpecialitèr noſtri Carmelitæ Diſcalceati.

AD Secundum dicendum, quod conuerſio vnius Patriarchæ Græci cum populo ipſi ſubdito ad multa millia eſt quid notabile; & habetur ex citatis relationibus fideliſsimis.

AD Tertium dicendum, quòd non negamus alios etiam miſsionarios cooperari Græcorum conuerſioni: ſed dicimus, quòd noſtri Carmelitæ Diſcalceati ſimul cũ Patribus Capucinis ſpecialiter illi cooperantur, quia conuerterunt eorum Patriarcham Antiochenũ, cuius ſollicitudine plures etiam conuertuntur; Et hæc conuerſio reducitur ad noſtros, velut principium,

Pro maiori euidentia dicendorum infra circa miſſiones, operæ pretium duxi hic apponere duo breuia Pauli V. quorum virtute Seminarium noſtrum Romanum, pro educandis noſtris miſſionarijs inſtitutum fuit.

Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

TOtius Terrarum Orbis cura Nobis (licet inſufficientibus ad tantum onus viribus) Diuina prouidentia commiſſa, ac præcipuus quo flagramus, Chriſtianæ fidei per vniuerſam terram propagandæ zelus nos impellunt, vt nihil ardentiùs deſideremus, & iuxta Dominicum præceptum enixius obſecremus Dominum meſſis, quàm vt mittat operarios in meſſem ſuam. Quamobrem magnopere pergauiſi ſumus, cum pium zelum Dilectorum filiorum Relegioſorum Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italicæ, eiuſdem Chriſtianæ fidei incrementum ſummo ſtudio affectare perſpeximus. Quandoquidem (vt eorum nomine nobis nuper expoſitum fuit) ipſi Religioſi non ſolùm, vt iam cæperunt, ad conuerſionem Infidelium quocunque opus fuerit, ſe alacriter profecturos profitentur; ſed etiam in Generali Capitulo nuper ab ipſis celebrato, vt capto operi validioribus viribus, ac maiori cum fructu incumbere poſsint, decreuerunt Domos, & Monaſteria erigere, in quibus ij Religioſi, qui ad huiuſmodi meſſem aptiores videbuntur, diuerſarum linguarum ſcieutiam, & controuerſiarum peritiam ad euertendos errores hæreticorum; Saracenorum, Schiſmaticorum, Gentilium, & Iudæorum neceſſariam addiſcere, & maioribus vigilijs, abſtinentijs, & orationibus, alijſque virtutum exercitijs aſſueſcere poſſint, ac meliùs tanto ſe operi diſponant. Quod Decretum, vt Nos apoſtolica authoritate confirmare & illos Eccleſiæ theſauro ſpirituali alere, fideleſque ſuis opibus temporalibus piè illis ſubuenientes, ne eorum eleemoſynę in alios vſus diſtrahantur, impoſitis cenſuris ſecuros reddere dignaremur humili poſtulatione ſupplicarunt.

1. Nos igitur pium huiuſmodi eorundẽ Religioſorum inſtitutum plurimum in Domino commendantes, ac illos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Decretum prædictum authoritate apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus; ac eidem Congregationi Italicæ Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, vt Domos, ſeu Monaſteria ad huiuſmodi effectum in Vrbe, aut prope illam, & nunc apud Sanctum Silueſtrum in Tuſculano, & in quibuſuis alijs Prouincijs & locis, vbi Præpoſito, & Diffinitoribus viſum fuerit, fundare libere, & licitè poſſint & valeant, licentiam, & facultatem concedimus.

2. Et vt alacriores tanto operi ſe accingant; De Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, eiſdem Religioſis, vt ijs diebus, quibus a Superioribus deſtinati monaſterijs miſſionum incorporati fuerint & poſt annum, aut aliud tempus à Præpoſito definiendum, pro maiori ſtabilitate profeſſionem renouauerint, & votum ad Infi-

Digitized by Google

Infideles iuxta Superioris præſcriptum, pergendi emiſerint, & cum inde ad miſſiones diſceſſerint, & Prouinciam aliquam, ad quam pergunt conuertendam ingreſſi ad opus ſe accinxerint, Sacramenta Confeſſionis, & Euchariſtiæ, ſi poſſibile fuerit in prædictis diebus perceperint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

3 *Inſuper vt pij fideles, qui vt tanti operis mercedem in æternum percipiant, ſuis facultatibus illud iuuare decreuerint, ſecuri reddantur quod eleemoſynæ; quas ad hunc ipſi finem erogauerint, in hunc & nõ in alios vſus conuertentur, in virtute ſanctæ obedientiæ Superioribus omnibus, & alijs quibuſuis Religioſis prædictæ Congregationis præcipimus, vt ea, quæ fideles pro miſſionibus faciendis, & conuerſione Infidelium procuranda erogauerint, in hoc opere ſcilicet in alendis miniſtris, procurandis libris, ac magiſtris & alijs neceſſarijs tam pro Conuentibus prædictis, quam pro miſſionibus, & Domibus, ac Eccleſiis in terris ad quas mittentur, condendis inſtruendis, ac alendis conuerti curent: & in alios vſus præter prædictos non diſtrahant. Quod ſi ſecus fecerint excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœnam, à qua non ab alio, quam a Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) abſolui poſſint, incurrant eo ipſo, Et nihilominus teneantur quæ conſumpſerunt ad prædictum opus, reſtituere, & ex bonis aliorum Conuentuum rdintegrare. Non obſtantibus Conſtit. & ordinat. apoſtolicis; cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium trauſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 15. Decembris 1605. Pontificatus noſtri anno primo.*

M. Veſtrius Barbianus.

Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

R*Omani Pontificis prouidentia circunſpecta animarum ſaluti aſſiduè inuigilans, quę antea prouide facta fuiſſe videntur; ſi rerum, & temporum ratio poſtulauerit, nonnumquam in melius eam mutat, prout in Domino conſpicit ſalulubriter expedire. Aliàs ſiquidẽ promiſſione ad conuerſionẽ Infidelium inſtituendam per noſtras in ſimili forma Breuis expeditas literas ſub datum 22. Iulij 1608. Pontificatus noſtri anno quarto, motu noſtro proprio ex ordine B. Mariæ Virginis de monte Carmelo nouæ reformationis tam Hiſpaniarum, quàm Italiæ vnam Congregationem ſub inuocatione Sancti Pauli, ab vno Commiſſario generali cum Diffinitorum interuentu regendam perpetuò ereximus, ipſamque Congregationem & eius Commiſſarium Generalem, ac fratres, illorumque monaſteria, Domos, & bona ab omni iuriſdictione ordinariorum locorum quorumcunque, nec non ab omni obedientia Præpoſitorum generalium tam Congregationis Hiſpaniæ, quàm Italiæ præterquam in nonnullis tunc expreſſis, etiã perpetuò eximimus; & liberauimus, ac ſub noſtra & Sedis Apoſtolicæ protectione ſubieccimus, aliaque fecimus, prout in dictis literis plenius continetur.*

1 *Qnoniam autem ſicut nobis innotuit nouæ Congregationis huiuſmodi erectio, & alia præmiſſa, iuſtis de cauſis, vt effectum ſortiantur non expedsre in Domino dignoſcitur. Idcirco nos dictarum litterarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine erectionem Congregationis Sancti Pauli, & litteras prædictas, ac in eis contenta, & ſi quæ ſint indè ſecuta quæcunque tenore præſentiũ perpetuò caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque & effectu euacuamus.*

2 *Cupientes autem dicti Ordinis Fratres in pio eorum propagandæ fidei zelo* con-

conſouere, nihilque quod conuertendis ad fidem infidelibus, & reducendis hæreticis opportunum in Domino iudicamus prætermittere in ædibus prædictos Fratres in monte Quirinali propè Eccleſiam monaſterij monialium S.Suſannæ de Vrbe, nouiter extructis vnum Seminarium dicti Ordinis Congregationis Italiæ ſub inuocatione S.Pauli, in quo prædicti Ordinis Fratres, qui ad meſſem Dominicam aptiores videbuntur diuerſarum linguarum, & controuerſiarum ſcientiam ad euertendos errores hæreticorum, Schiſmaticorum, Saracenorū, Gentilium, & Iudæorum, aliorumque vniuerſorum Infidelium neceſſariam addiſcere, & maioribus vigilijs, abſtinentijs alijſque virtutum exercitijs aſſueſcere poſſint, indeque edocti pro arbitrio Superiorum ad Infidelium partes pro conuerſione animarum proficiſci debeant, motu ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus etiam perpetuo erigimus.

3 *Necnon Seminaria huiuſmodi, illiuſque Rectori, & fratribus quod omnibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, conceſſionibus, gratijs tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus, & indultis, quibus alij Fratres tàm mendicantes quàm non mendicantes vtuntur, patiuntur, & gaudent, ac vti potiri & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter vti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, concedimus & indulgemus. Decernentes præſentes litteras & in eis contenta quęcunque perpetuò validas & efficacia fore, ac ſuos plenarios effectos ſortiri, & obtinere; ſicque in præmiſſis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinat. Apoſtolicis, nec non prædicti, & quorumcunque aliorum ordinum ſtatutis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem ordinibus, illorumque ſuperioribus & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſuffiſcienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mētio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum insererētur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialitèr & expreſsè derogamus cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt preſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die ſeptima Martii 1613. Pontificatus noſtri anno octano.*

S. Cobellutius.

ARTICVLVS III.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur ſpecialitèr conuerſioni Armenorum.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur ſpecialitèr Armenorū conuerſioni: Probatur; Carmelitæ Diſcalceati nullam habent in Armenia miſſionem, ſicut illam habent Patres Dominicani in Alinia Armeniæ prouincia, cuius Metropolis eſt Naxeuan: Ergo potiùs Patres Dominicani, quā Carmelitæ Diſcalceati ſpecialiter cooperantur Armenorum conuerſioni.

Digitized by Google

¶ 2. Præterea: Ad ſummum Carmelitæ Diſcalceati tractant cum aliquibus Armenis mercatoribus, hinc inde diſperſis mercimoniæ cauſa; quod etiã faciunt alij Religioſi, non ſolùm in Oriente, ſed etiam hic in Europa, vbi paſsim reperiuntur: Sed ex hoc non ſequitur. quod alij Religioſi cooperentur ſpecialitèr Armenorum conuerſioni, nec hoc dicitur: Ergo nec Carmelitæ Diſcalceati cooperantur ſpecialitèr Armenorum conuerſioni.

¶ 3. Præterea: Si quid ſuaderet, Carmelitas Diſcalceatos cooperari ſpecialiter Armenorum conuerſioni, maximè quia dicuntur conuertiſſe quendam eorum Patriarcham Aleppi: Sed hoc non ſufficit; quia talis Patriarcha eſt ſolùm titularis, verus enim Armenorum Patriarcha reſidet in ciuitate Eriuania, olim Albania Regum Curia, & vocat ſe vniuerſalem Patriarcham nationis Armenæ, cui ſoli omnes obediunt: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur ſpecialitèr Armenorum conuerſioni.

SED CONTRA eſt authoritas fidelium relationum, quas tam ex Perſide quàm ex Syria miſſionarij ad Summum Pontificem, & ad Sacram Congregationem de propaganda fide miſerunt.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati ſpecialiter cooperantur Armenorum conuerſioni.

RESPONDEO dicendum, quod noſtri Carmelitæ Diſcalceati ſpecialitèr cooperantur Armenorum conuerſioni tam in Perſide 2. quàm in regno Siriæ. Ad cujus euidentiam ſciendum eſt, quòd Armenia nunc partim Imperatori Turcarum, partim Regi Perſarum ſubiecta eſt. Hanc prouinciam pertranſij anno Domini 1640. & cum Armenis diu conuerſatus ſum, præſertim iteragendo per Orientem in numeroſis eorũ commeatibus: Plura dixi in meo Orientali Itinerario, tum de prouincia Armeniæ libro 2. cap.8. tum de ipſis Armenis libro 5. cap.5. Hic pauca dicam neceſſaria penitùs ad præſentem difficultatem reſoluendam. Armeni ſunt chriſtiani, ſed vt plurimum ſchiſmatici, & aliquos habent errores in fide: Primus eſt, quòd licet Romanum Pontificem primum aliorum omnium agnoſcant; ſuum tamen Patriarcham, ſicut & alios ipſi ſubditos eſſe negant: ſecundus, Purgatorium negant, quamuis fateantur animas in alia vita pati triſtitiam, & fidelium votis ac orationibus ab illa conſolari: Tertius, dicunt animas ſeparatas gaudijs Paradiſi ac viſione Dei non fruituras, *niſi poſt* diem iudicij: Quartus tamen & maximus eſt circa Chriſtum, in quo non duas, ſed vnicam aſſerunt eſſe naturam; hic tamen error iuxta ipſorum explicationem potiùs in Theologia quàm in fide eſt, ex ignorantia eorum procedens; dicunt enim in Chriſto eſſe naturam Diuinam ſine deſtructione humanæ, & humanam ſine deſtructione Diuinæ, ac ex illis duabus tanquam partibus vnam totalem componi; nimis adhærentes his verbis ſymboli S. Athanaſij, *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus*; quòd tamen impoſſile eſſe Theologi multis demonſtrant rationibus cum D.Thoma 3. p. q. 2. ar. 1. Sed eorum ignorantię parcendum eſt, nulla enim apud eos florent ſtudia, ſoli Scripturæ Sacræ memoritèr addiſcendæ nauant operam, vnde cenſetur ille doctior, qui plura eius loca in promptu referre poteſt, affirmant tamen ſuum dicendi modum omninò cohęrere Catholicorum confeſsioni, quæ duas in Chriſto naturas non ſeparatas, ſed in perſona Diuina conſtituit vnitas. Patriarcha Armenorum reſidens Eriuaniæ ſe in ſpiritualibus abſolutum, & abſque vlla Pontifici Romano, vel cuicumque alteri ſubordinatione credit; huic penè omnes Armenorum Epiſcopi obediunt, quãuis Hieroſolymitanus, & alius prope Aleppum manens, ſe tanquam indepen-

dependentes gerant, ſe Patriarchas nominando ille quidem Hieroſolimæ, iſte verò Antiochiæ; Epiſcopi autem non habent ciuitates & Eccleſias determinatas, ſed ad nutum Patriarchæ transmutantur.

Probatur prima pars concluſionis fideli relatione eorum, quæ vidi ipſe ac audiui in Perſide: Cum Patriarcha & Epiſcopi Armenorum ſint penè omnes religioſi, quia Epiſcopi non poſſunt eſſe coniugati, ſicut ſunt eorum ſacerdotes ſæculares; Ideò ſunt noſtræ Religioni Carmelitanæ ſingularitèr affecti, propter vniformitatem obſeruantiarum regularium, maximè in abſtinentia à carnibus & in multiplicatis ieiunijs; Vnde nos libentèr audiunt: Antequam cum illis ageremus, S. Leonem Pontificem inter miſſarum ſolemnia anathematizabant, cuius opera in Concilio Chalcedonenſi prædictus error eorum de vna tantùm Chriſti natura fuit damnatus; ſed nunc propter nos ab hoc abſtinent anathemate. Eorum Patriarcha Moyſes, quem ego vidi in Perſide, & caſciatur Epiſcopus nouæ Chulfæ ſecus Aſpahanum, frequenter cum noſtris agebant intima familiaritate, eorumque conſilio honorificam Summo Pontifici ſcripſerunt epiſtolam, reddentes ſuæ fidei rationem iuxta ſuperiùs dicta, ipſumque vocantes Vicarium Chriſti, & caput Eccleſiæ, quæ Romæ gratiſſima fuit circa annum Domini 1628. non appono hic vitans prolixitatem: Dictus Epiſcopus pro ſua conſcientia Romanus à noſtris ſæpius eſt ſciſcitatus, Vtrum ſufficeret Catholicam fidem interiùs profiteri, nõ audens exteriùs à ſuis erroribus recedere, ſic ſuæ nationis conuerſioni profuturum ſe dicens: Sæpius noſtris promiſerunt Concilium indicere, vt inter nos & ipſos fidei concordia iniretur, cui volebant noſtros Carmelitas intereſſe, præſertim cum diligentia vnius Patris Dominicani profeſſio fidei, olim à Sancto Gregorio ipſorum Apoſtolo facta, fuit inuenta, vnde commoti ac diuiſi remanſerunt Armeni. Deinde plura erant Armenorum oppida in medio Perſidis (Rex enim Abbas capta Turcis Armenia maiori, habitatores eius in Perſidem translatos ad illam inhabitandam diuiſit) quorum populus penè cogebatur authoritate Regia ad amplectendam Mahometis ſectam; ſed illuc accurrit N.P. Dimas à Cruce, qui ſic omnes exhortationibus animando confirmauit, vt potiùs mortem crudeliſſimam ſe electuros, quàm Chriſti fidem negaturos dicerent; Et ita conſtantes in Chriſtiana fide permanſerunt: Cum his & alijs Armenis totius Perſidis documenta ſalutis ſolent noſtri Carmelitæ Diſcalcati dare, plures efficiendo Catholicos, alios in ſua ſimplicitate relinquendo.

Probatur ſecunda pars Concluſionis ex adducta articulo præcedenti epiſtola D. Baron Conſulis Francorum Aleppi, ſicut & relatione præceſſoris ipſius, qui fuit D. Franciſcus Picquet, data Sacræ Congregationi de propaganda fide, & ſcripto & voce, ac denique authenticis relationibus ex Syria miſſis, quas penes me habeo; nec tamen hic appono, ne videar hiſtoricum potiùs quàm Theologum agere, ſed inſero epiſtolam Patriarchæ Antiocheni Armenorum, opera noſtrorum Carmelitarum Diſcalceatorum ac ſimul Capucinorum conuerſi, ad Summum Pontificem, vbi ſic ait.

Sacroſanƈte ac Venerabiliſſime Pater & Domine mi Alexander VII. glorioſe & altiſſime Hierarcha ac pater vniuerſalis omnium Chriſtianorum nationum, Papa & Summe Pontifex Apoſtolicæ Sanƈtæ Sedis illius Petri, qui fuit petra ſanƈtæ fidei, Vicarie ac æconome Verbi Diuini, Supreme Princeps & corona Eccleſiæ Catholicæ, Dux & Commendator nouę gentis Iſraeliticę, & lucidiſſime ſol, qui radÿs lucis ſpiritualis illuminas has Orientis partes, totumq; orbem vbi reperitur rationalis grex Chriſti, &c. Ego Cacciatur indignus Dei *ſeruus, filius prodigus Sanƈtitatis Veſtræ, & inutilis Patriarcha Armenorum Ciliciæ, inueniens me cum mea natione deuiaſſe a bo-*

Digitized by Google

nis regulis ac ſacris conſtitutionibus, & propterea auidus recurrendi ad fontem vitæ, quæ à Sanctitate Veſtra ſcaturit ſuper omnes animas aridas & indigentes, fiduciam ſumo accedendi ad V. S. ſacros eius pedes affectuosè oſculaturus; vt et amorosã ſalutationem, à Domino noſtro Ieſu Chriſto relictam nobis, offeram; vt ſimul ei aperiã ſenſus cordis mei; vt etiam venerear & charè ſalutem alios Principes ſacròs, ſpirituales noſtros fratres & filios obedientiæ Sanctitatis Veſtræ, qui aſſiſtunt ipſi vmbra ſanctorum pedum ipſiuſmet protecti; ſicut etiam vt intelligam nuntia bona multarum & grauiſſimarum occupationum, quæ tenent altè ſollicitam vigilantem curam Veſtræ Sanctitatis ac prudentum ipſius miniſtrorum, in reformatione & augmento Religionis Chriſtianæ, ac in deſtructione inſidiarum omnium eius inimicorum. Sanctiſſime Pater noſter & omnium fidelium, ſi fortè complacebit Sanctitati Veſtræ inclinari à ſuo ſublimi Throno, ad percipiendas miſerias noſtrum filiorum ipſius afflictiſſimorum, dicam tantas eſſe, quod ſi vellemus omnes recenſere, certè remanerẽt cum tædio Veſtræ Sanctitatis aures: Et propterea non aliud deberemus facere; quàm ſemper ſuæ Diuinæ Maieſtati gratias agere, quod hactenus inter tot mala viuos conſeruauerit intuitu veſtrarum orationum. Iam ab anno præterito multum deſideraui ſcribere Sanctitati Veſtræ, vt ipſam certiorem redderem tribulationum, laborum, anguſtiarum, & vexationum, quas hic patitur derelicta noſtra natio Armena, ſicut & alij patiuntur Chriſtiani: ſed mihi non licuit ob timores, in quibus viuimus ſub duro iugo huius feræ gentis Agarenæ, quæ ſpecialiter in his partibus Ciliciæ & Antiochiæ nos ſupra modum diuexat oppreſſionibus indicibilibus & intolerabilibus, nec vnquam ceſſat adinſtar voracis ſanguiſugæ, noſtrum ſanguinem ſugere: Nec poſſumus in tam miſero ſtatu vllum aliunde ſubſidium & ſolamen ſperare, quàm à Domino Noſtro Ieſu Chriſto, à Sanctitate Veſtra Vicario ipſius & Patre Vniuerſali, & à Principibus Chriſtianis, præſertim verò à pijſſimis Regibus Galliæ & Hiſpaniæ. Quia conſeruamus adhuc viuas omnes ſpes noſtras, expectantes continuò magnam redemptionem illam nobis prædictam cum ſpiritu prophetico à Magno Nierſeſe, antiquo Patriarcha noſtro, ac pronepote Illuminatoris noſtri S. Gregorij: qui Patriarcha vicinus morti prædixit propheticè; quod citò ceſſaret regnũ domus noſtrorũ Regum Arſacidorum, ſicut & Patriarchatus progeniei noſtri Illuminatoris S. Gregorij, & quod vtrumque daretur extraneis; quod venturi eſſent Tartari nobis dominaturi, & quod noſtra natio Armena foret ſerua & captiua aliorum: Et quod poſtea liberaremur à tali ſubiectione opera fortiſſimæ gentis Latinæ: Et propterea nos, licet nunc Principibus noſtris naturalibus priuati, ac ſimul diſperſi & anguſtiati, habentes tamen ſemper in corde dictum illud Pſalmi, Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti; non ceſſamus firmiter ſperare, quod noſter liberator Ieſus Chriſtus efficiet mediante opera veſtra ſupradictam redemptionem noſtram, faciens vnum ouile & vnum Paſtorem: Cum hac igitur ſpe, Sanctiſſime Pater, ſolatium capimus; Et priuati regno ac dominio, gloriamur de regno ac dominio veſtro, iuxta dictum illud, nihil habentes, & omnia poſſidentes; multò magis, quia iam cæpimus huius ſpei fructum aliquem probare ex gratijs hic noſtræ nationi conceſſis à Chriſtianiſſimo Rege Galliæ, & ab eius miniſtris: quia non ſolùm priùs Dominus Franciſcus Picquet, qui fuit hic Aleppi Conſul nationis Gallicæ, ex magna pietate ſua continuò ſolabatur, protegebat, & adiuuabat copioſis eleemoſynis Eccleſiaſticos noſtros alioſque Chriſtianos, de quo multas Veſtræ Sanctitati gratias agimus; ſed etiam nunc Dominus Conſul Baron eius ſucceſſor ipſius veſtigia ſequitur, & continuat eadem pietatis opera, ſuccurrendo ſemper & conſolando ipſaſmet perſonas, reddens ſe dignum illa beatitudine, de qua dicit Propheta; Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Propter quod, Beatiſſime Pater, ego filius indignus Sanctitatis Veſtræ, & hac mea natio afflicta, cum omni maiori inſtantia & reuerentia ſupplicamus ipſi, vt dignetur nos ſupra-

dicto

Digitized by Google

dicto pijſſimo Regi Galliæ commendare, quod velit iterum mittere ad has partes Orientales prædictum Dominum Franciſcum Picquet, aſſumens in aliquod officium vel Conſtantinopoli apud Imperatorẽ Turcarum, vel ſaltem hic Aleppi: quę gratia foret multæ conſolationis, & pro noſtra miſera natione, & pro me humillimo Seruo Veſtræ Sanctitatis, cui pro fine ſalutem a Domino deprecamur. Fuit ſcripta anno Domini 1662. & Armenorum 1111. die 15. Septembris. Hactenus hic inſignis Patriarcha, qui Catholicos vbique ſub ſua ditione ſolemniter Epiſcopus conſecrat, vt totam nationem ſuam conuertat.

AD Primum ergo dicendum, quòd veriſſimum eſt Patres Dominicanos cõuertiſſe hanc Armeniæ Prouinciam, & multum laborare pro totius nationis cõuerſionem: Noſtri tamen Carmelitæ Diſcalceati cooperantur etiam ſpecialitèr Armenorum conuerſioni, qui ſunt diffuſi plurimum in Perſide, in Syria, & alibi.

AD Secundum dicendum, quod noſtri Carmelitæ Diſcalceati dicuntur cooperari ſpecialiter conuerſioni Armenorum; non quia tractant cum particularibus Armenis, ſed quia cum eorum Patriarchis agunt quorum vnum conuerterunt; alium verò reddiderunt fidei Catholicę affectum; Et idem dicendum de alijs Armenorum Prælatis.

AD Tertium dicendum, quod ille Patriarcha Ciliciæ eſt verus Armenorũ Patriarcha Antiochenus, & eſt independens ab alio Perſidis: Et deinde noſtri Carmelitę reſidentes in Perſide cum iſto etiam tractant amicabiliter in ordine ad conuerſionem; Cum ipſo bis pranſi, ipſeque mihi de nouo ex Europa accedenti pedes lauit publicè, venerationis Eccleſię Romanæ gratia, nam ex aqua lotionis ſuum ſpectantem populum aſperſit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Neſtorianorum.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non cooperentur conuerſioni Neſtorianorum. Probatur: Carmelitæ Diſcalceati non manent in regionibus, vbi ſunt Neſtoriani; hi namque ſunt tum Babylone nunc Bagdad, tum Niniue nunc Muſſul; Conſtat autem ibi non reſidere Carmelitas: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur conuerſioni Neſtorianorum.

¶ 2. Præterea: Miſſio ad Neſtorianos videtur propria Patrum Capucinorum, qui iam à pluribus annis reſidẽt tam Babylone quàm Niniue, continuò cum illis agentes, ac verbis & bonis exẽplis inſtruentes: Ergo etiam fructus miſſionis huius eſt illis proprius, ſcilicet conuerſio eorum; Et ita Carmelitę Diſcalceati non poſſunt dici cooperatores conuerſionis Neſtorianorum.

¶ 3. Pręterea: Neſtoriani non ſunt mercatores, qui diſcurrant per varias nationes, ſicut diſcurrunt Græci & Armeni; Et ſic non poſſunt dici à Carmelitis conuerſi extra patriam, cum tamen plures Græci & Armeni conuertantantur extra patriam: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur conuerſioni Neſtorianorum; maximè quia nihil tale dicitur.

SED CONTRA eſt authoritas fidelium relationum, quas habui tum in Oriente, tum hic in Europa.

CON-

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati cooperantur conuerſioni Neſtorianorum.

RESPONDEO dicendum, quòd noſtri Carmelitę Diſcalceati cooperantur conuerſioni Neſtorianorum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Neſtoriani, qui etiam Chaldei dicuntur, denominantur à Neſtorio Conſtantinopolitano Patriarcha, & Peſſimo Hereſiarcha, qui ſuos cœpit errores prædicare anno *D*omini 428. Hi præſertim habitãt in Chaldæa, Meſopotamia & Arabia, ſuntque cæteris Orientalibus Chriſtianis inuiſi: Et prędictus eorum Hereſiarcha morte funeſta perijt; nam damnatus à primo Concilio Epheſino anno *D*omini 431. (in quo à Celeſtino I. Summo Pontifice nominatus fuerat Præſes S.N. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus) & in exilium eiectus in Inſula Oaſi, corroſa & conſumpta vermibus eius blaſphematrice lingua miſerè deceſſit. Plures fuerunt eius errores, ſed præcipui quatuor: Primus fuit, quòd Chriſtus *D*ominus natus de Maria Virgine, non ſit *D*eus ſed purus homo; qui in præmium Sanctiſſimę ipſius vitæ dignus eſt iudicatus, qui diuinitati coniungeretur, non quidem hypoſtaticè, ſed quia ipſam ſpeciali modo inhabitantem haberet; Propterea Ieſus Chriſtus non *D*eus, ſed *D*eifer ab ipſo vocabatur; ſicut Beatiſſima Virgo Maria non Mater *D*ei, ſed Mater Chriſti; Vnde ſicut in Chriſto duas naturas Diuinam & humanam, ſic duas in ipſo ponebat perſonas: Secundus error fuit, quòd in Euchariſtia contineatur vera caro, non *D*ei, ſed hominis puri iuſti & ſanctificati, qui eſt templum & habitatio *D*ei: Tertius, quòd Neſtoriani in ſolo formentato conſecrantes, ſub vtraque ſpecie magnos & paruos communicabant, credentes Chriſtum Dominum non æquè ſub vna, ac ſub vtraque ſpecie contineri: Quartus, faſtidiebat Neſtorius ſcripta Sanctorum Patrum, ſuam authoritatem ipſis omnibus pręferens Alij quoque fuerunt eius errores, qui in Neſtorianis eius ſectatoribus hactenus perſeuerant. Poſtquam in Concilio Epheſino, procurante tum ſcriptis, tum authoritate ſua S. N. Cyrillo Carmelita Concilij præſide, declaratum fuit Sanctiſſimam Virginem Mariam eſſe *D*ei Matrem: addita ſunt Angelicæ ſalutationi ſequentia verba; *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ, Amen*. Hi Chriſtiani ſunt communiter alijs Orientalibus iunuiſi, vt dictum eſt, quia præ omnibus alijs negant Chriſtum eſſe Deũ & Sanctiſſimam Virginem Mariam eſſe Dei Matrem, ac proinde ab illis repulſi, faciliùs ad noſtros Europæos accedũt, à quibus ſimilem non patiuntur repulſam.

Probatur concluſio fideli relatione eorum, quæ in hac materia vidi & audiui. Poſtquam Rex Perſarum Babylonem cepit Turcis circa annum Domini 1620. multi eius ciues hinc inde diſperſi ſunt, & aliqui ſuam in Ciuitate Baſſora manſionem elegerunt, & in alijs adiacentibus oppidis, qui frequenter ad noſtros Patres Baſſoræ commorantes accedebant, Sacramenta ritu Catholico recepturi, inter quos etiam erant Sacerdotes, de vno ſpecialitèr recordor, qui non poterat ab hoſpitio noſtro recedere: Horum igitur honorifica de noſtris Patribus relatione motus Patriarcha, reſidens in monaſterio Moſſul, olim Niniue, procurauit à Sacra Congregatione de propaganda fide obtinere ad ſui & ſuorum inſtructionem N.P. Baſilium à S. Franciſco commorantem Baſſoræ, qui linguas Orientales, Arabicam, Turcicam, Perſicam, & Chaldæam ſciebat; ſed ne Pater ſuæ deeſſet Arabicæ miſſioni, quos præſentia propter diſtantiam locorum conſolari non potuit, hoc iteratis effecit epiſtolis. Huic Patriarcha ſubduntur omnes Neſtoriani, communiùs dicti Chaldæi, qui habitant in Babylonia, Meſopotamia, Syria & Palæſtina; ex quibus multi noſtris religioſis miſſionarijs ſummopere

pere

Digitized by Google

pere fuerunt addicti,& ad fidem Catholicam reducti frequentare ſolent Sacramenta Eccleſiæ. Eſt alius huius nationis Patriarcha, à pręcedente independens, imò ipſi aduerſarius, cuius ſedes eſt in Aſsyria,in regione quæ vocatur hodie Sciuualecha ſub Principatu Curdorum ad confinia Perſarum; Vnde præter linguam Chaldaicam vtitur ibi hæc natio lingua Perſica: Hic Patriarcha Neſtorianorum ſolet quaſi hæreditario nomine vocari *Mar Simeon*, ſicut alter prædictus vocatur ordinariò *Mar Elias*: Ad hunc acceſſit anno Domini 1635. noſter P. Dionyſius à Corona Spinea Belga, cum ex Perſide electus Procurator miſſionis Orientis verſus Romam ad Capitulum generale circa prouinciam illam iter ageret: Qui poſtquam cum ipſo Patriarcha magno charitatis zelo de fide Catholica diſſeruiſſet,eumque ad vnionem cum Apoſtolica Sede Romana in eandem efficaciter exhortatus eſſet Commotus Patriarcha ſcripſit Chaldaico ſermone litteras ad Summum Pontificem Innocentium X. ſumma animi demiſſione vnionem cum Eccleſia Romana exoptans: Cum autem hoc ngotium Romæ diutiùs protraheretur, dictus Pater Dionyſius ad miſſiones Orientis à Superioribus noſtris remiſſus fuit cum optima ſpe quòd Apoſtolicę litterę ad præfatum Patriarcham expedirentur; & interim determinatur,quod ex noſtris vicinioribus reſidentijs identidem ad eum aliqui mitterentur: ſed ſuperueniente Summi Pontificis Innocentij X. morte, longiores moræ & impedimenta huic negotio iniecta ſunt,donec tandem expeditus Roma fuit cum litteris Apoſtolicis Sacerdos quidã ſęcularis in Perſide natus, dictus Petrus Ioerida,qui in hac Orientali profectione fluuium quendam traijciens aquis ſuffocatur: Hoc audiens prædictus Pater noſter Dionyſius,ne res tanti momenti remaneret infecta, ſecunda vice ad ipſum Patriarcham profectus eſt,& ab eodem nouas litteras ad Summum Pontificem Alexandrum VII. vna cum profeſſione fidei tam Patriarchę quàm aliorum Epiſcoporum eiuſdem nationis obtinuit, eaſque Romam direxit:Ad hunc effectũ miſſus eſt ex perſide vnus ex noſtris Religioſis dictus Pater Maximinus à Ieſu, cuius relatione didici, quòd hic Neſtorianorũ patriarcha præcipuos ſuę nationis, tam Eccleſiaſticos quàm ſæculares conuocauerat,&quod in huiuſmodi comicijs vnanimi conſenſu decreuerant ad inſtantiam noſtrorum Patrum, ſe ſubmittere Eccleſiæ Catholicæ,& ad hoc intentum Summo Pontifici ſcribere, mittereque librum ſuorum dogmatum,vt eorum correctionem ipſius authoritate poſſent habere: quæ ſingula in ſequenti profeſſione fidei prædicti Patriarchæ continẽtur,quam hic appono, vt potè omninò ſingularem & curioſam; Cum cæterorum Patriarcharum, de quibus hic agimus,profeſſio fidei,ſit generalis illa quæ hic ſolet fieri, à nouis Catholicis exigita.

Profeſsio fidei Chaldæorum ſeu Neſtorianorum, miſſa Summo Pontifici Romano.

POſt adorationes, & poſtrationes ex cella Patriarchali oblatas.Pax diuina Dominica charitas, & laus Chriſtiana ex ore Mar Simonis Patriarchæ Chaldęorum dirigitur ad Patrem Patrum,Paſtorem Maximum, Principem diſpenſatorum: in cuius poteſtate eſt auferre diademata,& inaugurare Sacerdotes vniuerſæ Chriſtianitatis: Ad Dominum noſtrũ Papam Innocentium X. Patriarcham primarium totius Chriſtianitatis, Patrẽ Orphanorum, & Viduarum ad amantiſſimum noſtrum dirigimus dilectionem, notumque facimus perueniſſe ad nos P. Dionyſium, qui ſignificauit nobis alium quemdam Commiſſarium ad nos directum qui hactenus ad nos non appulit; ſed in itinere mortuus eſt. Nunc autem petimus à Sede Apoſtolica Petri,ſcilicet à Sanctiſſimo D. N. Papa vt ad nos mittere dignemini libros mandatorum Eccleſiaſticorum cum Patribus noſtris.Nos autem Chaldæi recipimus eloquia Patrũ

Anti-

Antiquorum, potiſſimum verò S. Petri Principis Apoſtolorum, & profitemur quòd in Deo vna tantum ſit Diuinitas, ſcilicet Aeternitas,& natura diuina, quæ eſt in tribus perſonis Diuinis, quæ vocantur Pater,Filius,& Spiritus Sanctus. Pater non habet principium,nec ab alia perſona procedit,Filius verò procedit à Patre. Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio. Item credimus in Ieſum Chriſtũ Filium vnicum Dei Patris; ipſe enim genitus eſt à Patre ab ęterno, & eſt Deus æternus,ſine termino, Omnipotens, & Creator noſter,omniumque rerum Conditor ſicut Pater. Item credimus Ieſum Chriſtum non ſolum eſſe verum Deum, ſed etiam verum hominem,quia carnem aſſumpſit humanam de Maria Virgine Sine Patre,ſicut genitus eſt in Cœlo à Patre ſine Matre. Inſuper profitemur quòd Filius Dei eſt Secunda Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, & homo factus eſt, & mortuus in Cruce vt ſaluaret nos. Item omnia Concilia quæ recipit Sedes Petri,eadem & nos Chaldei recipimus, ſicut recipimus Concilium Epheſinum. Inſuper profitemur in Domino Noſtro Ieſu Chriſto Saluatore Noſtro duas eſſe naturas in vnitate perſonæ. Item recipimus legem Euangelij & etiam profeſſionem Sedis Apoſtolicę Sancti Petri.

Inſuper omnes nos Chaldei credimus concedi remiſſionem peccatorum cuilibet qui mediante Sacerdote offert ſacrificium miſſę eique per impoſitionem manus Sacerdotis Indulgentiam tribui; & quemlibet hominem,tam virum quàm fœminam qui legitimè contrahit matrimonium Eccleſiæ recipere remiſſionem. Cuilibet autem homini qui vita fungitur fieri ſolet memoria. Cui autem nulla fit particularis memoria,huic conuenienter fit memoria quolibet anno, circa feſtum Reſurrectionis Domini. Infirmis verò datur Sanctiſſimum Eccleſiæ Sacramentum.

Item recipimus Canonem Cathedræ S.Petri,qui præcipit vt Diaconus habeat annos 22. & Sacerdos 24. Epiſcopus verò annos 30. Si autem obierit coniux Sacerdotis aut Diaconi non accipiat aliam. Recipimus etiam Canonem Euangelij. Vir non dimittat vxorem ſuam nec mulier dimittat virum ſuum niſi vnus eorum moriatur.

Denodarus,Theodorus, & Neſtorus dixere nobis veritatem manifeſtam. Cum Chriſtus in Cruce exclamaret vt homo, petrę ſciſſæ ſunt. Ipſe verò potius fuit in Sepulchro vt homo,& reſurrexit cum gloria vt Deus, Non negamus humanitatem ipſius,nec vnquam paſſam fuiſſe diuinitatem ipſius.

Quæcumque profitetur Sedes S.Petri recipimus ſuper capita noſtra. Quicumque verò non recipit profeſſionem Cathedræ S.Petri,ſed diuerſam profitetur, filius eſt Gehennæ.

Nos omnes Epiſcopi,Sacerdotes, Archidiaconi, Diaconi & vniuerſus populus Chriſtianus teſtamur quòd peruenit ad nos P.Dionyſius ab eoque recepimus omnia præcepta & mandata. Sit benedictus à Domino noſtro, & omnis quem non recipit S.Petrus Princeps Apoſtolorum ſit maledictus in ęternum. Datum in Oppido Huſerab 15. menſis Octobris feria ſecunda. Anno Græcorum 1966.

SOli fulgenti, & maximo,qui in Cœlo Sanctę Eccleſiæ fixus eſt filioſq; Eccleſiæ radijs lucis eximiæ Sanctitatis ſuę illuminat, Patri Patrum & Maximo Paſtorum,qui eſt Pater noſter benedictus,et Dominus noſter Papa Innocentius X.Patriarcha vniuerſalis Chriſtianorum omnium qui ſunt in quatuor partibus Mundi. Cuius Maieſtas & gloria virtute Domini confirmatur ad exaltationem Eccleſiæ ſuæ ſalutem populi & magnificentiam gregis ſui Amen.

Seruus Seruorum Sanctitatis Veſtræ, Mar Thomas, Metropolita Chumę & Mar Ioannes Epiſcopus Ourmi, & Mar Ioſeph Epiſcopus Roſtake proſternunt ſe coram throno Cathedræ glorioſæ Sancti Petri,venerantes Sanctitatem Veſtrã, & ſupplicantes auxilium vilitati ipſorũ impendi per ſanctas orationes veſtras, quæ Deo gratiſſimæ ſint & acceptæ pro cunctis Chriſtianis,dicentes ſemper. Benedic

nedic Domine. Benedic Domine Amen. Porro autem poſt obtentam Benedictionem Pacis veſtræ ſpiritualis & poſt humil ia pedum oſcula, notum facimus Beatitudini Veſtræ P. Dionyſium Carmelitam miſſionarium veſtrum Apoſtolicum petijſſe à nobis Profeſſionem Fidei noſtrę. Nunc ergo ſcripſimus & miſimus ad Maieſtatem Sanctitatis Veſtræ, quod hęc ſit noſtra Fides.

Credimus in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, Aeternum, Sempiternũ, Immortalem & immutabilem. Et credimus in Filium eius vnicum Ieſum Chriſtum, & in Spiritum Sanctum; qui tres Perſonæ ſunt, vnius naturæ & vnius ſubſtantiæ, Deus glorioſus abſque ſeparatione. Spiritus Sanctus autem procedit à Patre & Filio, eſt enim ipſis vna æternitas vna potentia, vna ſapientia, & vna Bonitas. Explicamus autem Fidem noſtram in veritate hoc modo. Beatiſſime Pater. Credimus in vnum Deum Patrem Omnipotentem Factorem omnium viſibiliũ & inuiſibilium & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei Vnigenitum, Primogenitum & omnium Creaturarum & ex Patre ante omnia ſæcula genitum, non factum Deum verum de Deo vero, Conſubſtantialem Patri per quem omnia facta, & creata ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcẽdit de Cœlo & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, & Homo factus eſt. Conceptus, & natus eſt ex Maria Virgine, Paſſus, & Crucifixus eſt in diebus Pontij Pilati; ſepultus eſt, & Reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas: Aſcendit ad Cœlos, Sedet ad dexteram Patris, Et iterum venturus eſt iudicare viuos & mortuos: Et in vnum Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis, qui ex Patre procedit, Spiritum viuificantem, Et in vnam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Cõfitemur vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum & Reſurrectionem corporũ noſtrorum & Vitam æternam Amen. Sic Confitemur, vnam Diuinitatem, vnam Dominationem, vnam Voluntatem, & vnam Gloriam. Amen.

Deinde notum facimus regimina noſtra. Hæc ſunt autem regimina noſtra. Primo. Decem præcepta quę deſcenderunt per manum Moyſis de monte Sinai. Diliges Dominvm Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Non mœchaberis. Non fornicaberis. Non mentieris. Non concupiſces vxorem proximi tui. Non furaberis. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Honora Patrem tuum & Matrem tuam. Non occides.

Inſuper ieiunamus viginti quinque diebus pro Annunciatione ſancta quam annunciauit Gabriel Mariæ. Item ieiunamus quindecim diebus in memoriam Virginis Marię ſcilicet per quinque mẽſibus qui ſunt poſt Annunciationem eius factam à Gabriele cũ cognouit ſe grauidam. Item ieiunamus quinquaginta diebus ſicut ieiunauit Petrus cum Apoſtolis in Cœnaculo poſtquam aſcendit Dominus noſter in Cœlum & miſit eis Spiritum Sanctum. Omnia iſta ieiunamus vſq; ad veſperam ad occaſum Solis. tunc ſumimus panem & aquam abſque inquinamento ab oleo & vino nec inquinamur etiam a piſcibus.

Inſuper ſeptem feſta celebramus. Quorum primum eſt, Feſtum Natiuitatis Domini noſtri quando natus eſt ex Maria Virgine. Secundum eſt feſtum Epiphaniæ, quando Baptizatus eſt Dominus noſter à Ioanne in Iordane. Tertium eſt Feſtum Reſurrectionis quando Surrexit Dominus noſter de Sepulchro & cuſtodes facti ſunt velut mortui & confuſi ſunt crucifixores, Quartum eſt feſtum Aſcenſionis quando Dominus noſter aſcendit in Celum & miſit Spiritũ Paraclitum Conſolatorem ſuper Apoſtolos in Cœnaculo. Quintum eſt feſtũ Pentecoſtes in quo deſcendit Spiritus Sanctus; & poſtmodum ieiunarunt Apoſtoli & receſſerunt in quatuor partes Mundi vt docerent populos & gentes. Sextum eſt feſtum Transfigurationis, in quo Dominus noſter oſtendit gloriam ſuam Apoſtolis ſuis. Septimum eſt feſtum S. Crucis quando Regina Helena

Ttt Mater

Digitized by Google

Mater Conſtantini Imperatoris inuenit Crucem Domini noſtri quam Iudæi & Crucifixores ſub terra ſepelierant & apparuit die decima quarta menſis Septẽbris in die Sabbathi. In iſtis feſtiuitatibus remiſſionem peccatorum ſtatuimus. Quicumque verò ante tempus comedit & frangit ieiunium aut coinquinatur, aut fornicatur, aut incidit in pollutionem non damus illi Sanctiſſimum antequam faciat pœnitentiam. Inſuper habemus ſeptem præces per diem ſicut dixit Propheta Dauid: Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Et obſeruamus leges ieiunij feria quarta & ſexta ab immunditia abſtinentes. Feria quarta ſcilicet quia in illa die conſtituerũt prætium Domini noſtri impij Iudæi qui inique egerunt & in eum credere noluerunt. Feria autem ſexta quia in illa die paſſus eſt & ligno Crucis affixus & ſepultus eſt. Deinde ſurrexit tertia die, & aſcendit in Cœlum ſedetque ad dexterã Patris. Die Dominica verò ab omnibus operibus ſeruilibus abſtinemus, neque in viam itineris pergimus noſque à conuentione fęminarum, & ab omnibus operibus malis continemus: nec in eo quicquam operamur, ſed exercemus Charitatem & cõcordiam ad inuicem. Eſt enim dies ſanctus, dies Dominicus in quo noſter Dominus reſurrexit à mortuis; Eſtque conueniens vt in eo quilibet, Chriſtianus gaudeat & lætetur. Inſuper Credimus in diuinitatem & Humanitatem Chriſti ſicut ipſa veritas infallibilis manifeſtauit & exclamauit in Cruce vt Homo & diſrupit petras vt Deus: poſitus eſt in monumento vt Homo & reſurrexit cum gloria vt Deus: dormiuit in nauicula vt Homo: & increpauit mare & ſedauit fluctus eius vt Deus in veritate. Hæc eſt Fides noſtra. Nequaquam verò exiſtimamus ipſum (ſcilicet Chriſtum) eſſe duos, ſed vnum filium vnicum Sic exclamauit in Cruce, ſecundum humanitatem & diſrupit petras ſecundum diuinitatem: poſitus eſt in Sepulchro ſecundum Humanitatem & ſurrexit cum gloria ſecundum diuinitatem. Dormiuit in nauicula ſecundum Humanitatem & increpauit mare ſecundum Diuinitatem: ſcilicet ſicut Homo, & ſicut Deus. Deſcendit enim in Vterum Mariæ, & Incarnatus eſt, & oſtendit ſeipſum, vt Homo coram Diſcipulis & viderunt eum in corpore perfectum, & locutus eſt cum eis, & fregit panem & dedit eis, dixitque accipite, & comedite, Hoc eſt Corpus meũ Sacroſanctum & miſcuit Calicem, & dedit eis, dixitque, Accipite, bibite, Hic eſt ſanguis meus prætioſus. Ipſe autem circuiuit cum ipſis Ciuitates, & alia loca miſitque eos ad quatuor partes orbis, vt prædicarent mirabilia Filij Hominis. Nec vllo modo dicimus eſſe duos, ſed vnum, & Hominem vnum, ſed filium vnum vnigenitum. Et quòd in tribus perſonis ſit vnita natura diuina, quæ eſt in Patre, Filio & Spiritu Sancto. *Inſuper* notum facimus Beatitudini *Veſtrę* nos plurimum credere S. Petro, quòd ſit Chriſti ſucceſſor, quodque ipſi tradiderit Claues Regni Cœlorum, in die qua aſcendit Dominus noſter in Cœlum & confirmauit eum Catholicum, ſcilicet Caput vniuerſale, & Principem omnium Sanctorum Apoſtolorum, dixitque ei: Paſce agnos meos, paſce oues meas. Et omnis Chriſtianus qui non credit Sancto Petro, nec in Chriſtum credit. Ipſe enim eſt Princeps, & Maximus omnium Diſcipulorum *ſicut Michael eſt* Princeps & Maximus Angelorum. Nos ſic profitemur de Sancto Petro & omnibus ſucceſſoribus eius Romæ degentibus. Et hoc ſufficiat pro ſemper. Inſuper, notum facimus *Sanctitati* Veſtræ, quòd ſcripſimus vobis vniuerſam Fidem noſtram, & profeſſionem noſtram eamque ad vos direximus, vt legatis & videatis, & ſi fuerit aliquis defectus, ſcribite & mittite nobis reſponſum. Nos enim recipiemus reſponſum, & mandatum veſtrum. Si fuerit verius, & certius, quam Fides noſtra, & reſponſum noſtrum, & ſi ambo inter ſe conueniant nos recipiemus ea abſque dubio. Habemus autem ſpem in Deo, & vobis quòd orabitis, & deprecabimini Deum pro nobis in templo S. Petri & S.

Pauli,

Digitized by Google

Pauli, vt mediantibus orationibus veſtris gratiſſimis Deo liberet nos Dominus ab omnibus anguſtijs, & tribulationibus in quas incidimus, quaſque ſuſtinemus à filijs Agat, qui quotidie à nobis petunt tributum, & munera, & ſingulis diebus à mane vſque ad veſperam ipſis inſeruire cogimur, & circa veſperam recipimus mercedem ſeruitutis noſtrę ex ſacculis noſtris, nec vnquam habemus requiem. Quinimo pretio emimus Fidem noſtrã, & damus eis omnem ſubſtantiam, & facultates noſtras propter loca ſancta, ne exeant e manibus noſtris. Vos autē pręces fundite pro nobis propter anguſtias quæ vndique nobis ſuperueniunt à Tirannis & aduerſarijs noſtris, qui nos opprimunt, & quærunt perditionem noſtram: ſed Deus non tradat nos in manus ipſorum per orationes Sancti Petri, & ſupplices præces quas pro nobis offertis. Et hoc explicaſſe ſufficiat Intelligentię veſtræ ampliſſimæ.

Scriptæ ſunt hæ litteræ die 4. Nouēbris in die Sabbathi. Anno 1966. Alexandri filij Philippi Macedonis per manus Ioannis Epiſcopi humilis, in Oppido, Benedicto firmiter permanente in Fide Petri, nomine Muane Oppido Sancti Ioannis in Prouincia Larghur.

Nomina autem Sacerdotum qui pręſentes fuere ſunt ſequentia. Sacerdos Simon, & Præfectus Lazarus ex Oppido Muane dilecti noſtri. Sacerdos Iſaac, & Sacerdos Dauid, & Sacerdos Abd Ieſchuæ & Diaconus Lazarus Præfectus. Item Præsbyter Ambar Ioſue & Præfectus Hauſcob, & Ieulaba. Præfectus Ioſeph, & Præsbyter Iunior Ioulu. Præfectus Duſtelan. Præfectus Abraham Ioſue. Præfectus Parochiæ ſiue gregis Sancti Ioannis in Ourmia. Præsbyter Daniel qui eſt Ada. Præsbyter Ioannes. Præsbyter Bachus, & dilectus noſter Diaconus Georhius Dulmaghi. & Cæteri omnes Fideles Sanctæ Eccleſiaæ noſtræ. Laus Deo ſemper.

AD primum ergò dicendum, quòd licet noſtri Carmelitæ non maneant inter Neſtorianos, ad illorum tamen regiones frequenter accedunt, & cum eorum Patriarcha de ipſorum conuerſione ſępiùs egerunt, & agunt continuò, non obſtante locorum diſtantia maxima; & itinerum difficultate, laborumque tolerantiã.

AD Secundum dicendum, quòd noſtri Carmelitæ inceperunt agere primi de Neſtorianorum conuerſione; nunc in illa ſtrenuè laborant Patres Capucini, ex quo Babylone ac Niniue miſſionem inſtituerunt; nec deſiſtunt noſtri ad illos accedere, qui præſertim ſub principatu Curdorum manent; deſtitutos alijs miſſionarijs.

AD Tertium dicendum, quod etiam inter Neſtorianos ſunt multi mercatores, cum quibus agunt noſtri Carmelitæ, ex quibus plures reducunt, ſicut ex alijs Chriſtianis Orientalibus: Quod ſi nihil de hoc dicatur, vel modeſtiæ, vel timori noſtrorum Patrum eſt aſcribendum; Cum venit prædictus Pater Maximinus cum tam honorifica commiſſione circa reductionem Neſtorianorum, ab ipſo huius relationem Pariſios miſſam non ſunt auſi Patres noſtri typis mandare.

Digitized by Google

Articvlvs V.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur ſpecialitèr conuerſioni Syrorum Iacobitarum.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non cooperentur ſpecialitèr conuerſioni Syrorum Iacobitarum. Probatur: Eſt liber nouus, cui titulus præfigitur *Syria Sacra*, qui factam Syrorum Iacobitarum conuerſionem alijs religioſis quàm Carmelitis Diſcalceatis totalitèr attribuit, vt in eo videre eſt: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur ſpecialitèr conuerſioni Syrorum Iacobitarum.

¶. 2. Præterea: In tota Syria ſunt plures alij religioſi miſſionarij quàm Carmelitæ Diſcalceati, ſcilicet Minoritæ Obſeruantes, Ieſuitæ, & Capucini: Sed nullus eſt iſtorum, qui non cooperetur conuerſioni Syrorum Iacobitarum, vt conſtat ex eorum relationibus: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur ſpecialitèr conuerſioni Syrorum Iacobitarum.

¶ 3. Præterea: Si quid ſuaderet, Carmelitas Diſcalceatos ſpecialitèr cooperari Syrorum Iacobitarum conuerſioni, maximè quia ipſi dicunt ſe conuertiſſe D.Andream eorum Patriarcham, qui penè totam nationem ad fidem Catholicam reduxit zelo mirabili: ſed alij ſunt religioſi in Syria, qui dicti D. Andreæ conuerſionem ſibi attribuunt: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur ſpecialitèr conuerſioni Syrorum Iacobitarum.

SED CONTRA eſt authoritas certa fidelium & authenticarum relationum, quas habui, legi accuratè, & in Archiuio generali noſtræ Religionis Romæ depoſui.

Conclvsio.

Carmelitæ Diſcalceati ſpecialiter cooperantur conuerſioni Syrorum Iacobitarum.

RESPONDEO dicendum, quòd noſtri Carmelitæ Diſcalceati ſpecialitèr cooperantur conuerſioni Syrorum Iacobitarum: Tum quia ipſi conuerterunt D.Andream eorum Patriarcham. 2. Tũ quia indefeſsè hanc conuerſionem procurant; 3. Tum quia edito ad hunc finem libro continente Chriſtianorum Orientalium Schiſmaticorum errores, ab ipſiſmet approbato, facilem illam reddiderunt. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod Aleppi in Syria noſtri Carmelitæ Diſcalceati ſocietatem indiſſolubilem cum Patribus Capucinis inierunt pro conuerſione animarum: Vnde ſimul vniti in hoc Apoſtolico munere totis viribus laborant, nulli parcentes ſollicitudini, & etiam periculo: Hoc dixi, vt pars gloriæ ſocijs noſtris cedat, tam circa Syros Iacobitas, quam circa alios huius Syriacæ miſſionis Chriſtianos. Iacobitæ autem vocantur Syri, quia principalitèr in Syria manent, vbi ſuum habent Patriarcham, & ſunt in maiori numero in hoc regno quàm reliqui Chriſtiani, ac denique in diuinis officijs Syriaco vtuntur idiomate & charactere: Hi Chriſtiani dicti ſunt Iacobitæ à quodam Iacobo Zanzalo eorum hæreſiarcha qui vilis admodum ex erroribus Eutichis, Dioſcori, Seueri & aliorum ſua dogmata compoſuit; & dicitur author omnium errorum, qui a Scriptoribus attribuuntur Armenis, propterea Iacobitæ cum Armenis eadem penè fidei confeſſione conueniunt, & mutua nectuntur amicitia: Olim Iacobitis plures attribuebantur errores, vtrum verè, fides ſit penes authores; Et præter illos communes Armenis, Primus erat negare myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, vnicã admittendo diuinam perſonam, in cuius ſignum vnico tantùm digito crucẽ effor-

Digitized by Google

efformabant; Secundus error erat, communis etiam Abyſſinis, quòd fundati dictis Sancti Præcurſoris Matthæi 3. relatis, ſcilicet *Ipſe baptizabit vos in ſpiritu & igne*, ſuis paruulis ignito ferro ſignum crucis in media fronte inurebãt, cum tamen illa verba de aduentu Spiritus Sancti in forma ignis ſint intelligenda; Tertius error, lactentes paruulos ſub vtraque ſpecie communicabant; Quartus error, Confeſſionem Sacramẽtalem Sacerdoti factam damnabant, aſſerentes ſoli Deo eſſe confitendum. Tandem dicitur de illis, quòd aſſerebant Chriſtum reſurrexiſſe in Sabbatho; Peccatum non à libero arbitrio, ſed à ſolo dæmone procedere; negabant peccatũ originale; Dicebant quòd perſeuerante ſtatu innocentiæ non fuiſſent homines per generationem, ſed alio modo multiplicati; Quòd ante paſſionem Chriſti dãnabantur omnes: Negabant Sacramentis virtutem conferendi gratiam; Res ſpirituales vendebant; Paruulos fidelium ſine baptiſmate morientes ad Paradisũ terreſtrem tranſire, infidelium verò ad infernum deſcendere dicebant; Baptizatos in Eccleſia Romana iterum baptizabant; negabant matrimonium eſſe Sacramentum, & eſſe indiſſolubile; ſicut & pœnas inferni eſſe æternas; Dicebant aliqua peccata penitùs eſſe irremiſſibilia; Chriſtum ad inferos deſcendentem eduxiſſe omnes damnatos, omnes in ſexu virili fore reſuſcitandos; Certum tamen eſt, plures ex relatis erroribus nouiſſimè apud eos non viguiſſe: alij vigebant, Vnde erant hæretici, & & Schiſmatici, ſed nunc maiori iam ex parte conuerſi, & ad eorum conuerſionem ſpecialitèr cooperantur noſtri Carmelitæ Diſcalceati.

Probatur prima pars concluſionis: noſtri Carmeitæ Diſcalceati conuerterunt ad fidem Catholicam D. Andream, qui nunc eſt Syrorum Iacobitarum Patriarcha, vt conſtat authentico ipſiuſmet teſtimonio, quod legi, & quo ipſe aſſerit ſe non cognoſcere alios ſuæ conuerſionis authores, quàm tres Carmelitas Diſcalceatos, ſcilicet P. Ioannẽ Stephanum à S. Thereſia Piſanum noſtri Aleppenſis hoſpitij Vicarium, P. Paulum a Ieſu Maria Batauum in monte Libano reſidentem, & P. Brunonem a S. Yuone Britannum: Inſuper noſtri Carmelitæ ſimul cum Capucinis, & Illuſtriſsimo Gallorum Conſule D. Franciſco Picquet eius aſſumptionem in Patriarcham Syrorum Iacobitarum omni ſollicitudine procurarunt, eius profeſsionem fidei ad Summum Pontificem detulerunt, quam penes me habeo originariam idiomate Arabico, ſed charactere Syriaco ſcriptam; confirmationem electionis ipſius cum pallio & alijs donatiuis à Summo Põtifice obtinuerunt: Sed hic vir inſignis penè totam nationem ſuam multorum millium conuertit ad Fidem Catholicam; Vnde hæc conuerſio Syrorum Iacobitarum originatur à Carmelitis noſtris, qui prædictum D. Andream conuerterunt: Ergo noſtri Carmelitæ Diſcalceati ſpecialiter cooperantur conuerſioni Syrorum Iacobitarum, quia ipſi conuerterunt D. Andream eorum Patriarcham.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Anno Domini 1627. facta fuit noſtra domus Aleppenſis; Tum vt miſſionarij illuc in Perſidem tranſeuntes, dum in hac ciuitate mercatorum expectant cõmentum bis tantùm in anno fieri ſolitũ, haberent inter ſuos fratres locum refugij: Tum vt in hac ciuitate emporio penè totius Orientis clariſſimo noſtri reſidentes tam Europęorum ſaluti, quàm Schiſmaticorum conuerſioni vacarent, quod ſemper omni cum ſollicitudine fecerunt. Sed in hoc Apoſtolico munere præ alijs excelluit V. P. Bruno a S. Yuone Britto, qui a ſummo mane vſque ad veſperam oblitus penè ſui; in ſimilibus charitatis operibus erat occupatus; Vnde innumeros Iacobitas ad fidẽ Catholicam conuertit, & quos non potuit viuus conuertere verbis, mortuus ſuis conuertit miraculis. De vno dicam, quod ab ipſomet didici; vocatur Sciahede, dictus Romæ D. Donatus Presbyter: Hic

Hic mihi narrauit, quomodo ſemper noſtro B.Brunoni reſtiterat, velut caput Schiſmaticorum ſuæ nationis; ſed poſt mortem dicti Patris, cum domus eius eſſet propè locum ſepulturæ ipſius, vidit de nocte globum grandem igneum lucidumque deſurſum in ſepulchrum deſcendere; vnde poſt aliquod temporis ſpatium eleuatus iterum in illud deſcendit, & tandem inde ſublimatus euanuit. Qui ſucceſſus mirabilis illum ab obſtinatione emollijt, cumque miraculoſas ſanitates in dicto ſepulchro paſſim fieri videret, ad fidem Catholicam conuerſus eſt, ſuiſque Iacobitis plurimum profuit, dicens ſe veritate fidei Eccleſiæ Romanæ conuictum ad eam acceſſiſſe, rogansque, vt ſeipſum in eius confeſſione ſequerentur, quem priùs in impugnatione fuerant ſequuti; Venit Romam vt iuuenes ſuę nationis in collegio Sacræ Congregationis de propaganda fide inſtrueret, ad aliorum ſalutem procurandam, vbi eum vidi.

Probatur tertia pars concluſionis: Noſtri Carmelitæ Diſcalceati in Oriente, præter alia charitatis opera, quæ pro conuerſione Infidelium exercent, pios etiam libros edunt in lingua connaturali illorum, præſertim in Arabica magis cõmuni: nuper hic Romæ typis mandatus prodijt Thomas à Kempis de Imitatione Chriſti a P. Celeſtino de S. Ludouina. P. Ioannes Petrus à Matre Dei Lugdunenſis, alium librum miſſionibus vtiliſſimum compoſuit, in quo tam clarè Schiſmaticorum Orientalium errores proponit, & tam efficacitèr impugnat, quò Antiſtites illorum cum approbauerint, & ſuis recipiendum propoſuerint; vnde ſecuta fuit penè vniuerſalis conuerſio in diſtrictu Aleppenſi, præſertim verò Iacobitarum, concurrente principalitèr prædicto Domino Patriarcha: Hic liber Romam miſſus fuit Sacrę Cõgregationi de propaganda fide conſignatus, cuius approbatione ac authoritate debet typis mandari; fuit à varijs Aleppi deſcriptus, & maximo cum ſecreto in Europam allatus; Vnde quodam timoris fundamentum extitit apud multos, qui circa hoc mihi ſcripſerunt, ne ſub alieni authoris nomine alicubi imprimeretur, quod propterea præmonere volui.

AD primum ergo dicendum, quòd non omnia quæ continet ille liber ſunt oracula; imò multa ſunt falſa, præſertim quæ refert circa conuerſionem Iacobitarum, cum ſuis attribuat aliorum labores & fructus: Vnde fuit delatus, quaſi non veridicus & alijs iniurioſus; Interim audiui à quodam Magnate, prohibitionem factam fuiſſe authoribus ſimilium relatationum parum fidelium, ne huiuſmodi imprimerent, niſi prius fuiſſent approbatę Romæ.

AD ſecundum dicendum, quod non negamus alios religioſos Aleppi cooperatos fuiſſe conuerſioni Syrorum Iacobitarum: ſed dicimus, quod noſtri Carmelitæ Diſcalceati, ſicut & Patres Capucini ſpecialiter ad illam cooperantur propter rationes adductas in probatione concluſionis.

AD Tertium dicendum, quod fortè illi religioſi aliqualiter cooperati fuerunt conuerſioni D. Andreæ Patriarchæ Iacobitarum: ſed noſtri tam ſpecialitèr ad illam concurrerunt, quòd ipſemet noſtros ſpecialitèr agnoſcat authores ipſius, vt dictum eſt: ad cuius tamen aſſumptionem in Patriarcham multum cooperati ſunt cum noſtris Patres Capucini, quorum Superior eſt P. Syluester à Sancto Aniano inſignis miſſionarius.

AR-

Articvlvs VI.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperati fuerint reductioni Chriſtianorum Sancti Thomæ.

AD Sextum ſic proceditur; Videtur quod Carmelitæ Diſcalceati non fuerint cooperati reductioni Chriſtianorum Sancti Thomæ. Probatur: Chriſtiani Sancti Thomæ fuerunt primò reducti ad fidem Chriſti per Sanctum Thomam Apoſtolum, cuius propterea denominantur Chriſtiani: ſed tunc eorum reductioni non potuerunt cooperari Carmelitæ Diſcalceati, qui non erant abſolutè: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non fuerunt cooperati reductioni Chriſtianorum Sancti Thomæ.

¶ 2. Præterea; Poſtquam huiuſmodi Chriſtiani Sancti Thomæ fuerunt Schiſmaticorum erroribus infecti, viuentes ſub ditione ſpirituali Patriarchæ Alexandrini, fuerunt ſecundò reducti ad fidem Catholicam opera D. Alexij de Menezes Archiepiſcopi Goenſis, aſſumpti ex ordine S. Auguſtini: ſed tali horum Chriſtianorum reductioni non potuerunt cooperari Carmelitæ Diſcalceati, quia nondum erant in Indijs Orientalibus: Ergo Carmelitæ Diſcalceati nō fuerunt cooperati reductioni Chriſtianorum Sancti Thomæ.

¶ 3. Præterea: Poſt ſecundam horum Chriſtianorum reductionem, ipſi deinceps fuerunt ſtabiles in fide Catholica ſub directione Patrum Ieſuitarum; Et ita non fuit opus noua reductione ipſorum: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non poſſunt dici fuiſſe cooperati eorum reductioni.

SED CONTRA eſt authoritas fidelium relationum, quas legi & penes me habeo.

Conclvsio.

Carmelitæ Diſcalceati cooperati ſunt reductioni Chriſtianorum Sancti Thomæ.

RESPONDEO dicendum, quod noſtri Carmelitæ Diſcalceati præteritis annis cooperati ſunt reductioni Chriſtianorum Sancti Thomæ, ad hoc miſſi à Summo Pontifice. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd huiuſmodi Chriſtiani ſunt antiquiſsimi; quia ſe ab hoc primo Indiarium Orientalium Apoſtolo ad fidem Chriſti conuerſos, ad hęc vſque tempora non interrupta ſucceſſione perſeuerare gloriantur: Fides illorum diuerſum ſtatum habuit; nam in illo principio fuit puriſsima, deinde ab illa puritate deficiens aliorum Orientalium Chriſtianorum erroribus infecta, denique poſt annos multos a Luſitanorum appulſu priſtino fuit reddita nitori: Subnigri ſunt omnes coloris; in regno Cochim, ad loca montana præcipuè ſuas habent ſedes in pluribus oppidis & pagis; Vnde ipſorum Archiepiſcopus qui Granganori manet, Archiepiſcopus montis vocatur, vulgo de Serra, ritum Catholicum in omnibus ſequuntur, quamuis aliquas ex antiquis obſeruent cæremonias; habent Archidiaconum, magnæ apud ipſos authoritatis; ſuos Sacerdotes vocant Caſanares. Fuerunt reducti ad fidem Catholicam in principio huius ſæculi decimiſeptimi, à D. Alexio de Menezes tunc Archiepiſcopo Goenſi, deinde Braccharenſi in Luſitania, ex ordine S. Auguſtini aſſumpto: per multos deinde annos fuerunt ſub directione Patrum Ieſuitarum, ex quibus plures fuerunt aſſumpti ipſorum Archiepiſcopi, ſub quibus in Eccleſiæ Catholicæ vnione perſeuerarūt, qua nouiſſimè fracta debuerunt ad illam reduci; Et de hac reductione hic loquimur.

Probatur concluſio fideli narratione totius ſucceſſus, quem breuiter referam quantùm ad ſubſtantiam, dimiſsis omnibus

Digitized by Google

nibus ijs quæ poſſent aliquibus diſplicere, nullum enim lædere volumus, aut dare iuſtam offenſionis occaſionem. Cum adhuc eſſem in Indijs Orientalibus ob aliquam rationem Archidiaconus horum Chriſtianorum à ſuo diſſentiens Archiepiſcopo ſchiſmatis fundamentum iecit, & paulatim naturalium ſuorũ animos ſic alienauit ab ipſo propoſitis aliquot motiuis vt nollent ei obedire: ſtatim mittunt ad curiam Pontificis ſcripta huius nouitatis iuſtificatiua, & petunt Apoſtolicum pro deciſione commiſſarium: Cum aliàs Summus Pontifex optimam noſtrorum Diſcalceatorũ relationem ex Indijs Orientalibus haberet, decreuit duos ex noſtris hinc mittere, vnum itinere terreſtri, alium Luſitanica nauigatione; qui per Luſitaniam mittendus erat, vocabatur P. Hiacynthus à S. Vincentio Firmanus inſignis concionator, qui in hac Apoſtolica cõmiſſione primarius erat, qui tandem electus fuit Viſitator Apoſtolicus omniũ miſsionariorum totius Aſię, ſed morte præuentus non potuit munus illud exequi, qui verò itinere terreſtri mittendus erat, vocabatur P.Ioſeph a S.Maria natus Caprarollæ, tandem factus Epiſcopus vt mox dicetur. Primus ille erat in hac commiſsione præcipuus, iſte vero ſubdelegatus, qui tamen debebat negotium incipere, ſi priùs illuc perueniſſet, vt de facto contigit. In primo igitur anno Pontificatus Alexandri VII. D. N. nunc fœlicitèr regnantis dum hæc ſcribo, & Domini 1655. Roma diſcedunt; Prior acceſsit R. P. Ioſeph, & incepta commiſsione viginti & octo pagos Archiepiſcopo reconciliauit, vt ab ipſo didici, & totam nationem reduxiſſet mirabili prudentia omnibus charus; ſed aduenit alter principalis Commiſſarius, qui non tanta fœlicitate cœptum negotium promouit, non defectu prudentiæ, ſed ex nouis ſucceſsibus; vnde ille Archidiaconus aduocato ex ſchiſmaticis Prælato, procurauit ſe in Epiſcopum eligi tumultuaria aliquorum factione, & à ſimplicibus Presbyteris conſecrari; propterea P. Commiſſarius cedens violentiæ coactus eſt recedere in ciũitatem S. Thomæ, nec multò poſt moritur: Dum hæc agebantur in hac miſsione, R.P.Ioſeph Goam petijt, nec ibi diu manſit, ſed huius ſucceſſus in ſua miſsione rationem redditurus Romam redijt; Et tam efficaciter ac dilucidè propoſuit, vt cum in contrarium memoriale fuiſſet oblatum, Summus Pontifex illud repulerit dicens omnia in eo contenta eſſe mendacia; Deinde decretum fuit, vt idem R.P. Ioſeph conſecraretur Epiſcopus, ſed tam ſecretò quòd nullus ſciret, ne iterata eius in Indias Orientales profectio impediretur Conſecratus igitur fuit in palatio Vaticano nobis etiam ignorantibus, quamuis ex pluribus motiuis ſtatim aliqui id cõiecerimus; multæ ei dantur commiſſiones, tam ipſi quàm noſtræ religioni multum honorificæ, præſertim vt pro illa Chriſtianitate conſecraret Epiſcopum, & ſubrogaret in locum Archidiaconi illius illicitè aſſumpti, & inualidè conſecrati: Tres è noſtris ſocios habuit, & anno Domini 1660. Roma profectus eſt Neapolim, & inde Melitam verſus, vbi conſcenſa naui traiecit in Syriam: Inde progreſſus peruenit ad Oceanum Indicum, ſuperato ſinu Perſico, & ad portum Surrati præcipuum ſociorum amiſit, laboribus itineris peremptum, nomine ac virtute Angelum, qui futurus credebatur eius ſucceſſor in caſu mortis: Ipſe Goam, deinde ad terminum ſuæ miſsionis peruenit, Chriſtianos illos Sancti Thomæ reduxit, & pacificauit, expulſo prædicto Archidiacono, & conſecrato fideli Epiſcopo: Quæ vlterius in bonum illius miſsionis fecerit, alibi dicentur; Ipſe verò eſt Epiſcopus Hierapolis. Ex hac breui relatione ſufficienter demonſtratur, quòd noſtri Carmelitæ Diſcalceati cooperati fuerint reductioni Chriſtianorum Sancti Thomæ annis præteritis. Summus Põtifex Apoſtolicas miſit epiſtolas ad principes, in quorum ditione viuunt hi Chriſtiani, ſcilicet ad Reges Mangate, Co-

Digitized by Google

Cochini, Carturte, ſicut & ad magnum Mogolt Indiarum Imperatorem, & ad Regē Perſidis; omnes ſequentis tenoris.

Nobili viro Regi Mangatenſi.
Alexander PP. VII.

N*Obilis vir ſalutem, & lumen Diuinæ gratiæ. Preclaro humanitatis comitatiſque decore illuſtrari nobilitatem tuam multorum relatu cognouimus: Vnde in ſpem venimus pergratum tibi fore beneuolentiæ exercendæ tibi preberi occaſionem. Adit iſtas partes vir religioſus frater Ioſephus à Sancta Maria Carmelita excalceatus, tantum itineris, periculorumque alacriter aggreſſus, non boni alicuius terreni quærendi gratia ſed vt in gentibus euangelizet ineffabiles diuitias Chriſti, ſapientiamque doceat, quæ ſuper aurum electum eſt. Eum virum vt omnibus humanitatis officijs proſequaris vehementer à nobilitate tua petimus. Quòd quidem te cum noſtri cauſâ libenter facturum arbitramur, tum ipſius Religioſi, qui eas ſecum virtutes adfert quæ omnium amorē conciliare valeant, tibique perſuadere debeant nunquam fore, vt te collati in illum beneficij pæniteat. Defert idem Ioſephus ad te beneuolentiæ voluntatiſque noſtræ documenta, quæ tibi periucunda accidiſſe intelligemus, ſi eum potentia, atque auctoritate tua vbi opus fuerit adiuueris. Interea à Deo ſolidam, & minimè fluxam proſperitatem nobilitati tuæ, vtque aliquando eius tibi lumen affulgeat enixiſſime precamur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 20. Ianuarij M.DC. LX. Pontificatus Noſtri Anno quinto.*

S. Vgolinus.

AD Primum ergo dicendum, quod in præſenti non loquimur de prima reductione illa horum Chriſtianorum ad fidem Chriſti; vnde non eſt contra concluſionem: circa quam tamen notandū eſt, quod tunc erant noſtri Carmelitæ primitiui, & diſcalceati ad inſtar Apoſtolorum vt ſuo loco probatum eſt, qui potuerunt in ſocietate S. Thomæ Apoſtoli huic reductioni cooperari, ſicut in Hiſpania & alibi coperatos fuiſſe reductioni Gentilium ad fidem dictum eſt; ſed vtrum iſti de facto coopetati fuerint, ignoramus.

AD Secundum dicendum, quòd verum eſt noſtros Carmelitas Diſcalceatos non fuiſſe cooperatos huic ſecundæ reductioni Chriſtianorum Sancti Thomæ, quia nondum fundaueramus in Indijs Orientalibus; ſed concluſio noſtra non procedit de hac reductione, ſed de alia poſteriori.

AD Tertium dicendum, quod ſatis patet ex dictis, qualiter Archidiaconus ille ſchiſma ſuſcitauerat in ſua natione, quam non ſolùm ab Archiepiſcopo, ſed etiam ab Eccleſia Romana alienauerat; multoſque iam errores ſeminauerat, & inter alios, quòd ſimplices Præsbyteri poſſent Epiſcopum conſecrare; Vnde neceſſarium fuit illam reducere, cui reductioni cooperati ſunt noſtri Carmelitæ Diſcalceati.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Arianorum.

AD Septimum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non cooperentur conuerſioni Arianonorum. Probatur: Ariani hactenus in Polonia perſeuerantes ſunt in ſuis erroribus obſtinati; nec auditur quòd conuertantur opera Carmelitarum Diſcalceatorum; Ergo perperam dicitur, quòd Carmelitę *D*iſcalceati cooperentur cōuerſioni Arianorum.

¶ 2. Præterea: In regno Poloniæ, vbi principalitèr vigent Ariani, ſunt plures alij religioſi, vt Dominicani, Minoritæ, Auguſtiniani, alij Carmelitæ Ieſuitæ &c. quorum eſt maior numerus,

Digitized by Google

tam conuentuum, quàm Doctorum; Ergo potiùs illi debent dici cooperatores conuerſionis Arianorum, quàm Carmelitæ Diſcalceati.

¶ 3. Preterea: Si propter aliquid Carmelitæ Diſcalceati cooperarentur conuerſioni Arianorum, maximè propter publicas & ſolemnes quas cum eis habuerunt Lublini diſputationes: Sed hoc non ſuadet intentum, quin potiùs ex illis diſputationibus Ariani magis obſtinati exierunt, ſuoſque errores nouis editis libellis ſtabilire conati ſunt, contracta maiore contra Catholicos auerſione: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur conuerſioni Arianorum.

SED CONTRA eſt authoritas relationum; quæ de Polonia miſſę probant quantùm noſtri Carmelitæ Diſcalceati cooperantur conuerſioni Arianorum, ſicut & aliorum hæreticorum.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati pluribus vijs in Polonia cooperantur conuerſioni Arianorum.

RESPONDEO dicendum, quod noſtri Carmelitæ Diſcalceati cooperantur conuerſioni Arianorum in Polonia. Ad cuius euidentiam ſciendũ eſt, quòd Ariani quantum ad fidem fuerunt peſſimi omnium hæreticorum, quia cum Ario duce ſuo directè Diuinitatem aggreſſi ſunt, tollentes auguſtiſsimum Sãctiſſimę Trinitatis myſterium, in Deo vnicam ponentes perſonam Patris, Filium negantes eſſe Deum, ſicut & Spiritum Sanctum, aſſerentes eos eſſe creaturas quamuis nobiliſsimas: Vnde in Sacramento Baptiſmi corruperunt formam dicentes; *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, Filij minoris &c.* propter quam corruptionem apud ipſos tale ſacramentum eſt nullum; quod dogma eſt perniciosiſsimum, etiam pueris & ſimplicibus, qui propterea non mundantur à peccato originali. Hos errores, & alios inde deriuatos moderni ſequuntur Ariani, vt Ioannes Statorius, de quo poſtea dicetur, in quodam libello; quamuis illos aliquando verbis palliare velint, ſed in his ſibi contradicunt, vt clarè oſtenditur in impreſſa relatione diſputationis habitæ inter ipſos & noſtros Carmelitas Diſcalceatos, vbi noſtri demonſtrant in præfatione ad lectorem, dictum Statorium in prædicto libello ſibi in multis contradicere.

Probatur concluſio ſequenti ratione: noſtri Carmelitæ Diſcalceati in regno Poloniæ, vbi vigent Ariani, non ſolùm ſanctitate vitæ ſunt conſpicui, ſed etiam doctrina; Et ita dant Arianis exempla virtutum benè viuendo, & doctrinam ſanam Catholicæ fidei tam prędicando, quàm etiam diſſertando in comitijs theologicis cum hæreticis, vbi neceſſarium iudicatur: Ergo Carmelitæ Diſcalceati cooperantur conuerſioni Arianorum. Confirmatur ex ſucceſſu relato in ſequenti teſtimonio.

Gregorius Dux in Czarturisko omnibus Romanæ ac Catholicæ fidei cultoribus ſalutem.

QVamquam Orthodoxæ fidei ſplendor tantus ſit, vt nullis peruerſorum dogmatum obſcurari queat; conueniens tamen ac neceſſarium eſt, vt inſurgentium hæreſeon nebulæ, quæ ſplendorem hunc obſcurare fruſtra nituntur, ſeriò, quemadmodum à viris ſanctitate ac doctrina conſpicuis olim factitatum eſt, & hac quoque tẽpeſtate fit) abigantur: vt quo maiores Hæreticorum tenebræ diſſipantur, eo amplius Catholicæ veritatis lumen eluceſcat. Nam ſi præclarum ſplendorem doctrinæ, quam Sancta Romana Eccleſia Diuinæ ſapientiæ ſpiritu afflata, integram inuiolatamque ſeruat, ac tuetur, fixis oculis intueri velimus; eum in dies magis, magiſque augeri, & nunquam in ſuo augmento deficere perſpiciemus: vt non immeritò ortus ipſius auroræ conſurgenti; progreſ-

Digitized by Google

greſſus, nitenti lunæ, perfectio verò clariſſimo ſoli comparetur. Quæ enim tam execranda ſchiſmata, quæ tam tetra nouarum ſectarum monſtra, quæ tam peſtiferæ hæreſes in orbem prodierunt, quæ huius luminis vi, vt nebulæ à Sole diſcuſſæ, & procul fugatæ non fuerint? Neque verò mirandum eſt, quod hic ſplendor multorum aciem effugiat, cum tenebræ lucem intueri aut comprendere nequeant: vt meritò huiuſcemodi tenebrarum amatores, & veræ lucis oſores, tamquam degeneres filij, ab Eccleſia Catholica, ceù ab Aquila pulli, qui ſolis lucem intueri nequeunt, exturbentur & repudientur. Et ſanè non mediocritèr dolendum eſt, eos vſque adeò excæcatos eſſe, vt lucem poſt tenebras amplecti & prædicare non dubitent; at cedent tenebræ lumini, & veræ fidei ſplendor magis, ac magis clareſcet; ſi quidem Eccleſia Sancta non tantùm ſplendida, verum etiam terribilis, vt caſtrorum acies ordinata eſt: quæ òmni ætate plurima agmina virorum fortium protulit, qui omnes conatus ſuos eò conuerterunt, vt quæuis inſurgentium ſectarum nebulæ diſſiparentur. Hinc Diuino quoque munere effectum eſt, vt hac tempeſtate ex noua antiquiſſima Carmelitarum Religionis prole, quæ in Poloniæ Regnum (olim quidem Catholicæ fidei candore præclarum; at nunc, proh dolor, peſtiferæ Hæreſeon caligine obfuſcatum) paucis ab hinc annis felicibus auſpicijs ingreſſa eſt, non mediocre præſidium, ad defenſionem orthodoxæ Fidei accederet. Qui ordo licet contemplationem vti primarium finem reſpiciat; ita tamen in ſublimi contemplatiuæ vitæ monte verſatur, vt ad opem ſalutarem proximis ferendam, & ad confutandas hæreſes deſcendat: præſertim cum ea mens fuerit Beatæ Virginis Thereſiæ huius præclaræ Religionis, Sanctiſſimæ inſtauratricis, quę Diuino afflatu tum pro abolendis hęreſibus, tum pro quibuſuis Chriſti vineæ cultoribus in extirpandis lolijs Hæreſeon operam nauantibus, Deum enixè precata eſt: & quod ipſa, ſexus infirmitate detenta per ſe preſtare non poterat; ad hunc finem primario proximum, reformationem ſuam collimabat: vt eius filij non modo orationum inſtantia, vitæque exemplo, verum etiam Doctrinæ ventilabro, ab omni Hęreſeon labe Chriſti aream purgarent, quod in Regno Polonię ab ipſis cum magno Eccleſiæ Dei ornamento, & Chriſti fidelium ſolatio, nuperrimè factum Ciuitas Lublinenſis gratulatur. Deſcenderant ex latebris Racouienſibus in arenam certaminis, acerrimi veritatis Catholicę, ac Chriſti Diuinitatis hoſtes: iaculabantur ſophiſticarum argumentationum acuta ſpicula, vibrabant virulentę doctrinæ venenatas lanceas, ſuiſq; ridiculis propoſitionibus clariſſimum fidei lumē offuſcare moliebātur: ſed irriti eorū fuere conatus retorta ſpicula, confractæ lanceæ adeòq; veritatis Catholicæ lumen effulſit, vt tenebras errorum ſuorum, planè palpabiles deprehendere potuiſſent, niſi pertinacia, quæ eos excæcauit, obſtitiſſet. Et quamnis non exiguo temporis interuallo ad prælium ſeſe acuebant, cum videlicet aliquot ante diebus ad publicas aſſertiones pro feſto ſolemni Principum Apoſtolorum inuitati, longiores inducias poſtulaſſent, quas conceſſas rurſus pudore ſuffuſi abbreuiarunt: Ac tandem tertio Idus Iulij ad certamen in æde Spiritui Sancto conſecrata deſcenderunt, victi tamen ex acie deceſſerunt, & veritatē, quam expugnare moliebantur, ne leuiter quidem impugnare potuerunt. Et verò cum adeò à Reuerendiſſ. Patribus Carmelitis Diſcalceatis in hoc certamine proſtrati ac profligati fuiſſent; criſtas tamen erigere & per ſummum mendacij ac perfrictæ frontis ſcelus contra authoritatem grauiſſimorum Iudicum, ab vtraque parte deputatorum, videlicet Illuſtriſſimi Domini Dom. Ioannis Comitis in Oſtrorog Palatini Poſnanienſis &c. & Illuſtriſſimi Domini D. Nicolai Firlei Caſtellani Biecenſis &c. Iudicorum vniuerſalium Regni tunc Marſchalci, cæterorumque virorum, fide digniſſimorum, qui nomina noſtra ſub calcem diſputationis ſcripta, vna cum ſigillis appoſuimus, victoriam ſibi vſurpare in varijs Poloniæ Prouinciis non erubuerunt. Sanè poſtquam rumor hic de triumpho falſo ſibi adſcito ad aures meas peruenit, dolore iuſto permotus, ægerrime tantam calumniam tu-

Digitized by Google

li: cum enim parua ſcintilla contempta ſæpè magnum excitet incendium; timendum erat, ne graue detrimentum Catholicæ fidei inferant; ſi hæc impoſtura diſſimularetur: neque noua ſunt hæc inanis eorum iactantiæ ac verſutiæ commenta; ea enim Hæreticorũ ingenia eſſe compertum eſt, vt tametſi in publicis de religione concertationibus proſternantur, (vt in eadem Ciuitate Lublinenſi poſt peractam diſputationem cum Reuerendiſs. Patribus Societatis Ieſu anno ſalutis humanæ inſtauratæ 1615. & cum Reuerendiſs. Patribus Ordinis Prædicatorum Anno ſequenti, tribus diebus ante præſens certamen contigit) penes ſe tamen victoriã ſtare, rei geſtę ignaris perſuadere conentur. Sufficiens hoc foret argumentum ad comprobandum eos eſſe capitales veritatis inimicos, & ad eorum aſſerta fide indigniſſima iudicanda; porrò cum hæc diſputatio nomini meo dicata fuiſſet, ferendum eſſe non cenſui, vt hæ, obtrectationes impune iactarentur· mearumque partium eſſe duxi, vt eius acta à iurato Notario, qui aderat, fideliter conſcripta, nec non ab incorruptis iudicibus, ac alijs Nobiliſſimis teſtibus, qui interfuimus, ſubſcripta, vna cum Aſſertionibus Theologicis publico certamini propoſitis, in lucem ederentur, quo hi peruerſi impoſtores, quibus armis deuicti ſint, perſpicientes, è putidis Racouienſibus lacunis exilire, & coaxationes ſuas, ranarũ more repetere vel inuiti, non pergant. Acceſſerunt huic meo conſilio vota plurium Nobilium, tum eorum qui hoc prælium ſua illuſtri præſentia ornauerunt; tum illorum, ad quos fama tantæ victoriæ peruenit: exoptantium vt res ſibi geſtæ tanquam ad confutandos Hæreticos, roborandoſque Catholicos aptiſſimæ palam diuulgarentur. Nunc ergo ſi tenebricoſi falſorum dogmatum Magiſtri, ſuis vt ſolent, obtrectationibus poſt publicum victoriæ teſtimonium inficiari veritatem non erubeſcent, ſummæ impudentiæ ſcelus erit, virorum grauiſſimorum, ac dotiſſimorum teſtimonio, & authoritati derogare: Si verò ſcriptorum ſuorum debilibus præſidijs, mendacia, ab illorum peruerſæ fidei propugnatore conficta, fulcire, aut impertinenter excuſare volent. inertiã, imperitiamque illius, quem quaſi cæteris præſtantiorem ad hoc munus obeundum, vnicum elegerunt, (quamquam & alios ſe prolaturos prius iactarent, eos tamen propter timorem, fide non ſeruata, minimè exhibuerunt) eo ipſo prodent. Si prudenter igitur agere velint, nec hic ſcripta negare, nec errores ſuos defendere, ſed potius fateri veritatem, Hæreſeſque retractare debebunt. Cum autem duplex ſit diſputandi modus, quorum alter acrior, & vehementior eſt, alter vero lenior, ac ſuauior: illum quidem plurimos Sanctos fidei zelo inflammatos, potiſſimum vero Diuum Stephanum aduerſus Iudæos; Diuum Baſiliũ aduerſus Valentem Imperatorem. Diuum Athanaſium aduerſus Arium eiuſque ſectatores; hunc autem non paucos viros illuſtres, deſiderantes in bono malum vincere, adhibuiſſe conſtat: Pijſſimos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ alumnos admonitos velim, ità vtrumque in hac concertatione à Reuerendis Patribus temperatum eſſe, vt non minor modeſtiæ quam feruoris, prout aduerſariorum obiecta exigebant, ratio haberetur, ne aut feruore nimio, inimici fidei irritati, à conuerſione, hinc anſa accepta retardarentur: aut per remiſſiorem ſpiritum lenitatis, inexpugnabilis Catholicæ fidei firmitas labefactari videretur. Atque vtinam ipſe Vnigenitus Dei Filius cuius connaturalis Diuinitas in præſenti certamine defenditur, dignetur confuſos iam Hæreticos conuertere, lætos roborare Catholicos, & omnes Diuinitate ſua, facie ad faciem reuelata, exhilarare in Cœlis. Amen &c

Hactenus hic vir inſignis.

Duo reperi comitia litteraria à noſtris Diſcalceatis celebrata Lublni in Polonia, in quibus cum Arianis publicè ac ſolemnitèr iuxta modum deſcriptum fuit diſſertatum. Anno Domini 1616. propoſitæ fuerunt à noſtris Aſſertiones Theologicæ ſatis fuſæ, ex materia de Prædeſtinatione, Trinitate, Gratia, & Concordia noſtræ libertatis cum auxilijs Diuinis: Et in die Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli 29. Iunij fuerunt à Catholicis impugnatæ, die verò 20. Iulij ſequentis ab Arianis. Prę ſidebat in his

Comi-

Digitized by Google

Comitijs noſter Pater Ioannes Maria à S.Ioſeph Genuenſis ex nobili domo Cēturiona, qui deinde fuit Prouincialis in Polonia, ſicut & in Germania, ac tandē Procurator Generalis: Argumentatus eſt D. Statorius Arianus contra aſſertionē vndecimam ex his quæ tunc ſpecialiter fuerunt appoſitæ contra hæreticos & Schiſmaticos, Et ſic erat; *Chriſtus Dominus eſt verè Filius Dei, eiuſdem naturæ cum Patre, eiuſdemque potentiæ, & illi per omnia æqualis, non factus ſed genitus in vnitate naturæ ab æterno, per quem facta ſunt omnia*. Contra quam tale propoſuit argumentum; *Qui eſt eiuſdem naturæ cū Patre eius diuinitas eſt naturalis, ſed Chriſti diuinitas non eſt naturalis, ergo Chriſtus non eſt eiuſdem naturæ cum* Patre: Negatam minorem ſic probauit; *Cuius diuinitas eſt ex gratia eius diuinitas non eſt naturalis; ſed Chriſti diuinitas eſt ex gratia*, Ergo Chriſti diuinitas non eſt naturalis: negatam iterum minorem probauit alio argumento deſumpto ex illo Apoſtoli, *Dedit illi nomen quod eſt ſuper omnem nomen*, prętendens quod illud nomen erat poteſtas diuinitatis; ſed hoc negato & conceſſo quòd illam ſignificabat, voluit vlterius vrgere, & probare quòd eo modo conuenit alicui ratio ſignificata per nomen, quo ipſum nomen illi conuenit, multaque congeſſit cum tumultu & diſſentione, quæ ſeriem diſputationem turbauerunt, nec locum dederunt Noſtri Patri explicandi ſingula.

Iterum Lublini in noſtra Eccleſia ſub inuocatione B.V.Mariæ de monte Carmelo ſimilia fuerunt celebrata Comitia anno Domini 1620. pomeridiano tempore cum eadem ſolemnitate Iudicum, Teſtium & Auditorum, Eodem etiam Prę ſide N. P. Ioanne Maria à S.Ioſeph, & arguente D. Statorio contra hanc Aſſertionem; *Secundùm fidem Deus non eſt perſona vna, ſed vnus in natura, trinus in perſonis, nec hoc myſterium eſt contra, ſed ſupra naturam & intellectum humanum, & eſt inter has perſonas omnimoda in eſſentia identitas*: Contra quam ſic argumentatus eſt; *Pater ille ex quo omnia, non eſt trinus in perſonis, Deus ille vnus eſt Pater ex quo omnia, ergo Deus ille vnus non eſt trinus in perſonis*: Reſpondit Præſidens, diſtinguendo minorem ſic; *Eſt ſolùm* Pater *ex quo omnia, nego*; *Eſt non ſolùm* Pater *ex quo omnia, ſed etiam aliqua alia perſona, concedo*: Hac diſtinctione confuſus arguens tumultuauit contra illam, nec quicquam ad impugnationem partis negatæ propoſuit multò tempore: Deinde ſic reſumpſit dicens, quòd *Apoſtolus non benè explicaret id quod explicādum erat, nempe naturam ipſius Dei, tacendo alias perſonas a* Patre: Sed fruſtra id aſſumpſit, nam in loco Apoſtoli fit etiā mentio aliarum perſonarum Sanctiſſimę Trinitatis, ſic enim habetur; *Si quidem ſunt dij multi, &* Domini *multi; nobis tamen vnus eſt* Deus *Pater, ex quo omnia, & nos in illum*; Et *vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. Quem locum Præſidens, alijs etiam Sacræ Scripturę adhibitis, docto diſcurſu, & communi applauſu expoſuit. Nec dubium, quin ſimiles diſputationes Arianorum confuſioni, ac plurium ex ipſis conuerſioni cooperentur.

AD primùm ergò dicendum, quòd quidem non habui relationem de conuerſione Polonorum Arianorum: quamuis autem non conuertantur, hoc non tollit quin noſtri Carmelitæ Diſcalceati cooperentur eorum conuerſioni prædictis modis; qui proinde cauſam Dei agūt & iuſtificant miram eius prouidentiam in procuranda omnium ſalute; Et ita iuſtificatur in ſermonibus ſuis, & vincit cū iudicatur, meritò namque poteſt dicere, P*erditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*; Vnde Ariani malitia & obſtinatione ſua ſola non conuertuntur.

AD Secundum dicendum, quòd concedimus hos omnes aſſignatos religioſos etiam cooperari conuerſioni Arianorum in Polonia: Quamuis enim dicamus noſtros Diſcalceatos cooperari eorum conuerſioni, non tamen dicimus quod cooperantur priuatiuè ad alios, ſed ſimul cum alijs, vt ſic reddatur ſingulis

quod

Digitized by Google

quòd ſuum eſt, & laboris,& gloriæ.

AD Tertium dicendum; quòd illud medium ſolemnium diſputationum fuit propoſitum ab ipſiſmet Arianis, vt conſtat ex adducta epiſtola, & inſuper acceptatum à Magiſtratu, & aliàs per alios religioſos exercitum, nempe per Patres Dominicanos & Ieſuitas; Et ita neceſſarium fuit noſtris in publicam palæſtram deſcendere,ſi enim recuſaſſent, victoriam ceciniſſent Ariani de iuſtitia ſuæ fidei, quaſi Catholici non fuiſſent auſi contradicere fundatis eorum rationibus; Ex hac autem diſputatione ipſorum cum noſtris,relicta fuit ipſis confuſio,vtrum aliquarum conuerſio ſubſequuta fuerit, neſcio.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati fuerint omnium primi, qui hoc ſæculo publicam in Hollandia habuerint Eccleſiam.

AD Octauum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non fuerunt omnium primi, qui hoc ſæculo publicam in Hollandia habuerint Eccleſiam. Probatur: In miſſione Hollandica ſunt alij miſſionarij, tam regulares quàm ſeculares,ipſis Carmelitis potentiores; Vnde ſi fuiſſet ibi conceſſa Eccleſia publica, potiùs ipſis quàm Carmelitis data fuiſſet, vt ex conuenientia conſtat: :Ergo Carmelitæ Diſcalceati non fuerunt omnium primi, qui hoc ſeculo publicam in Hollandia habuerint Eccleſiam.

¶ 2. Preterea: Si Carmelitæ Diſcalceati fuiſſent omnium primi,qui hoc ſæculo publicam in Hollandia habuerint Eccleſiam; cum ſit res honoris maximi pro religione Carmelitana, procuraſsēt vbique publicari ſcriptis relationibus in omni idiomate,ſicut ſcribuntur ab alijs pro rebus minoris momenti: Sed hoc nullibi fuit publicatum, nec ſcitur etiā Romę,quò boni ſucceſſus miſſionum referuntur ad ſacram Congregationem de Propagāda fide:Ergo Carmelitæ Diſcalceati non fuerunt omnium primi, qui hoc ſeculo publicam in Hollandia habuerint Eccleſiam.

¶ 3. Præterea: Carmelitę Diſcalceati ex mandato Magiſtratus Amſterodami, vbi dicunt ſe habere publicā Eccleſiam, tenentur tempore congreſſus Catholicorum claudere eius portam: ſed cum hoc non ſtat, quòd ſit Eccleſia publica,nam Eccleſia dicitur publica, quæ patet publicè: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non fuerunt omnium primi, qui hoc ſæculo publicam in Hollandia habuerint Eccleſiam.

SED CONTRA eſt authoritas fidelium relationum Amſterodamo miſſarum, ab ipſomet Patre noſtro Bernardo à S. Ioſeph,qui primus publicam hoc ſeculo in Hollandia habuit Eccleſiam, quas vniformes legi cum alia ſpeciali ab eodem mihi miſſa.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati fuerunt omnium primi,qui hoc ſæculo publicam in Hollandia habuerunt Eccleſiam.

RESPONDEO dicendum, quòd noſtri Carmelitæ Diſcalceati fuerūt omnium primi,qui hoc ſæculo publicam in Hollandia habuerint Eccleſiam. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Domini ſtatuum generalium Hollandię volentes antiquam confederationem renouare cum Chriſtianiſſimo Rege Galliæ Ludouico XIV. ſuos miſerunt Oratores,à quibus Rex inter alias conditiones petijt,vt in Hollandia quatuor eſſent Eccleſiæ publicæ pro Catholicis, ſicut ipſe in ſuo Galliæ Regno permittebat templa publica pro ſectatoribus ipſorum fidei: Vnde vt referebant nuntia,conceſſum ab illis dicitur,vt in quatuor ſequētibus Ciuitatibus, ſcilicet Haga Princi-

pis,

pis, Dordraco, Telfis, & Amſterodamo, totidem Eccleſiæ publicæ Catholicis permitterentur.

Probatur concluſio fideliſſima relatione dicti P. Bernardi de Gallico idiomate in Latinum translata, dimiſſis aliquibus quæ ad rei ſubſtantiam non pertinent, quę poterant committi priuatis epiſtolis, non autem publicis monumẽtis. Sic igitur fusè ſucceſſum deſcribit, loquens de ſe in tertia perſona: *Dominus Præſidens Thuanus vulgo de Thou, Orator Suæ Maieſtatis Chriſtianiſſimę apud Prouincias vnitas, videns neceſſitatem miſſionariorum Gallorum, quam Galli Catholici patiebantur, qui poſſent eos in fide confirmare, confeſſiones audire, concionari, Sacramentum matrimonii adminiſtrare, paruulos baptizare, moribundis aſſiſtere, & exequi officium ſepulturæ: Et aliundè ſciens quàm benè ac fructuosè ſe gererent P. Petrus à Matre Dei filius D. Bertÿ Geographi Regis, & P. Bernardus à S. Ioſeph, prouinciæ Pariſienſis Carmelitarum Diſcalceatorum in Ciuitatibus Batauorum & Haga Principis, voluit etiam Amſterodami ſtabilire. Contulit de hoc negotio cum ſua maieſtate, quando ſub finem anni 1661. profectus eſt in Galliam: Statim ac redÿt in Hollandiam cæpit dictum promouere negotium pro vtilitate Gallorum, qui maximo numero reſident Ambſterodami, circa hoc differit cum Vicario Apoſtolico, & Epiſcopo Harlemi ordinario Ambſterodami, ac ſimul cum Magiſtratu dictæ Ciuitatis. Dominus de Neer Caſtel natione Batauus, ab Hollãdiæ Clero nominatus Coadiutor Vicarÿ Apoſtolici futurus poſt mortem Epiſcopi Trallenſis, venit Hagam Principis, vt mox diſceſſuro in Galliam D. Præſidenti Thuano fælix iter auguraret ſub finem Aprilis, quẽ Rex ad maiora & magis honorifica reuocabat in Galliam in præmium fidelis eius obſequÿ tempore ſuæ legationis: Hic Prælatus ex parte Cleri Hollandici dicto D. Oratori hanc miſſionem obtulit ſeu præſentauit adminiſtrandam à Carmelitis Diſcalceatis Gallicis, qui ſua pietate, virtute, doctrina & zelo plenè ipſi Clero ſatisfaciebant: Exinde idem Dominus de Neer Caſtel bonũ hoc nuntium dicto P. Bernardo tulit, excitans ipſum vt ad capiendam poſſeſſionem pergeret quando vellet. Noſtri duo miſſionarÿ ſtatim Ambſterodamum accurrunt; ſed vix peruenerant, cum P. Petrus Lugduni miſſionarius ad ſuam miſſionem redire cogitur ex aliquo incidenti quod eius præſentiam exigebat, ita quod P. Bernardus remanſit ſolus: ſtatim aliquos ex Gallis præcipuos congregauit, quibus ſecreto ſui motiuum aduentus declarauit, quod ſcilicet venerat, vt conduceret locum erigendæ Eccleſiæ aptum: Et facta diligentia repertus eſt vnus, qui fuerat aliàs Eccleſia, vbi nunc tragediæ repræſentabantur; habet fornicem depictum, longitudinis octuaginta pedum, & laitudinis quaſi viginti ſex, continere poteſt mille ducentos homines, eſt in medio Ciuitatis, & propè manent quam plures Galli: ſtatim fuit conductus, & adductus faber lignarius ad aptandam ſacriſtiam, ad formãdum Altare, Sanctuarium, corpus Eccleſiæ, & cubiculum excipiendis confeſſionibus idoneum. His ita diſpoſitis, illicò Pater redÿt Hagam Principis, vt ex ſuo diſceſſu res ſecretiùs fierent, ac ſimul moneret Dominũ Oratorem de ſua negotiatione, rogans ipſum vt capiendę poſſeſſionis diem aſſignaret, ſuaque præſentia actum illum honoraret, poſt aliquam conſultationem dies Aſcenſionis fuit aſſignatus. Sub illud tempus prædictus Dominus de Neer Caſtel ſcripſit epiſtolam P. Vicario Prouinciali prouinciæ noſtræ Pariſienſis ſequentis tenoris.*

Honoratiſſime Pater.

Bona obſequia, quæ Religioſi veſtri commorantes Lugduni Batauorum & Hagæ Principis reddunt Gallis, monuerunt me vt ipſos Ambſterodami ſtabilirem. Propterea deſidero, vt ſibi complaceat dignum aliquẽ mittere, qui ſit potens in opere & ſermone, vt incipiamus miſſionem hanc honorabilẽ: mens erga Galliam affectus facit, vt eamdẽ adhibeam ſollicitudinem pro bono ſpirituali Gallorum, quam aliorum meæ nationis; Et certe verbum hoc S. Pauli, In Chriſto Ieſu non eſt Iudæus, neque Græcus &c. debet æqualiter me mouere vt laborem pro Gallis qui reſident hic in noſtris Epiſcopatibus æquè ac pro ſalute Batauorum, quia ſunt omnes

Digitized by Google

omnes domeſtici Dei & fidei: Promitto mihi de tua charitate, quod mittes ad nos hominem electum, & mihi concedes auxilium precum tuarum, quas deſiderat ſummopere ille qui eſt cum omni ſinceritate.

Tuus humillimus & affectuoſiſſimus
7. Maij 1662. Seruus de Neer Caſtel.

Non potuit negocium adeò ſecretè pertractari, quin illud aliqui reſciuerint: qui debebant huius rei ſtabilitati magis contribuere, voluerunt eam euertere; primū quod fecerunt, fuit accedere ad præcipuos Gallorum, eiſque imprimere terrorem panicum, procurantes perſuadere negotium hoc fieri contra beneplacitum magiſtratus; Et conſequenter quod, ſi Patri fauerent, populus inſurgeret in ipſos, ipſorumque domos diriperet: Iſte diſcurſus alijs iunctus ſic mercatores Gallos terruit, quod nullus eorum Patri hoſpitalitatem obtulerit, nec denariū dederit pro expenſis erigendæ Eccleſiæ. Prouidit tamen Deus modo mirabili: pauperem ſuſcitauit ſutorem dictum Michaelem Pointel oriundum ex Vrbe Vernen in Normandia, prudentem, zelantem, & commodum, cuius vxor eſt obſtinatiſſima hæretica: Hic ſe Patri obtulit, tam vt ipſum in ſua domo exciperet, quàm vt omnem pecuniam erectioni Eccleſiæ neceſſariam daret; ipſum igitur velut Angelum excepit hoſpicio, & trecenta ſcuta vltrò conceſſit: ſuſcitauit etiam deuotam mulierem, quę puellas inſtruebat, Coloniæ natam, nomine Catharinam Komiſſicen, vt de agendis in Eccleſia diſponeret. Horum zelo ac diligentiæ fidēs Pater, decreuit Hagam redire, venturus iterum ſuo tempore, vt poſſeſſionem caperet: in ſuo reditu petij Harlemum, vbi erat Dominus Cezius eiuſdem loci Epiſcopus, & ab eo petijt benedictionem ac facultatem exequendi ſuum intentum: Bonus Antiſtes admiratus eius zelum, & præuidens futuram Eccleſię vtilitatem, ter ipſi ſuam impertiuit benedictionem, & omnem authoritatem. Pater his munitus iter ſuum perfecit, reuerſus Ambſterodamum in vigilia Pentecoſtes ſub veſperam hora ſeptima, & tota nocte cum duobus prædictis Eccleſiam præparauit. Sub noctem eiuſdem diei venit Ambſterodamum Dominus de Thou Orator Galliæ, vt ſua preſentia capiendam Eccleſiæ poſſeſſionem faceret authenticam: ſed ijdem, qui Gallos mercatores prius terruerant, ad ipſum accedunt aſſerentes quod ſtabilimentum huius Eccleſiæ magnum in Vrbe rumorem cauſabat; & quod vnus ex Magiſtratu, qui illud permiſerat dictus Dominus Graffus ex Vrbe deceſſerat, præuidens futuram populi ſeditionem contra Patrem; Et ſic eius erat prudentiæ non exponere Regis authoritatem in hoc negotio, quod non poterat felici exitu concludi. Ipſe Orator non valens tunc de horum diſcurſuum veritate informationem capere, iuſſit vocari Patrem, cui dixit ſuum eſſe ſenſum, quod ſummo mane caperetur poſſeſſio cum paucis teſtibus & quaſi ſecretò; Et quod proinde non erat opus concione, vel alia ſolemnitate. Pater de hoc attonitus receſſit, & ſummo mane ſuum miſit hoſpitem ad vnum ex Gallis valde intimum D. Oratori, vt ei proponeret, quod omninò conueniebat poſſeſſionem capere cum aliqua ſolemnitate, vt oſtenderetur quod non venirent furtinè, ſicut aliqui diuulgabant, ſed cum auctoritate magiſtratuum tam Eccleſiaſticorum quā ſæcularium. Dominus Orator, qui falſitatē præcedentium diſcurſuum aliunde didicerat, vnum ex ſuis ad Patrem miſit, dicens quod omnia eius prudentiæ remittebat; Pater verò poſitus in oratione petebat à Spiritu Sancto lucem, qua cognoſceret quid agēdum eſſet pro maiori eius gloria, cum vidit populum accurrentem vndique, & Eccleſiā nongentis circiter perſonis fere plenam; tunc iuſſit portam claudi, ad vitandum maiorem tumultum. Pater igitur hæc videns, matutino tempore circa decimam horam functionem poſſeſſionis incipit huius Eccleſiæ, quæ fuerat vltima ab hęreticis vſurpata, & nunc erat prima Catholicis reſtituta; dicit, Veni Sancte Spiritus, Eccleſiam benedicit, Et cum aliàs fuiſſet ſub inuocatione Beatiſſimæ Virginis, noluit eius nomen mutare, ſed addidit nomen S. Ioſeph: Et ſic tres, quas habemus in Hollandia miſſiones, dedicatæ ſunt ſacræ Ieſu familiæ, In Haga Principis ipſi Ieſu, Lugduni Sanctiſſimæ Virgini Matri, & Ambſterodami S. Ioſeph. præcipuo noſtræ reformationis protectori

Deinde

Digitized by Google

Deinde benedixit Altare, tabernaculum, vaſa & ornamenta, ſolemnem poſtea Miſſam cantauit, in qua plures Catholicos apud ipſum confeſſos communicauit, qua finita concionem habuit. Res mira fuit, quod in fine ſolemnitatis huius Flandri quàm plures & alij extranei, qui linguam Gallicam percipiebant, gratias Patri egerunt, Regique Galliæ multum applauderunt, quod hanc miſſionem procuraſſet, & zelantes miſſionarios miſiſſet: ſciuit etiam cum magno mentis iubilo, quod Ciuitatis magiſtratus motu proprio ducem cum turba militum miſerat, ne vlla ſeditio populi ex contrariorum æmulatione ſuccederet; non tamen hac præuentione opus fuit, nam cuncta eum maxima pace & tranquillitate ſucceſſerunt. Ipſe Orator, cum à teſtibus oculatis didiciſſet, cum quanta quiete ſolemnitas huiuſmodi celebrata fuerat, & quod diem ſequentem indixerat Pater ad agendas Deo gratias pro capta poſſeſſione, ad exorandum etiam Deum pro Dominis Magiſtratibus, prænũtians futuras eſſe duas conciones, vnam mane hora decima, aliam veſpere hora tertia, cum excellenti muſica muſicorum Regis, qui vocati Haga venerant: Ad ipſum miſit ſe velle huic actioni aſſiſtere, quod rara fecit pietate, miſſam audiẽs quam Pater celebrauit adiutus Elemoſynario D. Reſidẽtis Imperialis Domino Stalpart induto cotta & ſtola; Audiens quoque primam concionem Patris: Poſt meridiem verò finita eiuſdem Patris ſecunda concione, cantatum fuit Te Deum Laudamus magnifica muſica cum mirabili populorum aſſiſtentium lætitia, qui tanta concurrerunt multitudine, quod opus fuerit occludi portam Eccleſiæ, ne plures ingredi non valentes in publico remanerent vico cum ſcandali periculo. Die Martis vltimo Penteceſtes feſto Pater ibidem Miſſam celebrauit, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum expoſuit, & concionatus eſt: Vix dici poteſt, quàm magnus populorum ibi præſentium in his ſpiritualibus exercitijs numerus; & quanta fuerit omnium conſolatio, præſertim cum à Patre promittente audierunt, quod in die Sanctiſſimæ Trinitatis celebraret, duas ſimiliter habiturus conciones. Dum Pater Hagam petijt primæue miſſionis ſuę reſidentiam, vt cuidam Dominę morienti ſuccurreret, aliquos patitur in hac noua miſſione æmulos, tam ex Catholicis quàm ex miniſtris: illi dicebant, quod Pater nullam habebat miſſionem pro ciuitate Ambſterodamo, & quod hactenus proceſſerat in dictis proprio motu, & non ex beneplacito ſuorum Superiorum tam Hollandiæ quàm Galliæ: Iſti verò in ſuis Congregationibus declamabant, quod magiſtratus libertatem conſcientiæ dederãt contra leges ſtatus fundamentales, & quod totus populus currebat poſt illum monachũ Oratoris concionatorem; quod ſi permitteretur amplius in eodem loco concionari, ſuis concionibus ad ſuam fidem omnes traheret, cum iam ſponte accurrerent, & ſic ad ſeditionem populum excitabat. Pater de his monitus, ſtatim Haga petit Harlemum ad D. Catſiam Epiſcopum, cui ſcriptam ad ſe de his epiſtolam legit: qua lecta dixit Epiſcopus quod iam plures ei dederat benedictiones, quod eas iterabat, & ſimul approbabat quicquid Ambſterodami fecerat in capta poſſeſſione, quod factum benè nouerat tunc de nouo veniens ex illa ciuitate ex multorũ informatione; ſubiungens vt pergeret Amſterodamum ad ſuam miſſionem firmandã, quod nullum timeret, quod ſciret nomina Catholicorum contradicentium ad remediũ, & quod non indigebat alia ipſius approbatione ſcripta. Miniſtrorum perſecutio indictam profeſto Sanctiſſimæ Trinitatis ſolẽnitatem turbauit: mouit enim magiſtratũ, vt prohiberet Patri in prædicta Eccleſia concionari pro tali feſto & dominica ſubſequenti: Vnde pridie illius circa meridiem duos ex Gallis præcipuos vocauit, vt eis indicaret quod ad ſedandam populi commotionem, nolebat permittere quod per quindecim dies in hac Eccleſia foret concio, ſic diſponendo quodam iure politico, ne ex vna parte ſui gubernij rationem miniſtris redderet, & ex alia tolleret ſua prudentia ijſdẽ miniſtris occaſionem turbandi populũ, qui facilè quieſceret videns quod exercitia Religionis conceſſa Gallis ad inſtantiam ſuæ Maieſtatis dependerent ab ipſo Magiſtratu & ex hoc inferret quod abſolutè non fuerit in Hollandia tota libertas conſcientiæ per-

miſſa. Cum eadem die ſub veſperam Pater *veniſſet, hanc Magiſtratus, diſpoſitionem à dictis* Gallis *audiuit: quibus auditis non terretur* Pater, *ſed aſſumptis quatuor aut quinque mercatoribus* Gallis *conuenit* Præ*ſidentem Gubernatorum ciuitatis, qui cenſetur* Catholicis *admodum contrarius: Rogat ipſum vt ſibi permittat concionari die ſequẽti, quia id publicè promiſerat, & omnes expectabant; & quod pro alia dominica diſpoſitionem ipſorum exequeretur, petens tunc fauorem, ne miniſtri in confuſionem ſui victoriam canerent, quod tamen volebat ipſis in omnibus complacere, quos habebat vt protectores, & bonos ſuæ Maieſtatis Chriſtianiſſimæ confederatos, ac ſcirent quod ipſe ſemper excitaret populos ad debitam obedientiam.* Cum *Præſidens Gubernatorum hunc tantæ ſubmiſſionis diſcurſum audiſſet, manu* Patrem *apprehendit, eique dixit;* Do*mine, cras non poteris cõcionari in illa* Ec*cleſia, ſic decretum eſt inter Dominos Gubernatores, & duabus Dominicis ibi non cõcionaberis, oportet vt ita fiat pro noſtra politica; Et vt videas, quod non ſumus contrarij veſtro ſtabilimento, volo quod craſtina die concioneris mane & veſpere, ſicut annũtiaſti, in alio loco, fac illud cum omni ſecuritate;* Et *ſicut noſtrę eſt politicæ non permittere quod ibi ſit concio duabus Dominicis, ſic veſtri eſt iuris alibi concionandi.* Poſt *alios diſcurſus ſubiunxit idem* Præſidens: Domine, *fidos homines ad te audiẽdum miſimus, qui nobis retulerunt te optimè ac* E*uangelicè cencionari:* Ego *ipſe te volo audire, diligo enim homines eximios, gratias quoque ago nomine* Dominorum *noſtrorũ, quia in tuis concionibus præces pro nobis indixiſti;* Et *publicè dixiſti quod non erat* Ec*cleſia penitùs libera, vt rumor ferebat, quod nihil faceres niſi ex noſtro beneplacito;* Et *excitaſti populos Catholicos, ne abuterentur libertate quam vobis concedebamus:* Hoc *benè procedit, continuate; oportet* Domine *quod ſis noſter ciuis, ſi tibi placet, & ſcribaris in domo publica. Vna tantum hora ante mediam noctem* Pater *in ſuum redijt hoſpitium, & rogauit ſibi locum quæri, in quo concionaretur die ſequenti, quæ erat feſtum Sanctiſs. Trinitatis, mane, & veſpere, quod ita factum eſt: Res mira, quod illi qui de dicto ſucceſſu non fuerant moniti, & credebant concionem habendam eſſe in prædicta Eccleſia, venerant mane hora ſeptima ad occupandum pro concione locum, licet hora ſolùm decima cum dimidia foret habenda; iam audito dicti ſucceſſus nuntio, recedentes ab* Eccleſia Patrem *quærebant, & qui repererunt ſequebantur vſque ad locum vbi concionaturus erat, qui non fuerat indicatus æmulationis vitandæ cauſa. Die lunæ ſequenti, quæ fuit quinta* Iunij, Pater *audiẽs adueniſſe mercatores* Gallos, *qui ſciuerant amicorum relatione cuncta quæ ipſe fecerat magiſtratui placuiſſe, viſitauit præcipuos ipſorum, quorum duos rogauit vt ipſum comitantes introduceret in domos Gubernatorum; Vnus ipſorum vocabatur Dominus Blot Lugdunenſis, alter verò Dominus de la Garde Blin ex Monte relaxo, vulgò Morlaix in Britania, ambo ditiſſimi: capit eius viſitatio circa meridiem, & finijt in nocte circa decimam; Vix autem poteſt exprimi, quam humaniter nouus noſter miſſionarius ab illis Dominis fuerit exceptus, qui ſignificabant ipſi ſuam de ipſius aduentu lætitiam, & rogabant vt populos hortaretur ad mutuam vnionem & ad obedientiam erga Magiſtratum. Tandem habetur ex epiſtola ſcripta die 22. eiuſdem menſis Iunij, quod tranſactis diebus quindecim prædictis redijt Amſterodamum, & conuenit Præſidentem Gubernatorum, ad obtinendum ipſius conſenſum celebrandi & concionandi in dicta* Eccle*ſia, quem obtinuit cum hac conditione, quod eius maior porta maneret clauſa, quia erat è regione vnius ipſorum templi, & populus intraret per aliam minorem quæ alteri vico correſpondet; quod executioni mandatum fuit in acceſſu pluſquam octingentorum hominum,* Et *ſic continuabunt celebrare & concionari in hac Eccleſia Marię & Ioſeph dedicata.* Hactenus fideliſſima relatio.

AD primùm ergo dicendum, quòd aliquando Deus eligit infirma mundi, vt confundat fortia; & contemptibiliora, relinquens nobiliora, vt conſtat in electione Apoſtolorum pro prima miſ-

Digitized by Google

miſſione ad conuerſionem totius mundi: Deus autem eligens miniſtros ad aliquid, reddit idoneos, vt accidit in præſenti.

AD Secundum dicendum, quod hactenus noſtri Patres fuerunt admodum ſobrij ad ſcribendum quæ faciunt pro gloria Dei: Quidam hoc aſcribunt negligentiæ, alij verò modeſtiæ; Vndecumque proueniat, melius eſt in hoc eſſe diminutum quàm ſuperfluum & exaggeratiuum.

AD Tertium dicendum, quòd patet porta illius Eccleſiæ, dum in ea congregantur Catholici, quamuis ob adductam rationem porta maior illius tunc ſit clauſa. Deinde vt dicatur Eccleſia publica, non eſt opus quod pateat ſemper porta, ſed ſufficit quòd ſciatur communiter hanc eſſe Catholicorum Eccleſiam, vbi liberè pro exercitijs Catholicæ religionis ſuo tempore congregantur. Quòd autem non dicatur, penitùs libera, hoc ideò eſt, quia primariò & principaliter fuit conceſſa pro ſolis Gallis ad inſtantiam ipſorum Regis; ſecundariò tamen & acceſſoriæ cæteri Catholici aliarum nationum, ex ſcitu & beneplacito magiſtratus admittuntur.

QVAESTIO XXVIII.

De miſſionibus Carmelitarum Diſcalceatorum pro conuerſione aliorum infidelium.

DENIQVE conſiderandum eſt de iiſdem miſſionibus pro conuerſione aliorum Infidelium: Circa quas quæruntur quinque.

¶ Primo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Sabæorum ſeu Chriſtianorum S Ioannis.

¶ Secundo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati fuerint omnium religioſorum primi, publica Pontificis Maximi authoritate in Perſidem miſſi.

¶ Tertiò, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Mahometanorum.

¶ Quarto, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Gentilium.

¶ Quinto, Vtrum Carmelitę Diſcalceati omnium religioſorum primi fidem *Chriſti* in Regno Congo prædicauerint.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Sabæorum ſeu Chriſtianorum Sancti Ioannis.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitę Diſcalceati non cooperentur conuerſioni Chriſtianorum Sancti Ioannis: Ita voluerunt aliqui probare, in iudicio contradictorio, dum eſſem in Indijs Orientalibus. Probatur: Hi Chriſtiani ſunt tales ſolo nomine,& ita non ſunt,nec fuerunt conuerſi ad fidem Chriſti: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur conuerſioni ipſorum.

¶ 2. Præterea: Conuerſio Chriſtianorum Sancti Ioannis, ſi quæ ſit aut fuerit, debet attribui Patribus Auguſtinianis,qui primi fuerunt ad eos miſſi a D.Alexio de Menezes Archiepiſcopo Goenſi ex ipſis aſſumpto, quaſi ſinus perſici ſpeciales miſſionarij; Et conſequenter in Ciuitate Baſſorana domum acceperunt,pro fouenda & promouenda tali miſſione: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur conuerſioni Chriſtianorum S.Ioannis.

¶ 3. Pręterea: Si quid ſuaderet, Carmelitas Diſcalceatos cooperari conuerſioni Chriſtianorum S. Ioannis,maximè quia procurarunt eorum tranſmigrationem ad terras ditionis Luſitanæ: Sed hæc tranſmigratio fuit ab ipſis intenta potiùs motiuo commodi temporalis quàm fidei, & inſuper ad illam concurrerunt Patres Auguſtiniani: Ergo Carmelitę Diſcalceati non cooperantur, ſaltem ſpecialiter conuerſioni Chriſtianorum S.Ioannis.

SED CONTRA eſt authoritas fidelium relationum,& veritas ſucceſſuum, quibus ego tũ Baſſorę tum Goę interfui.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati ſpecialiter cooperantur conuerſioni Chriſtianorum S. Ioannis.

RESPONDEO dicendum, quod noſtri Carmelitæ Diſcalceati ſpecialiter cooperantur conuerſioni Sabæorum ſiue Chriſtianorum Sancti Ioannis. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd hi ſolo nomine Chriſtiani dicuntur eſſe S. Ioannis à Luſitanis,ab Arabibus vocantur Sobbi,inter ſe ipſos autem nominantur Mandai: In Arabia felici eique adiacente Perſide ad Euphratem & Tygrim iuxta ſinum Perſicum habitant: peculiari ſuis in libris vtuntur idiomate, quod dicunt eſſe Chaldæum corruptũ, à Neſtorianis deſcendiſſe præſumuntur: Solum in Baſſorana Ciuitate, & circumiacentibus vrbibus ac oppidis, videlicet Aueſa, Argia,Daureca,Geſaer,& aliquot alijs reperiuntur: Venerantur Seth filium Adami, quẽ *Srit* nominãt propria lingua quaſi ſuũ Patriarcham præcipuũ: Sunt deuotiſſimi Sancti Ioannis Baptiſtæ,quem ſua lingua *Iai aben Zacharia ſiue filium Zachariæ vocant*, & eſſe conceptum ex aqua fabulantur: Sunt infenſiſſimi & acerrimi Mahometanorum inimici,quos à Noe & Dæmone generatos aſſerunt: Suos habent Sacerdotes, more Orientalium matrimonio iunctos, quos Canſeuros appellant: Sunt Chriſtianis plurimum affecti,& ad terras Luſitanis ſubditas animo perfectæ conuerſionis, Patribus noſtris qui in Ciuitate Baſsorana commorantur ſuadentibus, tranſmigrare diu procurauerunt: multos errores circa Eccleſiæ ſacramenta, & plures in ſua fide fabellas habent, de quibus N.P.Ignatius à Ieſu librum edidit: ſuos habent libros fabularum & diuinationum, quos à S. Ioanne Baptiſta ſe recepiſſe dicunt; inter eos eſt vnus ſatis magnus dictus Sidra, quem aſſerunt ab Adamo, & filio eius fuiſſe compoſitum,& vocant librum

brum Adami: In ſuo baptiſmate non vera vtuntur forma, ſed ſequenti; *In nomine ipſius Domini primi nouiſſimi ex mundo paradiſi altioris omni altitudine omnium creatoris*. Non vere dicunt miſſam, & cum aliquando dicunt, loco hoſtiæ vtuntur quodam paruulo pane compoſito ex farina, vino & oleo, ex quo ſacerdos ſumit aliquam partem, & reſiduum diſtribuit circunſtantibus; vinum autem exprimunt ex vuis ſiccis in aqua medefactis; Vnde ex multis defectibus non conficiunt verum ſacrificium corporis & ſanguinis Domini; in cuius locum introduxerunt ſacrificium galline, quam ſacerdos immolaturus ſacra ſumit ornamenta, & versùs ad Orientē eleuatis in cœlum oculis cultro guttur eius abſcindit; ſolent etiam ſimilibus cęremonijs ſacrificare arietem. Non habent veram ſacerdotum ordinationē, ſed Epiſcopo mortuo congregantur ſacerdotes & primates populi, & eligunt eum demortui filium, qui magis eruditus & verſatus fuerit in ſuis ritibus; quo deficiente conſanguineū aſſumunt proximiorem, & officio aptiorem; qui poſtea ſuos ordinat ſacerdotes, per ſeptem dies ieiunantes, & tunc quotidie recitans orationes ſuper eos. Nullum penitùs habent vſum ſacramentorum Cōfirmationis, Pœnitentiæ, & extremæ Vnctionis. Matrimonium verò ſolemniter celebrant medio ſacerdote: qui primo exigit iuramentum a ſponſa quòd ſit virgo & media coniuge ſua hanc veritatem ſcrutatur; deinde ducens tam ſponſum quam ſponſam ad fluuium aut fontem ipſos baptizat, qui redeuntes ad domum ipſius ſponſi, ipſe ſponſus apprehenſa ſponſę ſuæ manu ad ianuam accedit, & inde ſepties retrocedit, recitante ſuper eos ſacerdote aliquas orationes; demùm in domum introductos ſacerdos ſimul vnit verſo inuicem dorſo & ter eorum capita coniungit, ac libro ſortium ſeu diuinationum aperto diem eligit conſummandi matrimonij fortunatum: ſponſiſque denuntiat. Hi nomine chriſtiani crucem venerantur, & dicunt quòd Angeli ſummo mane crucem accipiunt, & collocant eam in medio ſolis, & ſol ab ipſa ſuum accipit ſplendorem, quo mundum illuminat. Futuram credunt vitam bonorum & malorū, ſed cum plurium fabellarum admixtione: ſuos omnes Sabbæos fore ſaluandos affirmant, quos duo Angeli dicti Beedat & Gouran ante conſpectum Dei pręſentans; dicunt quod paruuli morientes nutriuntur fructu cuiuſdam arboris, donec ad perfectum creuerint. Inter Angelos conſtituunt mares & fœminas, ſicut & generationes; diſtingunt in bonos & malos, omnes tamen Deum venerari & orare affirmant. Dicunt Deum non immediate creaſſe mundum, ſed huic operi præfeciſſe S. Gabrielem, cum trecentis & triginta ſex millibus operariorum dæmonum, in cuius conſtructione ridiculas admiſcent fabulas, quas ab antiquis Gentilibus collegiſſe videntur. Ex odio Mahometanorum horrorem conceperunt, contra colorem cæruleū Mahometanis vſitatum, quamuis hoc motiuum ex metu diſsimulent, & fabulam fingant horroris huiuſmodi, dicentes inde prouenire, quòd Iudęi videntes S. Ioannem paratum baptizare Chriſtum, materia huius coloris infeciſſent aquas Iordanis; Et tamen reſeruata per Angelos in vaſe aqua pura baptizatum fuiſſe Chriſtum.

Probatur concluſio fideli relatione totius ſucceſſus: Hi Chriſtiani conuerſatione & ſuaſu noſtrorum Patrum ad veram Chriſti fide tranſire deſiderabant ſed hoc in terris Mahometanorum fieri non poſſe iudicabant: quapropter rogarunt vnum ex noſtris Patribus Luſitanum, nomine Baſilium à S. Franciſco, cum quo tunc Baſſoræ menſibus quindecim manſi, vt à Luſitanorum Rege portionem aliquam terræ in ſinu Perſico obtineret, vt illuc omnes transmigrantes cum omni libertate fidem Chriſtianam poſſent profiteri: Scripſit hic Pater ad Sacram Congregationem de propaganda fide hanc chriſtianorum intentionem, quę tam pio cooperata deſi-

derio

Digitized by Google

derio à dicto Rege obtinuit quod illi poſtulabant. His expeditis dictus Pater à Baſſorenſi Principe ſibi ſummè affecto transmigrationem huius populi precibus impetrauit; ſimul admonet ducem Generalem Luſitanorum in ſinu Perſico nomine Rodericum Frere d'Andrada, qui hoc ſummoperè exoptabat, & mille aureos ad omnia transmigrationi neceſſaria miſit, ac mercatoribus iniunxit, vt inter ſe hos chriſtianos diuidentes in ſuis nauibus admitterent. Septingenti ex illis naues ingreſſi ſunt, qui præcurſores aliorum locum eis deſtinatum parare volebant, vt ſenſim alij poſtmodũ illuc confluerent, qui ad triginta circitèr millia numerantur: Ex illis ſeptingentis maſcatum appulſis ſeptuaginta primarij Goam nauigarunt anno Domini 1632. quò peruenientes, & iuxta littus vnum ex noſtris religioſis Luſitanum nomine Alexium, quem priùs Baſſoræ cognouerãt, inueniẽtes rogarunt, vt ipſos ad Proregem introduceret; illo igitur præcedente ad Palatium Proregis tanquam milites ordinati, catapultis muniti, ſub vexillo in quo crux depicta erat, peruenerunt, & exploſis catapultis Proregem ſalutauerunt. Hanc miratur Prorex nouitatem, qui ſint, vnde veniant; quò tendant, quidue poſtulent inquirit: Omnibus ei per dictum religioſum noſtrum ab exordio declaratis, mittit illos in noſtrum conuentum, vt ibi per aliquot dies donec de his deliberauerit commorentur: Interim noſtris Patribus id ſtrenuè ſollicitantibus, Prorex conſilium generale ſtatus conuocat, vt de his maturiùs determinari poſſit: Tandem authoritate regia conceditur eis pagus Doba in ſinu Perſico ex parte Arabiæ cum terris adiacentibus; Dux horum chriſtianorum creatur Dominus pagi, cui Prorex honoris cauſa habitum equeſtrem Deuis inſignitum cruce viridi, propriumque enſem conceſsit; inſuper datur illis claſsis maritima ſex nauigiorum, vt ſinum Perſicum a piratis mundarent, ſub hac tamen conditione, vt in ſuo pago Doba aliquot ex noſtris religioſis alerent, quos tanquam Parochos authoritate Eccleſiaſtica ſimul & regia eis deſtinauerant. Anno igitur 1633. menſe Aprilij ſoluunt è portu Goano, ad ſinum Perſicum tendunt, ſed aduerſis flantibus auris redire coacti vſque ad vndecimam Nouembris Goæ commorantur; Tunc rursùs vela facientes maſcatum appellunt, ſed mortuo iã prædicto Duce generali, negantur eis terræ conceſſæ, & ſic pium illud negotium malitia diaboli peruertitur, & chriſtiani illi partim diſſipantur, partim ad proprias redeunt terras, partim inter Luſitanos remanent, cum veri eſſent chriſtiani. Quamuis autem totius nationis huius conuerſio & transmigratio non fuerit ſubſequuta, multi tamen de nouo conuerſi & baptizati verè ad inſulam Ceilam ditionis Luſitanç tranſiſſe dicuntur. Continuant noſtri Patres Baſſoræ commorantes conuerſioni horum chriſtanorum attendere, tum ſingularibus colloquijs, tum etiam conferentijs, & diſputationibus; ſed præ ceteris in hoc laborauit prædictus P. Ignatius, qui diligenter omnes eorum libros reuoluẽs notauit errores, & edito libro impugnauit, quem Sacra Congregatio de propaganda fide typis mandauit. Ex hactenus dictis probata manet noſtra concluſio.

AD Primum ergo dicendum, quòd ſi loquamur de tota *natione* horum chriſtianorum, fatemur quòd hactenus non fuit verè chriſtiana; fuit tamen opera noſtrorum Patrum ad ſuſcipiendam fidem Chriſti diſpoſita, quam in obtentis Luſitanorũ terris debebat profiteri; non audet autem in terris Mahometanorum, timens ne cogatur iſtorum ſectam amplecti, ſi publicaretur quòd vult mutare Religionem; interim plures ex ipſis conuerſi ſunt opera noſtrorum, vt dictum eſt.

AD Secundum dicendum, quòd quidem verum eſt, dictum *D.* Alexium Goenſem Archiepiſcopum *cœpiſſe hãc* miſſionẽ mediantibus ſuis Patribus Auguſtinianis: ſed poſtmodũ *noſtri* ſpecialitèr

Digitized by Google

liter illam fouerunt, vt dictum eſt, quia ſemper habuimus ibi relſgioſos, & diuturna manſione notiſſimos, & in lingua tam Arabica quàm Perſica peritos.

AD Tertium dicendum, quòd illud commodum ab his Chriſtianis intentũ in dicta tranſmigratione, parum erat; imò potiùs erat incommodum comparatione ad ea quæ habebant in patria: Vnde ſolùm quærebant manſionem ſecuram pro cultu & exercitio Chriſtianæ fidei. Ad aliud dicendum, quòd ſolum probat Patres etiam Auguſtinianos fuiſſe cooperatos tranſmigrationi & conuerſioni horum Chriſtianorum, inuitatos titulo amicitiæ ac bonæ correſpondentiæ à noſtris, Ego tunc exiſtens Baſſoræ fui teſtis oculatus.

ARTICVLVS II.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati fuerint omnium religioſorum primi, publica Pontificis maximi authoritate in Perſidem miſſi.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non fuerint omnium religioſorum primi, publica Summi Pontificis authoritate in Perſidem miſſi. Probatur: Carmelitæ Diſcalceati miſſi ſunt in Perſidẽ ſub huius ſæculi principio, ſcilicet anno Domini 1605. ſed non videtur veriſimile, quòd ante hoc tempus non fuerint miſſi alij Religioſi in illud regnum authoritate Summi Pontificis, qui ſolet eſſe multùm ſoilicitus de animarum ſalute, quaſi de maximè proprio ipſius officio: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non fuerunt omnium religioſorum primi, publica Summi Pontificis authoritate in Perſidem miſſi.

¶ 2. Præterea: Patres Auguſtiniani aliquot annis ante Carmelitas Diſcalceatos ingreſſi ſunt in Perſidem, venientes ex Indijs Orientalibus, ibique iam Aſphani in Curia Regis habebant reſidentiam. Sed eorum miſſio per totum Orientem facta fuit publica Summi Põtificis authoritate: Ergo Carmelitæ Diſcalceati nõ fuerunt omnium religioſorum primi, publica Summi Pontificis authoritate in Perſidem miſſi.

SED CONTRA eſt authoritas fidelis relationis Perſicę miſſionis, in litteris Pontificijs expreſſa.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati fuerunt omnium religioſorum primi hoc ſæculo, publica Summi Pontificis authoritate in Perſidem miſſi.

RESPONDEO dicendum, quòd noſtri Carmelitæ Diſcalceati fuerunt omnium religoſorum primi hoc ſæculo, publica Summi Pontificis authoritate in Perſidem miſſi. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod regnum Perſidis in Sacra Sriptura nominatiſſimum habuit ſecundam mundi monarchiam ſub Dario & Cyro, ac ſucceſſoribus monarchis vſque ad alium Darium tempore Alexandri, à quo tertia Græcorum incepit: Hoc regnum tres principales habet partes, nempè Perſidem meridionalem ad ſinum Perſicum, à qua totum regnum denominatur; mediam ſiue regionem Medorum Septentrionalem; ad Armeniam & Iberiam; ac Parthiam inter vtrãque ſitam; alias habuit, & habet annexas prouincias: Quamuis ſæpiùs in eo fuerit prædicatum Chriſti Euangelium, ab ipſis primùm Apoſtolis Simone & Iuda, deinceps etiam ab alijs; nunquam tamen vniuerſaliter fidem chriſtianam recepit, quantùm attinet ad Regem ac Principes, etſi aliquando permiſſa floruerit. In principio huius ſæculi Clemens VIII. Summus Pontifex aduertens in noſtris Diſcalceatis maximum conuerſionis animarum deſiderium, eos elegit ad hoc munus Apoſtolicum: Vnde duo primi eliguntur inſignes viri, nempe P. Paulus Simon à Ieſu Maria Ge-

Digitized by Google

Genuenſis, qui poſt reditum ter fuit electus noſter Generalis; & P. Ioannes Thadæus à S.Eliſeo Calaguritanus, qui viginti quatuor annis manſit in miſſione Perſica chariſſimus Regi, ac tandem veniens Romam electus fuit ab Vrbano VIII. primus Aſphanenſis Archiepiſcopus, ſed rediturus in Perſidem moritur in Hiſpania: Diſcedunt Roma anno Domini 1605. per Poloniam, & Moſcouiam iter dirigunt, ac tandem poſt multos labores, ac frequentia mortis pericula, ad regiam Perſidis Curiam peruenerunt, vbi maximis beneuolentiæ ac reuerentiæ ſignis à *Scia Abbas* ſiue Rege Abbas velut Sūmi Pontificis nuncij & Oratores excipiuntur, quo deinceps titulo noſtri Patres inſigniti perſeuerant, ibidem, & vulgo vocantur *Padri Rim Papa*, ideſt Patres Romam Papæ; Cum alij Religioſi denominẽtur a principibus, à quibus fuerunt miſſi, & ſub quorum manent protectione. Semper deinde illuc miſsi ſunt Patres noſtri, multa pro gloria Dei, & pro Infidelium conuerſione paſsi & operati ſunt, multoſque tam ex Schiſmaticis Orientalibus, quàm ex Mahometanis ad Catholicam Chriſti fidem conuerterunt, imo & aliquot ex Perſis ad martyrium induxerunt: ſed hæc per tranſennam indicaſſe ſufficit, cum de his fuſiùs egerim libro 8. Itinerarij mei Orientalis cap. 3.

Probatur concluſio: Cum ex dictis ex quibus cōſtat euidenter noſtros Carmelitas Diſcalceatos fuiſſe miſſos in Perſidem publica Summi Pontificis authoritate quod antea de alijs factum non legimus: Tum ex mutuis Summorum Pontificum & Regum Perſarum epiſtolis, quæ ſunt huius veritatis monumenta, præſertim quia noſtri Patres fuerunt illarum latores: prima, quæ totum huius noſtræ miſsionis intentum declarat, eſt ſequentis tenoris.

Illuſtri, ac Pontentiſſime Scia Abbas Regi Perſarum Clemens Papa VIII.

Illuſtris, ac Potentiſſime Scia Abbas Perſarum Rex, adſit Tibi Deus, & perfectam in omnibus rebus veritatem & vitam oſtendat. Miſimus iam ad te Paulum Simonem, Ioannem Thadæum, & Vincentium Fratres ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, eiſque mandauimus vt nonnulla negotia noſtro nomine Tibi exponerent. Cumque facile futurum ſit, vt ea de cauſa aliquandiu apud Te moram trahant; eis iniunximus, vt interea Chriſti fideles, qui ſub tua poteſtate ſunt, noſtro nomine inuiſant; vt memores ſint ſalutis æternæ, eos ſalutaribus præceptis inſtruant, & iuxta Chriſtianorum ritum, & facultates eis conceſſas ſpiritualibus remedijs, & Sacroſanctis Sacramentis reficiant. Vt autem aliqua de eorum inſtituto intelligas, pauca quædam Tibi ſignificanda duximus, ex quibus cætera facile conijcias. Habuerunt olim religionis huius profeſſores, ſicut à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris memoriæ proditum eſt, ſui inſtituti auctores Sanctos Prophetas Eliam & Eliſeum omnibus nationibus & Gentibus notos, & a B. Alberto Patriarcha Ieroſolymitano magni nominis viro proprias regulæ conſtitutiones acceperunt; quibus illis in primis præcipitur, vt ſummam obedientiam, perpetuam paupertatem & caſtitatem ſeruent. Deinde vt in lege Domini meditantes, contemplationi & orationi vacent, tum prædicationi verbi Dei, atque animarum ſaluti incumbant; atque ideò ad regiones longinquas mittuntur; Et iam Hiſpaniarum regna & Indiam Occidentalem, nonnullaſque Italiæ ciuitates peragrarunt. Bonorum temporalium (vt illorum quoque viuendi rationem accipias) nec communi quoque nomine proprietatem aut vſum retinent: Et quotidianum victum, aliaque ad Eccleſiarum cultum, & vſum vitæ neceſſaria, ex pia eleemoſynarum oblatione capiunt. Nudis

Digitized by Google

dis pedibus Apoſtolorum more ſolcis vtentes incedunt; vnde Diſcalceati nuncupantur. Perpetuò à carnibus abſtinent, corpus vigilijs & ieiunio macerant, horrido cilicio domant, & crebris verberibus in ſeruitutem redigunt, vt legi mentis non repugnet, & in omnibus Diuinæ ſubiacent voluntati; dumque ſe à carnis petulantia, & terrenarum rerum ambitu, atque à viſibilium voluptate cuſtodiunt, ab his etiam alios admonendo compeſcunt. A Te igitur petimus, vt illos & libenter audias, & chriſtianas functiones cum fidelibus ſubditis tuis exercere permittas; nec verò incultum & rudem illorum veſtitum deſpicias; nam ſi vitam & mores inſpexeris, experieris vt in Domino confidimus, ſub illo vili aſperoque indumento latere quaſdam praeclaras animi dotes atque virtutes, quibus ſe Deo & hominibus gratos praebere ſtudent. Et licet pedibus longinqua loca peragrantes puluere conſpergi, & inquinari luto videantur; ex eorum tamen colloquijs & vſu frequenti comperies, vt ſperamus, quàm omni labe immunes, quàm à rerum humanarum colluuie liberi, quàm denique ſpecioſi ſint pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Datis Romæ apud Sanctum Marcum die Octobris anno 1604. Pontificatus noſtri anno 13.

Non ſemel hic Rex ſcripſit Summo Pontifici: Vnicam tamen hic appono eius epiſtolam, qua apparet quantum noſtros Patres venerabatur.

Magnæ Maieſtati, meliori, dilectiori in perfecto loco & Throno Pontifici Romano.

ADmodum ſublimis Domine, protector maieſtatis, potens in armis & magne Paſtor, multùm excelſus & excellens plurimum ſupra Reges & Principes Chriſtianos, electe præ omnibus hominibus, quorum dignitates tuis pedibus ſubmittuntur, fortunæ ac naturæ nobiliſſimæ & præfulgidæ, altiſſimi throni, cuius verba ſunt pſalmi & euangelium, Rex altiſſimæ potentię. Poſt ſolitam & debitam reuerentiam &c. Amor & amicitia, cognitio & vnio, quas habemus cum Dominis Regibus altæ maieſtatis, & ſpecialiter cum Veſtra Sanctitate quaſi ſole præfulgido, ipſi notæ ſunt ac manifeſtę, cuius affectus & amor erga noſtram Regiam perſonam & res noſtras firmus ac perfectus eſt, fuitque ſemper confirmatus mutua communicatione medijs Oratoribus prudentibus & facundis inter nos continuata; Qui in ſpecie ſunt R. R. Patres Carmelitæ, qui huc ad nos venerunt, & illuc cum epiſtolis noſtris redierunt. Nunc iterum mitto magnum & multùm Illuſtrem Dominum Robertum Sherlei (qui iam in obſequium noſtrum iuerat quaſi noſter Orator ad renouandam amplius amicitiam) ſimili titulo Oratoris ad maieſtatem Principum Chriſtianorum, & ad R. R. Patres Carmelitas, qui inde ad nos venerunt, & hic in noſtris regnis reſident. In ſocietate prędicti magni & multùm illuſtris Domini mittimus R. P. F. Redemptum à Cruce, qui eſt vir grauis & dilectus; Et propter has rationes maior fides adhibebitur illic omnibus ijs quæ ipſis ore tenus communicauimus, & noſtro nomine referent. R. P. F. Ioannem hic retinemus, vt apud nos reſideat. Illud quod a Veſtra Sanctitate deſidero, eſt quòd ſicut erga nos amorem & amicitiam ſemper oſtendit, ſic eam continuet frequentibus epiſtolis eiuſdem affectus ſignificatiuis: Et quod in obſequium ipſius in his omnibus regnis noſtris ſe offeret, mandet Veſtra Sanctitas vt moneamur, quia faciemus vt ipſi ſatisfiat: Et ſuper omnia deſideramus, quod fœliciſſimum finem conſequatur.

Fuit data hæc epiſtola in menſe Romadan milleſimo & vigeſimo quarto anno legis Mahometicæ circa annum Domini ſexcenteſimum inſtitutæ. Poſt mortem huius Regis, eius ſucceſſor & ex primogenito nepos Scia Sofi ſcripſit etiam Summo Pontifici anno Domini 1629. cuius epiſtolam tam ipſi Pontifici, quã noſtris Patribus admodum honorificam

Digitized by Google

de Perſico idiomate in latinum tranſtuli.

AD primùm ergò dicendum, quòd meſſis Euangelij eſt magna, operarij autem pauci comparatiuè; Vnde Summus Pontifex non poteſt omnibus regnis Infidelium, vt vellet, prouidere operarios; ſed iuxta occaſionem illos mittit huc illuc: Vidit igitur Clemens VIII. noſtros Patres Diſcalceatos in miſſionem Perſidis inclinatos & diſpoſitos; ac ita prædicto anno illos miſit, nec legimus alios priùs miſiſſe publica & ſolemni miſſione ſeu legatione.

AD Secundum dicendum, quòd Patres Auguſtiniani, licet cum ſufficienti authoritate Summi Pontificis ſuam miſsionem Perſicam fundauerint; non tamen publica & ſolemni miſſione ſeu legatione, qua paulò poſt noſtri Diſcalceati fuerunt miſſi.

ARTICVLVS III.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Mahometanorum.

AD Tertium ſic proceditur; Videtur quod Carmelitæ Diſcalceati non cooperentur conuerſioni Mahometanorum. Probatur: non auditur, quòd Mahometani conuertantur ad fidem Chriſti; quin imò dicuntur difficillimæ conuerſionis: Ergo Carmelitę Diſcalceati non cooperantur conuerſioni ipſorum;

¶ 2. Præterea: Mahometani prohibentur ſtudere, ſicut & de lege ſua diſputare ſub pœna mortis; vnde ſtatim, ac audiunt aliquem de illa diſputantem, recedunt; Sed hoc ſuppoſito nullus poteſt cooperari ipſorum conuerſioni, vt ex ſe patet: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur conuerſioni Mahometanorum.

¶ 3. Præterea: Quamuis Mahometani tolerent miſſionarios in terris ſuis propter habitantes ibidem chriſtianos; eſt tamen rigoroſiſſima prohibitio, ne cum ipſis Mahometanis agant de rebus fidei, nam ſtatim accuſarentur, ac morte plecterentur; maximè ſi quid dicerent contra Mahomet pſeudo-prophetam: Sed hoc omninò præcludit viã conuerſioni Mahometanorum, vt conſtat euidentèr: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur conuerſioni Mahometanorum.

SED ONTRA eſt authoritas fideliũ relationnm de pluribus Mahometanorum conuerſionibus, quarum aliquas ipſe vidi.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati cooperantur conuerſioni Mahometanorum.

RESPONDEO dicendum, quòd noſtri Carmelitæ Diſcalceati cooperantur conuerſioni Mahometanorum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd Mahometani denominantur a Mahomet pſeudopropheta, qui dicitur natus in ciuitate Mecha Arabiæ ad mare rubrũ: Fuit aſtutus, quamuis ignarus; Eius pater vocabatur Abdalla, mater autem Emina: Apparuit in fine ſexti ſæculi, & in principio ſeptimi ſuam ſectam inſtituit: Dicitur fuiſſe ſeruus cuiuſdam Abdemonaplis, Camelorum ductor, cuius demortui vxorem in matrimoniũ duxit, à qua hæres inſtitutus potenſque effectus ad regnum aſpirare cœpit, quod vt obtineret ſe prophetam finxit: Sergij monachi ſuaſionibus multas hæreſes, maximè contra Chriſti Domini diuinitatem ſeminauit, medius hęreſiarcha inter Arium & Antichriſtum, primum & vltimum in hac materia, quamuis ipſum Chriſtum laudet; librum ſuæ legis, vulgo Alcoranum ex Chriſtianis ac Iudaicis dogmatibus compoſuit; Tãdem firmato regno Medinæ in eadem Arabia ad mare rubrum ſitæ, moritur ætatis anno 65. & ſtatim anno Chriſti 632. eius loco ſufficitur Albabucker, & po-

Digitized by Google

& poſtea Homar; qui ſubiugata Syria & Aegypto Curiam regni tranſtulit Damaſcum: Mahometica ſuperſtitio ſic creuit, vt partem Europę, totam penè Aſiam, & cultam Africam ſub multis Principibus occupet; quorum præcipui ſunt Imperator Turcarum, magnus Mogor Indiarum Orientalium monarcha, Rex Perſarum, magnus Kan Tartarorum: In ditione trium Priorum fixas habemus miſſiones; ſub Turca quidem Aleppi & Tripoli in Syria, Baſſoræ in Arabia, & ad Carmelum montē in Palæſtina; ſub magno Mogore in ciuitate Tatta Regni Sindi ad Indum fluuium; ſub Perſa Aſpahani in eius Curia, & Sciraſij.

Probatur concluſio fideliſsima relatione ſucceſſuum, quorum maiorem partem ego vidi ſpatio duodecim annorum, quos inſumpſi vel in peregrinatione vel in reſidentia noſtrarum miſſionum: Et quia tales ſucceſſus retuli fuſius in meo Orientali Itinerario, propterea hic breuitèr ſolum indico; maximè quia non hiſtorici, ſed Theologi munus exequor. Quamuis igitur ob rationes in contrarium adductas appareat velut impoſſibilis conuerſio Mahometanorum, quantùm ad regna & prouincias integras, niſi conuertantur Reges & Principes: In particulari tamen multi conuertuntur, & ad terras Chriſtianorum mittuntur; Vidi plures, qui fidem Chriſti negauerant, opera noſtrorum Patrum ad eam redijſſe præſertim ex Polonis captiuis; Et quia ingenioſius eſt amor Dei, & proximi, iuxta piam & valde receptam opinionem, noſtri miſſionarij paruulos Mahometanorum morti proximos per aſperſionem baptizant, cum ab ipſorum parentibus vocantur, vt ſuper eos agonizantes orationem faciant; Et hac via quàm plures tranſmiſerunt in cœlos. Caſus aliquot particulares con-uerſionis Mahometanorum, qui magis ad gloriam Dei reluxerunt, hic appono: Aſpahani in Perſide noſtri conuerterunt quinque Perſas, ſcilicet Eliam hortulanum noſtrum, Chaſſidir eius cognatum, Alexandrum, Ioſeph & Hebraim, quos cum mitterent Ormuſium, & inde ad Indias, capti ſunt, & cōſtantes in fide Chriſti martyrio coronantur; Elias quidem infixus ſtipiti aliquot horis ſuperuiuens miro feruore prædicabat fidem; Chaſſedir alligatus ſtipiti ventris diſciſionem cultro paſſus feliciter obijt; Alexander ſe Chriſtianum ipſimet Regi profeſſus, eius Imperio lapidibus obruitur, & corpus comburitur; Ioſeph, qui priùs metu fidem Chriſti negauerat, de lapſu pœnitens & fortior effectus ſimiliter lapidibus obruitur, ſicut & Hebraim, quorum reliquiæ ſemiuſtæ colliguntur à Chriſtianis: Dictus Elias, qui diu ſuæ conuerſioni reſtiterat, factus iam Chriſtianus procurauit conuerſionem Oppidi ſui, & ad hunc finem noſtros induxit vt in Ciuitate Sciraſenſi fundarent hoſpitium, ſed glorioſo præuentus martyrio munus illud Apoſtolicum non potuit implere; conuertit tamē ſuam ſororem, quę vocata fuit Thereſia, & quam vidi dum filium ſuum ad ſuſcipiendum baptiſmum adduxit. Prædictis martyribus adiungo quendā Luſitanū nomine Blaſiū Caruagle, qui nolēs Chriſti fidē negare, cū captiuus eſſet in Perſide, roboratus Patrum noſtrorum exhortationibus, abſciſſo capite martyr occubuit, cuius reliquias Sciraſi in noſtro cōuentu vidi. Succeſſit etiam Aſpahani quid magni laboris & maximi periculi, prætextu conuerſionis cuiuſdam Dominæ ad fidem Catholicam: Hæc fuerat ex Hircania in curiam Perſidis adducta, & traditur nobili Anglo Catholico nomine Roberto Shirlei, poſtea creato Comiti Palatino, quæ priùs vocabatur Sanuf, deinde dicta Thereſia: Poſt mortem mariti accuſatur quaſi deſertrix Mahometicæ legis, comprehenditur, & vocatur ad iudicium, ſed ſeipſam iuſtificans clariſſimè demonſtrat ſe ex Hircania adductam Chriſtianis parentibus ortam, ac ſemper fuiſſe Chriſtianam, aſſeuerans quicquid res tulerit, ſe ſemper talem futuram; minantur ignes, ſe paratam ad ignes pro fide Chriſti reſpondet; minātur

Digitized by Google

tur ex altiſſima turre præcipitium, inuincibili conſtantia replicat ſe nullum mortis genus propter Chriſti fidem illatum metuere; Tandem quia Iudex noſtris Patribus pro ipſa intercedentibus plurimum erat affectus, aliquibus muneribus flexus eam dimiſit: Iterum eam in die feſto Aſcenſionis anno 1629. cōprehendere voluerunt, in propria domo quærunt, ſed admonita fugit, latuit apud Armenos, nec multò poſt à noſtris Patribus dimiſſa Conſtantinopolim, inde Romam venit, vbi nunc anno Domini 1664. adhuc viuit propè noſtrum Conuentum S. Mariæ de Scala, venerabilem ac in bonis operibus pijſſimam ducens ſenectam. In eadem Aſpahanenſi Ciuitate noui quendam adoleſcentulum, qui propè noſtrum manebat conuentum: Hic matrem quidem Armenam, ſed patrem Turcam habuit; mater, quæ Chriſti fidem in corde ſeruabat, anxia de ſalute filij qui patris educatione mahometi legem colebat, eum ad noſtros Patres inducere ſatagebat: Vix in principio puer audebat accedere, ſed conſuetudine ipſorum mutatus à conuentu poſtea vix poterat recedere; ibi ſenſim amoris Chriſti concepit ignem qui deinceps ſuo tēpore flammam excitauit: Erat indolis optimæ & acris ingenij dictus Zeman Bek; ab ipſo Rege linguarum externarum electus interpres, noſtris Patribus linguam Italicam & Latinam traditur edocendus: Tandem Religioſis eorum exercitijs, ac virtutum captus exemplis efficitur Chriſtianus. Baſſorę quidam Antonius nomine, e Ciuitate Diuienſi oriundus, capta Luſitanis naue ad Bandel Regh, ſeu ad portum arenoſum in Sinu Perſico deducitur: Puer erat, vnde facilè Domini ſui portus illius gubernatoris perſuaſus blanditijs, abiurata Chriſti fide Mahometicam amplectitur, tanto affectu diligitur, vt totius cura domus ipſi demandaretur à Domino: ſed bono ſuo Baſſoram mittitur, vbi à Patribus noſtris agnitus dolo capitur, & in ſecreto recluditur loco: Hæc vbi nuntia eius domino relata ſunt, miſſis ad Proregem Baſſoranum ſupplicibus epiſtolis ab ipſo ſuum expoſcit captiuum, quem contra iuſtitiam in Ciuitate ipſius liberā dolosè captum, & vi retentum affirmat; religionis & ſtatus rationes adducit, ipſum aſſerens ſponte Mahometanum eſſe, & ſe amicum intimum (è cuius portu multa Baſſoræ commoda proueniebāt) commemorans: Sed Prorex ipſe noſtrorum Patrum amorem eius amori, & cōmodum Luſitani commercij præferens, Patres quietos relinquit, & puer ipſe paulò poſt reconciliatus Eccleſiæ remittitur ad Indias. Ibidem poſt paucos mēſes à præcedenti ſucceſſu quid ſimile contigit: Quidam Luſitanus nomine Bartholomæus Correa, natus Vlyſſipone, adhuc puerulus capto Ormuſio trāſfertur in Perſidem, vbi Proregis Sciraſenſis puer honorarius effectus, Mahometanis dogmatibus imbuitur, multis poſt decurſis annis pictoris artem edoctus vxorem duxit, & ſæpe cum turmis ſui Proregis ad Regium Perſidis exercitum eques deſtinatus eſt: Suo Proregi Chariſſimus diuitijs ditatur, & aliquot oppidorum dominio honeſtatur; Sed ad Chriſti fidem reuocatus à Domino Baſſoram iuit cum duobus Mahometanis ad fidem inclinatis: cognita eius fuga, ſtatim è Perſide aliqui ab eodem Prorege miſſi aduolant, vt eum aut viuum, aut mortuum reducant; dantur illis litteræ commendatitiæ ad Proregem *Baſſoræ*, vt illum iuuenem ipſis tradat, qui tamen noſtrorum Patrum rationibus motus eum noſtræ relinquit poteſtati in Indias ſtatim nauigaturum. Ex eadem Ciuitate Baſſora miſſus fuit in Indiam quidam Turca Babylonis mercator diues, iam à noſtris baptizatus, & vocatus Ioſeph à Carmelo: Hic viginti quinque circiter annos natus ad celeberrimum Mahometani nominis templum, quod Mecchæ colitur, deuotionis cauſa Pſeudoprophetam perrexerat; templum ingreditur, ſuperſtitioſis ritibus inſiſtens diutiùs in templo commoratur, vbi myſtico correptus ſomno S. Petrum Apoſtolum videt, qui baptizans ipſum ab impio templo

Digitized by Google

plo iubet exire, & ad Chriſtianorum terras transmigrare: Cum Goam perueniſſet, in noſtro conuentu recipitur, & directus Romam in nauibus Luſitanis, iam cœlo maturus in mari mortuus eſt: Ad hanc Mahometanorum ſub Turcica ditione viuentium miſſionem proceſſerunt Patres noſtri authoritate muniti, tam Summi Pontificis, quàm Regis Chriſtianiſſimi. Summi quidem Pontificis in ſequenti breui expreſſa proprio motu.

Dilectis Filijs religioſis viris Carmelitis Diſcalceatis in Arabiam proficiſcentibus.

Vrbanus Papa VIII.

Dilecti filii ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Barbaricæ ſuperſtitionis parens Arabia terribili periculorum facie Chriſtianos Sacerdotes hac etiam tempeſtate deterret: Vos tamen genus electum, & gladio ſalutis armatum, qui alios fugere poſſet, ipſe terror inuitat, ut fides veſtra cæleſtes oculos oblectet, inuenta pretioſior auro, quod æſtuantis fornacis ignis explorauit. Nos igitur, qui Vobis Angelorum cuſtodientium comitatum accuratiſſimis precibus conciliare conamur Apoſtolicarum etiam litterarum alloquio conſolari decreuimus. Ite igitur Milites Chriſti portantes nomen Domini coram gentibus: tonate eloquio, pugnate charitate, & in veſtris moribus, & ſermonibus diuinitatis præſentiam barbarus etiam hoſtis agnoſcat. Qui duodecim viros ſelegit ad debellandum Orbem Terrarum non philoſophorum ſapientia inſtructos, non legionum robore, ſed ob paupertatem contemptibiles, & Crucis ignominia gloriantes, potens eſt per Vos Arabicas nationes ſub Apoſtolicæ authoritatis imperium redigere. Omnipotens dextera è quibus periculis eximere poſſit hæreditatem ſuam ipſi Arabicum abluentes ecritroci fluctus teſtantur.

Si ergo conſiſtant aduerſus vos impietatis ferocientis caſtra, ne obliuiſcamini turrem fortitudinis eſſe nomen Domini, & poſſe in iſtis regionibus Pharaonis naufragia, & Aegyptiorum cladem renouari. Quid autem ſi ipſius vitæ diſcrimine fidei conſtantiam teſtari opus fuerit; nulla certè illuſtrior purpura, quam ſanguis pro religione fuſus: Vulnera corporis cruciati fiunt Sydera Regni Cæleſtis, & gemma triumphatoris æterni. Ite igitur Apoſtolica Benedictione muniti; oſtendite populis in vmbra mortis habitantibus ſolem veritatis Orientem ex alto; docete Orbem Terrarum; non minorem ineſſe vim in Chriſtianis Sacerdotibus ad Euangelium propagandum, quam in Saracenis Sophitis ad defendenda Alcorani deſipientis portenta. Id autem Vos faciliùs conſequturos arbitramur, ſi in tanta peregrinatione Patronos Vobis adoptabitis Sanctiſſimos Apoſtolos Thomam, Simonem, & Iudam, quorum fides inter Orientales nationes triumphauit. Priuilegia autem, & beneficia, quæ Vobis longum iſtud iter ſuſcipientibus Pontificia charitas concedit ex noſtro diplomate, & Præſulum veſtrorum litteris cognoſcere poteritis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris. die 27. Aprilis 1624. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Ioannes Ciampolus.

Regis

Digitized by Google

Regis autem Chriſtianiſſimi authoritas habetur in dupli-ci ipſius epiſtola; Prima ad Conſulem nationis Gallicæ Aleppi commorantem di-recta, in latinum translata ſic habet.

CHare, & multum dilecte, Magna doctrina & vita exemplaris Relegioſorum Carmelitarum Diſcalceatorum, quibus effecti ſunt digni fauorabilium commendationum & protectionum pro longis itineribus & reſidentijs in Regno Perſidis, alijſque in locis præſertim in Ciuitate Aleppenſi; dum ibi ſui ordinis Eccleſiam erigere & ſtabilire procurant, obligant nos præſentem ſcribere, vt tota poteſtate tua ipſos adiuues in tam laudabili intentione; ita vt conſequantur beneficium ſuarum patentum, quas ipſis iuſſimus expedire: Certi ſumus, quod operam tuam in hoc impendes, & procurabis vt ſint liberi ab omni tributo, attenta ipſorum paupertate.

Datum apud S. Germanum die 4. Nouembris 1625.

Ludouicus

de Lomenic.

Secunda Regis epiſtola ad ſuum Oratorem Conſtantinopoli reſidentem ſic habet.

DOmine de Ceſi, ſcis in quanta habeamus æſtimatione ſtabilimenta, quæ ſiunt in Oriente pro gloria Dei, & propagatione noſtræ Sanctæ Fidei, ex decretis & mandatis, quæ ſæpiùs dedimus, nempe ea firmandi nominis noſtri authoritate. Nihilominus requiſiti a Summo Pontifice per Archiepiſcopum Patracenſem eius Nuncium, quo iuberemus protegi medio Conſule Aleppenſi Religioſos miſſionarios, qui ſunt Aleppi & in locis circumuicinis, præſertim ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum; deſideramus, vt omni diligentia procures, quod dictus Conſul omnia exequatur officia neceſſaria ad hoc opus, iuxta deſiderium & intentionem ſuæ Sanctitatis; nec permittas, quod Turcæ, Schiſmatici & Hæretici ibi exiſtentes vllam ipſis perturbationem, aut impedimentum afferant; Et ſcias, quod in hoc obſequium nobis gratiſſimum præſtabis: Cum hoc, Domine de Ceſi, rogamus Deum, vt te ſub ſua ſancta protectione conſeruet.

Datum Pariſij die 18. May 1627.

Ludouicus

Phelipeaux.

AD primùm ergò dicendum, quòd quidem conuerſio Mahometanorum eſt admodum difficilis, & periculoſa tam conuerſo quàm conuertenti pœna mortis; ſed tamen particulares aliqui ſem-

per

per conuertuntur: ſi daretur illis libertas conſcientię, multi conuerterenturvt ab ipſiſmet audiui: Quod huiuſmodi conuerſiones à noſtris factæ non publicentur, prouenit vel à ſuperſtitioſo vanitatis & iactantiæ ſcrupulo aliquorum, vel à modeſtia religioſa.

AD Secundum dicendum, quòd licet hoc ſit verum communiter: Reperiuntur tamen aliqui Mahometani non ita ſcrupuloſi, nec ita zelantes ſuæ legis, qui curioſitate moti Chriſtianos de fide differentes audiunt; Et ſic nonnulli conuertuntur, ſpreto mortis periculo, quam certiſſimam & crudeliſſimam fore non dubitant, ſi conuerſio ipſorum ſciretur; ſed gratia diuinæ vocationis cum charitate foras mittit timorem.

AD Tertium dicendum, quod aliqui Mahometani non ſunt ita zelantes ſuæ legis: ſæpiùs mihi & alijs ex noſtris contigit dicere Perſis alijſque Mahometanis, quod Mahomet eſſet falſus propheta, quòd eos deceperat, & quòd omnes Mahometani damnabantur, hiſque ſimilia, quę mirabundi audiebant: Alicubi tamen hæc dicere fuiſſet magis periculoſum, vt Aleppi vel Conſtantinopoli, vbi Mahometani maiorem ſuæ legis zelum oſtendunt ex antiperiſtaſi, vt ita dicamus, ad præſentiam mercatorum Chriſtianorum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati cooperentur conuerſioni Gentilium.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non cooperentur conuerſioni Gentilium. Probatur: Carmelitæ Diſcalceati nullam habent miſſionem in terris Gentilium, nec in Aſia, nec in Aphrica, vbi reperiuntur: Ergo non cooperentur eorum conuerſioni.

¶ 2. Pręterea: Si Carmelitę Diſcalceati cooperarentur conuerſioni Gẽtilium, ita vt aliquid notabile circa hoc facerent, vel ipſimet circularibus epiſtolis diuulgarent, vel ipſa fama publicaretur: Sed nihil tale auditur: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non cooperantur conuerſioni Gentilinm.

¶ 3. Pręterea: Si quid ſuaderet, Carmelitas Diſcalceatos cooperari cõuerſioni Gentilium, maximè quia paucos aliquos Goæ, & in alijs vrbibus Indiarum Orientalium ſub dominio Luſitanorum conuertunt: Sed hoc non ſufficit, quia ſimili titulo importatur multorum Gentilium conuerſio, & continuata applicatio ad eorum connerſionem; Aliàs pariter dici poteſt quòd omnes religioſi in Indijs commorantes cooperantur conuerſioni Gentilium.

SED CONTRA eſt authoritas fidelium relationum, quarum ſucceſſus ipſe vidi maiori ex parte.

CON-

Digitized by Google

Conclvsio.

Carmelitæ Diſcalceati cooperantur conuerſioni Gentilium.

RESPONDEO dicendum, quod noſtri Carmelitæ Diſcalceati cooperantur conuerſioni Gentilium. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd plures Gentilium prouinciæ, imò & Regna & Imperia vaſtiſſima hactenus in orbe reperiuntur: nam præter interiorem totius Africæ partem & remotiores Americæ regiones ad vtrumque polum accedentes, vbi penitùs abſque lege viuunt velut efferi; in Aſia magis culta ſupereſt Regnum quàm maximum Chinæ, eique vicina Regna Siam, Pegu &c. vltra Gangem & Indum, ac in Inſulis Oceani Indici: De his vltimis procedit concluſio; nam cum his ſolis Gentilibus noſtri Patres agunt, apud quos vel fixam, vel trãſitoriam habent miſſionem. Hi multiplicitatem deorũ admittunt cum miris fabulis, inter quos celebres ſunt Chriſna, Probrama, Galangani, Cramanaſſen, huius vltimi templum in Ciuitate Superiori Chaiil vidi multis hinc inde idolis plenum: In eius medio eſt exigua capella muris vndique cincta cum ardente lampade, vbi diutiùs manent orationis cauſa pſeudo religioſi, qui curam eius habent: extra erant tria vel quatuor oratoria, alijs idolis dicata; ſed ante fores templi erat ſtatua lapidea vaccæ, quam precipuo cultu venerantur: Quoſdam ex ſuis dijs cum corpore humano & capite elephantis efformant, alios cum pedibus adinſtar lunæ creſcentis, alios denique portentoſis exprimunt figuris, vel etiam ſimiæ: Vaccam, vt dixi, præcipuo cultu venerantur; Vnde ſi quis mane domo exiens, Vaccam primum habeat obuiam, ſe felicem hac die futurum credit; ſi mingentem illam videat, ſe eius vrina manibus excepta, ſicut Chriſtianus aqua benedicta, perfundit; ſi moriens caudam vacce manibus tenere poſſit, non minus feliciter, quàm Chriſtianus Iubileum lucratus, mori ſe arbitratur: Hi Gentiles animarum tranſmigrationem, & dicunt morientium animas tranſire ad animalia quæ vltimò cogitant; Et ſic nullius animalis, ſiue aerei, ſiue terreſtris, ſiue aquatilis carnibus veſcuntur: Cambaie xenodochium eſt animalium terreſtrium & volucrum, nullum etiam nociuum occidunt, puta ſerpentem. Prędicti eorum pſeudoreligioſi vocantur Iogues, qui geſtant capillos cineribus plenos, valde longos, ac varie manipulatim intertextos, ita vt angues ex capite pendentes appareant: magnos per aliquòd tempus exercent rigores, etiam in inuiolabili plurium annorum ſilentio, ſed hoc tempore præterlapſo ſe *cunctis tendunt* immunditijs: plures ex his ſunt peregrini, ſed quotannis die ſtatuta congregantur in Ciuitate Cananor ſuperiori, vbi ſuum eligunt ſuperiorem, & mendicatis viuunt eleemoſynis: Sunt & alij religioſi dicti Verteas, ſimul conuiuentes, veſtibus albis induti, capite nudo, barba euulſa, valde pauperes, à mulieribus ſeparati, qui calidam bibunt aquam, & incedentes ſcopant vicos, ne minuſcula conterant animalia. Longum nimis eſſet adducere fabellas, quas in ſua fide profitentur.

Probatur concluſio fideli relatione ſucceſſuum in conuerſione Gentilium per noſtros Patres. In Perſide ſecus Aſpahanum eſt oppidum ſatis magnum Gentilium, quos *Perſæ vocant* Gaurou, eis conceſſum ob facilitatem Indici cõmercij: Illos inuiſunt noſtri Patres amicitiæ cauſa, & paruulos eorum agonizantes baptizant per aſperſionem aquæ vt dictum eſt de Mahometanis; Et hoc modo ſaluauit immumeros P. Dionyſius à Corona Spinea. In Ciuitate Taſta Regni *Sindi* ſub ditione Magni Mogoris ad Indum fluuium, quæ vaſtiſſima eſt Ciuium Gentilium, hoſpitium habemus à *P.* Ludouico Franciſco fundatum, qui ſanctitatis opinione ſic fuit inter illos Gentiles, celebris, vt cum quadam *die* vnus aduersùs eum neſcio quid *oblocutus* eſſet, alter dictis offenſus & cauſam

Patris

Digitized by Google

Patris ſuſcipiens, ipſumque vt virum ſanctum & pium laudans, vindictam proprijs manibus ſumpſiſſet, niſi maledicus ille fugiſſet; Hic P. dum in Europa degeret, Deo ad maius virtutis exercitium, & ad maiorem ipſius gloriam ſic diſponente, ita ſcrupulis vexabatur, vt quotidie ad Superiores & Confeſſarios cauſa conſolationis accederet, ſed in illis Gentilium terris conſtitutus ſic diuina replebatur gratia, & conſolatione, vt per plures annos ſolus ſine ſocio ſacerdote perſeuerans nullam animi perturbationem aut ſcrupulum ſenſerit; Quotidie in conuerſione animarum occupatus, tanto zelo diuiniſſimum hoc opus perficiebat, vt cum morbo oppreſſus ad vltimum vitæ perueniſſet, ſe iuſſerit ad Eccleſiam deferri, vt antequam moreretur duos Cathecumenos baptizaret, ibique Litanijs Beatiſſimę Virginis Mariæ recitatis ad mortis agoniam peruenit, eademque die plenus conſolatione deceſsit, ſui deſiderium & memoriam in benedictionibus relinquens. Noſtrorum huius miſſionis Patrum bonus odor ad vicinos Reges Gentilium peruenit: Rex Caccie miſſo ad eos nuntio inuitauit ad fundandam in ſua ciuitate domum & eccleſiam, permittens ſuis liberam conuerſionem; ſed quamuis ad illum P. Ioſeph Alexius acceſſerit, defectu miſſionariorum ibi reſidere non potuit, quod mihi dolens non ſemel retulit. In ciuitate Goana, vbi quàm plurimi manent Gentiles, eorum etiam conuerſioni vacant Patres noſtri: Vix vnus ex centum aut fortè ex pluribus; qui in fabrica noſtri conuentus laborarunt, non fuit conuerſus; Ego ſic architectum identidem exhortatus ſum, vt tandem eum cum integra eius familia ſeptem animarum baptizauerim: Anno Domini 1630. fames ſæuiſsima vaſtauit Indias, tunc Patres noſtri conſilijs ac precibus ſuis Goenſem magiſtratum induxerunt, vt ad colligendos pauperes miſera fame pereuntes Xenodochium erigeret; innumeri Gentiles illuc admittebantur, qui omnes penè conuerſi a noſtris, qui Xenodochij curam habebant, babtizabantur. Aliquando ex Conuentu Goenſi, ad vicinas Gentilium terras noſtri pertranſeunt ad prædicandum eis Euangelium: Fuit in hac parte ſollicitus admodũ operarius P. Sebaſtianus à Sanctiſsimo Sacramento, qui etiam ad regnum Canara penetrauit, vt in authentico duplici teſtimonio legi, quod de Luſitano in latinum appono translatum. Primum Eccleſiaſticum ſic habet: *Frater Ioſeph à S. Maria, gratia Dei & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus Hierapolitanus, Commiſſarius & Adminiſtrator Apoſtolicus Archiepiſcopatus vulgo da Serra, omnibus præſentes inſpecturis ſalutem in Ieſu Chriſto Domino noſtro, qui verum eſt remedium & ſaluatio omnium. Fidem facimus, qualiter ex viſis certificationibus, & auditis particularibus notitijs ac publicis informationibus, Pater Frater Sebaſtianus a Sanctiſſimo Sacramento religioſus Carmelita Diſcalceatus fuit primus miſſionarius Apoſtolicus in regnis Canara, vbi fuit multis annis, ibique ædificauit Eccleſias & domos, Inſuper fuit miſſionarius in regno Idalcan: vbicumque autem fuit, cum magna ſatisfactione & profectu animarum proceſſit; quòd audituri ſuperiores religionis huius Romæ, ſicut & Domini Cardinales Sacræ Congregationis de propaganda fide, multum æſtimabunt; deſiderando omnes, tam ſuperiores ordinis quàm dictæ Sacræ Congregationis, quòd huiuſmodi miſſio Canara foueatur & amplificetur ad bonum & vtilitatem animarũ: In quorum fidem præſentes dedimus nomine noſtro ſubſcriptas, & proprio ſigillo munitas. Cochini die decima tertia Iulij, anno Domini 1661.*

Frater Ioſeph à S. Maria Epiſcopus Hierapolitanus.

Secundum teſtimonium eſt ſæculare Proregis Indiarum Orientalium ſequentis tenoris:

Ioannes de Silua Tello de Menezes, Cmes d'Aueiras, Conſiliarius ſtatus ſuæ maieſtatis &c. Certifico quòd Pater Frater

Sebaſtianus à Sanctiſſimo Sacramento religioſus Carmelitarum Diſcalceatorum, cum eſſet ſuperior conuentus huius ciuitatis (ſcilicet Goanę) ex mandato ſuorum ſuperiorum maiorum deſtinatus fuit miſſionarius in regnum Canara, primus qui in illas terras ad hunc effectum intrauit, concedendo ipſi Rege Virabadar Naique licentiam erigendi Eccleſiam in ſuo regno, ſicut de facto erexit; ſemperque proceſſit optimè, quandiu fuit ibi, agens de obſequio Dei, & augumento Chriſtiani populi, multos ſuæ ſalutis oblitos reducens, baptizans adultos iam eorum filios, matrimonio coniungens in forma Eccleſiæ, omnia adminiſtrans Sacramenta, & publicè ſacrum prædicans Euangelium ſine contradictione, & cum multa ſui reuerentia & veneratione, aliàs etiam ædificans Eccleſias prope Barſalor, & Panabur cum licentia Reginæ, iã habens licentiam fundandi aliam in Carnate &c. Hoc dedi teſtimonium, cum de ſupradictis mihi conſtet, tum ex epiſtolis Regis Virabadar Naique aliorumque, præſertim Capitaneorum Barſelor & Mangalor, ac Vicarÿ generalis, ſicut & ex certificationibus ac informationibus eorum, quæ geſſit in regnis Canara; Et iuro in Sanctis Euangelÿs cuncta à me relata eſſe vera. Datum in Bardes ſecus Goam die 18. Ianuarÿ 1646.

Comes d'Aueiras.

Inſuper inueni duas miſſiones noſtrorum, deſtinatas ad alios Gentiles inſulæ Madagaſcar, de quibus conſtat ſequentibus decretis Apoſtolicis.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Dominus Innocentius Diuina prouidentia Papa Decimus.

O*Mnium ſaluti hominum pro ſuo Apoſtolico munere prouidere cupiens, te Fratrem Iacobum a Sancta Thereſia Carmelitarum Diſcalceatorũ cum duobus ſocijs eiuſdẽ ordinis à tuo Generali approbandis ad Inſulam S. Laurentij, ſeu Madagaſcar mittere decreuit & mittit, ac prædictæ miſſionis Præfectum conſtituit & deputauit, vt cum facultatibus tibi per alias litteras concedendis, conſenſu tamen Epiſcoporum Catholicam cum S. Sede Apoſtolica communionem habentium prius requiſito ſi ibi fuerint Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti annunties & gentes illas doceas ſeruare quæcumque S. Mater Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana præcipit, & præſertim vt Iudicium vniuerſale futurum eiſdem conteſteris. Tu itaque rei magnitudinem, & Apoſtolici muneris tibi commiſsi grauitatem ſeriò perpendens inprimis caue, ne ad Hæreticorum, vel Infidelium conciones aut ritus quoslibet quouis prætextu vel cauſa accedas. Deinde omnem adhibe curam vt miniſterium tuum dignè & fideliter etiam cum ſanguinis effuſione, ac morte ipſa (ſi opus fuerit) impleas, vt immarceſſibilem coronam a Patre luminum recipere merearis. Datum Romæ ex Sacra Congregatione de propaganda fide die 26. Menſis Nouembris 1647. Pontificatus eiuſdem Sanctiſsimi in Chriſto Patris anno quarto.*

A. Card. Capponius.

Franciſcus Ingolus Secret.

Locus † ſigilli.

San-

Digitized by Google

Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Noſter Innocentius Diuina prouidentia Papa Decimus.

OMnium Hominum ſaluti prò ſuo Apoſtolico munere prouideri cupiens te Fratrem Albertum a Sancto Michaele Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, ad Inſulam S. Laurentij aliàs Madagaſcar Præfectum miſſionum mittere decreuit, & mittit, vt cum facultatibus tibi per alias litteras concedendis conſenſu tamen ordinariorum prius requiſito, Euangelium Domini Noſtri Ieſu Chriſti annunties, & gentes illas doceas ſeruare quæcumque S. Mater Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana præcipit & præſertim, vt Iudicium vniuerſale futurum conteſteris. Tu itaque rei magnitudinem & Apoſtolici muneris tibi commiſſi grauitatem ſerio perpendens, inprimis caue, ne ad Gentilium conciones aut ritus quoslibet quouis prætextu vel cauſa accedas. Deinde omnem adhibe curam vt miniſterium tuum dignè & fideliter, etiam cum ſanguinis effuſione, ac morte ipſa ſi opus fuerit, impleas, vt immarceſſibilem coronam a Patre luminum recipere merearis. Datum Romæ ex Sacra Congregatione de Propaganda fide die 25. Aprilis 1650. Pontificatus eiuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri anno ſexto.

A. Cardinalis Capponius.

Dionyſius Maſſarius Secret.

AD Primum ergo dicendum, quòd conuentus noſtri Indiarum Orientalium ſunt propè regiones Gentilium, vnde ad illorum conuerſionem procedunt noſtri religioſi: Et inſuper reſidentiam habemus in ciuitate Tatta regni Sindi, quod eſt Gentilium.

AD ſecundum dicendum, ſicut iam ſæpè dictum eſt, quòd hactenus noſtri fuerunt minùs ſobrij in ſcribendis ijs, quę faciunt in miſſionibus pro conuerſione animarum, vt mihi etiam improperauit Sacra Congregatio de Propagāda fide præcipiens in hoc maiorem diligentiam; multa tamen fama publica & aliorum atteſtatione diuulgantur.

AD Tertium dicendum, quod noſtri Carmelitæ non ſolùm procurant Gentilium particularium conuerſionem in vrbibus Indiarum Orientalium ſub dominio Luſitanorum; ſed etiam integrarum prouinciarum, & regnorum, vt conſtat ex dictis, alij religioſi ſua geſta in hac parte dicent.

ARTICVLVS V.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati omnium Religioſorum primi fidem Chriſti in regno Congo prædicauerint.

AD Quintum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non prædicauerint omnium religioſorum primi fidem Chriſti in regno Congo. Probatur: In regno Congo ſunt ciuitates & vrbes maritimę vbi priùs prædicatum eſt Euangelium, & adiacent Angola, Loanda, & alię ſub ditione Luſitanorum, ac proinde ad fidem Chriſti conuerſæ ante aduentum Carmelitarum Diſcalceatorum in illas partes, quò plures appellunt alij religioſi in nauigatione Indica: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non prædicauerunt omnium religioſorum primi fidem Chriſti in regno Congo.

¶ 2. Pręterea: Ex vna parte regnū Congo ſubeſt in ſpiritualibus Epiſcopo Inſulæ Sancti Thomæ adiacentis: Ex alia verò parte, cum primò acceſſerunt illuc Carmelitę Diſcalceati Rex illius erat Chriſtianus nomine Aluarus; Sed non poteſt præſumi negligentia tam Epiſcopi quàm Regis, in procuranda huius Regni conuerſione; imo pręſumitur quòd antea Religioſos alios ad hanc conuerſionem miſerint; Ergo Carmelitæ Diſcalceati non prędicauerunt om-

Digitized by Google

nium religioſorum primi fidem Chriſti in regno Congo.

¶ 3. Præterea: Si propter aliquid Carmelitæ Diſcalceati dicerentur primi omnium religioſorum, qui fidem Chriſti prædicauerunt in regno Congo, maximè quia primi ad interiorem eius partem penetrauerunt: Sed hoc non eſt verum, quia ſæpiùs antea contigit, quod ſubmerſis nauibus Luſitanis in Orientali parte Africæ, nauigantes etiam religioſi regionem illam itinere terreſtri traiecerint, vbi fidem Chriſti prædicauerunt, vt conſtat ex diuerſis relationibus; Ergo Carmelitæ Diſcalceati non prædicauerunt omnium religioſorum primi fidem Chriſti in regno Congo.

SED CONTRA eſt veritas noſtrarum relationum, quam ſequitur Dominicus Grauina in ſuo libro, cui titulus eſt Vox Turturis.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati omnium religioſorum primi fidem Chriſti in regno Congo prædicauerunt.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ Diſcalceati fuerunt omnium religioſorum primi, qui fidem Chriſti authoritate publica in regno Congo prædicauerunt, & præſertim in interioribus eius partibus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd anno Domini 1581. viuente S.M.N. Thereſia fuit intentata miſſio Guineæ, ſed ſubmerſa naue noſtri periere quinque miſſionarij, Guinea regio vaſtiſſima eſt vicina Congo, quod regnum Congo ſiue Manicongo eſt in Africa incipiens ad Septentrionem à promontorio S. Catharinæ duobus gradibus cum dimidio vltra æquatorem, & decurrens verſus meridiem per ducentas & decem leucas vſque ad ſinum Vaccarum attingit principia regni Angolæ; ab Occidente habet Oceanum, & ab Oriente vaſtiſſima Abiſſinorum regna, ſicut & lacum maximum, vnde egreditur flumen Spiritus Sancti decurrens ad meridiem, & aliud dictum Zaire tam magnum & rapidum quòd oſtio decem leucarum latiſsimo intrat in Oceanum occidentale, & ad viginti circiter leucas dulces ſuas immittit aquas: Hæc regio eſt calidiſsima, & Europæis noſtris parum accommoda, vt pote fructibus alijs ditata, noſtratibus priuata: Ad hanc deſtinati fuerunt quinque religioſi ex noſtra congregatione Regia authoritate Philippi II. anno Domini 1583. ſed horum miſsio fuit inutilis; cum enim ab Anglis piratis capti fuiſſent, à ſuæ miſsionis tramite coguntur deuiare, & ad Inſulam S. Iacobi deueniunt poſt multos labores; Et cum inde non eſſet facilis tranſitus ad regnũ Congo, redierunt Vlyſipponem in Luſitaniam; Vnde hæc prima noſtrorum Diſcalceatorum *miſsio fuit irrita*; ſecunda autem fuit admodum fructuoſa, de qua nunc agimus.

Probatur concluſio fideli relatione huius miſsionis noſtrorũ Diſcalceatorũ in regnum Congo, quæ habetur libro 6. Annalium noſtræ reformationis cap. 28. vbi dicitur quòd non obſtante ſucceſſu præcedenti penitus *irrito*, ad *inſtantiam* Regis Catholici facta eſt noua miſsio, ad quam tres religioſi eliguntur, ſcilicet P. Didacus a *Sanctiſsimo Sacramento* Toletanus, P. Didacus ab Incarnatione di Cangas, & *V. F. Franciſcus* à *Ieſu* cognomento Indignus, vir eminentis ſanctitatis; Hi miniſtri Euangelij ſoluunt ex portu Vlyſſiponenſi die 10. Aprilis, quæ fuit Dominica Reſurrectionis anno *Domini* 1584. ſimul cum Epiſcopo Inſulæ S. Thomæ, cui ſubſunt in ſpiritualibus regna continentis Angolæ & Congo, D. Martino de Vlloa: multas paſſi ſunt tempeſtates, & ſæpius ad extremum naufragij periculum deuenerunt, maximè propè Canarias; ſed apparente noſtro Franciſco Beatiſsima Virgine Maria ſupra malum nauis, a periculo liberantur, ſicut & à piratis Anglis ad Inſulam de Gomera Canariarum vna delati, vbi contrita penè nauis impetu tem-

tempeſtatum reficitur: Inde diſcedentes, alijſque iactati tempeſtatibus horridis, inſulas promontorij viridis prætereunt,& littora Guineę legentes ad inſulam Principis adhuc ſub noſtro ſitam hemiſpherio deueniunt, vbi Epiſcopus velut proprius paſtor illius maxima excipitur veneratione; poſtea rursùs nauigantes,ad Inſulam S. Thomæ ſub æquatore cõſtitutam in vigilia S. Marię Magdalenæ, triginta leucis à prædicta diſſitam appellunt Remanente ibidem Epiſcopo, & accepta eius benedictione,noſtri ad deſtinatum ſuæ miſsionis terminum, regnum ſcilicet Congo mutata naui properant, ſed vlterius delati tandem Loandam Angolæ portum perueniunt: In hoc traiectu quid mirum noſtro Frãciſco contigit, cum enim aliquando ad terram accedere vellet, ſubuerſa nauicula cecidit in fundum maris, vnde poſt mediam horam ſanus & hilaris educitur ac ſiccis omninò ſcripturis & internis veſtibus. Die igitur 14. Septembris finita nauigatione Loandam ingrediuntur vbi paulò poſt ſcriptam die 4. Octobris eiuſdem anni epiſtolam D.Aluari Regis Congo recipientes, vrbanitate maxima, ac eximiæ charitatis ſignificatione, miſſo etiam ad hoc principali miniſtro, ad illud regnum inuitantur: Cum deeſſet nauigandi commoditas: itinere terreſtri per illas ſolitudines,& feris periculoſas, & alijs difficultatibus obnoxias properantes,ad ciuitatem Saluatoris regni Curiam perueniunt, ibique perhumaniter ab ipſo rege ſuſcipiuntur, & ſolemni proceſsione deuotiſsima Beatiſs. Virginis imago, quam ipſi tulerunt, excipitur: ſtatim Rex noſtris Patribus domũ liberaliter conceſsit, vbi voluit collegiũ inſtitui non ſolùm prędicandæ fidei,ſed etiam edocendæ Grammaticæ, & in vtraque iuuenes nobilium filij mirabiles faciebant progreſſus; Poſt aliquod tempus illuc prædictus acceſsit Epiſcopus, ex cuius conſilio noſtri Patres decreuerunt ad interiores eiuſdem regni Congo prouincias, imò & ad circumvicina penetrare regna: Ad hunc effectum V.F.Franciſcus quaſi inuitus ſacris ordinibus initiatur, vt foret vtilior intentæ miſsioni; manſit in dicta regni Congo Curia P. Didacus à Sanctiſsimo Sacramento tanquam debilior cnm vno laico modum inſtitutæ miſsionis proſequens, & tam Gentilium couuerſionem,quàm cæterorum reformationem procurans, in quo & illorum perſecutionem parato veneno ac exhibito, & iſtorum iniuriam immiſſa ad ipſum meretrice paſſus eſt, ſed illud hauſto vomuit oleo, & iſtam baculo quo ſuſtentabatur extra domum expulit: Alij duo Patres Apoſtolico moti zelo, ad interiora regni Congo procedentes, ſua prædicatione illuſtrant prouincias Marubata,Zundi, Pango,& alias ſementem Euangelij cum mirabili fructu vbique ſpargentes, & miraculis etiam confirmantes: Ad flumen Nilum peruenerunt, cumque ad vlteriores efferas gentes illo tranſmiſſo penetrare vellent, ad fidem Chriſti prædicandam; Hoc audiens Rex Aluarus diſſuaſit illum tranſitum, aſſerens illas vlteriores gentes eſſe penitus efferas, ac humanis veſci carnibus; ſuiſque præcipit miniſtris, vt illum impediant; Vnde intra prædictos fluminis limites maximo cum feruore prædicantes, innumeras propemodum animas lucrati ſunt. Deinde à Patre Didaco ipſorum Superiore reuocantur: Cumque nullum ex Hiſpaniæ Prælatis nuntium reciperent, & de ſubſidio miſſionariorum aliàs promiſſo deſperarent, inito ſimul conſilio reditum in Hiſpaniam determinant; nolentes ab inuicem diuidi quia pauci, & credentes ſe vnitos eſficaciùs pro miſsione facturos: Eorum diſceſſui reſtitit,quantum potuit, Rex Aluarus, ſed promiſſo reditu, & data ſpe maioris ſubſidij tandem conſenſit, mœſtus de iactura tam bonorum hoſpitum: Vnde ſuperato tandem Oceano perueniunt Vlyſsiponem nouum inquirunt Superiorem P. Nicolaum a Ieſu Maria, qui magna charitate recepit quaſi rediuiuos, cum priùs mortuos credidiſſet; non tamen eorum intentioni fauit, cum omnes noſtræ congrega-

Digitized by Google

gregationis tunc exiguæ miſsiones in America intra limites prouinciæ Mexicanæ determinaſſet: Vnde repulſam paſsi, deinceps affectu ſolo de prædicta regni Congo miſsione cogitarunt & eā Deo commendarunt: Annis præteriꝛs noſtri Patres Luſitani in Ciuitate Angola fundauerunt; vnde facilè poterunt antiquam in regno Congo renouare miſſionem: Hæc breuitèr adducta propoſitam concluſionem demonſtrant.

AD primùm ergo dicendum, quod non militat contra concluſionem: nam concedimus quòd in illis vrbibus maritimis regni Congo fuerit prædicatum Euangelium ante aduentum noſtrorum Carmelitarum Diſcalceatorum, præſertim ob proximitatem Angolæ, Loandæ, & aliarum ciuitatum ditionis Luſitanicæ: Sed hoc non probat, quod hoc factum fuerit authoritate publica Regis; nec probat, quòd prædicatum fuerit in interioribus dicti regni partibus, priuſquam noſtri illuc accederent.

AD Secundum dicendum, quantum ad primam partem, quòd meſsis illius Epiſcopatus eſt magna, & operarij ſemper fuerunt pauci; Vnde Epiſcopus non potuit omnibus ſibi ſubditis prouidere miniſtros Euangelij, præſertim in remotiſsimis prouincijs ac intemperatis, quò repugnant accedere homines propter illarum barbariem, & aliunde nulla commoditas allicit. Quantùm ſecundam partem dicendum, quòd bonus ille Rex Aluarus non erat à longo tempore conuerſus ad fidem Chriſti: Et tunc ſollicitè quęrebat operarios ac miniſtros Euangelij, ad conuerſionem ſui regni, vt dictum eſt; qui tamen non ita facilè reperiuntur.

AD Tertium dicendum, quòd in ſimilibus occaſionibus, qui itinere terreſtri regionem illam trajciunt, non immorantur prædicationi, ſed curſim prætererunt inter efferatos homines, ne deuorentur, maximè quia linguam corū neſciunt. Et quamuis tunc aliqui prædicaſſent, hoc non fuiſſet authoritate publica, de qua ſolùm procedit concluſio.

QVAESTIO XXIX.

De Priuilegijs Carmelitarum Diſcalceatorum.

CONVENIENS iudicaui ad gloriam noſtræ Carmelitarum Diſcalceatorum religionis, ſicut & ad commoditatem religioſorum, aliqua eius priuilegia hic apponere examinata, relictis pluribus alijs iuſto titulo, quæ in libro ſpeciali noſtrorum priuilegiorum continentur: Circa quæ quæruntur quatuor:

¶ Primo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati ſint penitùs exempti à iuriſdictione aliorum Carmelitarum.

¶ Secundo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati gaudeant ijſdem priuilegijs, quibus alij Carmelitæ.

¶ Tertiò, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habeant priuilegium non eundi ad publicas proceſsiones.

¶ Quarto, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati gaudeant eodem antiquitatis ordine, quo alij Carmelitæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati ſint penitùs exempti à iuriſdictioni aliorum Carmelitarum.

AD Primum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitę Diſcalceati non ſint penitùs exempti à iuriſdictione aliorum Carmelitarum. Probatur: In regula Carmelitarum pręcipitur quaſi fundamentum, quòd ſit vnus tantùm Superior Generalis totius ordinis, dicitur enim; *Illud in primis ſtatuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi omniumque aſſenſu, vel maioris & ſa-*

& ſanioris partis ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum & promiſſam ſtudeat operis veritare ſeruare, cum caſtitate, & abdicatione proprietatis. Vnde ab iſto, qui eſt Generalis aliorum Carmelitarũ, depẽdent aliqualitèr Carmelitæ Diſcalceati: Ergo non ſunt penitus exempti à iuriſdictione aliorum Carmelitarum.

¶ 2. Præterea: Clemens VIII. in quadam bulla, quæ incipit *Romanum Pontificem decet*, declarat Carmelitas Diſcalceatos cum alijs Carmelitis conſtituere vnum ordinem ex quatuor mendicantibus: vnus autem ordo vnicum debet habere caput ſiue Superiorem Generalem, à quo omnes alij velut mẽbra dependeant; aliàs ſi plura eſſent capita, foret monſtrum: ſed non poteſt dici quòd alij Carmelitæ dependeant à Diſcalceatis: Ergo debet dici, quòd hi dependeant ab alijs Carmelitis, Vnde hi non ſunt penitùs exempti à iuriſdictione aliorum Carmelitarum.

¶ 3. Prçterea: Licet in ordine Minorum Sancti Franciſci ſint plures religioſæ congregationes ſub diſtinctis Generalibus, eſt tamen vna principalis, dicta Obſeruantium, cuius generali aliæ habent aliquam ſubordinationem, propterea ipſe ſolus magnum habet ordinis ſigillum, propter adducta in propoſitis argumentis fundamenta: Ergo idem debet eſſe in ordine Carmelitano, & ita Carmelitæ Diſcalceati non ſunt penitùs exempti à iuriſdictione aliorum Carmelitarum.

SED CONTRA eſt authoritas Summi Pontificis Clementis VIII. in bulla ſtatim referenda.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati ſunt penitùs exempti à iuriſdictione aliorum Carmelitarum.

RESPONDEO dicendum, quod Carmelitæ Diſcalceati ſunt penitùs exẽpti à iuriſdictione aliorum Carmelitarum. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd ad bonum noſtræ reformationis Diſcalceatorum ab initio procurata fuit eius ſeparatio ab alijs Carmelitis, & paulatim obtenta eſt, nam anno Domini 1580. die 22. Iunij fuit inſtituta noſtrorum prouincia ſub ſuo Prouinciali ſeparata à ſuperioribus aliorum Carmelitarum Hiſpaniæ, ſpeciali Bulla Gregorij XIII. & die 3. Martij ſequentis anni fuit exequutioni mandata compluti. Deinde anno Domini 1588. maior facta fuit ſeparatio & exemptio ab alijs Carmelitis; Cum enim numerus noſtrorum conuentuum creuiſſet plurimum, authoritate Apoſtolica noſtra Congregatio in plures fuit diuiſa prouincias, ſuis Prouincialibus ſubordinatas, quibus præſideret vnus Vicarius Generalis; Et tunc quamuis reformata Congregatio Patri Generali totius ordinis Carmelitani ſubderetur, ſicut & omnes eius ſuperiores nihil tamen in ea mutare poterat, ſiue viſitando, ſiue extra viſitationem, niſi conſentientibus noſtris ſuperioribus: Hæc ſeparatio fuit facta Madriti die 18. Iunij prædicti anni; cum tamen ad illã faciendam expedita fuerit bulla Sixti Quinti anno 1587. die 10. Iulij. Denique anno Domini 1593. in Capitulo generali Cremonæ facta fuit ſeparatio totalis noſtræ Congregationis ab alijs Carmelitis: nam iuſtis de cauſis in hoc totius ordinis Carmelitani capitulo Patres Calceati factæ totalis prædictę ſeparationis propoſitioni conſenſerunt, & datis approbauerunt ſuffragijs; Vnde nomine totius ordinis renuntiarunt noſtrorum Diſcalceatorum regimini, appoſitis quibuſdam conditionibus, & inter

ter alias quòd noſtri nullum vnquam ipſorúm conuentum, etiam vltrò oblatum admitterent, quod immobiliter hactenus obſeruarunt; Et edito pacis fœdere, tanta inter vtramque Congregationem fraterna viget beneuolentia, quod & ad Dei gloriam, & ad proximi ædificationem redundat.

Probatur concluſio Bulla Clementis VIII. quæ tota hic inſeritur, quia prædicta omnia continet, eſt autem ſequentis tenoris.

CLEMENS PP. VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Paſtoralis officij nobis diuinitus iniuncti aſſidua ſollicitudo nos admonet, vt omni cura, & vigilantia ad ea ſẽper intendamus, per qua Regularium perſonarum, que relicto ſæculo, Dei obſequio ſe dedicarunt quieti conſulitur, & qua Religioſum earum propoſitum impedire poſsũt, remouentur, vt nulla re, qua eas à Diuino cultu auocet præpediri, ſecundum ordinum ſuorum Regularia inſtituta, tranquillis menſibus gratum Altiſſimo impendere poſſint famulatum.

§. 1. *Dudum ſiquidem fel. recordat.* Gregor. Papa XIII: *inſtitutum quod Religioſi Diſcalceati nuncupati ordinis B. Mariæ de monte Carmelo in Regnis Hiſpaniarum exiſtentes, iuxta primitiuam Regulam profitebantur laudans, & approbans eoſdẽ Fratres, & Moniales, eorumque Domus, Conuentus, Monaſteria, & loca tunc, & pro tempore exiſtentia à prouincijs fratrum, & monialium eiuſdem Ordinis per piæ memoriæ Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum iam ante mitigatorum in perpetuum ſeiunxit, ſeparauit, & diſmembrauit, ac eorumdẽm fratrum monialium Diſcalceatorum Domus, Monaſteria & loca in vnam Prouinciam de per ſe Diſcalceatorum nuncupati per vnum Priorem Prouincialem in capitulo eorum Prouinciali ex eiſdem Diſcalceatis eligendum, regendam, & gubernandam in perpetuum erexit, & inſtituit ad dictam Prouinciam Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum ſub obediẽtia, & ſuperioritate Prioris Generalis totius ordinis, ſicuti aliæ Prouinciæ eiuſdem ordinis ſuberant, perpetuo ſubeſſe voluit, qui Prior Generalis per ſeipſum ſolum, ceu per alium virum idoneum ex ipſis Diſcalceatis & iuxta eorum primitiuam Regulam eos viſitare, & corrigere, & punire poſſet.*

§. 2. *Et deindè recol. mem. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter audiens numerum Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum huiuſmodi, non mediocriter auctum fuiſſe, & in dies maiora ſuſcipere incrementa, & non ſolum per vniuerſam ferè Hiſpaniam, ſed etiam in Indijs complura Monaſteria & Domos, aliaque Regularia loca Diſcalceatorum inſtituta & erecta fuiſſe, & per vnũ Priorem Prouincialem non ita commode regi, & gubernari poſſe, ordinauit, vt ex omnibus conuentibus Prouinciæ prius erectæ, vt præfertur, fierent plures Prouinciæ. Vniuerſas verò Prouincias dicti ordinis Diſcalceatorum in vnam Congregationem omnium huiuſmodi Prouinciarum Diſcalceatorũ nuncupatorũ perpetuò erexit, & inſtituit, ſtatuitque, & ordinauit, vt ſingulis huiuſmodi Prouincijs ſinguli Priores Prouinciales præeſſent & Vicarius Generalis in Capitulo eiuſdem Congregationis electus, ipſis Prioribus Prouincialibus, & toti Congregationi præeſſet, & in illos eandem auctoritatem haberet; quam habebat Prior Generalis totius ordinis prædicti, & alias, prout in diuerſis dictorum prædeceſſorum deſuper confectis litteris plenius continetur, ad quas relatio in neceſſarijs habeatur.*

§. 3. *Cum autem ſicuti nuper accepimus, in Capitulo Generali ordinis prædicti in Ciuitate Cremonen. hoc præſenti anno celebrato, in quo Fratres eiuſdem ordinis, tam Diſcalceati, quam Mitigati nuncupati interuenerunt propter bonum pacis, tranquillitatis, & augmenti tam totius ordinis, quam Congregationis Diſcalceatorum huiuſmodi, ac ob alias cauſas iuſtas, & rationabiles, vnanimi conſenſu determinatum fuerit, vt ſeparatio Congregationis dictorum Diſcalceatorum omninò ab ordine Fratrum mitigatorum & renunciatio iuriſdi-*

riſdictionis Prælatorum vtriuſque partis fieret, ità vt dicta Congregatio Diſcalceatorum, nec votum, nec vocem actiuam & paſſiuam in Capitulo Generali totius ordinis Carmelitani amplius haberet; nec quomodolibet in ſuis Capitulis ſe intromitteret, nec Prior generalis dicti ordinis Magiſtratorum vllam haberet auctoritatem, iuriſdictionem, & ſuperioritatem in Congregationem Diſcalceatorum prædictam, ac in eius perſonas quaſcunque ſiue ſuperiores, ſiue inferiores, & dilectus Filius Frater Ioãnes Stephanus Chizzola Prior Generalis ordinis Carmelitarum, & reliqui Capitulares in ſuo capitulo generali renunciauerint, per ſuffragia ſecreta nomine totius Capituli per ſe, & vniuerſum ordinem, totam illam iuriſdictionem, facultatem, & authoritatem, quæ ſibi, & Capitulo Generali, per prædictas, & alias litteras Apoſtolicas conceſſa, fuerat, ità tamen, vt dicta Congregatio Diſcalceatorum, vel eius ſuperiores omnino in perpetuum non præſumerent accipere loca, vel Conuentus huius Religionis mitigatorum, etiam ſponte à Ciuitatibus, vel Principibus, vel quibuſcumque aliàs ex ijs exhibenda, vel offerenda; quod ſi contrariũ aliquando ipſos feciſſe compertum foret, nulla eſſet & irrita iſta conceſſio, & nullum ius omnino acquiſiti tum eis intelligeretur.

§. 4. *Nos æquum, & rationi congruũ ducentes, vt qui arctioris Regulæ obſeruãtiam ſectantur, ſuperioribus eorum, qui in laxiori degunt non ſubiaceant, ſed ſuperiores habeant eiuſdem profeſſionis, & ab illis iuxta illorum inſtituta Regularia proſpere & feliciter gubernentur, ac dictarum literarum, & decreti dicti Capituli generalis & omnium in eo contentorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, nec non de præmiſſis à dilecto filio noſtro Dominico ſit, S. Chryſogoni Presbytero Cardinali Pinello nuncupato dicti ordinis, nec non præfatæ Congregationis Diſcalceatorum Protectore plenè informati, motu proprio, non ad dictorum Fratrum, aut aliorum pro eis nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prædictæ ſeparationis decretum in Capitulo generali huiuſmodi factum, & ordinatum, ac omnia & ſingula in eo contenta Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac idem de nouo decernimus, & determinamus.*

§. 5. *Nec non prædictum Vicarium generalem, ac omnes & ſingulas perſonas præfatæ Congregationis Diſcalceatorum illiuſque Conuentus, Domos, Collegia, & Prouincias tam Virorum, quam Mulierum ab omni ſuperioritate, iuriſdictione, gubernio, & adminiſtratione, ſubiectione, obedientia, viſitatione, correctione, & emẽdatione, tam Generalis ordinis Carmelitarum, quam aliorum Prælatorum, & Superiorum quacunque authoritate fungentium & functorum, & quantumuis ampliſſimis priuilegijs, & facultatibus vtentium, & vſurorum perpetuò eximimus, & liberamus, ita vt dictus Prior generalis, aut alij Superiores dicti vniuerſi ordinis Carmelitarum, nunc, & pro tempore exiſtentes nullam omninò iuriſdictionem, facultatem, & authoritatem in dictam Congregationem Diſcalceatorum; illiuſque Vicarium Generalem, ac conuentus, domos, collegia & prouincias, tam virorum, quàm mulierum, habere, exercere, aut prætendere aliquo tempore poſſint, minuſque in rebus, & negotijs eiuſdem Congregationis, aliquo pacto ſe ingerere, aut immiſcere valeant.*

§. 6. *Ipſamque Congregationem Diſcalceatorum, eiuſque Vicarium Generalem, nec non conuentus, domos, collegia, & prouincias, ſub immediata noſtra, & Sedis Apoſtolicæ protectione, ſubiectione, gubernatione & obedientia recipimus, & ſubijcimus.*

§. 7. *Sed quia ſicut accepimus, antea ſubordinationem habebat prædictus Congregationis Diſcalceatorum Vicarius totius ordinis Carmelitarum Priori Generali, ac propterea Vicarij nomen obtinebat, & ceſſante illa ſubordinatione illius cuius vices gerebat, ſit neceſſe nomen quoque mutare: Ideò harum ſerie ſtatuimus, & ordinamus eundem ipſum; qui antea Vicarij nomine*

Aaaa voca-

vocabatur, de cætero Præpoſitum Generalẽ nominandum Ordinis Diſcalceatorum, ſiue Primitiuorum, videlicet primitiuam Regulam ordinis B. Mariæ de monte Carmelo obſeruantium.

§. 8. *Qui eamdem facultatem habeat, quam Vicario Generali prædicto dictus Sixtus prędeceſſor noſter conceſſerat cum ſex conſiliarijs, ſiue aſſiſtentibus, votum deciſiuum haberi ab eodem Sixto prædeceſſore & à pia memoria Gregor. Papa XIV etiam prædeceſſore noſtro aſſignatis, quos Conſiliarios, ſiue Aſſiſtentes huic de nouo inſtituto, prædicto Præpoſito Generali adiungimus, & aſſignamus cum voto deciſiuo, vt aliàs iuxta formam pręſcriptam in dictis litteris prædeceſſorum noſtrorum habetur. Quibus aſſociatus poterit totum prædictum ordinem Diſcalceatorum regere, & gubernare iuxta præſcriptum conſtitutionum ſupra dicti ordinis, quæ dudum ſunt à nobis confirmatæ, vel earum, quæ ab eiſdem Fratribus Diſcalceatis in poſterum fient, & condentur.*

§. 9. *Quia verò Conſiliarij, ſiue Aſſiſtentes prędicti debent eſſe quoque Capituli generalis prædicti Diffinitores in eorum Capitulo generali eligendi, ordinamus, vt ex vnaquaque Prouincia vnus eligatur Diffinitor, non excedendo ſenarium numerum, qui ſit ex Conuentualibus illius Prouinciæ, vel qui habeat officium pro ea, aut pro vniuerſo ordine, qui durante Capitulo, Diffinitoris, extra verò Conſiliarij ſiue Aſſiſtentis nomine vocabuntur. Pro Prouincia S. Alberti, quæ in Indijs Hiſpaniarum exiſtit, vel pro alia, aut alijs, ſi quæ, iuuante Deo addentur, poſſint propter longinquitatem locorum ex alijs prouincijs deputari, niſi aliqui ex dictis Prouincijs Indiarum idonei propinquiores exſtiterint vt in diffinitores prædictarum Prouinciarum eligi poſſint. Si verò ſub protectione vnius Diffinitoris, Conſiliarij contingeret, plures eſſe Prouincias, alternatim eligatur ex eis prædictus Diffinitor, qui omnes in eodem conuentu & domo, vt in conſtitutionibus ſtatutum eſt, ſimul cum Præpoſito Generali degentes, expeditioni negotiorum, ordiniſque regimini intendant. Quę conceſſio præpoſiti Generalis, & Aſſiſtentium nomine Congregationis, ſiue Conſulta inſignietur.*

§. 10. *Si autem contingat Pręposit̃um Generalem abſentari à Conſulta, ſiue à Cõgregatione prædicta, vel mori, vel ante ſuũ diſceſſum, aut eius obitum adhuc eo viuente ſi grauiter infirmabitur, fiet in præſentia electio Vicarij Generalis per Præpoſitum Generalem & Aſſiſtentes, eiſdemmet Conſiliarijs, ſiue Aſſiſtentibus, qui dictæ Congregationi præſideat, & cum reliquis aſſiſtentibus, vt præfertur expeditioni negotiorum intendat. Quod ſimiliter fiet, ſi hunc contingat infirmari, aut mori, quod ſeruabitur in ſimilibus euentibus, quia Vicarius huiuſmodi alius non poterit abſentari in abſentia Præpoſiti Generalis & vocabitur nouiter electus, etiam Vicarius Generalis cuius officium & nomen ſolum durabit, dum abſens erit Præpoſitus Generalis, vel ſi mortuus fuerit, vſque ad Capitulum Generale intra ſex menſes incluſiuè congregandum, in quo præſidebit vſque ad noui Præpoſiti electionem, quo abſente prorogabitur capitulum prædictum vſque ad aduentum Præpoſiti Generalis, interim tamen ordinaria terminabuntur à Diffinitorio, electo prius Vicario Generali, vt præfertur.*

§. 11. *Prædictus autem Præpoſitus generalis ſtatim electus, ſit ipſo facto confirmatus teneatur tamen certiorem facere Cardinalem dicti ordinis Diſcalceatorum Protectorem de huiuſmodi electione, qui per ſexennium, & non vltra durabit, nec poterit reeligi niſi alio ſexennio tranſacto; cæteri verò Prælati & Superiores, ſicut per Sixtũ V. & Gregorium XIV. prædeceſſores prædictos, & ordinis conſtitutiones eſt diſpoſitum, à quibus tempora celebrandi capitula generalia, & prouincialia, & ea quæ ibi debent fieri, ſunt diffinita, quæ omnia obſeruanda præcipimus.*

§. 12. *Quia verò capitulum generale proximè futurum indictum eſt pro feſto Pentecoſtes anni ſequentis, videlicet milleſimi quingenteſimi nonageſimi quarti, & antea non poſſent ſine magno conuentuum diſpendio, & fratrum incommodo, capitulares ad illud accedere, idcirco ex nunc, cũ qui iam eſt Vicarius Generalis, conſtituimus,*

mus, & nominamus Præpoſitum Generalem cum plenitudine authoritatis, & poteſtatis generalis ſicuti ſupra diſpoſitum eſt, vt videlicet, ſimul cum Aſſiſtentibus regimini ordinis intendat, ſicuti ſi eſſet per ſuffragia ſecreta electus. Accedente autem tempore Capituli, ipſe præſideat Capitulo vſque ad electionem noui Præpoſiti Generalis, ſeruatis in reliquis ordinis conſtitutionibus Apoſtolicis.

§. 13. Nec non Præpoſito generali, & Aſſiſtentibus, ſeu diffinitoribus prędictis, in capitulo quæcunque ſtatuta, & ordinationes bonum regimen dicti ordinis Diſcalceatorum ad Dei ſeruitium concernentia, dummodo Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, & eorum primitiuæ regulæ, & inſtituto non aduerſentur, condendi, mutandi, alterandi, & in totum ſi videbitur, abrogandi, & de nouo edendi, ſicuti per Gregorium XIII. ac Sixtum V. & Gregorium XIV. prædeceſſores præfatos, ac per nos, & conſtitutiones dicti ordinis eſt diſpoſitum, licentiam, & facultatem concedimus. Poterit quoque prædictus Præpoſitus generalis plures prouincias inſtituere, domos, & conuentus fratrum, vbique terrarum denuò erigere.

§. 14. Nec non Præpoſito generali prædicto, ac ordini Diſcalceatorum reſpectiuè, quæcunque priuilegia, indulta, & facultates Prouinciæ, ac Priori Prouinciali à Gregorio XIII. Diſcalceatorum, & Vicario generali, & Congregationi etiam Diſcalceatorum poſtmodum à Sixto V. erectæ, & à Gregorio XIV. prædeceſſoribus prædictis, & à nobis, vel alijs Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris conceſſa fuerunt cōpetere ſtatuimus, & declaramus. Omnia pręterea & ſingula priuilegia, facultates, gratias, prærogatiuas, indulta, fauores, conceſſiones, tam Priori generali totius ordinis Carmelitarum, quam prædicto ordini, ſingularibuſque illius perſonis, tam à Romanis Pontificibus, quam dictæ ſedis de latere Legatis, necnon quibuſcumque Regibus, Imperatoribus & Principibus ſæcularibus conceſſa, vel concedenda in futurum, æquè ac alijs dicti ordinis Carmelitarum fratribus, & religioſis, ſine aliqua prorſus differentia conceſſa ſunt, prædicto ordini Diſcalceatorum, Prępoſito generali, ſuiſque fratribus, dummodo primitiuæ regulæ, & ordinis conſtitutionibus, regularique obſeruantiæ non repugnent, eiſdem authoritate, & tenore concedimus, & indulgemus illiſque ſi opus ſit ea omnia communicamus, & extendimus.

§ 15. Decernentes præſentes litteras vnquam tempore ſub vllis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, abrogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, à nobis & quibuſcumque alijs Romanis Pontificibus, vel dicta ſede nunc & pro tempore emanatis, comprehendi, ſed ſemper ab alijs exemptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo ante præmiſſa erant ſtatum reſtitutas, & de nouo etiam ſub poſteriori data per, pro tempore exiſtentem Præpoſitum generalem congregationis huiuſmodi eligenda, conceſſas eſſe, & fore. Sicque per quoſcunque Iudices, & commiſſarios, quacunque authoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, dictæque ſedis etiam de latere Legatos, & Nuntios, ac cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbique, & in quauis inſtantia interpretari, iudicari, ac definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 16. Quocirca Venerabilibus fratribus vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filijs eorum Vicarijs in ſpiritualibus, generalibus, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Capitulis, & alijs ad quos vel quomodolibet ſpectat & pertinet, ac ſpectabit, & pertinebit, per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut tres eorum per ſe, vel per alium, ſeu alios faciunt authoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ab omnibus ad

Digitized by Google

quos ſpectat, & pertinere putatur, inuiolabiliter obſeruari, dictoſque fratres Diſcalceatos illis omnibus, & ſingulis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quomodolibet moleſtari. Contradictores quoslibet & rebelles, & præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, *aliaque iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis.*

§. 17. *Non obſtantibus præmiſſis piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium ad iudicium vltra tres dietas non trahatur, ac de non recipiendis nouis domibus, alijſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, nec non omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in ſuis litteris prædictis voluerunt non obſtare contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

§. 18. *Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ſigillo dicti ordinis Diſcalceatorum, ſeù alicuius perſonæ in dignitate* Eccleſiaſtica *conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 20. Decembris, milleſimo quingenteſimo nenageſimo tertio, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Quia verò noſtra Diſcalceatorum Carmelitarum religio in duas eſt diſtincta Congregationes ſub duplici præpoſito Generali, ſcilicet Hiſpanicam titulo Sanctæ Thereſiæ, & Italicam titulo Sancti Eliæ; & præadducta *B*ulla ſolùm procedit directè de congregatione Hiſpanica, ideò aliam appono erectionis noſtræ Congregationis Italicæ, quæ noſtrum probat intentum, & eſt ſequentis tenoris.

CLEMENS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

IN *Apoſtolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, diuina diſponente clementia conſtituti ad ea noſtræ mentis aciem libenter dirigimus, per quæ ſacrarum religionum in* Eccleſia *Dei piè, ſancteque inſtitutarum, quarum profeſſores vitæ ſanctitate, & exemplo, ac ſacrarum litterarum doctrina fideli populo ad ſalutem prodeſſe ſtudent, propagationi, & incremento, quantum cum* Domino *poſſumus intendamus.*

§. 1. *Alias ſiquidem cum in* Italia *præter Monaſterium ſeù Collegium Sanctæ Annæ* Ciuitatis Ianuenſis, *nullum aliud extaret virorum Monaſterium, neque Conuentus, aut domus ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum; nuncupatorum, Nos cupientes ordinem prædictum (cuius profeſſores primitiuæ Regulæ à bonæ mem. Alberto* Patriarcha *Ieroſolymitano ipſi ordini præſcriptæ, & à fel. record.* Innocentio *Papa IV. prædeceſſore noſtro prima Septembris anni* 1248. *Pontificatus ſui anno* 5. *confirmatæ, normam tum in* Regnis *Hiſpaniarum, tum in* Italia *diligenter obſeruent, & in vtrumque inſtituti ſui finem, priorem ſcilicet ac potiorem, qui eſt diuina vnio per orationem ac contemplationem; & poſteriorem, qui eſt ſalus proximorum, verbo ac opere Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſæi, aliorumque Sanctorũ* Patrum, *quorum hæredes veſtigijs inſiſtentes incumbunt) in alma Vrbe noſtra propagari, vnam eiuſdem ordinis domum, apud*

Eccle-

Eccleſiam B. Mariæ de Scala nuncupatam in regione Tranſtyberim de eadem Vrbe, Apoſtolica authoritate perpetuò ereximus prout in noſtris deſuper in forma breuis, expeditis litteris plenius continetur.

§. 2. Porrò cum præter fide dignorũ teſtimonia, quæ de huius Ordinis ſanctitate ad nos perlata ſunt, Nos ipſi experientia cognouerimus quantum vtilitatis in Eccleſia Dei pijs eorum exercitijs, tum orationibus, mortificationibus, aſperitate vitæ, tum prædicationibus, confeſsionibus, & Sacramentorum adminiſtratione, ad Dei laudem, & Chriſti fidelium animarum ſalutem quotidie afferat. Volentes vlteriori eiuſdem Ordinis propagationi, quantum cum Domino poſſumus opportunè proſpicere. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione, noſtris, ac de Apoſtolicæ popoteſtatis plenitudine, tam ex prædicta in Vrbe per nos erecta, & alia ſupradicta S. Annæ Ianuen. & quibuſcunque alijs Domibus, ſeu Conuentibus in Italia forſan hactenus erectis (quas & quos iam à Congregatione eiuſdem Ordinis Hiſpaniarum per dictas noſtras litteras ſeparauimus) quam ex alijs quibuſcumque Domibus, & Conuentibus poſt hac in Italia, & alijs quibuſuis, præter Hiſpaniam locis, ac Regnis, erigendis, vnam Congregationem Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum à præfata Congregatione ſeu Ordine Hiſpaniarum, & quibuſuis alijs eiuſdem ordinis Congregationibus, ſeu Prouincijs, illarumque Superioribus, & Fratribus prorſus diſtinctam & ſeparatam, nobiſque & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectam, ab vno Præpoſito cum Diffinitorum interuentu iuxta regularia eiuſdem Ordinis ſtatuta, regendam, & gubernandam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus.

§. 3. Ipſique Congregationi ſic erectæ, eiuſque nunc, & pro tempore exiſtentibus, Domibus, ſeu Conuentibus, a Superioribus & Fratribus, vt quibuſcumque priuilegijs, indultis, conceſſionibus, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuis, fauoribus, Indulgentijs, & alijs gratijs tam ſpiritualibus, quam temporalibus ſupradictæ Hiſpaniarum Congregationi per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet etiam per viam communicationis ſeu extenſionis, aut aliàs quomodocunque conceſſis confirmatis, & innouatis, ac in poſterum concedendis, vti frui & gaudere poſſit, ſine aliqua prorſus differentia, perindè ac ſi eidem Congregationi Italiæ, eiuſque Domibus, Conuentibus, Superioribus, & perſonis nominatim, & æquè principalitèr conceſſa fuiſſent.

§. 4. Vſque nouas Domos, & Conuentus in quibuſcunque ciuitatibus, terris, & locis, tam Italiæ, quam aliarum extra Hiſpaniam Prouinciarum, ac Regnorum recipere & erigere valeat; dummodo tamen in quacumque illarum duodecim Religioſorum numerus ad minus commodè ali & commorari poſſit.

§. 5. Nec non etiam vt quæcumque bona ſtabilia, & mobilia ipſis Domibus, ex quibuſcumque piorum Chriſti fidelium eleemoſynis, largitionibus, donationibus, ſucceſſionibus, legatis, & alijs diſpoſitionibus, acquirere & recipere, ac in eorumdem Cõuentuum, & domorum vſus, & vtilitatem conuertere poſſit.

§. 6. Et præterea quia in eadem congratione Capitula generalia, vel Prouincialia, iuxta conſtitutiones quotannis non celebrantur, vt in quibuſcunque domibus, & conuentibus eiuſdem nouæ Congregationis à Superiore deputandis Nouitij ad habitum per Fratres eiuſdẽ Ordinis geſtari ſolitum, de licentia Commiſſarij, ſeu Præpoſiti Generalis eiuſdem Congregationis (ſeruata tamen in reliquis forma Sacrorum Canonum, conſtitutionumque Apoſtolicarũ ac decretorum noſtrorum ipſiuſque Ordinis regularium ſtatutorum) dummodo informationes pro Nouitijs admittendis receptæ, per vota ſecreta, per capitula conuentus in quo huiuſmodi Nouitij recipiendi erunt approbentur; ipſaſque informationes niſi iam alias habeantur, Superior Congregationis vel Conuentus, aliquibus Fratribus prudentia, & zelo Religionis præſtantibus recipiendas committat, qui Commiſſarij illas recipiant de qualitatibus

eorum

eorum, qui recipiendi erunt ex præſcripto conſtitutionum Apoſtolicarum. Et ſi extra locum conuentus huiuſmodi informationes recipiendæ fuerint, idem Superior illas modo præmiſſo recipiendas aliquibus perſonis fide dignis committat, recipi poſſint, & valeant, authoritate & tenore prædictis concedimus, ac licentiam, & facultatem opportunas impartimur.

§. 7. *Et pro maiori huius inſtituti conſeruatione in ipſa congregatione aliquẽ, Diſcalceatorum Hiſpaniæ, aut ab alia quacumque Religione Apoſtatam, fugitiuum, vel expulſum recipi poſſe prohibemus. Quod ſi ſecus ſcienter, vel ignoranter fieri contigerit, receptio, & admiſſio huiuſmodi nullius ſit roboris vel momenti, & ipſe receptus ſtatim eijci debeat.*

§. 8. *Nullum prætereà huius congregationis Religioſam curam, aut gubernationem Monialium, etiam ſi eiuſdem habitus & Regulę exiſtant, præterquam Monaſterij de Ieſu Maria Ianuen. ſuſcipere vel habere permittimus.*

§. 9. *Ipſius autem congregationis Italiæ regimini, & peoſperæ gubernationi proſpicere cupientes, Dilectum Filium Petrũ de Matre Dei Priorem prædicti Conuentus S. Mariæ de Scala de Vrbe eiuſdem congregationis Commiſſarium generalem, hac vice authoritate, & tenore prædictis facimus, et deputamus eidem Congregationem Italiæ prędictam, eiuſque domos et conuentus quoſcumque erectos, et erigendos, regendi, et gubernandi, ac omnia, et ſingula alia, quæ iuxta conſtitutiones Prepoſitus ac Diffinitores in eadem congregatione facere, et exercere poſſent, faciendi, et exercendi, ac vbi cenſuerit, Superiores eligi faciendi per vota ſecreta capituli conuentus, facultatem, & auctoritatem tribuimus.*

§. 10. *At vbi alii duo conuentus iam conditi, ac decenter ſtabiliti erunt, ad quos concedendos ſpecialem licentiam concedimus, omnes Superiores cum eorum ſocijs & diſcretis canonicè electis per eumdem Petrum ad capitulum conuocari, et iuxta conſtitutiones ad electionem Præpoſiti, et Diffinitorum congregationis et ad reliqua, quæ ad congregationis bonum expedire crediderint, procedi debere Præpoſitumque iuxta conſtitutiones electum ex ipſo confirmatum eſſe, & auctoritatem Commiſſarij expirare, totamque in Præpoſitum, iuxta tamen conſtitutiones refundi ſtatuimus et ordinamus.*

§. 11. *Sed ſi ante expletam huiuſmodi commiſſionem prædictus Petrus è vita diſceſſerit, eius vices Priori antiquiori earumdem domorum gerendas committimus, & demandamus.*

§. 12. *Et vt huius ſacræ vineæ fructus, pluribus proſint, ſocietatem, ſeu confraternitatem B. Mariæ de Monte Carmelo inſtituendi, eique exercitia iuxta conſtitutiones præſcribendi, perſonaſque in eandem confraternitatem admittendi, congregationis Commiſſario, aut Præpoſito facultatem impartimur.*

§. 13. *Decernentes preſentes litteras nullo vnquam tempore, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtra, vel alio quouis defectu, etiam ex eo quod quicumque intereſſe habentes vocati non fuerint, notari, argui impugnari, aut ad terminos iuris reduci, ſeù in ius vel controuerſiam reuocari poſſe. Sicque per quoſcumque Iudices, & commiſſarios quauis authoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, ac diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 14. *Non obſtan. piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cauetur expreſsè ne qui Fratrum Mendicantium Profeſſores loca ad inhabitandũ recipere audeant, aut preſumant abſque dicta Sedis licencia ſpeciali, d e prohibitione huiuſmodi expreſſam mentionem faciente, ac alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non ordinis prædicti etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

§. 15. *Volumus autem, vt harum litte-*

Digitized by Google

litterarum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die decima tertia Nouembris 1600. Pontificatus noſtri anno 9.

AD Primum ergo dicendum, quòd caput illud regulæ intelligitur in hoc ſenſu, quandiu ſcilicet vnica foret Religio Carmelitana ſub obſeruantia ipſius regulæ primitiuæ. Deinde dicendum, quòd iuſtis de cauſis Pontifex in hoc diſpenſauit, ſi opus erat diſpenſatione.

AD Secundum dicendum, quòd vnitas moralis eſt maior & minor, qualis eſt vnitas aliquarum religionum: vnde vnitas quæ eſt inter Carmelitas alios & noſtros Diſcalceatos eſt maxima in participatione priuilegiorum &c. propterea Pontifex in hoc ſenſu dicit quod faciunt vnum ordinem mendicantium, ſcilicet Carmelitanum; In alijs autem, puta in regulari obſeruantia, non eſt tanta vnitas. Vnde nec debet eſſe vnitas Superioris Generalis; Et quia in hoc ſecundo ſenſu ordo Carmelitanus non eſt vna ſimplex religio, ſed duplex, ideò non debet dici monſtrum ſi habet duo capita.

AD Tertium dicendum, quòd ſi inter Generales diſtinctarum Congregationum S. Franciſci eſt aliqua ſubordinatio, ſic ordinauit Summus Pontifex; nō autem ſic voluit eſſe inter Generales ordinis Carmelitani, inter quos ſtatuit omnimodam independentiam. Si Generalis obſeruantium S. Franciſci habet aliquam ſuperioritatem in alios Generales, aut in alias Congregationes Ordinis Minorum, illam obtinuit, ſicut & ſigillum magnum, intuitu primitiuæ obſeruantię ſiue reformationis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati gaudeant iiſdem priuilegijs, quibus alij Carmelitæ.

AD Secundum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non gaudeant iiſdem priuilegijs, quibus alij Carmelitæ. Probatur: Sunt aliqua priuilegia aliorum Carmelitarum incōmunicabilia Carmelitis Diſcalceatis, puta priuilegium dandi Sacrum Scapulare ſæcularibus, & inſtituendi confraternitatem illius; Cum enim huiuſmodi confraternitas ſit alijs Carmelitis ab antiquo appropriata, non poteſt alijs competere, ſicut nec authoritas admittendi ad illam per impoſitionem Sacri Scapularis: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non gaudent iiſdem priuilegijs, quibus alii Carmelitæ.

¶ 2. Prçterea: multa ſunt aliorum Carmelitarum priuilegia, ipſis ſingulariter propria, & priuatiuè ad omnes alios Religioſos, quę ſcilicet concernunt indiuidualem ſtatum ipſorum, ac proinde ſunt alijs incommunicabilia: Ergo Carmelitę Diſcalceati non gaudent iiſdem priuilegijs quibus alij Carmelitæ.

¶ 3. Prçterea: Alij Carmelitæ gaudent priuilegijs cæterorum mendicantium ſpeciali Pontificum conceſsione, qui communicationem priuilegiorum mutuam inter quatuor ordines mēdicantes conceſſerunt: Sed Carmelitæ Diſcalceati non gaudent priuilegijs cæterorum mendicantium, non enim comprehenduntur in bulla dictæ communicationis, quia nondum erant cum talis bulla fuit conceſſa: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non gaudent iiſdem priuilegijs, quibus alij Carmelitæ.

SED CONTRA eſt authoritas expreſſa Clementis VIII. Summi Pontificis concedentis & declarantis, quòd Car-

Digitized by Google

Carmelitæ Diſcalceati gaudent iiſdem priuilegiis, quibus alii Carmelitæ.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati gaudent iiſdem priuilegijs quibus alij Carmelitæ.

RESPONDEO dicendum, quod Carmelitæ Diſcalceati gaudent iiſdem priuilegiis, quibus alii Carmelitæ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd quilibet ordo religioſus ſua habet priuilegia, quæ ſuis meritis & obſequiis erga Eccleſiam Catholicam & Sedem Apoſtolicam velut laborum remunerationē vt plurimum obtinuit: Illorum communicationem mutuam inter quatuor ordines mendicantes conceſſerunt Summi Pontifices; & de his agimus in præſenti, aſſerentes quòd noſtri Carmelitæ Diſcalceati gaudent iiſdem priuilegiis omnibus, quibus alii Carmelitæ, ſiue propriis ſiue communicatis.

Probatur concluſio authoritate Clementis VII. in adducta bulla præcedenti articulo, quam refert Cherubinus tomo 3. pagina 24. vbi numero 14. ſic habetur: *Nec non prædicto Præpoſito Generali, ac ordini Diſcalceatorum huiuſmodi reſpectiue quæcumque priuilegia, indulta, & facultates Prouinciæ ac Priori Prouinciali à Gregorio XIII. antea Diſcalceatorum, & Vicario generali, & congregationi etiam Diſcalceatorum poſtmodum à Sixto V. erectæ, & à Gregorio XIV. prædeceſſoribus prædictis, & à nobis, vel aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris conceſſa fuerunt, competere ſtatuimus & declaramus. Omnia præterea & ſingula priuilegia, facultates, gratias, prærogatiuas, indulta, fauores, concesſiones tam Priori Generali totius Ordinis Carmelitarum, quàm prædicto ordini ſingulribuſque illius perſonis, tam à Romanis Pontificibus quam dictæ Sedis de latere legatis, nec non quibuſcumque Regibus, Imperatoribus, & Principibus ſæcularibus conceſſa, vel concedenda in futurum, æquè ac alijs dicti ordinis Carmelitarum Fratribus, & Religioſis ſine aliqua prorſus differentia conceſſa ſunt prædicto ordini Diſcalceatorum, Præpoſito Generali, ſuiſque Fratribus, dummodo primitiuę regulæ & ordinis Conſtitutionibus, regularique obſeruantię non repugnēt, eiſdem auctoritate & tenore concedimus & indulgemus; illiſque ſi opus ſit, ea omnia communicamus & extendimus.*

Secundò probatur ſpeciali bulla, quæ in authentico noſtrorum priuilegiorum libro continetur, & eſt ſequentis tenoris.

CLEMENS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

CVM dudum Congregationem Fratrum Diſcalceatorum Ordinis B. Marię Virginis de Monte Carmelo à Prioris Generalis, & Fratrum Mitigatorrm eiuſdem Ordinis ſubiectione, & dependentia omninò liberauerimus, ac noſtræ Sediſque Apoſtolicę obedientię, gubernio, & protectioni ſubiecerimus, & ſuſceperimus, prædictiſque Fratribus Diſcalceatis Præpoſitum Generalem ex ſe ipſis, ac ſuæ profesſionis dederimus, qui iuxta eorū regularia inſtituta eos gubernet, & regat, & prætereà cum vberes laborum ſuorum fructus ex continuis ſuis prędicationibus, lectionibus, ſtudijs, exhortationibus, & alijs penè innumeris pietatis operibus, quæ pro ſalute animarum aſſiduè pręſtant, Eccleſia colligat, & vberiores quotidiè colligere ſperet, vtpotè, qui iam ad Indos vſque ſint non modicè propagati, ibique, & vbilibet hominum corda ad Deum, omni ſtudio conuertere nitantur, & quia cum prędictos Diſcalceatos à Mitigatis ſeparauerimus, dubitari forſan poſſet, an gratiæ & priuilegia ipſis Carmelitis Mitigatis tam principalitèr, quam per communicationem conceſſa, ea etiam Diſcalceatis competant.

Propterea nos ad tollendam omnem præfatam ambiguitatem prędictorum Fratrū Diſcalceatorum Prępoſitum Generalem, eiuſque Fratres ſibi ſubiectos omnes, & eorum

Digitized by Google

rum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat, conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes. Necnon quorumcumque priuilegiorum, indultorum, exceptionum, & immunitatum mitigatis Fratribus conceſſorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes: Volentes eoſdem Fratres, Diſcalceatos, ſuumque ordinem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi & à Dilecto Filio noſtro S. Romanę Eccleſiæ Cardinali Dominico tituli S. Criſogoni Pinello, eiuſdem ordinis Protectore plenè cõfirmati, & ad eius inſtantiam ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prædictum ordinem Diſcalceatorum, qui vnus eſt de quatuor Mendicantium, eiuſque Præpoſitum Generalem, ſuoſque Fratres omnes & ſingulos, & Moniales, domos, conuentus, cænobia, collegia tã virorum, quam mulierum, cæteraque eiſdem pertinentia reſpectiuè, Priuilegijs indultis, immunitatibus, exemptionibus, Indulgentijs, & gratijs, quibus fruuntur, & gaudent cæteri Carmelitæ mitigati tam principaliter, quam per communicationem conceſſis, tam à Sixto Papa IV. & Clemente VII. quam ab alijs Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibuſcunque vſi, potiri, & gaudere debere declaramus.

2. *Nec non prædicta, & omnia, videlicet Priuilegia, Indulta, immunitates, exẽptiones, indulgentias, & gratias, & alia quæcunque dicti, & aliorum ordinum, etiã Mendicantium Fratribus, perſonis & bonis, Confraternitatibus, & alijs pijs locis, vel alios quomodolibet præfatis ordinibus, Domibus, & eorum bonis conceſſa, & concedenda (dummodo Sacro Sancto Concilio Tridentino, Regulæ primitiuæ, & eorum conſtitutionibus non aduerſentur) prædictis fratribus Diſcalceatis, ordinis B. Mariæ V. de monte Carmelo, domibus, & eorũ bonis, eadem omninò, ſimilique modo competere verè, & propriè, ac ſi eiſdem ſpecialiter conceſſa eſſent, præſentibus pro expreſſis, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, haberi volentes, decernimus, & ſtatuimus, & ſi opus eſt, eadem nunc concedimus, & impartimur, & quo ad quartam funeraliũ, ſicut alij præfati ordines gaudent & potiũtur. Diſtrictius inhibentes omnibus, & ſingulis in literis præfati Sixti nominatis, ſub eiſdem pœnis incurrendis, ſub quibus idem Sixtus Prædeceſſor noſter inhibet, ne prædictis eorum priuilegijs contrauenientes, præfatis fratribus Diſcalceatis, vel eorum domibus, aut bonis vim, ſeu moleſtiam inferant. Et nihilominus Dominico Cardinali Pinello nuncupato dicti Ordinis Diſcalceatorum Protectori, & qui pro tempore erit, & cuilibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto, Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Canonico pluribus, vel ſingulis in ſolidum, prout caſus, aut neceſſitas exegerit, per vniuerſum Orbem eandem concedimus authoritatem, & committimus facultatem pro conſeruandis prædicti Ordinis Diſcalceatorum, priuilegijs, indultis, immunitatibus, gratijs, indulgentijs, & cæteris conceſſis, & concedendis, quam prædictus Sixtus prædeceſſor noſter, & alii Romani Pontifices eiſdem perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, aut Canonico pro conſeruandis priuilegiis tam vniuerſo Ordini Carmelitarum, quam cæteris ordinibus conceſſis, conceſſerunt, & impartiti ſunt, quæ omnia, & ſingula hic pro expreſſis haberi ſtatuimus. Decernentes præſentes literas nullo vnquam tempore, ſub vllis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, abrogationibus, aut aliis contrarijs diſpoſitionibus à nobis, & quibuſcumque Romanis Pontificibus, vel dicta Sede, nunc & pro tempore emanatis, comprehendi, ſed ſemper ab illis exemptas, & quoties illæ emanabũt, toties in priſtinum, & in eum, in quo ante præmiſſa erant ſtatum reſtitutas, & de nouo etiam ſub poſteriori data per pro tempore exiſtentem Prępoſitum Generalem præfati ordinis Diſcalceatorum huiuſmodi, eligendas, conceſſas eſſe, & fore, ſicque per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quacumque authoritate fungẽtes, etiam S.R.E. Cardinales, dictaque Sedis etiam de latere*

Legatos, & Nuncios, ac cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate: Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis eorum Vicarijs in ſpiritualibus Generalibus, & cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, nec non Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Capitulis, & alijs ad quos, vel quomodolibet ſpectat, & pertinet, ac ſpectabit & pertinebit, per præſentes maneamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeù alios faciant authoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos ſpectat, & pertinere putatur, inuiolabiliter obſeruari, dictoſque Fratres Diſcalceatos illis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper à quoquam quomodolibet moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pęnas Eccleſiaſticas, aliaque iuris, ac facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis; Non obſtãtibus præmiſſis piæ mem. Bonifacij VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium ad iudicium vltrà tres dietas non trahatur, alijſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia, roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innouatis, quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, necnon omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in ſuis literis præfatis voluerunt non obſtare contrarijs quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem quod præſentium trãſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Ordinis Diſcalceatorum, ſeù alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 23. Martij 1594. Pontificatus noſtri anno tertio.

Et quia idem Pontifex Clemẽs VIII. nouam in Italia congregationem noſtrorum Diſcalceatorum inſtituit, cui aliæ omnes Chriſtianorum regiones ſubeſſent excepta Hiſpania, vt conſtat ex dictis articulo præcedente, conceſſit ipſi gratias omnes & priuilegia, quæ Congregationi Hiſpanicæ conceſſerat, vt habetur ex bulla ibidem adducta, vbi §. 3. ſic ait Pontifex: *Ipſique Congregationi ſic erectæ, eiuſque nunc & pro tempore exiſtentibus domibus ſeu conuentibus, ac Superioribus & fratribus, vt quibuſcumque priuilegijs, indultis, conceſſionibus, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuis, fauoribus, indulgentijs, & alijs gratijs tam ſpiritualibus quàm temporalibus, ſupradictæ Hiſpaniarum congregationi per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem Apoſtolicam quomodolibet, etiam per viam communicationis ſeu extenſionis, aut alias quomodocumque conceſſis, confirmatis, & innouatis, ac in poſterum concedendis, vti, frui & gaudere poſſit, ſine aliqua prorsùs differentia, perinde ac ſi eiſdem Congregationi Italiæ, eiuſque domibus, conuentibus, Superioribus & perſonis nominatim, & ęquè principaliter conceſſæ fuiſſent.*

AD primùm ergò dicendum, quòd hoc priuilegium dandi ſacrum ſcapulare ſęcularibus, & inſtituendi confraternitatem illius, fuit cælitùs conceſſum toti Car-

Digitized by Google

Carmelitarum ordini a Beatiſſima Virgine, vt declarauit Pontifex, qui inſuper toti ordini communicauit gratias & indulgentias ab Apoſtolica Sede Confraternitati conceſſas, & facultatem alios ad eam admittendi: Sic autem conuenerunt Patres Calceati & Diſcalceati circa hanc confraternitatem ex approbatione Pontificis, quòd qui primi ſunt in aliqua Ciuitate, vel oppido, habeant ſoli confraternitatem, & quod omnes poſſint benedicere ac dare ſcapularia.

AD Secundum dicendum, quòd concluſio non procedit de ſimilibus priuilegijs, ſi quę ſint; nam eo ipſo quòd talia ſunt, ita ſunt propria, quòd non fiant alijs communia, nec poſſint communicari.

AD Tertium dicendum, quod Carmelitæ Diſcalceati gaudent priuilegijs omnium quatuor mendicantium: Et licet ex vi primæ illius bullæ communicationis eorum non gauderent, gaudent tamen ex vi bullarum ſupra adductarum per modum nouæ conceſsionis, aut extenſionis illorum.

ARTICVLVS III.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habeant priuilegium non eundi ad publicas proceſſiones.

AD Tertium ſic proceditur: Videtur quod Carmelitæ Diſcalceati non habeant priuilegium non eundi ad publicas proceſſiones. Ita crediderunt aliqui Præſules, qui diuerſis in locis eos cogere voluerunt ire ad huiuſmodi proceſſiones. Probatur: authoritate Clementis VIII. in quadam bulla ipſis data anno Domini 1603. vbi ſic ait; *Et licet Religioſi, vt accepimus, Euangelicæ humilitatis æmulatores, conſilium Dominicum ſectantes, infimum locum tam in proceſſionibus quam congregationibus, & alijs quibuſcumque euentibus elegerint & eligant*: Ergo Carmelitę Diſcalceati eunt ad publicas proceſſiones, & ita non habent priuilegium non eundi.

¶ 2. Præterea: Priuilegium non eundi ad publicas proceſſiones conceſſum eſt illis, vel qui non recitant officium diuinum in choro, vel qui ſub ſtrictiori clauſura continuum penè chorum habent, ne hi poſtremi contra ſuum inſtitutum foras prodire cogantur: Sed Carmelitæ Diſcalceati ex vna parte habent chorum, ex alia verò parte non habent chorum continuum ſub ſtrictiori clauſura, cum propria regula permittat eis exitum ad opera charitatis: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non habent priuilegium non eundi ad publicas proceſſiones.

¶ 3. Pręterea: Carmelitæ Diſcalceati ſunt verè religioſi mendicantes, vt declarauit Clemens VIII. in Bulla citata: Sed quatuor ordines mendicantes tenentur ire ad publicas proceſſiones: Ergo: Carmelitæ Diſcalceati non habent priuilegium non eundi ad publicas proceſſiones.

SED CONTRA eſt authoritas Clementis VIII. concedentis tale priuilegium Carmelitis Diſcalceatis, & conſtitutiones ipſorum ab Vrbano VIII. confirmatæ.

CONCLVSIO.

Carmelitæ Diſcalceati habent priuilegium non eundi ad publicas proceſſiones.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ Diſcalceati habent priuilegium non eundi ad publicas proceſſiones, titulo ſtrictioris clauſuræ. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod ex vna parte fuerunt inſtitutæ proceſſiones publicæ in Eccleſia ex multis motiuis; Videlicet, vt multiplicatis interceſſoribus pręcipuis Chriſti ſeruis Eccleſiaſticis in communitate coniunctis, eorum precibus ipſius Eccleſiæ neceſſitatibus prouideatur; Et ſimiliter ad exhibendum tum Sanctiſſimo Euchariſtię Sacramento,

Digitized by Google

to, tum Beatiſſimæ Virgini, tum alijs Sanctis cultum conuenientem & debitã venerationem; Ac tandem ad excitandam populi Chriſtiani deuotionem. Ex alia verò parte, ad huiuſmodi proceſſi ones ſeu publicas ſupplicationes tenentur omnes accedere, qui communi choro attendentes, non excuſantur titulo ſtrictioris clauſuræ, ſibi per propriam regulam iniunctæ, quales ſunt plures monachi; Inter eos nos Summus Pontifex Clemens VIII. conſtituit quantùm ad hoc priuilegium: Ratio autem cur tale priuilegium conceditur religioſis ſtrictioris clauſuræ, eſt ne ſimili exitu è clauſtro regulę ipſorum ſtrictiorem clauſuram præcipientes violentur, cum aliàs ſint ab Eccleſia confirmatæ.

Probatur concluſio authoritate Clementis VIII. Summi Pontificis, qui tale priuilegium non eundi ad generales proceſſiones Carmelitis Diſcalceatis prædicto titulo ſtrictioris clauſuræ conceſſit expreſſa bulla, quæ habetur tertio tomo bullarij Cherubini pagina 106. cuius titulus eſt; *Declaratio quod Congregatio Fratrum Diſcalceatorum ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, eſt vnus de quatuor ordinibus mendicantium, eorumque gratijs omnibus perfruitur;* quæ data fuit Romæ apud Sanctum Marcum die 20. Auguſti anno Domini 1603. Pontificatus ipſius 12. Inter alia autem ſic habet ad intentum numero 4. *Præterea illos, licet ob ædificationem fidelium, maxime nouiter ad fidem venientium, propriæ quieti cedentes, ad proceſſiones tam priuatas, quam generales exiuerint vel exeant, cũ in ſtrictiori clauſura perpetuò, iuxta regulam quam profitentur degant, ad proceſſiones generales compelli nunquam poſſe.* Hæc Pontifex, quibus euidenter præcipit, vt noſtri Diſcalceati nunquam poſſint compelli vt eant ad proceſſiones generales, quamuis ipſi ſponte poſſint ad eas ire in terris infidelium; Vnde etiam in illis terris ire ad generales proceſſiones, eſt noſtræ electionis, & non obligationis.

Secundò probatur authoritate noſtrarum conſtitutionum, quas Vrbanus VIII authoritate Apoſtolica confirmauit Romę apud Sanctum Petrum die 22. Martij anno Domini 1631. Pontificatus ipſius 8. Sic autem in eis habetur cap. 13. de modo quoad exitum e clauſtro, numero 3. *Ad mortuos autem ſepeliendos, & proceſſiones publicas Fratres noſtri non exeant, niſi in terris infidelium, vel vbi hæreſes graſſantur, quando peculiarior ibi aliqua neceſſitas vrget.* Vt autem conſtet de fundamento huius priuilegij: Dicimus in noſtra Diſcalceatorum congregatione ſtrictiorem clauſuram obſeruari, iuxta regulam noſtram primitiuam, vbi habetur quod *maneant ſinguli in cellulis ſuis vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, niſi alijs iuſtis occaſionibus occupentur:* Quod regulæ præſcriptum declaratur prædicto conſtitutionum capite; Et numero 2. ſic habetur. *Quia verò eiuſmodi iuſtæ occupationes plures quam ſint facilè finguntur, monemus Fratres noſtros vt parce admodum e clauſtro exeant; feſtis præſertim diebus, quibus domi attentiùs Deo vacandum eſt:* Toto verò capite prohibet exitum ad multa quæ videntur neceſſaria; Et numero 4. permittit illum in paucis, ſic reſtringens; *Ad confeſſiones verò audiendas, & iuuandos morti proximos vocati, aliaque ſimilia officia pietatis (quibus officijs primi Diſcreti, vel ipſo abſente antiquioris Patris conuentus, conſenſu videatur ſatisfaciendum) Fratres noſtri prodire valeant, et tunc ad aliud ſe diuertere non poſſint, et receſſus exactam curam gerant.*

AD Primum ergo dicendum, quod Pontifex ſeipſum declarat ſtatim numero immediatè ſequenti, cuius verbis ante productis concluſionem probauimus; Intelligit enim per adducta verba, quod noſtri Diſcalceati aliquando in terris Infidelium poſſunt ire ad publicas & generales proceſſiones.

AD Secundum dicendum, quòd Carmelitę Diſcalceati diutiùs manent in choro, non ſolùm in perſoluendo Diuino officio, & miſſa frequenter cantanda,

da,

Digitized by Google

da, ſed etiam in facienda oratione mentali per duas horas integras ſingulis diebus, vnam mane, & aliam veſperè; exitus autem ipſorum ad opera charitatis eſt valde reſtrictus, vt conſtat ex adducto conſtitutionum noſtrarum teſtimonio.

AD Tertium dicendum, quod quidem quatuor ordines mendicantium tenentur ire ad publicas proceſſiones, quia non obſeruant ſtrictiorem clauſuram; ſed noſtri Carmelitæ Diſcalceati, qui ſub ordine Carmelitano illam obſeruant, iuxta eius exigentiam obtinuerunt priuilegium non eundi ad illas ex obligatione.

Articvlvs IV.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati gaudeant eodem antiquitatis ordine quo alij Carmelitæ.

AD Quartum ſic proceditur: Videtur quòd Carmelitæ Diſcalceati non gaudent eodem antiquitatis ordine, quo alij Carmelitæ. Ita tenuerunt aliqui data occaſione vel Scholaſticarum concluſionum, vel aliorum congreſſuum publicorum: Probatur: Carmelitæ Diſcalceati faciunt vnum corpus Religionis diſtinctum ab alijs Carmelitis totaliter, ſub vno generali etiam diſtincto. Aliundè verò ſunt moderni, cum cœperint anno Domini 1567. ita vt agnoſcãt ſuam Fundatricem Sanctam Virginem Thereſiam: Ergo non poſſunt gaudere eodem antiquitatis ordine, quo alij Carmelitæ, ſed debent eſſe iuxta ordinem ſuæ inceptionis,

¶ 2. Præterea: Contigit in multis occaſionibus, quod Carmelitę Diſcalceati ceſſerunt loco religioſis alijs, multò recentioribus quàm ſint alij Carmelitæ, & quibus alii Carmelitæ non ceſſiſſent: Ergo ſignum eſt, quod Carmelitæ Diſcalceati non gaudent eodem antiquitatis ordine quo alii Carmelitæ; Et ſi quod fuiſſet priuilegium in contrarium, illud amiſerunt illa ceſſione voluntaria.

¶ 3. Præterea: Non poteſt concipi, nec declarari; qualiter Carmelitæ Diſcalceati poſſint gaudere eodem antiquitatis ordine, quo alii Carmelitæ; nam ſi ſimul reperiantur, vel in proceſſionibus, vel in aliis congreſſibus, illis loco cedunt, cum non poſſint ſe mutuò penetrare; nec poteſt dici quod illos præcedant: Ergo Carmelitæ Diſcalceati non gaudent eodem antiquitatis ordine, quo alii Carmelitæ.

SED CONTRA eſt authoritas expreſſa Summi Pontificis Clementis VIII. concedentis hoc priuilegium antiquitatis Carmelitis Diſcalceatis, & vſus receptus procedendi cum alijs Carmelitis.

Conclvsio.

Carmelitæ Diſcalceati gaudent eodem antiquitatis ordine, quo alij Carmelitæ.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ Diſcalceati gaudent eodem antiquitatis ordine, quo alii Carmelitæ. 2. nec ceſſio voluntaria aliquorum huic priuilegio, poteſt illi obeſſe. Adcuius euidentiam ſciendum eſt, quòd quilibet religioſus debet ex affectu locum vltimum quærere, iuxta doctrinam Chriſti docentis vbique virtutem humilitatis, & dicentis ſub parabola, *Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouiſſimo loco:* Neceſſarium tamen fuit ad tuendum decorem domus Dei, quæ eſt Eccleſia, & ad vitandam confuſionem, quod Summus Pontifex ſingulis ordinibus religioſis proprium locum aſſignaret, iuxta ordinem vel antiquitatis ſuæ, vel confirmationis ab Apoſtolica Sede. Inter quatuor ordines mendicantes hæc ſeries locorum apparet maximè, quia ſedem habentes in Capella Pontificia, ſimul conueniunt quatuor Generales, & primo inter eos ſedet loco Generalis Dominicanorum, Secundo Generalis Franciſcanorum, tertio Generalis Auguſti-

Digitized by Google

guſtinianorum, quarto Generalis Carmelitarum: Et quia in ordine Carmelitano in tota ſua latitudine ſunt duæ religiones, vna mitigatorum ſub vno Generali, alia primitiuorum in duplici Cõgregatione, qualibet ſub ſuo Generali; dubium eſſe potuit, quem locum deberet habere ſecunda hæc religio Carmelitana, quæ quidem vltima eſt ordine fundationis; Cui dubio reſpondit data occaſione Summus Pontifex, quod hęc religio primitiuorum ſiue Diſcalceatorum eſt idem ordo Carmelitanus, vnus quatuor mendicantium, qui proinde omnibus priuilegiis eius debitoque loco gaudere debet.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Clementis VIII. Summi Põtificis in citata articulo præcedenti Bulla, quæ ſic incipit & proſequitur *Romanum Pontificem decet pacem & vnitatem, maximè inter Dei miniſtros, omni ſollicitudine tueri: Quamobrem ægrè tulimus eos, quorum eſt euangelizare pacem & bona quibus à Domino ſæpe iubetur pacem & vnitatem diligere, veritatem apertiſſimam perperam, & ſine fundamento impugnando, pacem non abſque ſcandalo puſillorum ſcindere: Ad aures enim noſtras peruenit, nonnullos Religioſos in partibus Indiarum, non obſtantibus habitu, regula, profeſſione, ac titulo, à Summis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & à nobis, ac etiam ab vniuerſo populo Chriſtiano vbique dari ſolito dilectis filijs Reformatis Diſcalceatis Ordinis Beatiſſimæ V. M. de monte Carmelo, auſu temerario contendere illos Carmelitas non eſſe nec vnum ex quatuor Ordinibus mendicantibus: Nos qui iuſtitiam & veritatem colere tenemur, huius rei, licet adeò eſſet manifeſta maiorem certitudinem, habita in noſtra congregatione, ſuper reformatione & viſitatione Regulariũ conſtituta, matura deliberatione, noſtra declaratione patefacere deliberauimus. Quocirca motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Ordinem & Congregationem dictorum filiorum Reformatorum Diſcalceatorum ordinis Beatiſſimæ V. M. de monte Carmelo, vnum eſſe ex quatuor Ordinibus mendicantibus, ordinem ſcilicet Carmelitarum, cuius religioſi ſtrictiùs regulam a bona memoria Alberto Patriarcha Ieroſolymitano habitantibus in monte Carmelo traditam, à fælicis recordationis Innocentio Papa IV. prædeceſſore noſtro confirmatam profitentur & obſeruant. Ipſiſque omnia ad prædictum ordinem, tam de iure quam ex priuilegijs attinentia, tanquam propria competere, authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, cui declarationi noſtræ ſi quis contradicere præſumpſerit, illum anathematis vinculo innodamus.* Igitur Summus Pontifex, cum iuſto titulo declarauerit noſtram Diſcalceatorum religionem eſſe ordinem vnum ex quatuor mendicantibus, nempe Carmelitannum, debuit ex conſequenti declarare, omnia ſiue ex iure ſiue ex priuilegijs ad ordinem Carmelitanum attinentia (in quibus comprehenditur locus debitus iuxta ordinem antiquitatis eiuſdem ordinis) ad ipſam quoque pertinere.

Probatur ſecunda pars concluſionis ac ſimul demonſtratur prima pars, ex quæ ſubſequuntur immediatè in eadem bulla, vbi ſic ait Pontifex: *Et licet Religioſi, vt accepimus, Euangelicæ humilitatis æmulatores, conſilium Dominicum ſectantes, infimum locum, tam in proceſſionibus quam congregationibus, & alijs quibuſcumque euentibus elegerint & eligant: Nos tamen qui Domini vices gerentes in terris, omnium iura tueri tenemur, ipſos nullo modo decurſu temporis, aut alio præſcriptionis modo, locum & præeminentiam, aut aliam prærogatiuam ordini Carmelitarum competentem perdere in toto nec in parte, neque vnquam in dubium reuocari, ita vt quoties quæ per humilitatem pretermittunt, ob iuſtitiæ ordinem repetere voluerint, propria authoritate poſſint & valeant, authoritate & tenore prędictis perpetuò ſtatuimus, volumus, & ordinamus.*

AD Primum ergo dicendum, quòd multæ congregationes religioſæ, etiam ſub diſtinctis & independentibus omninò

Digitized by Google

nò Generalibus, poſſunt comprehendi ſub vno eodemque ordine, vt conſtat in ordine Benedictino, & tunc poſſunt frui ſingulæ priuilegiis & antiquitatis ſerie talis ordinis; Et hoc modo contingit in ordine Carmelitano: Tunc tamen omnes illæ congregationes vnicum agnoſcunt totius ordinis fundatorem ſuum Patriarcham, quamuis ſingulæ poſſint venerari particulares reformatores & reſtauratores; Et ita dicimus, quod omnes Carmelitarum congregationes venerantur Sanctum Eliam Prophetam vt ſuũ fundatorem & Patriarcham, noſtra autem Diſcalceatorum, præter S. Eliam, veneratur quidem S. M. Thereſiam, non quidem vt fundatricem, ſed vt reſtauratricem ac reformatricem.

AD Secundum dicendum, quod noſtri Carmelitæ Diſcalceati, licet ex modeſtia & humilitate, ceſſerint loco multis in occaſionibus aliquibus religioſis quibus alij Carmelitæ non ceſſiſſent, hoc non tollit quin eodem ordine antiquitatis gaudeant ac alij Carmelitæ, nec propterea potuerunt amittere ſuum in hac parte priuilegium, vt conſtat ex declaratione Summi Pontificis adducta in ſecunda parte concluſionis; Vnde poſſunt cum eis placuerit, ius ſuum repetere poſt dictam ceſſionem gratuitam; Circa quod accidit in vniuerſitate Cracouienſi Polonię, quod quidam Pater ex noſtris Sebaſtianus nomine, quem anno Domini 1662. Romæ vidi, argumentaturus in theſibus publicis, audiuit quod religioſus alterius ordinis Carmelitano inferioris, volebat de præcedentia in argumentando competere; ipſe præadducta Bulla, ſimul & libro Sacri Concilii Tridentini munitus acceſſit, & vbi ad competentiam ventum eſt, legit primò bullam, deinde oſtendit in Concilio Tridentino Generalem illius ordinis ceſſiſſe loco Generali Carmelitarum ex vtriuſque ſubſcriptione; Quo facto, communi totius congreſsus applauſu adiudicata fuit noſtro religioſo præcedentia.

AD Tertium dicendum, quòd in illo caſu cęteris paribus noſtri Diſcalceati Carmelitis aliis cedunt, quos immediatè ſequuntur: ſin autem communitas noſtrorum Diſcalceatorum cum aliorum Carmelitarum communitate conueniat in aliqua proceſſione, vt contigit in Canonizatione Sanctæ Matris noſtræ Thereſię, tunc omnes ſub vna cruce procedunt, & Generalis aliorum Carmelitarum eſt in nobiliori loco habens aſsociatum ad læuam noſtrum Generalem, ex Superioribus maioribus ſinguli ex noſtris ipſorum ſinguli: aſſociantur ſimili modo, Et ſic deinceps in aliis Superioribus Prouincialibus ac localibus, in religioſis autem ordinariis idem penè ſeruatur ordo, ita quod noſtri cum aliis mixti intercalatè bini procedant, cum quibus firmam charitatem & inalterabilem amicitiam cum ædificatione totius Eccleſiæ conſeruant.

QVAESTIO XXX.

De alijs Priuilegijs & prærogatiuis Carmelitarum Diſcalceatorum.

AD complementum huius operis, ac maius ornamentum noſtræ Religionis, viſum eſt hic demonſtrare, Summos Põtifices, multa priuilegia, & plures prerogatiuas ipſi conceſsiſſe præſertim in regimine & directione aliarum Religionum: Sed quia in his nulla poteſt eſſe, vel fingi difficultas; ideò modum noſtrum procedendi aliquantum immutauimus, præſertim in non proponendo obiectiones. Circa hæc quæruntur vndecim.

¶ Primo, Vtrum Summi Pontifices plura alia priuilegia Religioni Carmelitanæ conceſſerint.

¶ Secundo, Vtrum Summi Pontifices plura conceſſerint priuilegia Carmelitis Diſcalceatis miſſionariis.

¶ Ter-

Digitized by Google

¶ Tertiò, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum S. Auguſtini.

¶ Quarto, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum Sanctiſsimæ Trinitatis Hiſpanicæ Congregationis.

¶ Quinto, Vtrum Carmelitę Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Reformatorum conuentualium Sancti Franciſci.

¶ Sexto, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica directionem Congregationis de Scholis pijs.

¶ Septimo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authortate Apoſtolica regimen maioris Camaldulæ.

¶ Octauo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum Sanctiſsimæ Trinitatis, Gallicæ Congregationis Romę exiſtentium.

¶ Nono, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Congregationis Beatæ Mariæ montis Virginis.

¶ Decimo, Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Religionis Miniſtrantium infirmis.

¶ Vndecimo, Vtrum Carmelitis Diſcalceatis fuerit aliquando commiſſa Viſitatio Apoſtolica omniū miſſionum in Aſia exiſtentium.

ARTICVLVS I.

Vtrum Summi Pontifices plura alia priuilegia Religioni Carmelitanæ conceſſerint.

RESPONDEO dicendum, quod Summi Pontifices, non ſolùm olim primitiuis Carmelitis, 2. ſed nunc etiam noſtris Diſcalceatis plura alia conceſſerunt priuilegia.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Summorum Pontificum indicatorum in ſequenti *bulla*, quæ ex multis componitur, & inuenitur in libro priuilegiorum Congregationis Hiſpanicæ; quæ tamen integræ non apponitur, ne tædium lectori afferat, quia nimis diffuſa.

Bulla 1. Sixti IIII.

Quæ Mare magnum appellatur.

Sixtus Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

DVm attenta meditatione penſamus quod virgo venuſtiſſima, & omnium virtutum floribus inſignita, Virgo Dei genitrix glorioſiſſima: cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, cuiuſque precibus iuuatur populus Chriſtianus, & quæ florem precioſiſſimum immarceſſibilem, & æternum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ineffabili Spiritus Sancti cooperante virtute genuit: produxitque, Sacrum Ordinem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo à Sede Apoſtolica, pluribuſque Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris approbatum: quem eiuſdem glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis ſpeciali titulo voluit inſigniri: vt ob eiuſdem Virginis reuerentiam, Ordo ipſe

Digitized by Google

ipſe a Chriſti fidelibus, merito per amplius veneraretur: ipſique fideles, propterea eiuſdem Virginis Mariæ adiuti ſuffragijs æternæ retributionis prẹmia facilius conſequi mererentur.

Dumque ſublimiũ dicti ordinis vtriuſque ſexus perſonarum virtutum merita, Deo quidem grata, & in conſpectu Apoſtolicẹ Sedis accepta digna memoria recenſemus. Ac ordinem ipſum, & illius perſonas ſub Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Romanæ protectione, immediatè exiſtentes, & inter cæteros Regularium ordinum profeſſores in firmamento Catholicæ Fidei militantes; tanquam Religionis ſpeculum, & exemplar, ſpeciali charitate fulgentes; Sanctorumque Prophetarum Eliẹ & Eliſei, & aliorum Patrum, qui montem Sanctum Carmeli, iuxta Eliæ fontem inhabitarunt ſucceſſionem hæreditariam tenentes; fructus quoque vberes, quos dictus Sacer ordo in agro militantis Eccleſiẹ in propagatione Religionis, & fidei orthodoxæ, hactenus produxit vtiliter, & producit, ac in futurum producturum fore indubitantèr ſperamus; paterna charitate intuemur dignũ potius, quin imo & debitum reputamus, nos ad illa noſtros debere dirigere cogitatus. Per quæ, ea quæ pro diuini cultus & dicti ordinis incremento, animarumque ſalute, à quampluribus Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris; ſublatis ambiguitatibus, quæ exinde emerſiſſe noſcuntur, in ſua integritate perſiſtant. Et tanto firmius obſeruentur, quanto erunt ſæpiùs Sedis Apoſtolicæ munimine ſtabilita.

Dudum ſiquidem à fæl. recor. Nicolao 4. Bonifacio 8. Clemente 4. Innocentio 4. Alexandro etiam 4. Gregorio 9. Ioanne 22. Clemente 6. Eugenio 4. Pio 2. Vrbano 4. Calixto 3. Nicolao 5. Benedicto 13. Innocentio 6. & Paulo 2. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, emanarunt litteræ, quas in Cancellaria noſtra diligenter inſpici, quarumque tenore de verbo ad verbum, præſentibus inſeri facimus, cum incipiant vetuſtate conſumi: & quas, & earũ tenores innouamus, confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio authoritate Apoſtolica perpetuo communimus. Quarum quidem litterarum tenor talis eſt. Nicolaus &c.

Probatur ſecunda pars concluſionis ex multis Summorum Pontificum bullis, quæ extant in noſtris priuilegiorum libris, tam Hiſpanicæ quàm Italicæ Congregationis, dicta priuilegia continentibus. Quæ tamen hic ſigillatim non referuntur vitandæ prolixitatis gratia, præſertim quia facilè poſſunt videri: ex quibus aliqua ſunt de ſpiritnalibus, alia de temporalibus.

ARTICVLVS II.

Vtrum Summi Pontifices plura conceſſerint priuilegia Carmelitis Diſcalceatis miſſionarijs.

RESPONDEO dicendum, quod Summi Pontifices plura conceſſerunt priuilegia Carmelitis Diſcalceatis miſſionarijs.

Probatur concluſio ſequenti bulla Clementis VIII. relictis pluribus alijs ſubſequentium Pontificum.

Digitized by Google

Dilectis Filijs Commiſſario, & Fratribus Beatę Mariæ de Monte Carmelo nuncupatis Congregationis Italię.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti Filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dominici gregis cura nobis Diuina diſpoſitione commiſſa exigit, vt non ſolùm Chriſti fidelium animarum ſaluti, quantùm cum Domino poſſumus, proſpiciamus, ſed Infidelium quoque conuerſioni ſolllicitis ſtudijs intendamus. Cumque ad præmiſſa exequenda Religioſi viri pietate Chriſtiana, & Catholicæ fidei zelo, & ſacrarum litterarum doctrina præſtãtes, ac vitæ in primis, & morum ſanctitate conſpicui requirantur & in veſtra Religione, ac Congregatione nunc ſpiritu feruenti (benedicente Domino) Religioſi plures reperiantur, eo quod diuina affluente gratia, ſanctæ orationi, ac contemplationi vacantes, ſacrarum litterarum ſtudio prædicationi Verbi Dei, atque animarum ſaluti diligenter incumbitis, & humilitate, paupertate, nuditate, abſtinentia, ieiunijs, & vitæ auſteritate prælucentes Patris *noſtri &* Prophetæ *Sanctiſsimi* Eli*æ noſtri Inſtituti Auctores, alumnos & imitatores vos oſtenditis; ex veſtra Religione, & Congregatione primitiuæ obſeruantiæ Diſcalceatorum nuncupatorum, ad Illuſtriſſimum & potentiſſimũ Abax* Per*ſarum Regem, illiuſque Regna, dominia, & loca, & ad aliorum quorumcumque Infidelium Schiſmaticorum, &* H*æreticorũ partes, vt in illis Euangelium Chriſti prædicare,* Eccleſiaſtica Sacramenta *miniſtrare, & tam Fidelium in illis partibus forſan degentium ſaluti conſulere, quàm Infidelium, & aliorum prædictorum conuerſioni operam præſtare curent, nunc, & in futurum aliquos per vos ad hoc deputandos, quàmprimum deligendos & tranſmittendos eſſe duximus. Vt autem ij, quos ipſi ad hoc munus deputaueritis, miniſterium hoc faciliùs & commodius ad Dei gloriam & Catholicæ Eccleſiæ exaltationem adimplere poſſint, eiſdem Religioſis, qui pro tempore ad partes prædictas per te fili* Commi*ſſarie ac per præpoſitum* Generalem *pro tempore exiſtentem mittentùr, vt in eiſdem partibus tam cum Infidelibus, quã cum* H*æreticis & Schiſmaticis & excommunicatis quibuſque tuta conſcientia conuerſari, ac verbo officio, & cibo comunicare, eorum* libros*, & alios quacumque ex cauſa probibitos ad effectum illos confutandi & corrigendi legere, illliſque verbum Dei proponere, & prędicare, & euangelicam doctrinam ad chriſtianam fidem venire cupientes edocere, eoſque catechizare ac recipere, & baptizare in forma* Eccle*ſiæ conſueta.* Eccleſias, oratoria, cæmeteria Conuentus, *&* Monaſteria, Confraternitates*, tam veſtri, quàm aliorum quorumcumque ordinum, & alias quaſcunque nec non cætera loca pia extruere, fundare, erigere, ac ſi quæ adſint in illis partibus prophanatę, eas benedicere, & ſi erunt conſecratæ aqua prius ab aliquo Epiſcopo, vel ſi* Epiſcopus *vltra duas dietas diſtauerit, a vobis benedictas reconciliare. Quoſcunque illarum partium habitum veſtri ordinis recipere volentes etiam non ſeruata forma fel. record.* Sixti Papæ *V. prædeceſſoris noſtri, & decretorum noſtrorum ad huiuſmodi habitum, & deinde ſuo tempore ad profeſſionem regularem admittere. Altaria portatilia cum debitis honore, & reuerentia habere, & ſuper illos in quibuſlibet locis decentibus tamen, & honeſtis, & ab omnibus actibus humanis ſeiunctis & remotis Sacroſanctum miſſæ Sacrificium etiam ante lucem regulariter per mediam horam ante, dummodo illuceſcat dies, vel ſi neceſſitas id poſtulauerit, etiam per horam ante, & per mediam horam poſt meridiem.* Irdumenta, Paramenta, Corporalia, *&* Vaſa *eccleſiaſtica, non tamen ea, in quibus ſacra vnctio adhibetur, pro eorũ & aliorum Sacerdotum in illis partibus exiſtentium in vſu quæcunque benedicere.* Oleis *Infirmorum, &* Catechumenorum *Sanctis antiquis in ſupradictis, & infraſcri-*

ſcriptis muneribus uti, ſi facta diligentia aliud eiuſdem anni habere non potuerint. Quoſcunque præterea in illis partibus degentes hæreticos, ſchiſmaticos, & a fide chriſtiana apoſtatas, etiam hæreſiarchas, nõ tamen relapſos, ſi ad pœnitentiam redierint facta per eos publicè vel priuatim prout perſonarum, & locorum ratio poſtulauerit, ſuorum errorum deteſtatione, & abiuratione, & iniunctis eis pœnitentijs ſalutaribus, & alijs iniungendis ab hereſis, ſchiſmatis, & apoſtaſiæ à fide reatibus, nec non excommunicationis, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis per eos iniunctis, in vtroque foro abſoluere, illoſque reconciliare, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio, & vnitati fidelium reſtituere. Eorum etiam, & cæterorum quorumcunque Chriſti fidelium, vtriuſque ſexus in illis partibus degentium confeſſiones audire, ac iniuncta illis pro modo culpæ eorum arbitrio pœnitentia ſalutari eoſdem à quibuſcunque peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam in caſibus Nobis, & eidem Apoſtolicæ Sedi, & locorum ordinarijs reſeruatis, etiam contentis in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis, etiã de quibus dicta Apoſtolica Sedes meritò conſulenda eſſet quoad huiuſmodi caſus contentos in litteris Cœnæ Domini videlicet ſemel in vita, & in articulo mortis, niſi aliquis caſus vrgens pluries occurrat, cui propter periculum animarum ſtatim ſit prouidendum; quoad reliquos verò toties, quoties eis videbitur, & fuerit opportunum. Nec non quorumcunque votorum etiam iuratorum, & Eccleſiæ præceptorum tranſgreſsionibus, ieiuniorũ, & pœnitentiarum iniunctarum omiſſionibus, cæteriſque delictis in foro conſcientiæ abſoluere, ac in illis partibus, vbi Parochi non fuerint, Baptiſmatis, Pęnitentiæ, Euchariſtiæ, Matrimonij, & Extremæ Vnctionis Sacramenta, quæ alioquin Parochi ſuis Parochianis miniſtrare ſolent & poſſunt vice Parochorum miniſtrare. Præterea verò quæcunque etiam ſolemniter iurata (caſtitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) ex aliqua rationablli cauſa in alia pietatis opera commutare. Apoſtatas quoque à regularibus ordinibus quibuſcunque in dictis partibus degentes, ſi verè pœnituerint, & veniam petierint, impoſita illis ſalutari pœnitentia, ab apoſtaſiæ nota, & excommunicationis alijſque cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis per eos incurſis abſoluere illiſque vt reaſſumpto habitu ſui ordinis extra monaſterium per certum decentem terminum, donec ad ſua monaſteria redire potuerint, remanere poſſint, concedere, & cum eis ſi ſacerdotes fuerint ſuper irregularitate præmiſſorum occaſione; & etiam quia cenſuris eccleſiaſticis ſic ligati miſſas, & alia diuina officia etiam forſan in contemptum clauium celebrarunt, contracta diſpenſare; itaut miſſas, & alia diuina officia celebrare, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare valeant, dummodo ſcandalum non adſit, & vtilitas, aut neceſsitas conuerſionis, & ſalutis animarum illarum partium ſuaſerit ab illis eſſe concedendum. Super votis etiam ſimplicibus Religionis, & caſtitatis ſimili ex aliqua cauſa rationabili diſpenſare. Vtque pro expenſarum oneribus leuius ſupportãdis eleemoſinas, & oblationes eis largiendas recipere; illiſque pro Religioſis eorum neceſſitatibus vti; nec non quæcunque mala ablata incerta illarum partium ſi ij, quibus ſolutio earum, & reſtitutio fieri deberet ignorentur, vel inuenire non poſsint, in pios vſus, & pauperum ſuſtentationem earundem partium eorum arbitrio erogare. Inſuper vt ij ex dictis Religioſis ad partes prædictas profecturis, quiue in dictis partibus ad habitum, & profeſſionem eiuſdem ordinis recipientur ſacris ordinibus non initiati, à quibuſcunque Catholicis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habentibus ad omnes etiam ſacros, & Præsbyteratus ordines etiam extra tempora à iure ſtatuta, & non ſeruata interſtitijs, & abſque litteris dimiſſorijs, quatenus ibi locorum ordinarij ſeu Epiſcopi non ſint, cum teſtimonio tamen de vita, moribus, & idoneitate illius, qui in illis partibus eorum Superior pro tempore fuerit, promoueri, & promoti in illis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare liberè, & licitè valeant. Ad hæc omnes prædictos Religioſos eiuſdem

Digitized by Google

Congregationis noſtræ, ac domos, Conuentus, Monaſteria, & loca quæcunque, quæ in illis partibus pro tempore habueritis, ab omnium, & ſingulorum quorumcunque Prælatorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum iuriſdictione, poteſtate, ſuperioritate, & auctoritate ſicut in cæteris locis iſtis prorſus eximimus, & liberamus. Decernentes illos omnes, & ſingulos tibi fili Commiſſarie Generalis, & Dефinitorio Congregationis Italiæ tantummodo, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus ſubiacere, illoſque ſuper præmiſsis à quoquam quauis auctoritate fungente moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri nullatenus poſſe, nec etiam cuiquam dictæ Congregationis Italicæ Religioſo licere ad præfata loca ſine tua fili Commiſſarie, aut Præpoſiti Generalis pro tempore futuri ſpeciali licentia accedere, & ſecus facientes apoſtaſiæ notam eo ipſo incurrere, præſentes quoque litteras ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, etiam per litteras die Cœnæ Domini legi ſolitas faciendas minimè comprehendi, niſi de illis ſpecialis ſpecifica, & ad verbum expreſſa mentio fiat. Sicque per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari & deffiniri debere. Irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem & in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœna eo ipſo per contrarium facientes incurrenda, a quà nonniſi a Nobis, & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris, præterquam in articulo mortis conſtitutus quiſquam abſolui poſſit, diſtrictè præcipiendo mandamus, vt pręmiſſa omnia dicti Religioſi gratis, & abſque vlla prorsùs impenſa omnino impendant, & impartiantur, neque ab illis aliquid hac de cauſa petere, vel exigere, vel ſpontè oblatum accipere præſumant, ſub eiſdem præcepto, & excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda Nobiſque pariter reſeruata, ne quis non Superior illorum prædictos Religioſos retardare, moleſtare, inquietare, aut quoquo modo directè, vel indirectè quominus præfata miniſteria exequantur, impedire audeant, diſtrictè inhibemus. Et quia difficile foret præſentes noſtras litteras ad ſingula loca, vbi opus fuerit deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, vt earum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo veſtræ Congregationis, aut alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra habeatur, quæ eiſdem præſentibus originalibus literis haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 14. Iulij MDCIV. Pontificatus noſtri anno decimo tertio.

M. Veſtrius.

Barbianus.

ARTICVLVS III.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum Sancti Auguſtini.

RESPONDEO dicendum, quod Carmelitæ Diſcalceati habuerunt aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum S. Auguſtini.

Probatur concluſio ſequenti bulla Clementis VIII. Summi Pontificis, qui tale regimen conceſſit.

Dile-

Digitized by Google

Dilecto Filio Petro de Matre Dei Fratri Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Diſcalceatorum nuncupati.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

DE Religioſorum quorumlibet ſtatu dirigendo paſtorali munere ſolliciti, ac de tua fide, integritate, prudentia, pietate, ac Religionis zelo plurimum in Domino confiſi; Te ordinis Fratrum Diſcalceatorum, ſeu Reformatorum Sancti Auguſtini ſuperintendentem ad noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis beneplacitum facimus, conſtituimus, & deputamus; Tibique dictum ordinem regendi, & gubernandi, eiuſque ſtatuta, & Conſtitutiones examinandi, & reformandi, ac eorum, & Regularis, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruantiam introducendi, ac cuſtodiri mandandi quoſcunque in prædicto ordine receptos, ſeu ad illum ex alijs ordinibus, & præſertim ex ordine Conuentualium, aut quauis Congregatione S. Auguſtini translatos, qui tibi ad Reformationis & Regulæ dicti Ordinis Reformatorum obſeruantiam idonei non videbuntur, ex dicto ordine dimittendi, & ad eorum priores ordines, ſeu Congregationes remittendi, eiſque iuramentum & votum de obſeruanda dicta reformatione præſtitum relaxandi ac illos, & quoſcumque alios eiuſdem Ordinis Religioſos à quibuſcunque cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis per eos ex ordinis Conſtitutionibus forſan incurſis hac vice dumtaxat, ac denique omnia & ſingula, quæ ad dicti ordinis proſperam directionem, ac fęlix regimen & gubernium pertinent gerendi, ordinandi, mandandi, & exequi faciendi, ac quoſcunque inobedientes, & tibi parere recuſantes per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas cogendi, & compellendi plenam, liberam, & amplam facultatem, & authoritatem concedimus, & impartimur. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ dilectis filijs Vicario generali, & fratribus dicti ordinis Reformatorum Sancti Auguſtini, vt Te noſtro nomine Superintendentem agnoſcant, & recipiant, tuaque ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. alioquin ſententiam, ſiue pænam, quam rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus & faciemus authore Domino vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Reformatorum, & aliorum ordinum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate, alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die decima Iulij 1599.

M. Veſtrius Barbianus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum Sanctiſſ. Trinitatis Hiſpanicæ Congregationis.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ Diſcalceati habuerunt aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum Sanctiſsimæ Trinitatis Hiſpanicæ Congregationis.

Probatur concluſio ſequenti bulla Clementis VIII. Summi Pontificis, à Gregorio XV: renouata.

Bul-

Digitized by Google

Bulla Clementis VIII.

Qua Fratres Diſcalceati Sanctiſſimæ Trinitatis ſeparantur a Fratribus eiuſdem ordinis modificatam Regulam profitentibus.

GREGORIVS XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio vt ius ſuum vnicuique conſeruetur. Proinde nos tenorem quarundam litterarum in forma breuis fælicis recordationis Clementis Papæ VIII. prędeceſſoris noſtri in fauorem dilectorum filiorum Fratrum Ordinis B.M. de monte Carmelo Diſcalceatorum nuncupatorum emanatarum in Secretaria noſtra tunc ipſius Clementis prædeceſſoris repertum de verbo ad verbum tranſcribi, & præſentibus annotari fecimus, pro eo quod huiuſmodi tenore dilectus filius Procurator Generalis Fratrum eiuſdem Ordinis Congregationis Hiſpaniæ ſe indigere nobis nuper ſignificare fecit: qui quidem tenor talis eſt, videlicet.

CLEMENS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD militantis Eccleſiæ regimen diuina diſpenſatione meritis licet imparibus euecti, illud nobis præ cæteris curandum propoſuimus, vt Eccleſiaſticorum, & Religioſorum ordines quocunque ad priſtini regularis cuiuſcunque eorum inſtituti normam à qua non parum deflexerunt: quantum in Domino poſſimus reduceremus. Ac propterea qui ſua ſponte Religionis, & arctioris vitæ zelo ducti priſtinæ Regulæ, quam ſuæ Religionis Auctores inſtituerunt, obſeruantiam cum antiquo illo rigore amplecti, ac de cætero ſectari conſueuerunt, eoſdem non ſolùm in eorum propoſitum confouere, ſed etiam opportunis gratijs & fauoribus libenter proſequi ſolemus. Eum itaque ſicut accepimus nonnulli pij Religioſi Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum profeſſores piè conſiderantes prædictum Ordinem quia fel. record. Innocentio Papa III. prædeceſſore noſtro inſtitutus & confirmatus fuit prout in eius litteris ſub datis in Laterano quinto idus Februarij Pontificatus ſui anno primo expeditis continetur, temporum iniuria, & hominum tepiditate à primi eius inſtituti regularis obſeruantia deflexiſſe, & laxiorem viuendi modum ſuſcepiſſe, & adhuc retinere, ac propterea diuina inſpirante gratia arctioris vitę zelo ducti primum dicti ordinis regulare inſtitutum imitare cupientes poſtpoſitis quibuſcumque corporis commoditatibus dummodo Chriſtum lucrifacerent, primitiuam ipſius ordinis Regulã à prædicto Innocentio prædeceſſore inſtitutam, cum priſtino illo rigore obſeruare cœperint, & nonnullas eiuſdem ordinis domos, ad huiuſmodi primitiuam Regulam reduxerint, & ſe de nouo inſtituere ſperent, ac alij quamplures eorum veſtigia ſectantes ſub eadem primitiuæ Regulæ obſeruantia Altiſſimo famulari deſiderent. Nos qui pro noſtri Paſtoralis officij debito Religioſorum quorumcumque ſtatui proſperè dirigendo libenter intendimus pium dictorum Religioſorum propoſitum ſummoperè in Domino commendantes, ac eorum laudabilia principia fælicioribus progreſſibus, quantum cum Domino poſſumus augere cupientes, & eorum quomodolibet a quibuſlibet excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſeriè abſoluentes, & abſolutum fore, cenſentes ex Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalium ſuper Epiſcoporum, & Regularium conſultationibus, & negotijs deputatorum, quibus hoc negotium examinandum, & nobis referendum commiſimus, ſententia motu proprio, & ex certa ſcien-

Digitized by Google

ſcientia ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine vnam Prouinciam, ſeu Congregationem Fratrũ Reformatorum, & Diſcalceatorum prædicti Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum, nuncupandam quæ primitiuam regulam ordinis prædicti perpetuò obſeruent, habitu quem modo geſtant vtentes, in eiſdem Hiſpaniarum Regnis per vnum Priorem Prouincialem in Capitulo dictæ Prouinciæ, ſeu Congregationis, poſtquam vt in Domino ſperamus eorumdem Religioſorum Reformatorum numerus auctus fuerit, canonicè pro tempore celebrando ex eiſdem Reformatis, & Diſcalceatis eligendam, regendam, & gubernandam in perpetuum authoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus, & inſtituimus, eamque ſic erectam, & inſtitutam ab alijs Prouincijs prædicti Ordinis modificatæ Regulæ perpetuò ſeiungimus, ſeparamus, & diſmembramus, ipſoſque Fratres Reformatos, ac eorum Domos, & monaſteria tam hactenus erecta quam in poſterum erigenda, ab omni & quacumque iuriſdictione, viſitatione, & ſuperioritate tam Commiſſarij generalis, quam aliorum miniſtrorum prouincialium, aut localium, & aliorum quorumcumque Superiorum modificatę Regulæ eiuſdem Ordinis ſuper dictis Reformatis, & eorum Domibus eis competente, excepto miniſtro generali, vt infra dicitur, perpetuo eximimus & liberamus, ipſam tamen Prouinciam, ſeu Congregationem Fratrum Reformatorum Diſcalceatorum, eiuſque Domos, & Monaſteria præſentia, & futura ſub obedientia, & ſuperioritate Miniſtri Generalis totius ordinis prædicti, ſicut aliæ eiuſdem ordinis Prouinciæ ei ſubſunt, & ſubiacent perpetuo ſubeſſe, atque ſubiectam remanere, & ſubiacere volumus, qui per ſeipſum tantum vel alium virum idoneum, ex ipſis tamen Fratribus Reformatis ab eo eligendum eos iuxta eorum primitiuam Regulam, & inſtituta regularia, viſitare, reformare, corrigere, & punire poſſit, in Monaſterijs, Domibus, & locis eorundem fratrum Reformatorum, extra quæ nullatenùs dicti Fratres Reformati, vel aliquis eorum ab eodem miniſtro generali quouis prætextu, vel occaſione amoueri, aſſignari, mutari, extrahi, aut transferri vel ad alias Prouincias mitti, aut in eis retineri poſſit. Nec ipſe Miniſter Generalis aliqua eiuſdem Ordinis Fratrum Reformatorum ſtatuta authoritate Sedis Apoſtolicæ confirmata, ſeu confirmanda, vel quæ ipſe Nuntius nunc fecerit, vel quæ poſtea a quocumque capitulo prouinciali dictorum Fratrum Reformatorum facta fuerit ſi authoritate noſtra, vt dictum eſt, fuerint cõfirmata, mutare nec aliquas gratias, exemptiones, aut priuilegia, alicui, vel aliquibus aduerſus ipſa ſtatuta concedere valeat. Quia verò nonnulli prædicti Fratres Reformati ex prædicto ordine Regulæ modificatæ, quam profeſſi olim fuerunt, ſunt aſſumpti, volumus, & mandamus, vt his, & alijs qui vt dictum eſt, ex Conuentibus laxtoribus ad hos Reformatos in poſterum recipientur, anni ſpatium concedatur loco probationis, intra quem ſi qui prędicti inſtituti, vitæque auſteritatem tolerare non poſſint, ad priores conuentus Regulæ modificatæ reuerti liceat; Et ſi Reformati ſibi minus expedire eorum Societatem exiſtimauerint, miſſos facere valeat, poſt annum vero elapſum, quod ad experimentum periclitationemque conceditur, ſine noua profeſſione nulli Fratrum Reformatorum huiuſmodi liceat ad alium præterquam Carthuſianum, neque etiam Sanctiſſimæ Trinitatis modificatæ Regulæ ordinem abſque apoſtaſiæ nota tranſire. Vt autem in huiuſmodi Monaſterijs tantummodo admittantur, qui ad onera ſuſceptæ primitiuę Regulæ ſupportanda habiles, & idonei futuri ſint, dilecto filio noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in eiſdem Hiſpaniarum Regnis Nuntio nunc, & pro tẽpore exiſtenti per præſentes committimus mandamus, quatenus aliquem Religioſorũ ex Fratribus ordinis Diſcalceatorum Beatæ Mariæ de monte Carmelo, aut Diſcalceatorum Sancti Franciſci pietate, prudentia, doctrina, & experientia, ac in primis Religionis zelo præſtantem quem ad hoc munus magis aptum, & idoneum iudicauerit, in Viſitatorem prædictorum Fratrum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſi-

ctiſſimæ Trinitatis eligat, qui Monaſteria prædictorum Fratrum Reformatorum perſonaliter viſitare & in ſingulorrm Fratrum prędictorum, qui huiuſmodi primitiuę Regulæ obſeruantiam amplexi ſunt, vitam, mores, & qualitates diligenter inquirat, ac eorum quot verè arctioris vitæ zelo ductos ad hanc primitiuæ Regulæ normam tranſire iudicauerit, profeſſionem per eos, vt ſupra dictum eſt emittendam recipere curet; cęteros verò quos minus idoneos; & aptos eſſe compererit vt habitum Fratrum Reformatorum dimittant & ex eorum Domibus exeant, & ad modificatæ Regulæ prædictę Domos reuertantur auctoritate noſtra & ſub excommunicationis, alijſque cenſuris & pænis Eccleſiaſticis cogat & compellat. Præterea idem Nuntius cum conſilio P. Viſitatoris, ac aliorum piorum, & eruditorum virorum dictorum Ordinum Diſcalceatorum Carmelitarum aut Sancti Franciſci & etiam ex ipſiſmet Reformatis Sanctiſſimę Trinitatis, ſtatuta & conſtitutiones pro fælici dictæ Prouinciæ Reformatorũ eiuſque domorum & monaſteriorum gubernio primitiuæ Regulæ prædictæ ac Sacris Canonibus, & Concil. Trid. decretis non aduerſantes authoritate noſtra faciat, & obſeruari mandet. Miniſtros inſuper, Domorum Vicarios & Magiſtros Nouitiorum tam ex prædictis Reformatis, ſi alioquin idonei fuerint, quam etiam in ſupplementum ex dictis Carmelitis aut Sancti Franciſci Diſcalceatis, prout ad fælicem huius nouæ Prouinciæ progreſſum in Domino magis expedire iudicauerit, eadem authoritate noſtra eligat & concedentes eidem Nuntio & ab eo deputato Viſitatori prædicto aut alij, vel alijs quos idem Nuntius ad hoc ſemel aut iterum vt præmittitur duxerit deputandos reſpectiue tam præmiſſa faciendi quam etiam domos, ſeu Monaſteria eiuſdem primitiuæ Regulæ erigendi, ac Miniſtris, ſeu alijs eorum Superioribus, vt eos qui relicto ſæculo ad prædictam Religionem confugere diuina inſpirante gratia, ſtatuerint, & alios qui ex prædicto Ordine modificatæ Regulæ Sanctiſſimæ Trinitatis, aut ex alijs laxioris tamen Regulæ ordinibus ad prædictum Reformatum ordinem tranſire voluerint ſeruatis ſeruandis admittere. poſſint concedendi: dummodo quoad eos qui ex alijs ordinibus ad hunc tranſitum facere voluerint maior pars vocalium domus in qua recipiendi erunt vota in illum conſentiant & viſitatoris prędicti licentia accedat: & nihilominus integrum nouitiatus annum prout alij de nouo recipiendi antequam profeſſionem emittant, perficiant. Poſtquam autem benedicente Domino prædictorum Fratrum Reformatorum ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis numerus creuerit, ita vt prædictorum externorum Religioſorum auxilio non indiguerint & octo ſaltem Domos, ſeu Monaſteria habuerint in quorum ſingulis duodecim ſaltem Fratres Reformati huiuſmodi exiſtant, prædictus Nuntius eos ad capitulum celebrandum conuocandi faciat, & in dicto Capitulo ipſe præſideat, & tam Viſitator, quam Miniſtri, eorumque Procuratores canonice electi vocem, & locum habeant, ac miniſtrum Prouincialem cæteroſque miniſtros Domorum ex eiſdem Fratribus Reformatis iuxta præſentium tenorem, & Regularia eiuſdem Ordinis inſtituta eligant. Ipſe verò Miniſter Prouincialis primo electus authoritate noſtra prędicta ea vice dumtaxat ab ipſo Nuntio confirmetur, & tam ipſe, quam eius ſucceſſores eandem Prouinciam Fratrum Reformatorum, ſalua ſemper Miniſtri Generalis; tam in ipſam Prouinciam, quam in eumdem etiam Miniſtrum Prouincialem pro tempore eligendum vt ſupra dictum eſt ſuperioritate, ita vt viſitandi, regendi, & gubernandi plenam & omnimodam habeat poteſtatem. Cæteri autem miniſtri Prouinciales pro tẽpore in Capitulis Prouincialibus, quæ de trienio in trienium tam pro ſtatutis faciendis, moderandis, aut ea cauſa abrogandis, quam electionibus Superiorum, & alijs ad bonum regimen eiuſdem Prouinciæ pertinentibus faciendis, & ordinandis celebrari debeant: eligendi à Miniſtro Generali confirmationem, quam primum petere, ac obtinere curabunt: ſtatim tamen, ac electi fuerint prædictam authoritatem habeant, & exercere poſſint. Concedimus quoque eidem Prouinciæ, vt cum creſcente numero Domorum, & Fratrum prout ſupra dictum

eſt

Digitized by Google

eſt Prouincialem elegerint, Procuratorem Generalem apud Sedem Apoſtolicam pro eiuſdem Prouinciæ negotijs tractandis deputare, & perpetuo retinere valeant. Præterea omnibus, & ſingulis dictæ Prouinciæ perſonis nunc, & pro tempore exiſtentibus, quod omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs & indulgentijs, exemptionibus, & immunitatibus, prærogatiuis fauoribus, & indultis tam ſpiritualibus quam temporalibus quibus Fratres dicti ordini s de iure vel cõſuetudine, aut a lias, quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum decretis Sacri Concil. Trid. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac primitiuæ Regulæ prædictorum non contrarijs vti potiri, & gaudere libere & licite valeant indulgemus. Inhibentes Miniſtro Generali ordinis Sanctiſs. Trinitatis, Commiſſario generali, Miniſtris Prouincialibus, ac localibus, & alijs quibuſcumque prædictæ regulæ modificatæ ne per ſe, aut per alios prædictos reformatos eiuſdem ordinis aut etiam Viſitatores prædictos, aut ſuper præmiſſis quoquomodo moleſtare, ſeu inquietare audeant; vel præſumant, & ſi non dum profeſſionem prædictã regulæ primitiuæ emiſerint: Quod ſi fecerint eos, & eorum ſingulos excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrendam innodamus. Dicti verò Reformati nullo modo parere, aut deferre teneantur, ſalua tamen in reliquis obedientia, dicti Miniſtri Generalis cui eos perpetuo ſubiectos eſſe, & ſubiacere volumus, vt dictum eſt.

Decernentes præſentes litteras nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu, etiam ex eo quod omnes intereſſe habentes forſan vocati non fuerint notari, argui, ſeu impugnari, aut ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, etiam ab eadem Sede emanatis, & in poſterum emanandis comprehendi poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri debere: Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis authoritate fungentes ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate vbiq; iudicari & definiri debere, nec non irritũ, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa dilectis filijs noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuntio nunc, & pro tempore exiſtenti, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, nec non Generali Carmelitarum, Diſcalceatorum nunc, & pro tempore exiſtenti per præſentes mandamus, quatenus ipſis vel duo aut vnus eorũ, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Reformatorum prædictorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant eos authoritate noſtra præmiſſis omnibus iuxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere non permittentes eos deſuper per Miniſtrũ Generalem alioſque prædictos quomodolibet moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pænas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo: nec nõ legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus illos ſententias, cenſuras & pænas prædictas incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac alijs Apoſtolicis, nec non in Prouincialibus, & Sinodalibus Concilijs editis Generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus ac etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis & litteris Apoſtolicis prædictis, vel quibuſuis alijs perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis alijs perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, alijſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis irritatibuſque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie etiam motu proprio & aliàs quomodolibet conceſſis approbatis, & innouatis.

Digitized by Google

Quibus omnibus, & ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſis habēda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret eorum tenoribus præſentibus pro expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de indulto huiuſmodi mentionē. Cæterum quia difficile foret earumdem præſentium litterarum notitiam ad quaſcūque perſonas peruenire, & vbique illas præſentare eadem authoritate volumus & decernimus quatenus tranſumptis earumdem præſentium litterarum manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillatis eadem fides vbique tam in Iudicio, quam extra illud adhibeatur, quę etiam præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 20. Auguſti 1599. Pontificatus noſtri anno 8. Cæterum earumdem litterarū tenor ſic inſertus omnimodam rei ſeu facti certitudinem faciat Apoſtolica authoritate decernimus, vt illud idem robur eamdemq; vim & eumdem vigorem dictus tenor in omnibus, & per omnia habeat quem haberent originales litterę prædictæ, ac eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quādocumque, vbicumque ſiue in Iudicio, ſiue alibi fuerit oſtenſus, ac illi pariter ſtetur ſicut eiſdem litteris originalibus ſtaretur ſi forent exhibitę, vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum ius cuique de nouo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſeruari.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Iunij 1622. Pontificatus noſtri anno 2.

S. Car. S. Suſanna.

Circa hanc conceſſionem aduerte, aſſumptum ex noſtro Ordine in Viſitatorem Fratrum Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis fuiſſe R. P. N. Eliam à Sancto Martino ſecundum noſtræ Reformationis Generalem, qui multo tempore cum eis commoratus ipſorum regimini, ac moderationi operam nauauit. Nota etiam quantum honoris à Sede Apoſtolica noſtrę Reformationi deferatur, vt ex ipſa aliis reformatis, & moderatorem, & patronum præficere dignaretur.

ARTICVLVS V.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Reformatorum Conuentualium Sancti Franciſci.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ Diſcalceati habuerunt aliquando authoritate Apoſtolica regimen Reformatorum Conuentualium Sancti Franciſci.

Probatur concluſio ſequenti bulla Gregorii XV. qui dictis reformatis præfert N. P. Ferdinandum a Sancta Maria noſtræ Congregationis Italicæ ter Prępoſitum Generalem.

GRE-

Digitized by Google

GREGORIVS XV.
Ad futuram rei memoriam.

CVM ſicut nobis innotuit, multæ diſcordiæ, multaque diſſidia inter Fratres Conuentuales ex vna, & Reformatos etiam conuentuales nuncupatos ordinis S. Franciſci ex altera partibus, vigeant, Nos, ne maiora in dies ſcandala exoriantur, prouidere, pacemq; & tranquillitatem inter eoſdem Fratres, conſouere, ac ſtatum eorumdem Fratrum Reformatorum, quantum cum Domino poſſumus, in melius dirigere cupientes, Dilectum Filium Ferdinandum à S. Maria ordinis fratrum Carmelitarum, Diſcalceatorum nuncupatorum Profeſſorem in Viſitatorem Generalem, & ſpecialem Congregationis Reformatorum huiuſmodi cum facultate eandem Congregationem, ac illius Religioſos quoſcumque etiam quæuis prædictæ Congregationis officia obtinentes, moderandi, corrigendi, & reformandi & contra eos etiam Summariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura Iudicij, ſed ſola facti veritate inſpecta, procedendi, & inquirendi, ac ad ſententias diffinitiuas deueniendi, reos, ſeu culpabiles, quos repererit, puniendi, & caſtigandi, necnon ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis omnibus, & ſingulis Prouincialibus Commiſſarijs, alijſque Superioribus, & perſonis Conuentualium non Reformatorũ inhibendi, ne circa correptionem, moderationem, reformationem, aut viſitationẽ fratrum Reformatorum huiuſmodi per ipſum Ferdinandum faciendam quouis colore, prætextu, vel ingenio, ingerere, ſeu intromittere, vel ipſum Ferdinandum circa præmiſſorum exequutionem quoquo modo moleſtare, ſeu inquietare, vel impedire audeãt, ſeu præſumant, Apoſtolica authoritate tenore præſentium deputamus, & conſtituimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicta Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis eorum omnium tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſo derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcũq;

Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Auguſti 1621. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

S. Car. S. Suſannæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica directionem Congregationis de Scholis pijs.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitæ Diſcalceati habuerunt aliquando authoritate Apoſtolica directionem Congregationis de Scholis pijs.

Probatur concluſio ſequenti diſcurſu & quidem veriſsimo, & ſatis authentico nullam tamen in hac parte bullam Pontificiam inueni, vel etiam indicatam legi.

Anno Domini 1622. Gregorius XV. viuæ vocis oraculo commiſit directionem V.P.N. Dominico à Ieſu Maria Bilbilienſi, exurgentis tunc nouæ Congregationis vulgo dictæ de Scholis pijs. Cuius primus generalis obtinuit poſtea anno 1627. ab Vrbano VIII. vt dictus V.P.N. Dominicus primo aſſiſteret capitulo generali, in quo leges regularis obſeruantiæ condebantur, eiuſque conſilio & directione cuncta fœliciter ordinata ſunt. Semper huiuſmodi Patres

Digitized by Google

tenero dilexit amore, vt ab ipſiſmet didici, & præſens vidi, omnibuſque modis adiuuit quandiu vixit, cum ipſorum inſtitutum ad maximam Dei gloriam, & pijſsimam iuuentutis educationem conduceret. Cum huic ſancto inſtituto aduerſantes æmulos aduerteret, eam authoritate ſua, qua pollebat apud Summum Pontificem, Cardinales, alioſque Principes, & Prælatos, fœliciter protexit: Hæc religioſa Congregatio iam in toto orbe chriſtiano plurimum creuit, prædictique V. P. N. Dominici venerationem conſeruauit. Nihil hic de hoc ſeruo Dei refero, cum fuſiùs ſupra de ipſo dixerim.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen maioris Camaldulæ.

RESpondeo dicendum, quòd Carmelitæ Diſcalceati habuerunt aliquando authoritate Apoſtolica regimen maioris Camaldulæ.

Probatur concluſio ſequenti diſcurſu, quem excepi à duobus Patribus infra citatis huic regimini applicatis; ſicut & bulla Vrbani VIII. inferiùs apponẽda.

Anno Domini 1629. die 4. Maij in noſtro Capitulo generali fuit inter alios Definitores Generales electus P. Agathangelus à Ieſu Maria Genuenſis ex nobili domo Spinula, Vir inclytus prudentia, ſanctitate, & doctrina, quem paulò ante Summus Pontifex Vrbanus VIII. ſpeciali bulla Commiſſarium Apoſtolicum in maiorem Camaldulam in ditione Florentina deſtinauit, ad eius reformationem ac bonum regimen tam ſpirituale quàm temporale. Diſceſſurus tres ſocios ex noſtris aſſumpſit ad intentam reformationem idoneos, videlicet P. Aloyſium à S. Ioſeph Priorem Conuentus S. Mariæ de Victoria Romæ P. Albertum à S. Carolo magiſtrum nouitiorum in noſtro conuentu Romano Sanctæ Marię de Scala, & Mauricium à S. Thereſia. Receptus fuit Pater Commiſſarius cum omni reuerentia ab illis Venerabilibus Eremitis, & inductam per ipſum reformationem ſpontè receperunt, tam in eremitico conuentu ad ſummitatem montis, quàm in cœnobitico communi ad initium ſiluæ. Introductum fuit exercitium orationis mentalis mane & veſperæ: concluſa fuit prudenti Patris Commiſſarij negotiatione vnio huius Camaldulæ cum alia montis Coronæ deſiderara à Pontifice. Per duos ferè annos cum ſocijs ibi manſit, & alias domos religioſas ad hanc maiorem Camaldulam attinentes, videlicet Aretij, Cortonę, aliaſque pari modo viſitans reformauit. Bulla autem Summi Pontificis eſt ſequentis tenoris.

Dilecto Filio Agatangelo à Ieſu Maria Ordinis Fratrum Diſcalceatorum nuncupatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Profeſſori.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

ALiàs à nobis emanarunt litteræ tenoris ſequentis videlicet. Vrbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Gregis Dominici cura humilitati noſtræ nullo licet meritorum ſuffragio diuina diſpenſatione commiſſa iugiter à Nobis poſtulat, vt inter grauiſſimas, multipliceſque apoſtolicæ ſeruitutis curas illam particulari ſtudio amplectamur, qua vnioni & paci inter Chriſti *fideles, præſertim ſub ſuaui Religionis iuga virtutum Domino famulantes opportunis rationibus conſulitur, & his, quæ propterea facta fuiſſe dicuntur, vt firma, & illibata perpetuò remaneant, & à partibus ipſis inuiolabiliter obſeruentur, apoſtolici muniminis adycimus*

mus firmitatem, prout conſpicimus ſalubritèr in Domino expedire, Sanè pro parte dilectorum filiorum Egidij Marazxini Abbatis, nec non Deſiderij de Mantua Procuratoris generalium reſpectiuè Monachorum Congregationis Camaldulenſium, ac Antonij de Florentia maioris Sacræ Eremi Camaldulenſium de Etruria, & Felicis de Partina dictæ Eremi Procuratoris Nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſi pro feliciori ipſius ſacræ Eremi ſtatu in vim facultatis ſibi ab Eremitis dictæ Sacræ Eremi attributæ dictam ſacram Eremum,& Eremitas olim eidem Congregationi vnitos,poſtea verò ab eiſdem canonicè diſmembratos eidem Congregationi reunierunt, & reincorporarunt, Congregationemque, ac Monachos, nec non eremum, & Eremitas huiuſmodi in vnum reduxerunt certis modo, & forma, ac cum nonnullis conuentionibus & pactis deſuper initis plenius continetur in inſtrumento deſuper celebrato tenoris ſequentis, videlicet

In nomine Domini *Amen, &c.* in quibus de prædicta vnione, eiuſque conditionibus, & circunſtantijs agitur.

Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat tam Egidius, & Deſiderius, quam Antonius, & Felix prædicti plurimum cupiant prę inſertum inſtrumentum,ac omnia, & ſingula in eo contenta apoſtolicæ confirmationis robore communiri: Nos eorum votis quantum cum Domino *poſſumus annuere, illoſque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentiũ duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſendum ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati.* P*ræinſertum inſtrumentum cum omnibus & ſingulis in eo contentis apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus ac omnes & ſingulos tam iuris, quam facti & quoſuis alios etiam quantumuis ſubſtantialis defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Decernentes præſentes litteras, omniaque & ſingula in eis contenta ſemper, & perpetuo valida firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & ſpectabit in futurum perpetuò, & inuiolabiliter obſeruari, nec ab illis reſiliri poſſe, ſicque, & non aliter per quoſcunque Iudices, Ordinarios, & Delegatos, & cauſarum Palatij apoſtolici Auditores vbique iudicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, nec non Congregationis, &* Eremi *huiuſmodi etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis eorum omnium contra præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habendum illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 30. Aprilis* 1626. *Pontificatus noſtri anno tertio: Nunc autem nos feliciori Sacræ Eremi huiuſmodi ſtatui, & directioni quantum cum Domino poſſumus conſulere volentes, De Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſuper negocijs eiuſdem* Eremi *à Nobis deputatorum conſilio, præinſertas litteras huiuſmodi cum omnibus & ſingulis in eis contentis apoſtolica auctoritate tenore præſentium reuocantes, & annullantes, nulliuſque roboris, vel momenti eſſe, & fore declarantes Te, de cuius fide, pietate, prudentia, & Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, eiuſdem Sacræ* Eremi *Camaldulenſis Commiſſarium cum facultate illam, eiuſque domos, res, & bona quæcumque*

tam

tam in capite, quàm in membris, nec non illius Eremitas, & perſonas tam per Te, quam per alios a Te deputandos regendi, & gubernandi, ac pro bono regimine huiuſmodi decreta quæcunque edendi, & iam edita immutandi, & alterandi, noſtrum maiorem, cæteroſque officiales, & miniſtros præficiendi, & præfectos caſſandi, & amouendi quoties, & quando Tibi videbitur expedire, eorumdemque Eremitarum, ac perſonarum exceſſus corrigendi ac puniendi illos etiam vbi opus fuerit, expellendo, atque ad Monachos Camaldulenſes montis Coronæ, aut aliam Religionem clauſtralem vbi beneuolos inuenerint receptores, transferendo, ac ſummatim in ſacram Eremum domos, res, Eremitas, & perſonas huiuſmodi vſque ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, omnimodam auctoritatem, & iuriſdictionem exercendo, inuocato etiã vbi opus fuerit, brachij ſecularis auxilio quemadmodum pro ipſius ordinis bono, atque eremiticæ diſciplinæ reſtauratione, & obſeruatione, magis in Domino è re eſſe arbitraueris, auctoritate, & tenore præſentis facimus, conſtituimus, & deputamus; Mandantes propterea Maiori, & alijs officialibus prædictis, cæteriſque, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, qua enus Te in Commiſſarium huiuſmodi ſic per Nos vt ſupra deputatum iuxta tenorem præſentiũ, recipiant, admittant, & recognoſcant, tuaque ſalubria monita, & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent; Alioquin ſententiam, ſiue pœnã, quã ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino vſque ad condignam ſatisfactionem inuiolabiliter obſeruari. Non obſtantibus præinſertis litteris huiuſmodi, omnibuſque, & ſingulis in eis contentis, necnon quæ in eiſdem litteris conceſſa ſunt, non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 10. Martij M. DC. XXIX. Pontificatus noſtri anno ſexto.

M. A. Maraldus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum Sanctiſſ. Trinitatis, Gallicæ Congregationis Romæ exiſtentium.

RESPONDEO dicendum, quod Carmelitæ Diſcalceati habuerunt aliquando authoritate Apoſtolica regimen Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis, Gallicæ Congregationis, Romæ exiſtentium.

Probatur concluſio duplici decreto ſequenti in bulla Pontificis hic indicata fundato.

Martius miſeratione Diuina Sancti Angeli in Foro Piſcium S. R. E. Diaconus Cardinalis Sanctiſſimi D. N. Vrbani Papæ VIII. Vicarius Generalis, & totius Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Protector: Dilecto Nobis in Chriſto Patri Fratri Paulo Simoni à Ieſu Maria Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Sacerdoti.

CVm Religioſorum præſertim Reformatorum, quorum protectio ſpecialiter Nobis à Summo Pontifice, & Sancta Sede Apoſtolica eſt commendare proſpero, & felici regimine conſulere, & eorundem Reformationem enixè promouere cupiamus; ideo Nos conuentum S. Dioniſij de Vrbe Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Nationis Gallicæ, & eius miniſtrum, & Fratres, necnon Reformationem ab ipſis inceptam ſpeciali dilectione proſequentes,

tes, & vt illo regularis vigeat diſciplina maximè deſiderante; Neceſſarium duximus prædictis Conuentui, & Fratribus, ac Reformationi de Viro aliquo Religioſo, ac prudente, qui eos dirigat, & iuxta litteras S. D. N. Vrbani Papæ VIII. incipientes (alias à Nobis) & datas 28. Februarij 1631. viſitet, & gubernet prouidere prout in Domino ſalubritèr conſpicimus expedire; Ideo Te Pater Frater Paule Simon à Ieſu Maria, de cuius prudentia, & Religionis zelo multùm in Domino confidimus, conſtituimus prædicti Conuentus, & Reformationis Directorem, & Viſitatorem; Mandamuſque in virtute ſanctæ obedientiæ, vt prædicto operi quàm primum manum apponas, & plenam auctoritatem ad beneplacitum noſtrum duraturam concedimus prædictum Conuentum, & Reformationem dirigendi, viſitandi, & gubernandi tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus iuxta prædictas literas S.D.N. Mandamuſque vt vnum, vel duos ex Congregatione tua Carmelitarum Diſcalceatorum Sacerdotes profeſſos, de licentia tum ſuorum Superiorum ad obeundum in prædicto Conuentu munus Magiſtri Nouitiorum idoneos accipias, & deputes ita tuum, vt ſine tuo conſenſu nec Nouitij ad habitum, aut ad profeſſionem valeant admitti, nec ad prædictum Conuentum vlli etiam eiuſdem Congregationis Fratres recipi ſub pœna priuationis omnis gradus, & officij, nec non ad ea perpetuæ inhabilitatis, acceptis prius ſuper his omnibus à S.D.N. ſpeciali mandato, cæteraque facias, quæ ad prædictæ Reformationis bonum iuxta prædictas litteras expedire indicaueris; Tibique ſocium ex prædicta tua Congregatione, cum quo extra Conuentum ad prædicta exequenda exire valeas, eliges. Non obſtantibus, &c. Datũ Romæ die vltimo menſis Auguſti, Anno Domini 1635,

M.Card.Ginnettus Vicar.& Protector.

Loco † ſigilli.

Fælix Lucu Secret.

In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Amen.

Idibus Iulij 1635.

NOS *infraſcripti Miniſter & Fratres Conuentus S. Dionyſij Areopagitæ de Vrbe Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Nationis Gallicæ capitularitèr congregati; Conſiderantes deſideriũ & affectum Eminentiſs.& Reuerẽdiſſ.D.D.Cardinalis Protectoris noſtri, qui ſemper incũbit, vt domũ hanc noſtram Romanam omnibus, quibus poſſit, fauoribus proſequatur, maximè vt in ea regularis vigeat diſciplina, nobis indicauit, vt tanquam neceſſarium iuxta breue noſtrum apoſtolicum à Sanctitate Sua Vrbano* Papa *VIII.expeditum die 28.menſis February anno 1631.incipien. (aliàs à Nobis) ſe in Viſitatorem & Directorem huius noſtri Conuentus elegiſſe admodum* R.P. *Fratrem Paulum Simeonem à Ieſu Maria Oordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Sacerdotem Virum pietate, prudentia, doctrina & experientia, ac in primis* Religionis *zelo præſtantem; Nos itaque ſaluti noſtræ conſulere cupientes præſenti decreto vnanimiter, & pari conſenſu declaramus acceptare dictum* R. P. *Fratrẽ Paulum Simonem a Ieſu Maria in Viſitatorem, & Directorem huiuſce noſtri Cõuentus; Promittentes ipſi, aut alijs nomine ſuo omnem obedientiam, reuerentiam, & honorem, non obſtantibus tamen quibuſcunque. Idque pro decennio, in cuius rei fidem præſens Decretum noſtris chirographis ſubſignauimus, ſigilloque ordinario noſtri prædicti Conuentus muniuimus. Datum Romæ die, menſe, & Anno vt ſupra.*

Fr.Hieronymus à Sanctiſſ. Sacramento indignus Miniſter.
Fr.Martialis ab Annuntiat.B.Mariæ.
Fr.Michael ab Aſſumptione B. Mariæ.
Fr.Simon à S.Iulia.

Locus † ſigilli.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS IX.

Vtrum Carmelitæ Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Congregationis Beatæ Mariæ montis Virginis.

RESPONDEO dicendum, quod Carmelitæ Diſcalceati habuerunt aliquando authoritate Apoſtolica regimen Congregationis Beatæ Mariꝫ montis Virginis.

Probatur concluſio fideli relatione, quam excepi ex ore duorum Patrum noſtrorum qui tali regimini fuerunt applicati, nempe Aloyſij à Sancto Ioſeph, & Mauricij à Sancta Thereſia. Deinde ſequenti bulla Innocentij X. Summi Pontificis.

Dilecto Filio Laurentio à S. Elia Præpoſito Generali Fratrum Ordinis Beatꝫ Mariæ de Monte Carmelo Diſcalceatorum nuncupatorum.

INNOCENTIVS PAPA X.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX *debito Paſtoralis officij quo Diuina diſponente Clementia vniuerſalis Eccleſiæ regimini præſidemus, ad ea ſedulo intendimus, per quæ Eccleſiaſtica Regulariſque diſciplinæ obſeruantia in quibuſuis monaſterijs cætibuſque religioſis conſeruetur, & in quibus illa exciderit, modis quantum in Domino fieri poteſt reſtituatur opportunis. Cum itaque ſicut accepimus Congregatio Beatæ Mariæ montis Virginis ex illius monachorum diſcordijs, & diſſentionibus in monaſtica, regularique diſciplina valde defecerit variæque in dies quærimoniꝫ, & conqueſtiones ad Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitos, tam circa malam redditnum Monaſteriorum, & eleemoſynarum Sanctuario Monaſterij dicti Montis Virginis deſtinatarum adminiſtrationem, quam circa vitioſam, offenſionumque plenam eorumdem Monachorum vitam deferantur, & perueniant. Idcirco Nos tantùm virus & malum ab eadem Montis Virginis Congregatione præſtante Domino propellere illiuſque proſpero, fælicique regimini & gubernio proſpectum eſſe cupientes deque tuis fide, peudentia, integritate, Religionis zelo alijſque virtutum donis plurimum in Domino confiſi, ex particularis Congregationis ſuper ſimilibus Regularium rebus, & negotijs deputatæ voto, & ſententia. Te dictæ Cungregationis Montis Virginis Viſitatorem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium deſtinamus, facimus conſtituimus, & deputamus ad hoc vt ipſum dicti Montis Virginis ac omnia & ſingula alia Monaſteria, Prioratus, Grangias, Procurarias, & Domos regulares quaſcumque eidem Congregationi Montis Virginis ſubiecta dicta authoritate noſtra perſonaliter viſites & per exactam extraiudicialemque informationem per te capiendam de cuiuſlibet ex ipſis Monaſterijs alijſque præfatis ſtatu non minus in temporalibus quam in ſpiritualibus, ac tam in capite quam in membris, deque vita & moribus eorumdem Monachorum & obſeruantia regulari, cultuque Diuino, ac de quibuſuis alijs rebus quas ſciri iudicaueris expedire, inquiras, cum facultate contra quoſcumque ex ipſis Monachis (etiam Abbates & Superiores) ad ſuſpenſionem à ſuis reſpectiuè officijs; ac etiam ſi opus fuerit ad illorum carcerationem deueniendi, illoſque ſub cenſuram & alijs arbitrio tuo irrogandis, & infligendis pœnis vt ipſi ſe ſe examini deſuper ſubijciant, rationum & computorum libros & ſcripturas Viſitationem huiuſmodi per te vigore præſentium faciendam concernenes exhibeant, tibique in præmiſſis debitam obedientiam præſtent cogendi & compellendi aliaque in præmiſſis & circa ea neceſſaria ſeu qaomodolibet*

oppor-

Digitized by Google

opportuna faciendi, dicendi, & exequendi, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Mandantes propterea omnibus & ſingulis dictæ Congregationis Montis Virginis huiuſmodi ſuperioribus Monachis & perſonis, cæteriſque ad quos ſpectabit; vt tibi in præmiſſis omnibus pareant faueant, & aſſiſtant. Volumus autem vt completa per te Viſitatione huiuſmodì, Tu omnia & ſingula proceſſus & acta informationeſque in præmiſſis captas, & confecta in forma authentica ad eoſdem Cardinales ſub tuo ſigillo clauſa quamprimum & diligenter tranſmittere tenearis, vt quod in illis ſtatuendum erit matura conſultatione adbibita decernatur. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis Montis Virginis illiuſque Monaſteriorum, domorum, & locorum regularium, quorumcumque etiam iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegijs quoque indultis & litteris Apoſtolicis eidem Congregationi Montis Virginis Monaſterijs, Prioratibus, aliiſque præfatis, nec non Abbatibus, Superioribus, & alijs perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenore præſentium pro plenè & ſufficienter expreſſis & ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris. Die 12. Iunij 1649. Põtificatus noſtri anno quinto.

M. A. Maraldus.

ARTICVLVS X.

Vtrum Carmelitę Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen religionis Miniſtrantium infirmis.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitę Diſcalceati habuerint aliquando authoritate Apoſtolica regimen Religionis Miniſtrantium infirmis.

Probatur Concluſio: Tum ſequenti decreto Sacræ Congregationis negotijs Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ: Tum fideli relatione electi Commiſſarij ſeu Viſitatoris è noſtris R. P. Iſidori à S. Ioſeph, quam ex eius ore excepi.

In Regiſtro litterarum & Decretorum Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ ſub die ſeptima Februarij 1648. ita reperitur videlicet. Ex audientia Sanctiſſimi quinta Februarij 1648.

Miniſtri Infirmorum. Domino Cardinali Sacchetto Protectori.

AD Sacræ Congregationis notitiam peruenit, quòd in Religione Infirmis Miniſtrantium, & præcipuè in ipſorum Domo de Vrbe ſpiritus & feruor regularis obſeruantiæ defeciſſe videatur &c. Quocirca iſti Eminentiſſimi Domini quantum poſſibile fuerit, remedium

 affer-

Digitized by Google

aſferre volentes, ac mandata ferre neceſſaria, quibus exactè Inſtituti ſui exercitio vacent cum populorum ædificatione, & aliarum Religionum incitamento ad exercitia charitatis; De mandato expreſſo Sanctitatis ſuæ decreuerunt, ipſos viſitari facere à duobus Religioſis, qui zelo, probata prudentia, ac bonitate præſtent; Et cognoſcentes in Patre Fratre *Iſidoro à S.Ioſeph Carmelitarum Diſcalceatorum Procuratore generali, &* Patre *Octauiano Finazzi Clericorum Regularium* S. Pauli *item Procuratore generali huiuſmodi qualitates, vt præſenti neceſſitati prouideant, proprioque officio ſatisfaciant, ijs coniunctim commiſerunt Viſitationem non ſolùm domus Beatæ Magdalenæ de Vrbe tam in capite, quã in membris, ſed etiam totius ſtatus eiuſdem* Religionis *ad effectum ſe ſe informandi de Vita moribus, & obſeruantia vniuſcuiuſque, ac de gubernio tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, & de quibuſlibet alijs diuinum cultum, ædificationem, & fructum in proximis concernẽtibus, & ſpecialiter circa exercitium aſſiſtentiæ Infirmorum, & ſinceram, diſtinctamque relationem* Eminentijs *ſuis ferant, intereaque iubeant ſibi ſtatim conſignari claues non ſolùm Archiuij, nec non ſcripturas, cauſarum proceſſus, & gubernij* Libros, *ſed etiã ſibi dari notam omnium pecuniarum, & aliarum rerum, quas ipſi Religioſi de proprio habuerint, ordinentque, ac mandent ſub pœnis opportunis, ne inter ſe conuenticula faciant necquidem in Camera eiuſdẽ Generalis, Conſultorum, aut aliorum etiam in dicta domo priuilegiatorum, & ad hunc effectum Sacra* Congregatio *communicat dictis* PP. *Viſitatoribus omnem facultatem neceſſariam.* Hæc *ſignifico Eminentiæ Veſtræ, vt velit ordinare, quod exequutioni mandentur cum eo fructu, qui deſideratur,*

Item expedita fuit alia epiſtola directè ad dictos PP. *Viſitatores ab eadem Sacra Congregatione huiuſmodi tenoris &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ hac die* 29. *Auguſti* 1665.

M.Card. Ginnettus.

E. Epiſcopus Cam. Secr.

Iam dictum eſt ſupra, qualiter in principio noſtræ reformationis, viuente adhuc S. M. N. Thereſia, Pater Hieronymus à Matre Dei fuit electus Commiſſarius & Viſitator Apoſtolicus aliorum Carmelitarum in prouincia Boetica; ſicut etiam in prouincia Luſitaniæ anno Domini 1588. Pro eadem Luſitaniæ prouincia viſitanda fuit electus à Nuncio Apoſtolico & à Rege Catholico P.N. Alphonſus à Ieſu Maria Generalis Congregationis Hiſpaniæ; ſed ſuę reſtitit electioni.

Dictum etiam fuit, qualiter in Gallia Patres Benedictini in monaſterio dicto charitatis reformationem amplectentes in ſuum diu directorem habuerunt P. N. Gregorium Nazianzenum a Sancto Baſilio.

Tandem dictum eſt, qualiter ad inſtantiam Patrum Sancti Baſilij, ex mandato Sacræ Congregationis de Propaganda fide, fuit deſtinatus ipſorum reformator P. N. Cœleſtinus Polonus: Sed quia dicti Patres intendebant, vt ipſorum inſtitutum mutato habitu profiteretur; hac conditione noluit conſentire, & nunc eſt Prouincialis noſtræ Prouincię Poloniæ.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS XI.

Vtrum Carmelitis Diſcalceatis fuerit aliquando commiſſa Viſitatio Apoſtolica omnium miſſionum in Aſia exiſtentium.

RESPONDEO dicendum, quòd Carmelitis Diſcalceatis fuit aliquando commiſſa Viſitatio Apoſtolica omnium miſſionum in Aſia exiſtentium.

Probatur concluſio ſequenti bulla Sanctiſſimi D. N. Alexandri VII. nunc fœlicitèr regnantis, qui talem viſitationem commiſit.

Dilecto Filio Hiacyntho a Sancto Vincentio Ordinis Fratrū B. Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum Nuncupatorū Profeſſori.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

De ſpectata tua grauiſſimis in rebus fide integritate, prudentia, dexteritate induſtria, & Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confiſi; Teque a quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alyſque Eccleſiaſticis ſententyis, cenſuris, & pœnis a iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtentis ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes; Te Viſitatorem Apoſtolicum omnium miſſionum in Aſia exiſtentium cum facultate ſingulas, & quaſcunque ex dictis miſſionibus ſiue Præsbyterorum ſæcularium, ſiue regulariū ſint, ac reſidentias, domos, hoſpitia, Eccleſias, & Cappellas, nec non perſonas, res, & bona mobilia, & immobilia earumdem viſitandi, omniaque & ſingula faciendi, quæ ad huius Viſitationis executionem ſpectient, ac cum alÿs facultatibus neceſſarÿs, & opportunis, & aliàs pro eiuſmodi munere ritè, & recte complendo a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotio propagandæ fidei præpoſitorum concedi ſolitis, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium declaramus, & conſtituimus. Ac Tibi ſeriò iniungimus, vt de earumdem miſſionum ſtatu, ac progreſſibus; de Miſſionariorum exercitÿs, laboribus, & moribus; deque ÿs omnibus, quæ ad pleniorem, & perfectam earum rerum notitiam pertinere videbuntur, quatenus ad maiorem Dei gloriam, fideique Catholicæ propagationem, atque earum Prouinciarum ſpirituale beneficium noueris conferre, prout latius in Inſtructione tibi per dilectum filium Secretarium memoratæ Congregationis Cardinalium trāſmittenda continetur, tam per te ipſum, quam ex fide dignis teſtimonÿs diligenter inquiras, eamdemque Cardinalium Congregationem certiorem facere non pratermittas. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis perſonis eccleſiaſticis ſiue ſæcularibus, ſiue regularibus in quacumque dignitate conſtitutis, vt Te vti Viſitatorem Apoſtolicum ſic a Nobis conſtitutum recipiant, ac recognoſcant, Tibique in omnibus ad prædictam Viſitationem ſpectantibus omninò pareant, & obſequantur. Contradictores vero Tibi obſequi, & parere recuſantes per cenſuras eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione poſtpoſita, auctoritate noſtra compeſcendi, & cogendi Tibi impartimur facultatem. Volumus autem, vt vbi impoſitum Tibi munus impleueris, eidem Congregationi Cardinalium acta tuæ viſitationis tranſmittas. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenus opus ſit reſidentiarum locorum, & hoſpitiorum huiuſmodi, alyſue quibuſuis etiam iuramento confirma-

Digitized by Google

firmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris Die 27. Ianuarij 1660. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

S. Vgolinus.

LAVS DEO.

De Erroribus huius Impreſſionis.

ERrores qui in impreſſione irrepſerunt, facilè poſſunt aduerti, & corrigi diligentia Lectoris: Rari ſunt, qui ſenſum poſſunt alterare; Vnde in eis referendis non immoramur.

PRO-

Digitized by Google

PROTESTATIO AVTHORIS.

VT perfectè Summi Pontificis voluntati ſatisfaciam ; declaro me in hoc opere, dum per occaſionem de aliquibus Viris Illuſtribus noſtræ Religionis nondum canonizatis miras res geſtas propono, non intendere vllam ipſorum beatificationi viam ſtruere, aut Prælatorum Sanctæ Eccleſiæ præuenire iudicium : ſed cuncta ſolùm vt Theologus refero, & in publicum edo ad Dei Optimi Maximi glorificationem, ad honorem noſtræ Religionis, & ad religioſarum virtutum æmulationem, ſingula S.R.E. iudicio decretiſque ſubijciens.

REGI-

Digitized by Google

REGESTVM

§ §§ §§§ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T
V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo
Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll
Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx
Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee

Omnes ſunt Duerniones.

R O M AE,
Sumptibus Philippi M. Mancini. M.DC.LXV.

SVPERIORVM LICENTIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google